A
23
40

F 76.

3
8 4



F 76.

8 3 4

13

(R.2242) B.10.215

JO. BAPTISTÆ

DE LUCA

VENUSINI,

S. R. E. Presbyteri Cardinalis;

THEATRUM

VERITATIS & JUSTITIÆ,

SIVE DECISIVI DISCURSUS PER MATERIAS, SEU TITULOS distincti, & ad veritatem editi in forensibus controversiis Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus pro una partium scripsit, vel consultus respondit.

LIBER DECIMUSTERTIUS,

Cujus I. Pars de Jurepatronatus; II. de Pensionibus Ecclesiasticis.

CUM NONNULLIS RECENTISSIMIS SACRÆ ROTÆ Romanæ Decisionibus ad materiam spectantibus; nec non Annotationibus, ac Discursibus, qui antèa in Supplementis extabant, suis locis optimè adjectis.

VENETIIS, MDCCXXVI.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

INDEX ARGUMENTORUM
IN DISCURSIBUS,
Qui habentur in Prima Parte Decimitertii Libri, de Jurepatronatus.

D I S C. I.
Cæsarauguſtana Canonicatus.

AN beneficia de Regio Patronatu, differant ab aliis de jurepatronatus etiam laicali privatorum, ſeu potentium, tam circa devolutionem, ſob præſentationem in tempore non factam, quàm circa diſpoſitionem textus *in cap. 1. & 2. ut lite pendente in ſexto*, ſuper beneficio litigioſo; Et quando incipiat currere terminus datus patronis laicis ad præſentandum, an ſcilicet à die vacationis, vel potiùs à die habitæ notitiæ.

D I S C. II.
Maſſanen. juriſpatronatus.

An juſpatronatus ex privilegio, ſeu aliàs poſſeſſum per Baronem, ſeu feudatarium, devoluto feudo ceſſet, vel potius tranſeat ad Dominum; Et quatenus tranſeat, an aſſumat naturam, & prærogativa juriſpatronatus Imperialis, vel Regii, quamvis feudum denuò concedatur, itaut non ſubjaceat reſervationibus.

D I S C. III.
Præneſtina juriſpatronatus.

De probatione juriſpatronatus potentium, quomodo facienda ſit ad formam præſcriptam à Sacro Concilio. Et quando dicta rigoroſa forma non requiratur; Et an teſtes vaſalli in hac materia admittantur ad favorem Domini loci.

D I S C. IV.
Veliterna juriſpatronatus.

An, & quando ſententia Ordinarii canonizatoria juriſpatronatus potentium ſuffragetur, ſi non reperiantur acta, ex quibus conſtet, impletam eſſe formam præſcriptam à Sac. Conc. Trid.

D I S C. V.
Toletana juriſpatronatus.

De eadem materia juriſpatronatus potentium, ac forma Conciliari, an procedat ubi perſona potens habet cauſam à non potente; Et an dominium loci cum juriſdictione inducat potentiam in perſonis Eccleſiaſticis.

Et an conceſſo Oppido vel Caſtro, veniat juriſpatronatus quod concedenti competit.

D I S C. VI.
Lauden. parochialis.

De eadem materia juriſpatronatus potentium, ac formæ Conciliaris in eo præſcriptæ, an procedat in Communitatibus quamvis juriſdictionem non habentibus; Et quid ubi earum jus admixtum eſt cum Eccleſia, vel perſona non potenti, in qua non militet dicta mala præſumptio; Et quando hæc dicatur purgata.

Et an etiam in Eccleſia, vel perſonis eccleſiaſticis cadat eadem mala præſumptio, adeòut dicatur juſpatronatus potentium; Et quando juſpatronatus competere dicatur ratione Oppidi, ſeu dominii, & juriſdictionis temporalis.

D I S C. VII.
Sobrien. Canonicatus.

De probatione juriſpatronatus, Capituli, ſeu Univerſitatis Eccleſiaſticæ non cadentes ſub rigoroſa forma Concilii, ſed regulandi juxta diſpoſitionem juris communis; Et eodem Patronatu Eccleſiaſtico cadente ſub Regulis Cancellariæ, & reſervationibus Apoſtolicis, vel ſub concurſu præſcripto in Parochialibus per Sacr. Conc. Trid. Et aliqua de ultimo ſtatu, & de attentata præſentatione lite pendente.

D I S C. VIII.
Bonon. juriſpatronatus ſeu Hoſpitalis.

De eadem materia Univerſitatis, ſeu Communitatis eccleſiaſticæ, vel piæ, non cadentis ſub rigoroſa forma inducta per Concil. Trid. in perſonis potentibus; Et quando in ſolis terminis juris communis ex antiqua *Card. de Luca Lib. XIII.* etiam centenaria poſſeſſione non dicatur conſtare de jurepatronatus ex fundatione, ven donatione, ſed quòd ſit potius ex conſuetudine faciendi nominationem conſultivam & gratam.

D I S C. IX.
Neapolitana beneficii ſeu juriſpatronatus.

De probatione juriſpatronatus privatorum ex fundatione vel dotatione, quando adeſſe dicatur; Et quando patrono obſtet ultimus ſtatus de libero.

D I S C. X.
Lucana prioratus.

An & quando juſpatronatus laicale competens ex privilegio oneroſo, puta conceſſo ob augmentum dotis, dicatur competere ex gratia, itaut ſubjaceat Apoſtolicis reſervationibus, & Regulis Cancellariæ, vel potiùs ex juſtitia, itaut hujuſmodi ſubjectionem non habeat; & quid veniat ſub nomine fructuum; Et quales ſint diſtributiones non computandæ in valore, ad hunc, vel alium effectus.

D I S C. XI.
Faventina parochialis.

De conceſſione juriſpatronatus facta per Epiſcopum ex cauſa augmenti dotis, an ſubſiſtat & faciat patronum necne; Et an ultimus longus ſtatus collativus tanquam de libero deſtruat patronalem qualitatem.

D I S C. XII.
Roſſanen. capellæ, ſeu juriſpatronatus.

An Epiſcopus Eccleſiam liberam concedere poſſit in patronatum; Et ex qua fundatione vel jure patronatus acquiratur, & quomodo; Et incidenter de adminiſtratione eleemoſynarum & oblationum Eccleſiæ, vel capellæ patronatæ.

D I S C. XIII.
Melevitana juriſpatronatus.

An novæ diſpoſitiones factæ per eumdem fundatorem importent augmentum dotis beneficii jam fundati, vel potius novum, & diverſum beneficium; Et an in eadem capella detur pluralitas beneficiorum & patronorum.

D I S C. XIV.
Romana juriſpatronatus de Manoſits.

Hærede negligente erigere beneficium à teſtatore demandatum, an ſecundus hæres ab ipſo hærede inſtitutus, ac fideicommiſſo gravatus, erigendo beneficium, poſſit reſervare juſpatronatus ſibi ejuſque ſucceſſoribus, vel potius illud tranſeat cum hæreditate ad ſuſtitutos.

D I S C. XV.
Maceraten. Capellaniæ.

An hæres, vel ſucceſſor in jurepatronatus poſſit facere perpetuum beneficium, quod erat manuale.

Et è converſo, an fundator vel ſucceſſor poſſit facere manuale beneficium, quod erat perpetuum.

D I S C. XVI.
Melphiten. beneficii.

An idem fundator alterare poſſit leges fundationis, præſertim circa qualitates præſentandorum, ac juſpatronatus paſſivum, & onera beneficiati.

D I S C. XVII.
Æſina Capellaniæ.

De eodem, an ſcilicet Patronus poſſit immutare legem fundationis, ac tollere juſpatronatus ad alterius favorem reſervatum; Et quid occaſione novæ erectionis, an hæc importet diverſum beneficium, ac diverſum juſpatronatus.

D I S C. XVIII.
Arianen. Beneficii.

De eodem, an ſcilicet ipſe fundator, vel ſucceſſor alterare

rare possit naturam juris patronatus, illud de hereditario faciendo gentilitium, vel è contra, sive adjiciendo qualitatem passivam, quę prius non aderat.

D I S C. XIX.

Lunen. Sarzanen, beneficiorum.

De eadem materia potestatis alterandi naturam juris patronatus, & præsertim illud faciendi fideicommissarium, an fieri possit sine assensu Ordinarii.

D I S C. XX.

Pisana commendæ.

De eodem, an scilicet attendi debeat nova lex, vel conditio per fundatorem, vel alium ejus nomine ex intervallo adjecta, quę sit alterativa antiquę legis, vel naturę juris patronatus; Et an ex lege adjecta in jurepatronatus activo inferatur ad passivum; Et in specie Commendarum militarium Sancti Stephani, super Statuto, ut Patrono existente incapaci, debeat ejus capacitas expectari, & interim Commenda vacare, quomodo, & quando procedat.

D I S C. XXI.

Romana juris patronatus de Caffarellis.

De eodem, an scilicet fundator ex intervallo alteret naturam juris patronatus reservati pro solo majori natu, ut competat omnibus de familia; Et quatenus non alteretur, an attendatur major natu in linea, vel in ętate.

D I S C. XXII.

Florentina juris patronatus de Casavecchia.

Jus patronatus quando dicatur hereditarium, vel familiare, seu gentilitium & familiare; Et an fœminę veniant, & quomodo sub gentilitio, seu familiari.

D I S C. XXIII.

Comen. beneficii.

An jus patronatus sit gentilitium, vel hereditarium, & quę regula tenenda sit ad distinguendam unam qualitatem ab altera.

D I S C. XXIV.

Sipontina beneficii.

Posita fundatione pro successoribus de familia, de qua familia intelligatur, an de effectiva tantùm, vel etiam de contentiva; Et quid ubi fundator non habet prolem, unde propterea dicta distinctio non intret, de qua specie familiæ intelligendum sit; Et an illud verbum, *successores de familia*, exigat etiam qualitatem hæreditariam, unde faciat jus patronatus mixtum.

D I S C. XXV.

Turgi S. Sepulchri juris patronatus.

Sub nomine familiæ qui veniant in utroque patronatu activo & passivo, & quid ubi adjectum esset etiam verbum *descendentię*, quia dictum esset *de familia & descendentia*.

D I S C. XXVI.

Fanen. capellaniæ.

De eodem vocabulo *familiæ* quid significet, & qui sub eo veniant in utroque patronatu, an scilicet conveniat solis agnatis, vel etiam cognatis; Et quid ubi adjunctum est proprium nomen, cum quo ipsa familia denominatur.

D I S C. XXVII.

Civitatis Plebis capellaniæ.

De jurepatronatus passivo ordinato pro illis de parentela fundatoris, an conveniat attinentibus per cognationem, vel solum agnatis.

D I S C. XXVIII.

Mutinen. beneficii.

An vocabulum *cognationis* usurpetur pro agnatione ad quam dispositio restricta censeatur, & quid de vocabulo *progenię*, *& stirpe*; Et an fœmina veniat in jure agnatitio.

Et incidenter, an & quando Vicarius Generalis Episcopi præstet consensum donationi juris patronatus.

D I S C. XXIX.

Mediolanen. Præpositurę.

An in jurepatronatus passivo reservato aliquibus familiis, veniat illa familia cui reservatum est jus patronatus activum, quamvis non fiat mentio; Vel potius patronus teneatur præsentare unum ex aliis familiis vocatis.

D I S C. XXX.

Florentina juris patronatus de Lucardensibus.

An fœminæ, vel masculi per ipsos descendentes veniant sub concessione juris patronatus facta descendentibus masculis, seu lineæ masculinæ; Et de jurepatronatus mixto requirente in successore utramque qualitatem hereditariam, sanguinis, & rei familiaris, quando scilicet utraque precisè necessaria sit, vel potius una sufficiat.

D I S C. XXXI.

Pistorien. juris patronatus de Michelucciis.

Posito patronatu familiari, quando dicatur constare de identitate familiæ, ad effectum illius pertinentiæ; Et quatenus data identitate, aliqua pars familiæ, seu aliquis colunnellus diversam inferiorem assumat fortunam, atque longo tempore negligat suum jus exercere, an id prejudicet successoribus.

Et incidenter, an & quando patronus possit presentare seipsum, seu pro seipso supplicare, vel quod ejus vox veniat in computatione ad sui favorem.

D I S C. XXXII.

Pistorien. juris patronatus.

De jurepatronatus competente pluribus familiis, quomodo istę inter se concurrant, ac respectivè personæ singularum familiarum ad effectum enumerationis vocum.

D I S C. XXXIII.

Praten. juris patronatus.

De jurepatronatus familiari, an jurepræsentandi competat omnibus de familia, vel potius proximioribus gradu; Et de computatione vocum, an in stirpes, vel in capita.

D I S C. XXXIV.

Comen. beneficii.

Reservato jurepatronatus ad favorem alicujus Universitatis, vel Collegii, ac etiam personæ particularis, ejusque descendentium, vel de familia, quomodo ista persona particularis concurrat, an collegiativè cum dicta Universitate ad unam vocem constituendam, vel potius constituat coæqualem vocem propriam distinctam; Et vocatis illis de familia, qui veniant, an illi de effectiva tantùm, vel etiam de contentiva, & quomodo.

D I S C. XXXV.

Bononien. beneficii.

Præsuppositio, quod jus patronatus sit familiare pro duabus lineis, seu familiis, an una defecta, totum accrescat lineę, seu familię superstiti, vel potius ultimus lineæ deficientis, suam portionem transmittat ad heredem extraneum, itaut efficiatur partim hereditarium, & partim familiare. Et quando vocatio alicujus ad jus patronatus sit personalis, itaut non trasmittatur ad successores, vel è contrà; Et an executores testamentarii, quibus beneficii erectio demandata est, alterare possint leges à testatore præscriptas.

D I S C. XXXVI.

Capuana Abbatiæ.

An & quando jus patronatus cadat sub fideicommisso universali ordinato in tota hæreditate; Et incidenter ad materiam textus *in cap. consultationibus de jurepatronatus*, an scilicet & quando illius dispositio ad favorem possessoris attendi debeat, non curato bono jure petitoris.

D I S C. XXXVII.

Mediolanen. juris patronatus.

An jus patronatus transmittatur ad illegitimos, tam de jure, quàm attenta Constitutione Pii V. Et quid de legitimis ex illegitimis.

D I S C. XXXVIII.

Lunen. Sarzanen. juris patronatus.

An & quando jus patronatus transeat in fiscum succedentem patrono delinquenti, vel decedenti sine hærede.

D I S C. XXXIX.

Sabinen. juris nominandi.

An jus nominandi, vel præsentandi ad beneficium erigendum, relictum ei, qui deputatus est executor dictę erectionis, sit transmissibile ad heredes, vel potius sit personale.

D I S C. XL.

Aversana juris patronatus.

An jus patronatus laicale ad quod defectus personis, vel generibus prius vocatis, ipse Episcopus vocatus est, duret, vel potius in Episcopo cesset; Et quatenus duret, an sit Ecclesiasticum, vel laicale ad effectum reservationum, & alios.

D I S C. XLI.

Asculana juris patronatus.

Reservato jurepatronatus plurium beneficiorum ad favorem diversarum personarum, cum turno, seu alternativa inter eas per prius & per posterius, an prælatio uni data, intelligatur de prima vacatione unius beneficii, itaut in illa alterius veniat ille, qui præpostere vocatus; vel potius eadem prælatio intelligatur in omnibus beneficiis, in quibus turnus ad favorem primò vocati consumi debeat; Et incidenter de validitate hujusmodi turnariæ divisionis inter compatronos.

D I S C. XLII.

Pistorien. beneficii.

Derogatio Apostolica medietatis vocum, cum præsuppositio præsentationis ab altera medietate, an suffragetur, si de tempore gratiæ non aderat dicta præsentatio, quæ posteà supervenerit.

D I S C. XLIII.

Compostellana parochialis.

De accumulatione competente patronis in præsentando, quibus, quando, & quomodo competat; Et an illa fieri possit de jam præsentato incapaci post superventam capacitatem; Et incidenter de materia textus *in cap. 1. & 2. ut lite pendente in sexto*, an scilicet & quando in beneficiis de jurepatronatus intrent attentata, quorum vitio præsentationes factæ laborent.

D I S C. XLIV.

S. Agathæ Gothorum beneficii.

An & quando permutatio beneficii de jurepatronatus facta sine consensu patroni, subsistat necne; Et quatenus sit invalida, an permutanti concedantur regressus, vel potius fiat locus novæ præsentationi.

D I S C. XLV.

Vercellen. juris patronatus.

An & quando possit præsentari laicus pro quando erit clericus; Et an in jurepatronatus passivo, ille de genere vocato qui sit incapax, validè se opponat, ne patronus alium præsentet, sed expectet suam capacitatem; Vel è converso possit patronus expectare capacitatem alterius, atque negligere eum qui ex capax de genere.

D I S C. XLVI.

Cusentina beneficii.

An quemadmodum per patronum præsentari non potest laicus, cujus præsentatio invalida est, ita præsentari non possit clericus malè promotus, seu aliàt incapax beneficiorum; Et incidenter de incapacitate, ac irregularitate resultante à susceptione Ordiaum sine litteris proprii Ordinarii; Et quid de prima tonsura suscepta sede Episcopali vacante in vim Brevis Apostolici ad Ordines absque tonsuræ mentione.

D I S C. LXVII.

Fesulana, seu Melevitana Commendæ.

De præsentatione facta de indigno, an & quando causet amissionem juris præsentandi pro ea vice; Et an detur restitutio in integrum ob pupillarem ætatem, vel aliam justam causam; Et incidenter, quando incipiat currere terminus ad præsentandum; Et an pueri admittantur in jurepatronatus gentilitio.

D I S C. XLVIII.

Parmen. beneficii.

An præsentatio facta sub conditione pensionis reservandæ ad favorem præsentantis, dicatur simoniaca & invalida, itaut causet devolutionem; Et quid ubi sunt plures patroni, quorum aliqui sub dicta reservatione, aliqui autem purè præsentarunt, an istis purè præsentantibus id præjudicet.

D I S C. XLIX.

Valentina beneficii.

An Episcopus possit abbreviare terminum de jure concessum Patrono ad præsentandum, & quando institutio concessa post terminum præfinitum in edicto subsistat.

D I S C. L.

Urbinaten Canonicatus.

De Jurepatronatus passivo, an induci dicatur per verba *deprecativa*, seu aliàs *urbana*, ex quibus id remitti videtur voluntati, vel arbitrio possessoris juris patronatus.

D I S C. LI.

Nullius Baren. beneficiorum.

An & quando institutio in beneficio juris patronatus ad præsentationem dicatur actus judicialis, vel extrajudicialis, ex quo pendet, an sententia desuper lata sit appellabilis, necne; Et successivè, an executio post appellationem, vel intra tempus ad appellandum sit attentata; Et quid ubi adsint literæ Apostolicæ ad favorem præsentati cum derogatione medietatis vocum. Et aliqua de sequestro.

Card. de Luca Lib. XIII.

D I S C. LII.

Pampilonen. capellæ de Estella.

De juribus honorificis, aliisque præeminentiis competentibus Patrono in Ecclesia, vel Capella, præsertim circa jus ordinandi, seu mutandi iconem, cum similibus; Ac etiam de jurepatronatus circa sepulturas, an & quomodo detur; Et de illius pertinentia, vel successione; Et de differentia probationis juris patronatus, ad effectum præsentandi Rectores, vel ad effectus juris honorifici.

D I S C. LIII.

Romana Capellæ.

An jus patronatus honorificum, sive usuale dominium capellę, & sepulturę alienari possit cum pretio, vel sine, absque licentia, & consensu Superioris; Et an concessio situs in Ecclesia pro construenda capella, vel sepultura, dicatur importare alienationem, itaut intervenire debeant solemnitates; Et an concedens situm remaneat compatronus cum constructore capellę.

D I S C. LIV.

Januen. juris distribuendi de Duratiis.

De modo succedendi in jure administrandi, distribuendi eleemosynas, & subventiones in familia, vel alia hujusmodi jura honorifica, & præeminentialia exercendi.

D I S C. LV.

De modis quibus acquiratur jus patronatus in Ecclesia, vel Capella, seu Beneficio.

D I S C. LVI.

De aliis modis acquisitionis juris patronatus jam constituti, seu verius de modis translationis de uno in alium, per successionem, donationem, vel aliam dispositionem inter vivos, vel per ultimam voluntatem, seu præscriptionem.

D I S C. LVII.

De probatione juris patronatus per indicia, & adminicula inter privatos, in quibus non intret rigorosa forma inducta per Sac. Conc. Trid.

D I S C. LVIII.

De rigorosa forma probationis inducta per Sac. Conc. Trident. in jurepatronatus potentium; Et quę dicantur personę potentes ad hunc effectum.

D I S C. LIX.

Quando dicatur jus patronatus ecclesiasticum, vel laicale, seu mixtum; Et de effectibus exindè resultantibus.

D I S C. LX.

De natura juris patronatus, quando scilicet sit hereditarium, vel familiare, seu gentilitium, vel mixtum.

D I S C. LXI.

De concursu cumulativo plurium patronorum, vel successorum in presentando, an sit in capita, vel in stirpes, seu ratas & viriles ad effectum concludendi majorem partem, & quomodo fiat vocum computatio; Et quando dictus concursus debeat esse simultaneus, & collegiativus, vel sufficiant vota singularia.

D I S C. LXII.

De concursu privativo, seu prelativo plurium contendentium de pertinentia juris præsentandi, ad effectum inspiciendi, quę presentatio prevaleat, puta, viri, & uxoris, tutoris, & pupilli, principalis, & procuratoris, vel possessoris, & petitoris cum similibus.

D I S C. LXIII.

De possessione in jurepatronatus, vel jurepresentandi, ejusque requisitis, ut dicatur legitima, ejusdemque effectibus.

D I S C. LXIV.

De presentatione, quando dicatur validè, ac legitimè facta, ut impediat devolutionem, ac inducat in Ordinario, vel alio Superiore necessitatem instituendi tam circa tempus, quam circa modum, seu personam, & in aliis.

D I S C. LXV.

De jurepatronatus cadente sub generali revocatione contenta in Constitutionibus *Innoc. VIII. & Hadriani VI.* & in Conc. Trid.

Et de eodem cadente sub regulis Cancellarię, ac reservationibus, & affectionibus Apostolicis.

Et de specialibus ejus derogationibus.

D I S C. LXVI.

De provisionibus, beneficiorum resignationibus, vel permutationibus, aliisque gravaminibus sine consen-

su patronorum, quando valeant; Et quatenus non, an fiat locus novæ præsentationi, necnè.

DISC. LXVII.

De attentatis in materia juriſpatronatus, quomodo, & quando intret, tam quoad ipſos præſentatos de beneficio contendentes, quàm quoad patronos ſuper impedimento juriſpræſentandi, ad materiam textus *in c. 1. & 2. ut lite pendente in ſexto*.

DISC. LXVIII.

Senen. Comendæ.

An facultas data ultimo de linea, cui reſervatum eſt juſpatronatus Commendæ nominandi alterum, exerceri valeat per eum qui non ſit ultimus, ſed ultimum gravare poſſit; Et aliqua de eiſdem Commendis, de quibus ſuprà *diſc.* 20. Et in concurſu plurium nominationum, quæ debeat prævalere.

DISC. LXIX.

Juvenacien. Præpoſituræ.

An prima Dignitas in Collegiata, quæ fiat ad præſentationem, vel electionem eccleſiaſticorum, cadat necnè ſub reſervatione Regulæ quartæ, ſeu quintæ.

DISC. LXX.

Neritonen. Abbatiæ.

De interpretatione voluntatis fundatoris ſuper jurepatronatus paſſivo; Et quando diſpoſitio particularis ad favorem unius in uno caſu, extendatur ad alterum.

DISC. LXXI.

Piſtorien. Beneficii.

De Regula *de veriſimili notitia*, an procedat in beneficiis de jurepatronatus laicali, tam circa præſentationem factam à Patronis ante veriſimilem notitiam vacationis, quàm circa gratiam Apoſtolicam ſuper derogatione medietatis vocum.

EX SUPPLEMENTO.

DISC. LXXII.

Terracinen. Juriſpatronatus.

De eadem materia, de qua *ſupr. diſc.* 3. ſuper cauſa univerſali, an ſcilicet juſtificatio Juriſpatronatus potentium juxta formam rigoroſam Concilii Tridentini facta in aliquibus beneficiis, ſuffragetur etiam pro aliis, ratione cauſæ univerſalis; Et aliqua de compatibili concurſu immemorabilis, & adimplementi dictæ formæ Conciliaris, cum privilegio Apoſtolico.

DISC. LXXIII.

Camerinen. Monaſterii.

An, & quæ jura competant patrono, ac reſpectivè inferiori Prælato ad fundatoris inſtantiam deputato in receptione Monialium, ac aliis pertinentibus ad Monaſterium, quod ſit de Jurepatronatus ratione fundationis; Et quænam competant Epiſcopo.

DISC. LXXIV.

Interamnen. Beneficii.

An, & quando impetratio beneficii de jurepatronatus ſit invalida, & ſubreptitia ob non factam mentionem aliquarum circumſtantiarum, quamvis juriſpatronatus derogatio adſit ratione vacationis in Curia.

DISC. LXXV.

Piſtorien. Juriſpatronatus.

De præſcriptione, vel acquiſitione juris præſentandi per illum, qui de aliquo titulo non docet, ſed ſe fundat in poſſeſſione juris præſentandi, & in admiſſione per patronos.

DISC. LXXVI.

Mediolanen. Prioratus.

De Jurepatronatus familiari, quando ſit tale diverſum à gentilitio, & à mixto, & quibus de familia competat.

DISC. LXXVII.

Lauretana Juriſpatronatus.

De eadem materia, de qua *diſc. præc.* an Juſpatronatus ſit familiare, vel gentilitium, in concurſu agnatorum remotiorum, & cognatorum proximiorum; Et in ſpecie, quid importet verbum *Caſa* in idiomate Italico.

DISC. LXXVIII.

Amalphitana Beneficii.

De concurſu cumulativo plurium patronorum, & de modo computandi voces, ad eamdem materiam, de qua *diſc.* 32. & 34. & 61. & in aliis.

DISC. LXXIX.

Camerinen. Juriſpatronatus.

An fundator poſſit alterare legem fundationis; Et an patronus poſſit præſentare, ad beneficium plenum vacaturum tamen per ejus mortem.

DISC. LXXX.

Florentina Commendæ.

An fundator primus, & immediatus, vel mediatus, qui ex alterius diſpoſitione, & bonis fundationem faciat, alterare poſſit leges fundationis, novaque onera adjicere poſſeſſori Commendæ, vel alterius juris fundati.

DISC. LXXXI.

Januen. Primiceriatus.

De concurſu præſentationum, quarum una facta ſit a patrono, altera verò ab ejus Procuratore, vel adminiſtratore ejus patrimonii, ſive à Conductore bonorum, quæ prævaleat. Et incidenter, an impetratio certò modo impediat proviſionis effectuationem.

DISC. LXXXII.

Nerinoten. Beneficii.

Quod declaratio fundatoris attendi debeat pro admiſſione eorum, qui in fundatione non ſint vocati; Et an Clericatus, vel alia habilitas requiratur de tempore vacationis, vel ſufficiat de tempore præſentationis in concurſu plurium vocatorum ad juſpatronatus paſſivum.

DISC. LXXXIII.

Januen. Abbatiæ.

An Juſpatronatus mixtum, hoc eſt partim ex privilegio, & partim ex cauſa oneroſa, cadat, necne ſub reſervationibus Apoſtolicis; Et de invalida reſignatione ob non factam mentionem Juriſpatronatus.

DISC. LXXXIV.

Romana Capellæ.

An patronus teneatur decentiùs ornare Capellam, ſi Eccleſiæ, aliarumque Capellarum ſtatus, eſt ad meliorem ſtructuram redactus.

DISC. LXXXV.

Majoricen. Beneficii.

De materia ultimi ſtatus, an & quando attendatur, ad text. in *cap. Conſultationibus*, quando contentio ſit ſuper ſubſtantia juriſpatronatus, non autem ſuper ſola pertinentia.

DISC. LXXXVI.

Romana Juriſpatronatus de Capiſucchis.

An & quando adoptati ſuccedant in jurepatronatus in præjudicium aliorum vocatorum; Et an juſtè per Papam deſuper diſpenſetur, & quando.

DISC. LXXXVII.

Florentina Commendæ.

De ordine ſuccedendi in jurepatronatus; Et an inter illos de pluribus colonnellis ejuſdem familiæ attendi debeat ordo gradus, & proximitatis.

DISC. LXXXVIII.

Romana Capellaniæ.

In concurſu duorum ejuſdem generis, quibus debeatur beneficium ratione juriſpatronatus paſſivi, cui debita ſit prælatio.

DISC. LXXXIX.

Romana Canonicatus.

De jurepatronatus paſſivo; Et an præſentatio debeatur illi, qui aliàs præſentatus renuntiavit beneficio, vel eo privatus fuit; Et an tertius opponat de hoc jurepatronatus paſſivo.

DISC. XC.

Parmen. Beneficii.

An lex fundationis ſuper Jurepatronatus paſſivo liget ipſum fundatorem; Et vocata familia, an veniat etiam contentiva.

DISC. XCI.

Parmen. Juriſpatronatus.

De eadem materia, de qua ſupra *diſc.* 10. & 56. an ſcilicet juſpatronatus ex privilegio cadat ſub revocatoris, vel reſpectivè ſub reſervationibus, ſi accedat etiam centenaria, vel immemorabilis compatibilis cum privilegio.

DISC. XCII.

Neapolitana Beneficii.

An, & quando reſervatio Juriſpatronatus pro aliquo genere cenſeatur taxativa, ut eo defecto, beneficium efficiatur liberum; vel potiùs cenſeatur demonſtrativa, ſeu prælativa, ut deinde tranſeat ad hæredes, etiam extraneos.

DI-

DISC. XCIII.

Brugnaten. Abbatiæ.

An devolutio ob præſentationem non factam in tempore, impediatur ob legem fundationis, ut ſit in libito patroni non præſentare; Et quando iſta lex adjecta in limine fundationis non valeat, & non attendatur.

DISC. XCIV.

Piſtorien. Beneficii.

De concurſu fœminarum cum maſculis in præſentando, & de Curatore dato patrimonio abſentis, cujus vita ſit incerta, an habeat jus præſentandi.

INDEX CAUSARUM

Hoc titulo de Jurepatronatus Eccleſiaſticis, ordine alphabetico per Diœceſes diſpoſitus.

A

Amalphitana Beneficii, diſc. 78.
Arianen. beneficii, diſc. 18.
Aſculana Juriſpatronatus, diſc. 41.
Averſana Juriſpatronatus, diſc. 40.

B

Bononien. Juriſpatronatus, diſc. 8.
Beneficii, diſc. 35.
Brugnaten. Abbatiæ, diſc. 93.
Burgi S. Sepulchri Juriſpatronatus, diſc. 25.

C

Camerinen. Juriſpatronatus, diſc. 79.
Monaſterii, diſc. 73.
Capuana Abbatiæ, diſc. 36.
Cæſarauguſtana canonicatus, diſc. 1.
Civitatis Plebis capellaniæ, diſc. 27.
Comen. beneficii, diſc. 23.
Beneficii, diſc. 34.
Compoſtellana parochialis, diſc. 43.
Cuſentina beneficii, diſc. 46.

E

Eſina capellaniæ, diſc. 17.

F

Fanen. capellaniæ, diſc. 26.
Faventina parochialis, diſc. 11.
Feſulana, ſeu Melevitana Commendæ, diſc. 47.
Florentina Commendæ, diſc. 80.
Commendæ, diſc. 87.
Florentina Juriſpatronatus de Caſavecchia, diſc. 22.
Juriſpatronatus de Lucardenſibus, diſc. 30.

I

Januen. juris diſtribuendi de Duratiis, diſc. 54.
Januen. Abbatiæ, diſc. 83.
Primiceriatus, diſc. 81.
Interamnen. Beneficii, diſc. 74.
Juvenacen. Præpoſituræ, diſc. 69.

L

Lauden. parochialis, diſc. 6.
Lauretana Juriſpatronatus, diſc. 77.
Lucana Prioratus, diſc. 10.
Lunen. Sarzanen. beneficiorum, diſc. 19.

M

Maceraten. Capellaniæ, diſc. 15.
Majoricen. beneficii, diſc. 85.
Maſſanen. Juriſpatronatus, diſc. 2.
Mediolanen. Juriſpatronatus, diſ. 37.
Mediolanen. diſc. 76.
Præpoſituræ, diſc. 29.
Melevitana Juriſpatronatus, diſc. 13.
Melphicten. beneficii, diſc. 16.
Mutinen. beneficii, diſc. 28.

N

Neapolitana beneficii, ſeu juriſpatronatus, diſc. 9.
Neapolitana beneficii, diſc. 92.
Neritonen. beneficii, diſc. 82.
Neritonen. Abbatiæ, diſc. 70.
Nullius Baren. beneficiorum, diſc. 51.

P

Pampilonen. capellæ de Eſtella, diſcur. 52.
Parmen. beneficii, diſc. 90.
Juriſpatronatus, diſc. 91.
Parmen. beneficii, diſc. 48.
Piſana Commendæ, diſc. 20.
Piſtorien. beneficii, diſc. 42.
Beneficii, diſc. 71.
Piſtorien. beneficii, diſc. 94.
Juriſpatronatus, diſc. 75.
Juriſpatronatus de Michelucciis, diſc. 31.
Juriſpatronatus, diſc. 32.
Praten. Juriſpatronatus, diſc. 33.
Prænestina Juriſpatronatus, diſc. 3.

R

Romana Canonicatus, diſc. 89.
Capellæ, diſc. 84.
Capellaniæ, diſc. 88.
Romana Capellæ, diſc. 53.
Juriſpatronatus de Caffarellis, diſc. 21.
Juriſpatronatus de Capiſucchis, diſc. 86.
Juriſpatronatus de Manoſiis, diſcurſ. 14.
Roſſanen. Capellæ, ſeu juriſpatronatus, diſc. 12.

S

Sabinen. juris nominandi, diſc. 39.
S. Agathæ Gothorum, diſc. 44.
Segobricen. Canonicatus, diſc. 7.
Senen. Comendæ, diſc. 78.
Sypontina beneficii, diſc. 24.

T

Terracinen. Juriſpatronatus, diſ. 72.
Toletana Juriſpatronatus, diſc. 5.

V

Valentina beneficii, diſc. 49.
Vercellen. Juriſpatronatus, diſc. 45.
Veliterna Juriſpatronatus, diſc. 4.
Urbinaten. Canonicatus, diſc. 50.

INDEX ARGUMENTORUM

IN DISCURSIBUS,

Qui habentur in Parte Secunda Decimitertii Libri, de Penſionibus Eccleſiaſticis.

DISC. I.

Ravennaten. penſionis.

De reſervatione penſionis eventualis, & ſper ſpeciem expectativæ poſt mortem alterius penſionarii, vel reſervatarii fructuum. An & quando valeat; Et an gratia dicatur pura, & perfecta ab initio, dilata executione ad tempus mortis alterius penſionarii, vel reſervatarii, vel potiùs ſit conditionalis, ad effectum inſpiciendi, An gratia expiret per contingentem intermediam mortem Papæ,

Et incidenter, An matrimonium, præſertim cum bigamia ceſſare faciat penſionem; Et quando deſuper conceſſum ſuffragetur, & ad quos effectus.

DISC. II.

Beneventana penſionis.

De eadem materia penſionis eventualis poſtquam alia penſio

pensio cessaverit, an cesset gratia per mortem Papæ antè purificationem conditionis.

Et incidenter, an exceptio, quod non remaneant mile pro Episcopo impediat processum pro solutione pensionis.

Et an pensio alicui reservata habenti certam qualitatem, expiret cessata qualitate.

D I S C. III.

Sipontina pensionis.

De eadem materia pensionis eventualis post alterius antiquæ pensionis cessationem, An sit pura, & perfecta ab initio ad alios etiam effectus, vel potiùs conditionalis; Et præsertim, an antiqua pensio debeat cessare in totum, vel sufficiat, quod cesset in parte.

Et an hæc reservatio prejudicet facultati transferendi antiquam pensionem.

D I S C. IV.

Panormitana pensionis.

An reservatio secundæ pensionis non facta mentione primæ, qua beneficium gravatum erat, invalida remaneat necne; Et quando omissio hujus mentionis, novæ reservationi non præjudicet.

D I S C. V.

Comen. pensionis.

De eadem materia invalidæ pensionis novæ ob non factam mentionem antiquæ, ut non procedat quando antiqua sit invalida; Et incidenter de invaliditate pensionis voluntariæ beneficio pleno ob non solutionem terminorum; Et an solutio facta per Titularem, dum erat infirmus, ac morti proximus, in hoc attendatur, tam ad effectum evitandi dictam nullitatem, quàm etiam ad effectum constituendi pensionarium in quasi possessione exigendi.

D I S C. VI.

Romana pensionis Canonicatus S. Angeli.

De eadem materia pensionis voluntariæ reservatæ beneficio pleno cum circumstantia fiducialitatis circa illius invaliditatem malam expressionem valoris; Et de differentia inter istam speciem reservationis, & alteram, quæ fiat ex causa resignationis.

Et de modo probandi valorem; Et præsertim an in eo habenda sit ratio domus canonicalis.

D I S C. VII.

Viterbien. pensionis.

De eadem materia pensionis voluntariæ beneficio pleno reservatæ de consensu possessoris, super ejus nullitate, tam ex defectu valoris, quàm ex altero non solutionis integræ omnium terminorum; Et in specie, an ista solutio probetur per apocas privatas, & quomodo.

D I S C. VIII.

Lucana pensionis.

De eadem materia pensionis voluntariæ reservatæ beneficio pleno, tam circa probationem solutionis terminorum, quàm circa justificationem narrati valoris; Et in specie, an obstet non solutum esse ultimum terminum maturatum de tempore proximo vacationi beneficii per mortem naturalem, vel civilem possessoris pensioni consentientis, qui nullos perceperat fructus; Et circa valorem, an & de quibus incertis habenda sit ratio.

D I S C. IX.

Ariminen. pensionis.

De eadem materia pensionis voluntariæ beneficio pleno super necessitate probandi veram solutionem omnium terminorum, An hæc probatio resultet ab observantia 30. annorum.

D I S C. X.

Nucerina pensionis.

De eadem materia pensionis voluntariæ, in quo differat ab aliis speciebus circà perfectionem gratiæ resultantem à consensu Titularis; Et in specie reservationis factæ ad favorem ejus qui in supplicatione narratur clericus, de tempore quo non erat, an sufficiat eum esse talem de tempore præstiti consensus.

D I S C. XI.

Mediolanen. seu Cremon. pensionis.

De invaliditate pensionis ob falsam narrativam valoris; & an concordia inita super pensione exigat præcisè beneplacitum Apostolicum.

D I S C. XII.

Parmen. pensionis.

De eadem materia impugnationis pensionis reservatæ ob resignationem ex defectu narrati valoris, An corru t in totum, vel potiùs substineatur ad portionem, & pro rata; Et an talis impugnatio fieri possit per ipsum resignatarium.

Et de regressu in casu impugnationis competente resignanti, an competat etiam translatario.

D I S C. XIII.

Majoricen. Decanatus, seu regressus.

De eadem materia impugnationis pensionis reservatæ ex causa resignationis ob malam expressionem valoris, ubi impugnatio non fiat à resignatario, sed à successore provisо per vacationem; Et de regressu, an competat contrà successorem, & quomodo sit exercibilis, an sine citatione, & de facto; Et incidenter aliqua de gratia concessa super correctione clausulæ in priori gratia adjectæ, per quam jus alteri quæsitum sit; Et an detur purgatio moræ.

D I S C. XIV.

Tuden. & Neapolitana pensionis.

De eadem materia impugnationis pensionis reservatæ ex causa resignationis ob defectum valoris an fieri possit, ubi adest clausula, *non aliàs aliter nec alio modo*, quoties mala expressio valoris sit dolosa, seu culposa ex parte resignantis.

Et quid ubi reservatus est regressus juxtà formulam modernam, an iste sit exercibilis, quoties Titularis non impugnet pensionem, sed solum petat sibi decerni præcipuam congruam expressè reservatam cum clausula, *dummodo centum*, & de eodem infrà *disc. 74.*

D I S C. XV.

Mediolanen. pensionis.

Pensione reservata super Canonicatu, ac etiam super præbenda, vel bonis, accidentaliter optionis jure annexis, si penes successorem in Canonicatu, præbenda, vel bona hujusmodi non adsint, utpotè per alios optat, An successor teneatur ad integram pensionem, vel pro ista agi possit pro rata contra alios bonorum possessores; Et in specie de domo canonicali, quando dicatur annexa, & veniat etiam sub valore; Et ad rem infrà *disc. 76.*

D I S C. XVI.

Sancti Severi congruæ.

An pensionarius impedire possit Episcopo, vel alteri Titulari congruam alimentariam, ex eo quod in reservatione pensionis derogatum esset congruæ præfinitæ à Concilio Tridentino.

D I S C. XVII.

Pennen. & Adrien. congruæ.

De eadem materia congruæ alimentariæ, An ad illam obtinendã Titularis probare debeat valorem, seu Ecclesiæ incapacitatem, atque impedire executionem litterarum reservationis, vel translationis.

D I S C. XVIII.

Alerien. congruæ.

An Episcopus, cui assignata est congrua, reliquis fructibus assignatis pensionariis, possit manu sua, & propria auctoritate congruam exigere; Et an volens, debeat esse particeps afflictuum, & administrationis, quæ à pensionariis fiant.

D I S C. XIX.

Melphitan. concursus.

De concursu plurium pensionariorum super fructibus qui omnibus non sufficiant; Et præsertim, an antiquiores pensionarii pro terminis decursis in annis præcedentibus, anterioritatem, seu potioritatem prætendere valeant super fructibus currentibus, vel futuris.

D I S C. XX.

Romana, seu Hispaniarum nominationis ad pensiones.

De eadem materia concursus plurium pensionariorum, an debeat esse æqualis in pensione eodem tempore reservata pro pluribus nominandis, ubi nominationes diversis temporibus, per priùs, ac posteriùs factæ sint per eum qui jus nominandi habeat, vel potiùs attendi debeat ordo nominationum.

D I S C. XXI.

Romana reductionis pensionis

An pensio, præsertim perpetua, reservata sub præsupposito certi valoris, diminuenda sit diminuto valore, seu diminutis fructibus.

D I S C. XXII.

Romana extinctionis pensionis.

An reservatio pensionis, non docto de titulo, probata dicatur per longævam solutionem, juxtà terminos te-

xt. *in*

xt. *in cap. pervenit de censibus, & l. eum de in rem vers. ff. de usuris;* Et aliqua de pensionis cessatione.

D I S C. XXIII.

Romana contributi, seu concursus.

De concursu prædecessoris, cum successore in beneficio, sive de concursu antiquorum, & modernorum Canonicorum in solutione pensionum super Canonicatibus, vel beneficiis reservatarum.

D I S C. XXIV.

Neritonen. pensionis.

De concursu passivo Titularis successoris, & prædecessoris, vel ejus hæredis in solutione pensionis pro rata perceptionis fructuum, & quomodo onus inter eos dividi debeat, & de stylo.

D I S C. XXV.

Anglonen. contributi.

De eadem materia contributionis in solutione pensionis inter prædecessorem, & successorem, vel Cameram pro tempore vacationis; Et de eodem stylo Nuntiaturæ Neapoli, de quo *disc. præced.*

D I S C. XXVI.

Mediolanen. contributi.

De eadem materia contributi, seu concursus in solutione pensionis inter prædecessorem, & successorem in beneficio; & de modo calculandi annos, juxtà stylum Datariæ ab Incarnatione, Et quid referat, ità magis, numerari quàm à Nativitate, seu Circumcisione, ut communiter annus regulatur.

D I S C. XXVII.

Ferrarien. pensionum.

De eadem materia contributi, seu repartitionis oneris pensionum inter prædecessorem, & successorem, ac respectivè Cameram intermediam pro tempore vacationis.

D I S C. XXVIII.

Aversana repartitionis pensionis.

De divisione pensionis ultimi anni mortis pensionarii inter istius hæredem, vel Cameræ cessionarium, & Titularem, quomodo facienda sit.

D I S C. XXIX.

Parmen. pensionis.

De ordine terminorum solutionis pensionis, quando incipiat; Et an etiam pro tempore ante expeditionem litterarum in casu pensionis debitæ per resignatarium resignanti, & conventionibus, quæ desuper habeantur.

D I S C. XXX.

Turritana pensionis.

De eadem materia ordinis terminorum, ac exactionis pensionis ex causa resignationis pro tempore, quo litteræ expeditæ non fuerant; Et an exceptio nullitatis resultantis à decreto super dicta exactione ante litterarum expeditionem, obstet in possessorio; & de materia judicii possessorii in exactione pensionum.

D I S C. XXXI.

Conimbricen. pensionis.

An, & quando pensionarius pro terminis decursis tempore Titularis prædecessoris, actionem habeat contra successorem, ac super fructibus futuris, & an occasione provisionis beneficii, jus habeat se opponendi, ac petendi assecurationem, cum cautione, vel cedula.

D I S C. XXXII.

Bracharen. pensionis.

An, & quando pensionarius actionem habeat exigendi pensionem à provisо de beneficio gravato, quamvis illud non possideat in vim clausulæ, *habita, vel non habita possessione;* Et de ejusdem clausulæ intelligentia.

D I S C. XXXIII.

Bononien. pensionis.

An beneficiatus teneatur ad pensionem pro terminis decursis tempore litis, quo possessione, ac fructibus caruit, ad rationem fructuum præsentium, & futurorum, sive ob jus recuperandi fructus decursos à collitigante.

Et an ex fructibus deducere prius possit expensas litis, quæ sint pensioni potiores.

D I S C. XXXIV.

Imolen. pensionis.

De moneta, in qua solvi debeat pensio, & cujus cedat commodum, vel incommodum augmenti, vel decrementi, seu alterius alterationis contingentis inter reservationem, & tempus solutionis: Et an diuturna solutio in alia specie monetæ inducat præscriptionem, seu necessitatem, ut ita in futurum pensio solvi debeat, quamvis in diversa specie reservata esset.

D I S C. XXXV.

Mediolanen. pensionis, seu monetæ.

De eadem materia monetæ, in qua solvenda est pensio, an & quando deferri debeat observantiæ, quæ diversa sit à reservatione, & de diversis speciebus scutorum, vel ducatorum auri, vel argenti.

D I S C. XXXVI.

Calaritana pensionis.

De eadem materia monetæ, in qua solvenda sit pensio, & an concordia desuper inita cum uno Titulari allegari possit per successorem, & aliqua de judicio possessorio in jure exigendi pensionem.

D I S C. XXXVII.

Rheginen. pensionis.

De pluribus concernentibus possessorium manutentionis in hac materia pensionum: Nempè, an possessio in exactione unius, vel plurium terminorum in parte suffragetur in toto; Et an in hoc judicio, ex parte pensionarii doceri debeat, necne de titulo reservationis; Et de materia cumulationis possessorii cum petitorio.

D I S C. XXXVIII.

Reatina pensionis.

De pensione reservata super beneficio habente annexam curam animarum, An & quando perneceſsè continere debeat curæ mentionem, qua neglecta, actus corruat, necne.

D I S C. XXXIX.

Aversana concursus.

An mandatum datum per provisum ab **Ordinario ad capiendam novam provisionem Apostolicam, & consentiendum pensioni ad favorem personæ ab ipso Ordinario destinatæ, admittat pœnitentiam, & sit quandocumque revocabile.**

D I S C. XL.

Messanen. pensionis.

An, & quando Episcopus, seu alter inferior collator reservare possit pensiones super beneficiis liberæ collationis, quæ per ipsum providentur.

D I S C. XLI.

Vintimilien. parochialis.

De eadem materia potestatis Ordinarii reservandi pensionem; Et quatenus reservatio non subsistineatur, An illa vitietur, vel potiùs vitiet provisionem, quæ simoniaca dici valeat.

D I S C. XLII.

Melevitana pensionis.

De facultate M. Magistri Hierosolymitanæ Religionis reservandi pensiones super Commendis, vel Dignitatibus; Et an milites non professi eas obtinere, vel retinere valeant.

D I S C. XLIII.

Aquilana pensionis.

An promotio ad Episcopatum Titularem in partibus infidelium cessare faciat pensionem; & quatenùs hæc reservata sit super beneficio curato, An hujus qualitatis mentio necessaria in dispensatione, seu facultate illam retinendi in statu aliàs incompatibili.

D I S C. XLIV.

Cæsaraugustana pensionis.

De eadem materia indulti, seu dispensationis retinendi pensionem super beneficio sæculari in statu incompatibili Regulari; Et an hæc dispensatio profit litteris non expeditis, ac subsequuta morte Papæ; Et quatenùs absque litteris exactio fiat, an pensio amittatur.

D I S C. XLV.

Majoricen. pensionis.

De eadem materia indulti, seu dispensationis, super retentione pensionis, statu conjugali non obstante, an suffragetur pro bigamia vera, vel interpretativa.

D I S C. XLVI.

Beneventana pensionis.

An, & quando pensio amittatur per militiam sæcularem; Et de interpretatione indulti eam retinendi, militia non obstante.

D I S C. XLVII.

Cæsaraugustana pensionis.

An pensio amittatur, seu extinguatur ob officium Notariatus Judicis sæcularis, vel per aliud sæculare officium.

D I S C. XLVIII.

Mediolanen. pensionis.

An feundum obtentum à Principe laico causet effectum militiæ super privatione, vel extinctione pensionis; Et quid de simplici Dignitate, seu Titulo, Ducis,

Mar-

Marchionis, vel Comitis; & incidenter de his titulis, eorumque introductione.

D I S C. XLIX.

Perusina pensionis.

An pensio amittatur propter bannum capitale ex causa homicidii cum publicatione bonorum.

D I S C. L.

Romana pensionis super Canonicatu in Transtiberim.

An reservatio novæ pensionis in locum antiquæ de consensu possessoris cassatæ, importet novam pensionem ex integro, vel potiùs antiquæ translationem, ad effectum insiciendi; An antiqua sit justificanda, necne; & incidenter aliqua de clausulis præjudicialibus impedientibus judicium super impugnatione.

D I S C. LI.

Ferrarien. pensionis.

De eadem materia, An secunda pensio reservata per Papam ad favorem unius prævia cassatione consimilis antiquæ pensionis ad favorem alterius, importet translationem, vel potiùs novam reservationem, ad effectum Constitutionis 144. *Urbani VIII.* impedientis translationem pensionis aliàs translatæ sine consensu Titularis; Et de materia istius consensus, quando & quomodo intervenire debeat.

D I S C. LII.

Taurinen. pensionis.

De eadem materia, An reservatio immediatè facta per Papam consimilis pensionis, quam possidebat alter, qui ejus cassationi consensum præbuit, importet translationem, vel potius novam reservationem, ad effectum oneris justificandi valorem primæ pensionis.

D I S C. LIII.

Avenionen. pensionis.

An consensus Titularis ex Constitutione 144. *Urbani VIII.* requisitus in translatione pensionis aliàs translatæ, probetur, seu præsumatur præstitus, ex continuata plurium annorum solutione pensionis facta translatario.

D I S C. LIV.

Tudertina pensionis, & indulti.

De Constitutione 112. *Urbani VIII.* de non transferendis pensionibus super Ecclesiis possessis per Cardinales, quando procedat: Et an dicatur pensio translata cadens sub dicta Constitutione illa, quæ reservatur abusivè, seu eventualiter post mortem alterius pensionarii.

D I S C. LV.

Cremonen. pensionis.

De Constitutione 20. *Urbani VIII.* prohibente translationem pensionis in parte excedente medietatem fructuum; Et quale tempus attendi debeat pro fructuum quantitate, seu valore regulando; Et cui ejusdem valoris justificatio incumbat.

D I S C. LVI.

Florentina pensionis.

An in impetratione indulti de transferendo, sive in ipsa translatione, intret regula *de viginti*, sive *de infirmis resignantibus*, Et aliqua de hujusmodi indultorum moderatione.

D I S C. LVII.

Pisana, & Aversana translationis.

An translatio continens incertitudinem personarum, in quas facta sit, vel summarum, aut Ecclesiarum dicatur invalida, necne.

D I S C. LVIII.

Panormitana translationis.

An in translatione requiratur, necnè forma præcisa, ut prius antiqua pensio cassetur, ac deindè altera reservetur, ut in indulto disponitur; Vel sufficiat de consensu primi pensionarii reservationem fieri ad favorem secundi; Et an in translationibus pensionum super Ecclesiis de jurepatronatus, aliquid habeatur speciale.

D I S C. LIX.

Ferrarien. pensionis.

An valeat translatio in articulo mortis facta per Infirmum, etiam nutu, & signis ad interrogationem; & an translatarius gaudeat transferentis anterioritate adversus pensionarios posteriores; Et incidenter de moderatione Constitutionis 144. *Urbani VIII.*

D I S C. LX.

Pistorien. pensionum.

An indultum transferendi capiat pensiones aliàs translatas, & an concessum alicui familiæ, vel generi personarum, exerceri possit cum extraneis, vel potiùs restrictum sit ad illos de eadem familia, vel genere; Et è converso, an transferri possit pensio in filios, vel attinentes.

D I S C. LXI.

Romana pensionis super Canonicatu in Cosmedin.

An facultas transferendi competens Conclavistis suffragetur pro pensionibus reservatis etiam super distributionibus quotidianis absque speciali mentione; Et quatenus non, An translatio simpliciter facta subsistineatur super fructibus certis, ad ratam eorum capacitati, vel potiùs corruat in totum.

D I S C. LXII.

Eugubina pensionis.

De eadem facultate Conclavistarum, seu dapiferi Conclavis transferendi pensiones. An suffragetur, si pensionarius habens talem facultatem efficiatur bigamus; Et an eadem facultas suffragetur pro pensionibus reservatis super Ecclesiis Cathedralibus; Et quid de facultate competente militibus S. Stephani.

D I S C. LXIII.

Romana facultatis transferendi.

An Constitutio Urbani VIII. disponens, ut super Ecclesiis possessis per Cardinales transferri non possint pensiones absque speciali mentione, procedat in illis Ecclesiis, quarum Cardinales non sint ampliùs possessores, sed eis dimissis sint reservatari fructus.

D I S C. LXIV.

Conimbricen. pensionis.

De invalida translatione pensionis sub conditione mortis transferentis; Et quando mentio dictæ mortis faciat translationem conditionalem, & consequenter invalidam.

D I S C. LXV.

Bononien. pensionum.

An in materia pensionis intret confidentia eodem modo, quo in beneficiis, & quando translatio dicatur confidentiaria, itaut invalida remaneat, necne.

D I S C. LXVI.

Imolen. pensionis.

De eadem materia translationis confidentiariæ, vel simulatæ factæ in persona unius capacis ad commodum alterius incapacis.

D I S C. LXVII.

Urbanien. pensionis.

An facultas transferendi cesset ob immutatum Ecclesiæ oneratæ statum, quia scilicet de Collegiata fiat Cathedralis, & de processu executivo competente translatario; & de præsumptione extinctionis resultante à diuturno pensionarii silentio, vel negligentia in exigendo.

D I S C. LXVIII.

Albanen. pensionis.

An valeat translatio pensionis, cujus commoditas alteri cessa sit in præjuditium cessionarii; & incidenter; An eadem pensio alteri cessa, per cedentem extingui possit.

D I S C. LXIX.

Melfien. pensionis.

Cessata, seu extincta pensione, cujus commoditas alteri cessa erat, propter delictum cedentis, ex quo sequta est ejus mors per manus justitiæ; An cessionarius agat de evictione, vel ad damna, & interesse contra cedentem.

D I S C. LXX.

Romana, seu &c.

An & quando cessio pensionis facta per eum, qui habebat in facultatibus eam transferendi, etiam per schedulam privatam, importet translationem, & sic cessionem ipsius substantiæ pensionis, vel potius cessionem commoditatis, ad effectum insiciendi, per cujus mortem, cedentis, scilicet, vel cessionarii, pensio extingui, seu cessare debeat.

D I S C. LXXI.

Romana pensionis.

An terminus adjectus in reservatione pensionis, super expeditione litterarum, cum decreto annullativo gratiæ, possit prorogari per Cancellariæ Officiales; & quando adversus nullitatem à dicto non implemento resultantem, competat justa excusatio, necne.

D I S C. LXXII.

Anagnina pensionis.

Fidejubens, seu faciens cedulam super solutione pensionis intuitu, & contemplatione unius Titularis, an teneatur post istius cessum, vel decessum durante vita pensionarii, ad cujus favorem obligatio, vel cedula facta est.

D I S C. LXXIII.

Romana, seu &c. extinctionis pensionum.

An pensiones reservatæ super beneficiis Hispaniæ ad favorem Hispani fiduciarii vulgo nuncupati *testa di ferro*, expirent per ejus mortem, vel potiùs per mortem eorum, ad quorum favorem reservatæ sunt; Et quatenùs ille post mortem dicti fiduciarii transferantur in alterum pariter fiduciarium, an durent cedulæ banchariæ, vel obligationes fidejussorum, necne.

D I S C. LXXIV.

Placentina regressus.

De regressu, an competat resignanti in casu, quo Titularis ex justa causa culposæ malæ narrativæ valoris pensionem annullare velit, vel petat congruam in vim clausulæ, *dummodò centum*.

D I S C. LXXV.

Romana pensionis.

An pensio cesset per promotionem ad Cardinalatum; Et an indultum, post promotionem concessum retinendi incompatibilia, suffragetur pro facultate transferendi.

D I S C. LXXVI.

Corduben. præstimonii.

De eadem materia, de qua suprà *disc.* 15. An scilicet pensio, quæ ex causa resignationis imposita est super Canonicatu, afficiat præbendam, vel aliud beneficium à resignante possessum jure optionis ratione antianitatis.

D I S C. LXXVII.

Avenionen. pensionis.

An pensio perpetua reservata ad favorem alicujus Collegii, vel Domus Regularis, in fundatione, vel circa ejus initia pro substentatione, cesset si tractu temporis congrua provisio supervenerit.

Et quomodo pensionarii concurrere debeant in diminutione, seu contributo pro congrua Titularis; Ac etiam, an gratia concepta sub certa conditione, evanescat ob mortem Papæ conditione pendente.

D I S C. LXXVIII.

Camerinen. translationis pensionis.

An facultas transferendi, quam ex Indulto habeat pensionarius in statu Clericali, retineatur, ac duret, ob mutationem status conjugalis, per quem ob militiam Lauretanam pensio non cesset, quamvis eadem militia quoad facultatem transferendi non suffragetur.

D I S C. LXXIX.

Massanen. pensionis.

An pensio reservata, Ecclesia adhuc vacante, propè factam fructuum recollectam per Cameram, cum præfinitione terminorum, in quorum primo, nulli fructus percipi potuerunt, dictus terminus tanquam anticipatus solvi debeat per ipsam Cameram ex fructibus, ut supra de tempore reservationis jam perceptis.

D I S C. LXXX.

Eadem Comen. pensionis.

De eadem materia secundæ reservationis pensionis invalidæ ob non factam mentionem primæ, quando procedat; & incidenter de extinctione, seu cassatione pensionis mediante pecunia, an fieri possit, necne sine Beneplacito Apostolico; Et quatenus fieri non possit, an pensio subsistat, ac durare dicatur, adeòut obstet reservationi alterius pensionis ob ejus mentionem non factam.

EX SUPPLEMENTO.

D I S C. LXXXI.

Conimbricen. pensionis.

An illa suspensio, quam ex decretis Concilii Tridentini incurrunt malè ordinati à non proprio Episcopo, inhabilitet ad obtinendum beneficia, & pensiones Ecclesiasticas: Et an isto casu beneficia, & pensiones differant.

Et incidenter de potestate Abbatum, aliorumque Prælatorum inferiorum conferendi primam tonsuram, & ordines minores, quando, & quomodo illa intret.

D I S C. LXXXII.

Cremonen. pensionis.

An reservatio pensionis eventualis pro persona nominanda per Papam, qui eam reservavit, evanescat per ejusdem Papæ mortem nulla facta nominatione, vel potiùs fieri possit per successorem; De probatione Clericatus pro capacitate pensionis, & an ille requiratur de tempore reservationis pensionis, vel sufficiat adesse de tempore nominationis.

D I S C. LXXXIII.

Romana pensionis.

An facultas, vel dispensatio concessa ad retinendum pensiones, suffragetur ad eas assequendas ex translatione; sit in specie de facultatibus Militum Lauretanorum.

D I S C. LXXXIV.

Messanen. seu nullius pensionis.

An pensio corruat ob non adimpletum solitum decretum veræ, & integræ solutionis omnium terminorum, & quando solutiones, quæ justificentur, sufficiant.

D I S C. LXXXV.

Romana pensionis.

An regressus juxtà novam formulam reservatus ad favorem pensionarii resignantis, competat pro illo augumento pensionis, quod ex causa transactionis factum est, ex intervallo post resignationem.

D I S C. LXXXVI.

Parentina pensionis.

An titulares teneatur ad solutionem termini maturati antequam ipse possessionem obtineret, si recollectam illius anni fecit.

D I S C. LXXXVII.

Parentina pensionis.

Quando pensionarius teneatur docere de diligentiis, ut agere possit contra successorem.

D I S C. LXXXVIII.

Massana pensionis.

An Camera teneatur ad solutionem pensionis reservatæ Sede vacante, & quando.

D I S C. LXXXIX.

Melevitana pensionis.

De pensionibus, quæ auctoritate M. Magistri reservantur super Commendis, & Dignitatibus Hierosolymitanæ Religionis, ut non valeant, non facta mentione antiquarum, & quando excedant quintam partem fructuum; & de incapacitate professorum hujus Religionis obtinendi Commendas, Dignitates, Beneficia, & Pensiones, quando sint debitores thesauri, an procedat, quando eis concessa fuerit dilatio ad solvendum debitum, ista pendente.

D I S C. XC.

Firmana pensionis.

An decretum apponi solitum in reservatione pensionis voluntariæ, beneficio pleno super integra solutione, impediat processum executivum competentem in vim consensus, & obligationis Titularis ex eo, quod non doceatur adimpletum; Vel potiùs ista dicenda sit exceptio petitorii; & de ejusdem decreti justificatione.

D I S C. XCI.

Pampilonen. pensionis.

An mala expressio valoris vitiet reservationem pensionis, & cujus damno cedat ejus superventa diminutio.

De clausula, dummodò centum, de qua moneta intelligi debeat.

Et an, & quæ distributiones, & fructus incerti veniant in valore, vel respectivè in congrua Rectoris Ecclesiæ Parochialis.

D I S C. XCII.

Melevitana pensionis.

An & quando valeant, necne reservationes pensionum super Commendis, & Dignitatibus Religionis Hierosolymitanæ.

D I S C. XCIII.

Majoricen. pensionis.

De annullatione pensionis ex mala expressione valoris.

D I S C. XCIV.

Arelaten. pensionis.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 31. An pensionarius teneatur præstare cautionem pro assecuratione judicii, & restitutione pensionum exactarum ex privilegio judicii possessorii, seu litterarum Apostolicarum in casu succumbentiæ in petitorio; Et de exceptione invaliditatis pensionis reservatæ super beneficio de regio jurepatronatus absque patroni consensu, & quando de isto constare dicatur.

INDEX CAUSARUM

Hoc titulo de Pensionibus Ecclesiasticis, ordine alphabetico per Diœceses dispositus.

A

Albanen. pensionis, disc. 68.
Alerien. congruæ, disc. 18.
Anagnina pensionis, disc. 72.
Anglonen. contributi, disc. 25.
Aquilana pensionis, disc. 43.
Arelaten. pensionis, disc. 94.
Ariminen. pensionis, disc. 9.
Avenionen. pensionis, disc. 53.
Eadem, disc. 77.
Aversana consensus, disc. 39.
Eadem repartitionis, disc. 28.
Eadem, *vid.* Pisana.

B

Beneventana pensionis, disc. 2.
Eadem pensionis, disc. 46.
Bononien. pensionis, disc. 33.
Eadem pensionum, disc. 65.
Bracharen. pensionis, disc. 32.

C

Calaritana pensionis, disc. 36.
Camerinen. translationis, disc. 78.
Cæsaraugustana pensionis, disc. 44.
Eadem pensionis, disc. 47.
Comen. pensionis, disc. 5.
Eadem pensionis, disc. 80.
Conimbricen. disc. 31.
Eadem pensionis, disc. 74.
Conimbricen. pensionis, disc. 81.
Corduben. præstimonii, disc. 76.
Cremonen. pensionis, disc. 82.
Cremonen. pensionis, disc. 55.

E

Eugubina pensionis, disc. 62.

F

Ferrarien. pensionis, disc. 51.
Eadem pensionis, disc. 59.
Eadem pensionum, disc. 27.
Firmana pensionis, disc. 90.
Florentina pensionis, disc. 56.

I

Imolen. pensionis, disc. 34.
Eadem pensionis, disc. 66.

L

Lucana pensionis, disc. 8.

M

Majoricen. Decanatus, disc. 13.
Eadem pensionis, disc. 45.
Majoricen. pensionis, disc. 93.
Massana pensionis, disc. 88.
Massana pensionis, disc. 79.
Mediolanen. contributi, disc. 26.
Eadem pensionis, disc. 15.
Eadem pensionis, disc. 21.
Eadem pensionis, disc. 35.
Eadem pensionis, disc. 48.
Melevitana pensionis, disc. 42.
Melevitana pensionis, disc. 89.
Pensionis, disc. 92.
Melphiten. concursus, disc. 19.
Melphiten. pensionis, disc. 69.
Messanen. pensionis, disc. 40.
Messanen. pensionis, disc. 84.

N

Neapolitana, *vid.* Tuden.
Neritonen. pensionis, disc. 24.
Nucerina pensionis, disc. 10.

P

Panormitana pensionis, disc. 4.
Eadem translationis, disc. 58.
Pampilonen. pensionis, disc. 91.
Parentina pensionis, disc. 86.
Parentina pensionis, disc. 87.
Parmen. pensionis, disc. 12.
Eadem pensionis, disc. 29.
Pennen. & Adrien. congruæ, disc. 17.
Perusina pensionis, disc. 49.
Pisana, & Aversana translationis, disc. 57.
Pistorien. pensionis, disc. 60.
Placentina regressus, disc. 74.

R

Ravennaten. pensionis, disc. 1.
Reatina pensionis, disc. 38.
Rheginen. pensionis, disc. 37.
Romana contributi, disc. 23.
Eadem extinctionis pensionis, disc. 22.
Eadem extinctionis pensionum, disc. 73.
Eadem facultatis transferendi, disc. 63.
Eadem, seu Hispaniarum nominationis ad pensiones, disc. 20.
Eadem pensionis, disc. 6.
Eadem pensionis, disc. 50.
Eadem pensionis, disc. 61.
Romana pensionis, disc. 83.
Pensionis, disc. 85.
Eadem pensionis, disc. 7.
Eadem pensionis, disc. 75.
Eadem, seu &c. disc. 70.
Eadem reductionis pensionis, discurs. 21.

S

Sancti Severi congruæ, disc. 16.
Sypontina pensionis, disc. 3.

T

Taurinen. pensionis, disc. 52.
Tuden. & Neapolitana pensionis, discurs. 14.
Tudertina pensionis, disc. 54.
Turritana pensionis, disc. 30.

V

Vintimilien. parochialis, disc. 41.
Viterbien. pensionis, disc. 7.
Urbanien. pensionis, disc. 67.

JO:

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Decimitertii Pars Prima,

DE JUREPATRONATUS.

DISC. I.

CÆSARAUGUSTANA CANONICATUS PRO REGE CATHOLICO, ET DIDACO HIERONYMO SALA, CUM JOSEPHO MARTINEZ.

Casus disputatus in Rota, sed non decisus, ac terminatus cum temperamento, ut infrà.

An Beneficia de Regio Patronatus differant ab aliis de Jurepatronatus etiam laicali privatorum, seu potentium, tam circa devolutionem ob præsentationem in tempore non factam, quàm circà dispositionem textus *in cap.* 1. *&* 2. *ut lite pendente in sextò*, super Beneficio litigioso; Et quando incipiat currere terminus datus patronis laicis ad præsentandum, an scilicet à die vacationis, vel potiùs à die habitæ notitiæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio, ac exitus causæ.*
3 *De punctis, seu inspectionibus causæ.*
4 *Quod tempus datum ad præsentandum currat à die vacationis.*
5 *Contrarium verius, ut non nisi à die notitiæ.*
6 *In jurepatronatus Regio non currit tempus, & de ratione.*
7 *Quid ubi certus terminus statutus est à Papa id sciente.*
8 *Ordinario currit tempus ad conferendum à die vacationis, & de ratione.*
9 *Quando non currat tempus etiam ubi aliàs currere deberet.*
10 *Quæ habentur de beneficio litigioso procedunt etiam in beneficiis de jurepatronatus.*
11 *Etiamsi agatur de jurepatronatus Regio.*
12 *Cessat ex contraria consuetudine.*
13 *Item ubi ipse unicus collitigans supereſt præsentatur.*
14 *Declaratur* decisio Crescentii, *quæ loquitur etiam contrà collitigantem præsentatum.*
15 *Non procedit item conclusio de qua numero* 10. *ubi Patrono nulla culpa imputari potest, & quæ sit ratio conclusionis.*
16 *De absurdo quod aliàs resultaret, si cessante culpa procederet dicta conclusio.*
17 *Cessat item conclusio quando lis est finita.*
18 *Quando dicatur lis finita.*

RETenta facti serie, de qua in hac eadem causa *sub tit. de Beneficiis disc.* 23. Sequuta de mense Augusti in captivitate, morte Gregorii Alayeti provisi Apostolici, qui tres sententias Rotales imò quatuor, ac resolutionem in quinta instantia super earundem sententiarum executione obtinuerat, Joseph Martinez, dictum Canonicatum ita vacantem, impetravit à Sede Apostolica, cum subrogatione ad jus defuncti, expeditisque litteris, ac præsentatis in Rota coram Taja subrogato in locum *Zaratæ* (coram quo ad favorem dicti Gregorii prodierat ultima resolutio super ulteriori dictarum sententiarum executione) Josepho solùm informante, *sub die* 31. *Maii* 1659. prodiit resolutio super dictarum litterarum justificatione, & Canonicatus adjudicatione sibi facienda; Cum autem per Bullam sæcularizationis hujus Ecclesiæ, in distributione mensium super jure conferendi Dignitates, Canonicatus, & Beneficia inter Sedem Apostolicam, Regem Catholicum Patronum, ac Episcopum, & Capitulum respectivè, inter menses Regi assignatos, esset ille Augusti, in quo præsens vacatio contigit; Hinc proindè Regii Ministri, judicantes id præjudicare posse juribus Regis, curarunt admitti ad causam, quia repropositа sub die 25. *Februarii* 1560. coram eodem Taja, nulla capta fuit resolutio, neque ulteriorem progressum causa habuit, ob quoddam prudentiale temperamentum, per quod jus Regis benè præservatum remansit, quoniam uno ex collitigantibus alteram provisionem obtinente, superstes præsentationem Rege obtinuit, ejusque vigore professus est Canonicatum obtinere, vel retinere. 1 2

In hac igitur disputatione, scribens in causa pro juribus Regis tanquam ejus Advocatus in officium, ita per indirectum assistebam illi provisо Apostolico, contra quem in dicta alia causa satis acriter scripseram pro Alayeto provisо Apostolico, hujusque disputationis duo erant puncti; Primò scilicet, an ob lapsum termini octo mensium in eadem Bulla sæcularizationis statuti ob præsentandum, factus esset locus devolutioni; Et secundò, cum ageretur de beneficio litigioso, an cessaret pro hac vice jus vel facultas præsentandi, juxta terminos textus *in c.* 1. *&* 2. *ut lite pendente in* 6. 3

Quatenus pertinet ad primum, dicebam etiam cum sensu veritatis, (quem habebat etiam Rota,) devolutioni nullatenùs locum esse; Licèt enim Lambertin. Mandos. Flores de Mena, & alii relati per Garz. *p.* 10. *c.* 2. *n.* 34. *in princ.* freti auctoritate Rotæ *dec.* 1. *de jurepatr. in antiquis*, credant terminum à jure communi, vel particulari assignatum patronis ad præsentandum currere à die vacationis; Contrarium tamen est verius, ac in foro receptum, ut scilicet terminus non currat, nisi à die notitiæ veræ; non autem præsumptæ, vel interpretativæ, ut recedendo 4

5 à dicta antiqua decisione, pluries firmavit Rot. *præsertim dec. 421. p. 1. divers.* quæ reputatur in materia magistralis, & apud Caputaq. *dec. 248. n. 1. p. 3.* apud Burat. *dec. 18.* & 459. cum aliis per Garz. *eod. num. 34.* Lotther. *lib. 2. q. 6. n. 23. cum seq.* plenè Adden. *ad decis. 21. n. 16. cum seq. p. 3. rec.* undè cum de hujusmodi notitia non doceretur, ita cessabat motivum, quamvis ageretur de jurepatronatus privato.

Fortiùs verò, dum agebatur de Jurepatronatus Regio, in quo (data etiam scientia) non currit terminus, ut post
6 Gabedum *de jurepatr. c. 28. n. 7. & 8.* de recepta praxi Regum Hispaniæ testatur Garzia *d. par. 10. c. 2. eodem n. 34. in fin.* assignata ratione, quod ob magnas occupationes, ac negotiorum molem, Rex in proposito excusandus est, & refert etiam Barbos. *de Episc. alleg. 72. num. 137. in fin.* Atque docet quotidiana praxis in præsentationibus, seu nominationibus ad Episcopatus aliasque Prælaturas, in quibus notitia vacationis solet esse celer ac certa, ob concursum prætendentium, ac officialium certiorationes tanquam de re gravi, quoniam in nominationibus proceditur quandoque lentè, etiam per annos, ut temporum qualitas aliæque circumstantiæ exigunt.

Est benè verum, quod aliquam difficultatem facere videbatur eadem Bulla sæcularizationis præscribens certum
7 terminum octo mensium; Cum enim Pontifici Clementi VIII. qui istam Ecclesiam sæcularizavit, atque hujusmodi mensium distributionem fecit, rectè innotesceret hæc Regia prærogativa, Tum quia ipse, inspecta ejus personali qualitate, utpotè prius in Curia Advocatus, deindè Rotæ Auditor, ac Nuncius Hispaniarum, theoricè, & practicè id rectè callebat; Tum etiam ex pluries insinuata propositione *sub tit. de Beneficiis, & alibi*, quod in iis, quæ juris sunt, ob assistentia peritissimorum Officialium, in Pontifice non datur ignorantia, sed præsupponenda est scientia, & tamen dictum terminum præfinivit, ita ob hujusmodi præeminentiam duplicando terminum à jure communi assignatum patronis laicis privatis; Sed opus non fuit hujusmodi inspectionem assumere, ob omninò cessantem rationem, ob quam fortè
8 Pontifex dicti termini præfinitionem facere voluit, quod scilicet ob conspicuam istorum Canonicatuum qualitatem, & numerum concurrentium, verisimilemque ministrorum certiorationem tanquam de re gravi, notitia præsupponenda sit certa, eo modo quo de jure præsupponitur in Episcopo, seu Ordinario notitia vacationis beneficiorum in ejus diœcesi; ex deductis per Barbos. *de Episc. par. 3. alleg. 58. n. 6.*

9 Omnes etenim istæ considerationes in hac facti specie cessabant, dum agebatur de morte sequuta in captivitate apud barbaros infideles, adeout quamvis ageretur de Jurepatronatus privatorum, lapsus temini intrare non posset, quoniam punctus non est, an ille laberetur, sed an inciperet, stante dicta recepta opinione, ut requiratur notitia, eatenus præsumenda, quatenùs urgent rationes, & verisimilitudines de quibus supra, ideòque ex hac circumstantia verè cessabat omnis difficultas.

Major igitur ac penè tota dubitandi ratio cadebat in altero motivo, quod ageretur de beneficio litigioso, juxta dispositionem textus *in c. 1. & 2. ut lite pendente in 6.* quam non solùm per extensionem, sed etiam per intentionem, seu comprehensionem, receptum est procedere etiam in beneficiis de jurepatronatus laicali, quasiquod eadem ratio, quæ cadit in electione de qua textus loquitur, congruat etiam præsentationi, *juxta conf. 1. Calderini ut lite pendente, & alleg. 22.* Lupi quicquid plenè in contrarium discurrat, Covarr. *practicar. quæst. cap. 36. n. 7.* est in Rota, & Curia receptum, ut per Cassad. *decis. 3. ut lite pendente*, Crescent. *dec. 8. de jurepatr.* apud Cavaler. *dec. 280. & 333. utrobique in principio*, apud Celsum *dec. 364. n. 3.* & habetur plenius deductum *sub tit. de jurepatr. in Compostellana parochialis discurs. 43.* ac etiam *sub*
10 *tit. de benefic. discurs. 92.* ubi generaliter de materia beneficii litigiosi, cum ampliationibus, & restrictionibus, ac aliis ad materiam pertinentibus.

Et in specie, ut dictorum jurium dispositio procedat etiam in Jurepatronatus Regio, non obstante quod istud in plu-
11 ribus ab illo privatorum differat, ac sit privilegiatum, ex iis quæ habentur infra *disc. sequenti*, ac *disc. 65* ubi generaliter habetur de materia revocationis, vel derogationis, seu alterius provisionis *& in dict. decis. 3.* Cassad. *ut lite pend. & d. dec. 8.* Crescent. *de jurepatr.*

Pro ista difficultate tollenda plures adducebam respon-

siones, super quarum tamen subsistentia maturum judicium efformari non potuit, utpotè in unica disputatione, in qua Scribentes in contrarium, juxta stylum dabant solùm decisionem procedentem cum dicta regula generali, non descedendo ad hæc specialia, ideòque defuit occasio.

Prima igitur responsio erat, quod dicta regula cessat ex contraria consuetudine, ex deductis per Lancellot. *de attentatis in Præfat. p. 1. c. 4. num. 696. cum seq.* & admittitur per Rotam *in Zamoren. beneficii* coram Platto, quæ in materia regulæ satis circumfertur *impress.* apud Marchesan. *tom. 1. fol. 451.* istaque consuetudo per ministros Regio præsupponebatur certa, unde quando causa cum dicto prudentiali temperamento finem non recepisset, eram in sensu, quod peteretur remissoria ad effectum illam probandi.

Altera erat responsio, satis quidem probabilis, quod dictorum Canonum dispositio illam habet rationem, seu 12
finem, ut non detur novus collitigans, neque lites perpetuentur, & sic favorem collitigantis superstes, contra quem id retorqueri non debet ex vulgari regula, *quod favore, &c.* ac propterea ubi ipse collitigans superstes præsentatur, qui sit unicus, cessat regula, cum difficultas cadat, quando sunt plures, ut ceteris relatis, Rocch. *de jurepatr.* verbo *honorificum quæst. 23. numer. 53. in fine*, Lancellott. *dict. part. 2. cap. 4. num. 688.* Barbos. *d. alleg. 72. numer. 162.* Merlin. *dec. 443. numer. 3.* Adden. ad Buratt. *dec. 942. num. 8.* & habetur etiam deductum *d. disc. 92. de beneficiis*, ubi generaliter agitur de hac materia beneficii litigiosi.

Et quamvis in *d. dec. 8.* Crescent. *de jurepatr.* agatur de 13
consimili provisione contra collitigantem, attamen, ut ex ejusdem decisionis contextu patet, ista conclusio, seu dicta regulæ limitatio potiùs admittitur, seu præsupponitur, evitatur tamen applicatio ob alios defectus, quos superstes patiebatur, atque limitatio non fuit formiter examinata.

Tertia erat responsio, quod dicta regula, verè, & propriè procedit, ubi lis est inter plures electos, vel ad in- 14
star, inter plures præsentatos, inter quos introducta sit lis, quasiquod ipsis eligentibus, seu patronis imputandum sit, cur non fuerint concordes in præsentando, atque ita occasionem dederint liti ex eorum culpa originatæ, unde meritò hanc pœnam luere debent, ut cæteris relatis Barb. *dict. alleg. 72. n. 162.* secus autem ubi nulla culpa imputari potest patrono, sed lis provenit ex alio accidenti, tunc enim justum non est, ut patronus innocens, alienæ culpæ pœnas luat, ut advertit Rota *in Bergomen. Cappellaniæ 19. Junii 1579.* coram Bubalo, quam allegatam per Barb. *ubi supr.* utpotè non impressam in hac disputatione dabam manuscriptam, & advertitur etiam *in d. disc. 92. sub tit. de beneficiis,* 15
ubi alia ponderatur ratio, quod in facultate Ordinarii esset ita providere beneficia de jurepatronatus, ut exorta lite inter hujusmodi provisos, & præsentatos, impeditum remaneat jus patronorum.

Quarta demum erat responsio, quod eadem Regula utpotè innixa dictæ rationi non perpetuandi, vel prorogandi lites, cessèt ubi lis est finita, *juxta glos. in eodem c. 2.* cum 16
aliis per Lancell. *d. par. 2. c. 4. in præfat. num. 699. & par. 1. c. 3. n. 128.* atque (licèt dubitativè) admitti videtur apud Celsum *dec. 364. num. 4. & 5.*

Lis autem dici poterat finita, ubi adest res judicata, 17
dum non solùm aderant tres conformes Rotales, præviis tot decisionibus, sed etiam quarta super earum executione, & alia conformis resolutio in ulteriori instantia, ut supra, super ulteriori executione, adeòut collitiganti rectè congruere viderentur ea, quæ ex Cassad. *dec. 7. de dolo, & aliis* habentur *in Segrobricen. Canonicatus sub tit. de Beneficiis disc. 50.* ubi de calumnioso litigante.

Ubi etiam singulæ hujusmodi responsiones difficultate 18
pati possent, attamen dicebam, etiam cum aliquo sensu veritatis, quod ita simul junctæ, una alteram coadjuvando, remanerent solidæ, ac probabiles.

SUMMARIUM.

1 *QUando incipiat currere terminus ad præsentandum.*
2 *De Jurepatronatus Regio.*

ADNOT. AD DISC. I.

QUando incipiat currere terminus datus Patronis ad præsentandum, habetur infra *disc. generali 64.* & aliqua insinuantur in supplemento *hoc tit. dif. 93.* occasione agendi de puncto an devolutio ob præsentationem non factum in tempore impediatur ob legem fundationis.

Et de Jurepatronatus Regio habetur alibi actum *hoc eod. tit. præsertim disc. seq. 32. 64. 65. & 66. & sub tit. de Pension. disc. 58. & 94. in eod. tit.*

MASSANEN. JURISPATRONATUS PRO PRINCIPE PLUMBINI, CUM EPISCOPO.

Discursus in Congressu.

An juispatronatus ex privilegio, seu aliàs possessum per Baronem, seu feudatarium, devoluto feudo cessèt, vel potiùs transeat ad Dominum: Et quatenùs transeat, an assumat naturam, & prærogativa juispatronatus Imperialis, vel Regii, quamvis feudum denuo concedatur, itaut non subjaceat reservationibus.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Beneficia præsumuntur libera, & servitus in Jurispatronatus non præsumitur.*
3 *Quando privilegium concessum alicui feudatario sit personale potius, quàm dignitatis, vel feuda.*
4 *In specie de concessione jurispatronatus, ut præsumatur personalis.*
5 *De circumstantiis dictam præsumptionem corroborantibus.*
6 *Juspatronatus ex nudo privilegio cadit sub revocatoriis Hadriani, & Concilii Trident.*
7 *Sed non cadit illud, quod habeat admixtam causam onerosam.*
8 *Si verò causa onerosa non præponderat cadit sub reservationibus.*
9 *De devolutione feudi Plumbini remissivè.*
10 *Quando assertio Papæ in privilegio, vel aliis litteris probet, ita, & taliter, quod subjaceat derogationibus, vel reservationibus.*
11 *De distinctione circa Papæ narrativam, seu dispositionem.*
12 *De materia privilegii, quando sit reale, & quando personale.*
13 *An prærogativæ, & tituli competentes feudatario transeant cum feudo ad successorem.*
14 *Provisiones Apostolicæ ex causa resignationis non alterant statum.*
15 *Quod gesta vacante feudo non præjudicent.*
16 *De distinctione inter observantiam interpretativam, & præscriptivam.*
17 *De exceptuatione jurispatronatus Regii in Concilio Tridentino.*
18 *Jurispatronatus Regio non solet derogari.*
19 *Quod dicta exceptuatio conveniat etiam Ducibus, & Marchionibus.*
20 *Contrarium verius, seu quando id procedat.*
21 *De eodem, & quod non procedat in illis Dominis, qui non sint Principes supremi.*
22 *An juspatronatus, quod prius est potentis, si transitum fecit ad privatum efficiatur privatum.*
23 *Quando efficiatur privatum, & an cadat sub Concilio.*
24 *In feudo, vel Civitate addita Regno an intret jus Regni.*
25 *Quando Rex, vel Supremus Princeps consideretur tanquam Dux vel Baro.*
26 *An qualitas impressa jurispatronatus Regio transeat ad feudatarium.*
27 *Quomodo istæ quæstiones decidendæ sint.*

DISC. II.

1 PRincipes Plumbini pro temporel, juxtam illam seriem, ac origioem, de qua habetur *sub tit. de feudis disc. 54.* fuerunt in possessione præsentandi ad omnia beneficia Ecclesiastica in eo statu existentia, obtento etiam desuper Apostolico privilegio *Leonis X.* Sequuta verò hujus Status devolutione ad Imperatorem, qui investivit Regem Catholicum sub lege subinfeudandi juxta deducta *dicta disc. 54.* hoc intermedio tempore, quo sub Imperatoris, vel Regis ministris fuit, istud jus neglectum aliqualiter fuit, Undè propterea, Sedes Apostolica in casu reservationis, vel affectionis, ac Episcopus his cessantibus, de dictis beneficiis tanquam liberæ collationis providere consueverunt; Cumque Princeps Nicolaus Ludovisius subinfeudatus, dictum jus præsentandi reassumere vellet, se oppositi Episcopus, introductaque lite coram Nuncio Apostolico Florentiæ, in possessorio pro Episcopo judicatum fuit, atq; per appellationem commissa causa in Rota ubi pendet indecisa; Quia verò contingentibus casibus vacationum, aliqua inconvenientia ex hac lite oriebantur, hinc assumptus fuit à me alicujus honestæ concordiæ tractatus cum Episcopo, atque ad hunc effectum communicatis ex parte dicti Episcopi suorum sapientium informationibus, vel Responsis, desuper pro examine jurium Principatus, dictique tractatus directione habitus fuit, juxta laudabilem stylum, congressus.

Scribentes autem pro Episcopo, ac etiam aliqui peritissimi Beneficialistæ Datariæ officiales ei adhærentes, plura dicebant; Primò, quod de hujusmodi privilegio Apostolico non constaret, cum non exhiberetur, atque hoc sufficeret, ex regula pro libertate facit, ac servitutem excludit, in dubio non præsumendam, ideòque receptum principium est, quod omnia beneficia præsumuntur libera, servilis autem qualitas resultans ex Jurepatronatus, utpotè non præsumenda, plenè, & con- 2
cludenter probanda est per allegantem, aliàs fundata remanet intentio Ordinarii, vel Alterius collatoris tanquam de libero, Mantic. *decis. 358. num. 3. decis. 102. num. 6. & decis. 143. num. 25. & 26.* post Vivian. *de jurepat.*

Secundò quod istud esset privilegium personale concessum Jacobo ejusque successoribus, ac propterea non transitorium ad extraneos successores feudi, deducendo ea quæ habentur apud Boss. de Principe, *n. 343. & sequ.* & Apont. *de potest. Proregis tit. de Divers. Provis. §. 1. n. 40.* de privilegiis concessis per Leonem X. Francisco I. Gallor. Regi, tunc possessori Status Mediolani.

Et magis in specie, ut concessio Jurispatronatus facta per nomen proprium possessori alicujus castri, vel loci, censeatur potiùs personalis quàm realis ob favorem Ecclesiæ ita sperantis libertatem resultantem ab extinctione illius generis, quæ spes aliàs desperata est, ubi agitur de concessione reali ad quoscumque transitoria, Lotther. *lib. 2. q. 9. n. 55.* & pluries dixit Rota præsertim *in Gnesnen. jurispatronatus 27. Jan. 1548.* cor. Ghislerio.

Istamque juris præsumptionem fortiùs comprobari dicebant ex triplici facti circumstantia, Primò scilicet quod concessio non esset facta sub nomine dignitatis, vel domi- 4
nii, sed principaliter directa personæ, ut advertitur apud Mantic. *dec. 164. n. 2.* Secundo, quod ille cui appellativo nomine concessio facta fuit haberent conjunctionem sanguinis cum Pontifice concedente; Et tertiò ob contrariam observantiam, ita id interpretantem, dum sequtis aliquibus vacationibus post extinctam dicti Jacobi lineam, ac feudi devolutionem, beneficia pacificè collata fuerunt tanquam libera cum sequuto effectu, quinimò dicebant adesse pluries alias Apostolicas provisiones antecedentes, absque aliqua juispatronatus mentione.

Tertiò, quod in omnem eventum, cum ageretur de jurepatronatus ex nudo privilegio, nullam habente admixtam causam onerosam, illud cadebat sub Constitut. 5
revocatoria Adriani VI. (non poterat enim cadere sub illa Innocent. VIII. cum concessio esset posterior,) Ac etiam sub revocatione Concilii Tridentini, ex deductis per Gonzal. *ad reg. 8. glos. 18. num. 18. cum seqq.* Garz. *de Benef. part. 5. cap. 9. numer. 115. & sequen.* Lotther. *libr. 2. quæst. 8. numer. 13. cum sequent.* Adden. ad Gregor. *decis.* 397. Rota *dec. 58. & 88. part. 1. recent. dec. 630. p. 4. tom.* 6
3. apud Celsum *decis. 239. & 272. & sæpius*, præsertim in decisionibus editis *in Lucana Prioratus*, de qua *infrà disc. 10.*

Et demum, quod ubi dici posset quod ista concessio non esset ex mera gratia, & privilegio, sed haberet admixtam partem justitiæ, ratione causæ onerosæ, quo casu non cadit sub dictis revocatoriis ex deductis per Adden. ad Gregor. *d. dec.* 397. Seraph. *dec. 499. & 518.* Garz. *d. part. 5. cap.* 7
9. num. 120. & sequen. Lotther. *d. lib. 2. quæst. 8. numer. 12.*

(quod tamen neque facti fundamentum habere dicebant, dum non habebatur tenor privilegii, ex quo, vel aliàs id justificari posset.

Adhuc tamen subjungebant, id neque sufficere, quoniam posita etiam subsistentia, seu non revocatione, effectus remanebat inanis, ubi ageretur de vocationibus cadentibus sub reservationibus, vel affectionibus Apostolicis, dum sub Regulis Cancellariæ, ac reservationibus Apostolicis veniunt etiam beneficia de jurepatronatus laicali, ex privilegio, quamvis habente admixtam justitiam seu causam onerosam, quoties ista non præponderat, quod scilicet onus, seu augmentum dotis excedat antiquam dotem, seu redditum beneficii, vel saltem adæquet, cum in hoc proposito qualitas desumatur in dictis *decis.* 59. & 98. *p.* 1. *rec.* quæ reputantur in materia magistrales, non quod sint primæ in conclusione, sed quia in ea causa, magis asriter, & ex professo articulus disputatus
8 fuit, & in allegatis *decis.* 239. & 273. coram Celso, Adden. ad Greg. *d. dec.* 397. Lotther. *dicta q. 7. num.* 20. & 21. Et in terminis primæ Dignitatis in Collegiata habetur infrà *in dict. Lucana Priorat. disc.* 10. ubi patet, conclusionem, seu theoricam juris in abstracto non recipere ampliùs quæstionem, consistentem in solo facto, seu applicatione, quando scilicet causa onerosa præponderare dicatur necnè.

Quatenùs pertinet ad primum objectum deficientis probationis, etiam cum sensu veritatis, dicebam illud non subsistere, quoniam licèt non exhiberetur privilegium quia
9 amissum, vel ab aliis occupatum (stante devolutione juxta seriem, de qua *sub tit. de feudis disc.* 54.) Adhuc tamen dicta concessio benè justificabatur ex litteris Apostolicis plurium provisionum factarum, de his beneficiis etiam per ipsum *Leonem* de eodem anno, & sequentibus, in qui-
10 bus Pontifex, non ad partis supplicationem, vel alterius assertionem, sed loquendo de recenti facto proprio enunciat dictum privilegium à se ipso concessum, unde propterea resultat concludens probatio veritatis ex hujusmodi Papæ narrativa; *ad notata per Canonistas in cap. ex parte Decani de rescriptis, & in Clement. 1. de probat. per utrum-*
11 *que textum cum concordan. generaliter deductis* apud Merlin. *decis.* 838. *numer.* 1. *cum sequent.* Et in his specialibus terminis probationis jurispatronatus etiam ex fundatione, vel dotatione per assertivam Papæ cœteris relatis plenè habetur, *dec.* 168. *p.* 10. *rec.* ubi benè advertitur, quod, Aliud est quando Papa loquitur ad patris assertionem, Aliud verò, quando ex se, & positivè tanquam de facto proprio, seu de quo se doceat informatum.

Ac etiam quod, Aliud est quando loquitur in forma privilegiativa, disponendo ut fictum habeatur pro vero, quia nempè dicat, ut jurpatronatus ex gratia, & privilegio concessum censeatur, ac si verè ex fundatione, & dotatione competeret, nam ita semper remanet privilegium; Aliud verò quando assertivè loquitur de fundatione, & dotatione, potissimè autem ubi loquitur de facto proprio ac recenti, undè propterea quoad istud objectum, casus remanere videbatur indubitatus.

Difficultas autem erat in tribus aliis objectis, quorum unum subsistere sufficiebat pro juribus Datariæ, ideòque in congressibus ad veritatem ac pro directione habitis, ego liberè, juxta stylum, insinuabam casum aliquam pari difficultatem, ideòque honesta dignum esse concordia, quæ me tractante jam conclusa erat cum alternativa, sed Principis, ac etiam Episcopi tunc existentis mors effectuationem impedivit.

Quatenùs enim pertinet ad secundum personalitatis, vel respectivè realitatis privilegij; Quamvis more Advo-
12 cati, desumendo ea quæ generaliter deducta habentur apud Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 103. & per Rotam *in Cæsenaten. seu Sarsinaten. laudemiorum* coram Ghislerio, & Albergato *dec.* 400. *p.* 9. & 199. *part.* 12. *recent.* probare curarem, quod juxta magis communem opinionem, regula est, ut in dubio privilegiorum præsumatur potiùs reale quàm personale; Ac etiam in magis proximis terminis titulorum aliarumque præeminentiarum competentium feudo, ut isto devoluto transeant ad successorem ea quæ
13 plenè habentur deducta per Menoch. *cons.* 905. cum aliis de quibus in sua materia *sub tit. de feudis*; Attamen reflectendo ad veritatem, difficultatem mihi faciebant, non tam dictæ auctoritates speciales in oppositum deductæ ad probandum, quod concessio jurispatronatus facta possessori alicujus feudi, vel castri præsumatur potiùs personalis quàm realis, quàm fortiùs dicta ratio, quæ assistit libertati Ecclesiæ, munita à superiùs ponderatis circumstantiis facti, hanc præsumptionem satis corroborantibus, præsertim dum non habebatur tenor privilegii, adeò ut ex amplitudine verborum, vel aliàs, ista realitas desumi posset, ac etiam stante dicta contraria observantia.

Quamvis enim, etiam in sensu veritatis, dicerem quod de dictis actibus antiquis nulla in proposito haberi deberet ratio, cum omnes dictæ provisiones Apostolicæ sequutæ fuissent ex causa resignationis ad favorem, quæ proindè non alterant statum beneficii; neque Patrono aliquod inferunt præjudicium, ut cæteris relatis Rot. cor. Merl. *dec.* 521. *dec.* 245. *n.* 35. & 36. & *dec.* 330. *n.* 31. & 32. *p.* 9. *rec.* & *sep.* 14

Potissimè verò de tempore quod feudum vacabat, undè à simili dicebam rectè intrare ea quæ habemus ad materiam text. *in c.* 1. & 2. *ne Sede vacante in sexto*, ac propte- 15
reà nulla adesset collatio tanquam de libero, vel unica discretivè, non apta firmare contrarium statum, maximè quia successor, vel ejus officiales tunc essent hujus juris ignari; Attamen considerabam hæc rectè procedere, quando versaremur in casu claro, quod privilegium esset reale, ad successores transitorium, undè propterea ageretur de inducendo observantiam præscriptivam status diversi; Secus autem in casu dubio, in quo observantia attendatur tanquam interpres, ad quem effectum 16
non requiritur tempus, vel aliud præscriptionis requisitum, sed sufficit ita quandoque fuisse servatum, juxta receptam, ac in foro quotidianam distinctionem inter observantiam interpretativam, & præscriptivam, de qua Barbos. *in l. post dotem num.* 47. & *sequ. ff. solut. matrim.* Rot. *dec.* 319. & 351. *p.* 6. *rec.* & *frequenter*.

Quoverò ad tertium, & quartum objectum; Dicebam quod ubi ageretur cum privato, vel etiam cum potente non habente jura Imperii, motiva procederent de plano utpotè in puncto juris hodiè incontrovertibilia juxta infrà deducta *in dicta Lucana Prioratus disc.* 10. & in aliis supra allegatis, sed quod non procederent in hac facti specie ob expressam exceptuationem in eodem Concilio Tridentino contentam, de jurepatronatus pertinente ad Imperatorem, & Reges, seu Regna possiden- 17
tes, aliosque sublimes, ac supremos Principes jura Imperii in suis dominiis habentes, & cum qua exceptuatione proceditur etiam in Regulis Cancellariæ; Quoniam licèt Papa possit, non tamen solet derogare Regio patronatui ex deductis per Covar. *practicar. c.* 36. *num.* 4. *vers. Primum* 18
etenim, ita etiam docente recepta praxi; Ideòque cum iste Status ob devolutionem effectus esset de dominio pleno Imperatoris, à quo concessus fuit Regi subinfeudanti, ut supra, ita dici poterat intrare exceptionem, cadentem quoque de tempore publicationis Concilii, quando possidebatur per dictum Principem, dum erat feudatarius Dignitatis, cum juribus Imperii, ac Regalibus omnibus, excepto alto dominio præseferente illam superioritatem, quæ vulgò *sovranità* dicitur, ut de hujusmodi feudis Imperialibus Dignitatis in Italia pluries habetur in dicta sua materia *sub tit. de feudis*.

Et in specie, quod dicta exceptuatio non solùm Regibus sed etiam hujusmodi Principibus, Ducibus, vel Marchio- 19
nibus conveniat ex *Enea de Falconibus*, & *aliis* probare conatur, Covarr. *d. c.* 46. *n.* 4. *in fine*.

Verùm, dubitari posse advertebam de relevantia responsionis? Tum quia subsistente dicto motivo personalitatis privilegii, ista conclusio quamvis vera, cessaret ex defectu applicationis, dum privilegium ita evanuerat; 20
Tum etiam, quia cum Concilium non loquatur simpliciter, ac indefinitè de omnibus jura Imperii in suis dominiis habentibus, sed solùm de illis qui dicta jura habentes, sublimes ac supremi Principes dicuntur, hinc proindè receptum est, id non convenire, nisi illis qui (excepto titulo Regio,) Regum ac supremorum, & sublimium Principum, cum exercitus, & publici belli jure figuram faciunt, quos in Italia, *Potentatus*, vocamus, neque ita simpliciter, sed cum moderatione, juxta Principatuum qualitatem; Non autem istis, medii, vel infimi ordinis feudatariis minoribus, qui licèt de stricto jure, quoties agitur de veris feudis dignitatis habere videantur in suo, quamvis exiguo feudo, ac restricto dominio, eadem jura quæ habent illi feudatarii majores, qui supremorum, ac sublimium Principum nomine veniunt, ac penè Regiam figuram faciunt; Attamen de facto, non Principum, ac Potestatum, sed Baronum, seu Nobilium virorum figuram faciunt, dum non habent exercitum, ac ejus publici belli

belli cum formali potentia; Quinimò videmus præsertim in Italia, aliquos adesse possessores fortalitiorum, & castrorum in allodium independenter à quocumque, adeò ut non cogantur Imperatori, vel alteri supremo Domino aliquod fidelitatis juramentum, vel servitium præstare, minusque habeant illud feudale onus, quod etiam dicti
14 feudatarii majores habent, petendi eam investituræ renovationem de qua *d. tit. de feud. disc.* 59. & tamen Domicellorum potius, ac Nobilium virorum, quàm Principum supremorum gerunt personam, ac faciunt figuram.

Ideòque dictam Conciliarem exceptuationem eis non
21 convenire advertunt in specie Paris. *de resignat. lib.* 4. *q.* 4. *n.* 48. Garz. *p.* 5. *cap.* 1. *num.* 575. Rota *dec.* 603. *p.* 4. *rec. tom.* 3. *n.* 54. & 55. *per tot.* atque docet recepta praxis.

Majoris ponderis videbatur altera circumstantia, quod iste Status fuisset possessus per ipsum Imperatorem post devolutionem, deindèque per aliquod tempus usque ad subinfeudationem per adeò magnum, ac potentem Regem, & Monarcham, cui sine dubio dicta exceptuatio competit in suis Regnis, & dominiis adhuc superioritatem, ac præsidium retinentem; Verùm ponderabam adhuc cadere posse aliquam difficultatem, quamvis, id formiter discussum non fuerit, undè propterea maturum judicium de-
22 super efformari non potuit, cum formalis disputatio desuper habita non esset, sed hic esset simplex discursus in congressu ad parandam concordiam jam conclusam, sed non effectuatam, ut suprà.

In hac enim materia spectanda videtur origo, non au- 23
tem casus successionis, ob quam jurispatronatus in diversum personarum genus transeat, siquidem si illud est privatum, à quo transeat in potentem, non per hoc cadit rigorosa forma Concilii inducta in potentibus, sed remanet in terminis juris communis tanquam privatum, Et è converso si originariè est potentis à quo transeat in privatum, intrat dicta rigorosa forma, quoniam spectatur origo; Idemque, ubi agatur in jusparonatus sit ecclesiasticum, vel laicale, ut apud Duran. *decis.* 407. *num.* 5. & 6. *decis.* 401. *num.* 11. *p* 5. *rec.* & supponitur *decis.* 399. *p.* 2. *rec.* nisi tandiù steterit penes privatum in quem à potente translatum sit, quod purgata sit sinistra usurpationis suspicio, quæ habetur in potentibus, *ut dicta decis.* 401. *num.* 12. & melius *decis.* 509. *num.* 24. *parte* 5. *recent. Lauden. parochialis decis.* 321. *num.* 21. *parte* 10. & habetur *infra Toletana disc.* 5. ubi de hoc particulariter.

Item quia tunc Rex obtinere dicitur jusparonatus, 24
quod castro, vel feudo annexum est, tanquam Rex, quando ad eum devolvitur, tanquam per reversionem ad suam primam causam, seu reintegrationem cum sua unitate, juxta ea quæ de Provincia, seu Civitate, aut loco infeudato, & postea devoluto habentur deduct. *sub tit. de feud. disc.* 83. Sive ubi talis Provincia, Civitas, vel locus caderet sub Regno, vel Principatu jure annexionis, vel incorporationis tanquam per speciem alluvionis, ita ut fiat unum & idem, ut advertitur *eod. disc.* 83. *de feud.* occasione quæstionis, an leges Regni, vel Provinciæ locum habeant in Civitatibus, vel Provinciis superaddit is, accessorié tamen, seu unitivè, ac per viam incorporationis, non autem æquè principaliter juxta distinctionem, de quà *in Pampilonen. Decimarum sub tit. de Præeminen. discurs.* 29. cum aliis per Royas *de incompatibilitate Majoratuum, & Regnorum part.* 1. *cap.* 7. *num.* 26. *& seqq. & part.* 4. *capit.* 5. *numer.* 35. *& seqq.* quasi quod juxta alluvionis naturam id quod est superadditum, dicatur unum & idem, atque intret illud simile quod per aliquos deduci solet, in abstracto verum, quandoque tamen malè applicatum, de mare, cujus salsedinem ac naturam assumunt omnes aquæ fluminum, ac fontium quamvis dulces, seu aliam naturam habentes, quoties illud ingrediuntur.

Secus autem ubi acquisitio est ex diverso titulo stante de per se, ac independenter à Regno, vel Principatu, potiùs jure personali quàm dignitatis juxta consimiles investituras de quibus *d. tit. de feudis discurs.* 54. *& seqq. & disc.* 59. cum similibus, quoniam, ut advertitur *d. disc.* 83. *eod. tit. de feudis* & alibi ac etiam *in Tirasonen. sub tit. de jurisdict. disc.* 22. si Rex jure proprio ac personali, seu aliàs independenter à Regno, acquirit Ducatum, Comitatum, vel Marchionatum, dicitur ibi Dux, Marchio, vel Comes, non autem Rex; Eo modo quo vi-
25 demus de pluribus supremis Principibus, in suo Principatu jura ut Regni ac supremi imperii habentibus, possidenti-

bus tamen feuda, vel subfeuda baronalia in alieno Principatu, quod reputantur tanquam feudatarii, & Barones inferiores, ut *d. tit. de feud.* pluries advertitur, ac habemus satis vulgare apud Nostros frequenter usitatum de Episcopo, qui intervenerit in Capitulo tanquam Canonicus, vel in scholis tanquam scholaris, qui non reputatur Episcopus, neque Episcopales præeminentias habet, sed reputatur tanquam Canonicus, vel respectivè scholaris, cum similibus; ita à pari in casu nostro.

Verùm è converso ponderabam dictam circumstantiam, quod hic Status ob devolutionem reversus fuerat ad Imperatorem, à quo per aliquod tempus, vel aliis ab eo deputatis administratus fuerat, Undè propterea quando privilegium esset reale, ut ex hac parte supponebatur; Ideòque jusparonatus Statuti annexum effectum esset Impe-
26 riale, istamque naturam assumpsisset, quam etiam continuavit per aliquod tempus pœnes Regem primò investitum; Neque ex eo quod alteri inferioris spheræ Domino Status esset subinfeudatus, exindè dicta prærogativa jam impressa, seu quælita cessare deberet, cum subinfeudatus, ita Vicario nomine Imperatoris Domini, ac Regis subinfeudantis, & aliquid retinentis, omnia jura, & prærogativas Status pleno jure concessa retineret; Aliàs etenim sequeretur, quod feudum pateretur diminutionem, quæ species alienationis est, ac de jure prohibita, ut in sua materia *sub tit. de feud.*

Hæc autem, ut dictum est, discurrebatur in congres-
27 su pro ratione dubitandi, nihil desuper maturè firmando, benè tamen videbatur casus honestæ concordiæ tempe-
ramento dignus, & quo mediante hujusmodi quæstiones ex legalibus, ac prudentialibus motivis determinari solent, ac debent.

ADNOT. AD DISC. II.

QUando Jurispatronatus cadat sub reservationibus Apostolicis habetur actum *infrà disc.* 10. & 65. & *in hoc eod. tit disc.* 83. & 91. & *in adnot. ad Sac. Conc. Trid. disc.* 11.

PRÆNESTINA JURISPATRONATUS PRO PRINCIPE BURGHESIO, CUM PROMOTORE FISCALI CURIÆ EPISCOPALIS.

Casus decisus per Rotam pro Burghesio.

De probatione Jurispatronatus potentium, quomodo facienda sit ad formam præscriptam à Sacr. Conc. Et quando dicta rigorosa forma non requiratur; Et an testes vassalli in hac materia admittantur ad favorem Domini loci.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quæ dicantur personæ potentes.*
4 *Non attenditur major, vel minor potentia Episcopi.*
5 *Quæ sint requisita necessariò probanda in jurepatronatus potentium ad formam Concilii Tridentini.*
6 *Quod vassalli non probent, ac non sint idonei testes pro Domino. & num.* 8.
7 *An actus dubitativi, vel præservativi libertatis Ecclesiæ interrumpant patroni possessionem, & n.* 13.
8 *Contrarium ejus quod dicitur n.* 6. *ut Vassalli sint testes, & de rationibus.*
9 *Quod in Statu Ecclesiastico non cadat præsumptio concussionis vassallorum.*
10 *Non tamen vassalli sunt testes integri.*
11 *Sed defectu suppletur ex adminiculis, & præsertim si sint vassalli clerici.*
12 *De probatione jurispatronatus privatorum remissivè.*
13 *Declaratur id quod habetur supra n.* 7.
14 *Quod de stylo adiici soleant clausulæ, præservativæ, seu dubitativæ.*
15 *Constare debet de præsentationibus, & non sufficiunt institutiones in quibus enunciantur.*
16 *An probatis primis & ultimis, mediæ præsumantur.*
17 *Quod præsentationes probentur per assertionem Episcopi in institutiones.*
18 *Præsentationes possunt fieri etiam per scripturas privatas.*

19 *Quando productio jurium dicatur verbalis, vel realis.*

20 *In odium lacerantium, vel occultantium scripturas, istæ habentur pro extantibus.*

21 *Non præjudicat publico instrumento, quod originale non reperiatur in protocollo.*

22 *Neque matrimonii validitati, quod non reperiatur in libro parochi.*

23 *Provisio tanquam de libero interrumpit requisitum continuatarum præsentationum 50. annorum.*

24 *Declaratur, quando hæc interruptio adesse dicatur.*

25 *Clausula præservativa conservat jus patroni.*

26 *De probatione causæ universalis, & quod omnia beneficia Ecclesiæ essent ejusdem naturæ.*

27 *Ubi agitur de titulo fundationis, & dotationis Concilium etiam in Potentibus nil innovavit.*

28 *De improbabilitate juris patronatus in omnibus beneficiis.*

29 *An per potentes titulus fundationis, & dotationis debeat probari per scripturas.*

DISC. III.

EXistentibus in majori Ecclesia Oppidi Olibani, Rectore, & quinque Beneficiatis, atque vacante Rectoria, quæ Archipresbyteratus dicitur, & uno ex dictis beneficiis, quæ clericatus nuncupantur, Princeps Burghesius dicti Oppidi Dominus, tanquam patronus ac habens jus præsentandi, ad utrumque beneficium præsentavit coram Ordinario, qui denegata institutione, pronunciavit utrumque beneficium liberæ collationis, Quare introducta per appellationem causa in Rota coram Bevilacqua, suspensaque inspectione Archipresbyteratus ob difficultates de quibus infra, assumptaque solùm super clericatu, sub die 17. Martii 1666. prodiit resolutio patrono favorabilis, constare scilicet de juris patronatus etiam juxta rigorosam formam præscriptam *à Sac. Conc. Trid. Sess. 25. de reform. c. 9.* ideòque præsentato, (de cujus habilitate non dubitabatur,) debitam esse institutionem, quoverò ad Archipresbyteratum causa pendet.

In hac igitur disputatione super clericatu, dum habebatur in omnibus perfecta probatio dictæ formæ rigorosæ, hinc proindè opportunum judicatum non fuit assumere aliam difficiliorem inspectionem super causa universali resultante à fundatione, & dotatione adminiculativè probata, ut infrà; Ideòque tractando causam cum præsuppositio dictæ formæ, illius necessitas non controvertebatur, cum hodiè extra controversiam sit, quod Barones, & Domicelli dominium cum jurisdictione in loco habentes, dicantur personæ potentes, cum tales dicantur quoque Communitates, seu Universitates civium, quamvis jurisdictionem non habeant, ut deductum habetur *infrà disc. 58.* ubi generaliter tractatur de hac forma, seu probatione, & quæ ad hunc effectum dicantur personæ potentes necnè.

Et quamvis in ista diœcesi dici valeat, quod Episcopus esset majoris potentiæ, & qualitatis, cum sit unus ex sex Episcopis Sacri Collegii Cardinalium; Attamen quia receptum quoque est, ut in hoc proposito non spectetur qualitas, seu major, vel minor Episcopi potentia, sed attendatur solùm qualitas prætendentis habere jus patronatus ex consuetudine, seu antiqua possessione, an dicatur necnè persona potens, ob malam usurpationis præsumptionem generaliter à dicto decreto Conciliari inductam, ut pariter advertitur *d. disc. 58.* Hinc proindè, ex laudabili Curiæ stylo hujusmodi superfluos apparatus resecandi, dictaque necessitate præsupposita, strictè assumpta fuit disputatio, an justificata essent necnè duo necessaria requisita; Primò scilicet immemorabilis benè probata juxta formam traditam per vulgarem Glossam *in cap. 1. de præscript. in sexto*; Et secundò, quod constaret de præsentationibus multiplicitatis, & continuatis, effectumque sortitis per spatium ad minus 50. annorum per authentica documenta, quorum utrumque de facto concurrebat, ut per scribentes pro Episcopo non negabatur, sed solùm insistebatur in objectis, ex quibus prætendebant, quod de jure resultaret dictæ probationis inefficacia.

Duo autem erant objecta, Primò scilicet circa testium desuper inductorum qualitatem ad probandum primum requisitum immemorabilis; quod essent vassalli, ideòq; non idonei ad testificandum ad favorem proprii Domini, vel saltem non idonei, sed in aliqua defectivi ex plenè deductis per Farinac. *de testib. q. 55. num. 212.* (licèt non desint volentes eos esse omninò repellendos ex collectis ab eodem Farinac. *num. 204.*) Et secundò, quod in vacatione sequuta de anno 1598. quamvis institutio facta esset ad præsentationem, attamen in ea continetur clausula præservativa jurium Episcopi, seu aliàs redolens dubietatem juris patronatus, ac præsentandi, unde propterea scribentes in contrarium inferebant non veri pæcipuum, ac magis essentiale immemorabilis requisitum, depositionis testium de visu, super pacifica possessione per annos 40. & de auditu è majoribus, absque eo quod aliud in contrarium auditum fuerit, cum ita interrupto dicto pacifico statu a dict. an. 1598. impossibile esset, quod testes de dictis requisitis deponere possent, illo tempore subducto, ex iis quæ præsertim habentur deducta *decis. 301. numer. 14. & 16. part. 10. recentior.* quod scilicet actus dubitativi, seu aliàs æquivoci, attendi non debent ad probationem pacificæ possessionis.

His tamen non obstantibus, etiam cum sensu veritatis, scribens pro Patrono, dicebam probationem prædictam perfectè concurrere, dictaque objecta nullam habere subsistentiam, ideòque probabilis, benèque fundata visa est resolutio; Quatenùs enim pertinet ad primum objectum vassallagii testium; Quamvis per superius allegatos credatur hujusmodi qualitatem testibus fidem adimere; In contrarium tamen est magis probabilis, magisque recepta opinio, ut post Bald. & Castrens. *in l. 4. Cod. de testib.* ac alios habetur, apud Farinac *conf. 169. numer. 11. lib. 2.* atque ad favorem ejusdem Burghesii firmavit Rota *in Signina juris patron. 11. Martii* 1648. cor. Peutingerio, & deindè pro Duce Sermonetæ firmatum fuit *in Terracin. juris patr. 26. Maii 1656.* cor eodem Bevilacqua, *impress. part. 12. recent. decis. 187. numer. 22. & seqq.*

Idque ex ea clara, & convincenti ratione, quod cum hujusmodi probatio fieri debeat per testes de continuato quadragenario viso, ac de audito a majoribus, cum fama, &c. id fieri non potest nisi per cives, & incolas ipsius loci, non autem per exteros, qui per transitum, seu accidentaliter ibi quandoque morantes, dici non valeant vassalli, unde propterea esset aliàs impossibile reddere hujusmodi probationem.

Atque aliam Ego addebam rationem, quod illa suspicio, quæ habentur de magna potentia Baronum, seu Domicellorum cum vassallis, qui propterea concussionibus ac violentiis subjecti, faciant, vel dicant quicquid Dominus velit, non procedat in Statu Ecclesiastico, & fortiùs intra districtum Urbis, ob facilem ac promptum recursum, magnamque vigilantiam Papæ ejusque Officialium, præsertim Sacræ Consultæ, ut advertitur *sub titul. de feudis discurs. 65. & sub titul. de Regal. disc. 146.*

Et quamvis non negetur quod hujusmodi vassallagii qualitas fidem aliqualiter diminuat, adeòut dici non valeant testes omninò integri, omnique exceptione majores, ut advertitur apud Martin. Andr. *decision. 45. numer. 7.* (& in quo sensu accipiendi veniunt tenentes contrarium;) Attamen hujusmodi defectus, juxta generalem regulam testium exceptiones patientium, suppletus remanebat ex pluribus adminiculis omnem difficultatem adimentibus; Primò scilicet, quia inter ipsos, plures aderant clerici, qui utpotè à laicali foro omninò exempti, non sunt vassalli, ideòque in eis cessat quæcumque suspicio, ut in specie advertitur *in d. dec. 187. p. 12. n. 24.* Secundò ex numero eorundem testium; Tertiò ex pluribus adminiculis, quæ infrà ponderantur occasione agendi de proaatione causæ universalis ex fundatione, & dotatione; Quartò ex dicta circumstantia facilis recursus excludentis in hujusmodi Baronibus, & Domicellis dictam malam præsumptionem; Et demum quia occasione vacationis istius clericatus, excitata eadem difficultate de anno 1624. prodiit ab eodem Ordinario sententia canonizatoria cum subsequuto effectu.

Quoverò ad alterum objectum; Dicebam quod, ubi secluta dicta forma Conciliarii; attentisque terminis juris communis, ageretur de justificatione juris patronatus per solam centenariam, seu immemorabilem possessionem quæ titulo æquipollet, ex iis quæ super hac specie probandi jus patronatus privatorum cum solis terminis

minis juris communis habentur infrà *in Neapolitana discurs. 9.* ac etiam *discurs. 57.* ubi generaliter agitur de hac probatione juris patronatus privatorum; Et tunc rectè procedit objectum, quod scilicet ex actibus impugnatis, seu dubitativis dicta possessio deduci non potest, quoniam cum in eis constituatur fundamentum, seu ex eis jus possessoris deducatur, idcircò debent esse certi, & univoci, non autem æquivoci, vel dubitativi, atque in his terminis procedunt dictæ decisiones in objectum allegatæ, ac habetur etiam *dict. discurs. 57.* Secus autem ubi immemorabilis cum suis requisitis benè probata est, ac etiam justificatum fuit alterum requisitum continuatarum præsentationum effectum sortitarum per spatium ad minus 50. annorum ut supra; Clausulæ verò præservativæ, vel dubitativæ deducantur ad effectum impediendi dictam probationem, seu probandi interruptionem pacificæ possessionis, atque convincendi testes de mendacio; Tum enim receptum est, ut sola dubitatio, seu clausulæ præservativæ, aut aliàs excludentes juris patronatus formalem canonizationem ad id non sufficiant, ut in specie firmatum quoque fuit *in d. Signina juris patronatus 11. Martii* 1648. coram Peutingerio.

Et quidem rationabiliter, quoniam aliàs esset ita tractu temporis privare omnes his juribus, atque impossibiles reddere probationes, stante stylo Datariæ adiiciendi has clausulas præservativas, seu exclusivas formalis ac positivæ approbationis juris patronatus, idque adinstar frequenter etiam Ordinarii institutionibus facere solent; Ubi enim factum est in contrarium, neque concurrit interruptio formalis, quæ cessare faciat qualitatem pacificæ possessionis, tunc hujusmodi clausulæ, præservant quidem, nè ex ipsis actibus jus acquiri valeat, quatenùs aliàs non competeret, non tamen interrumpunt, vel impediunt pacificam possessionem.

Aliqua igitur difficultas, (attenta dicta rigorosa forma probationis,) dignosci videbatur super Archipresbyteratu, super quo proindè suspensa fuit disputatio, nè aliàs hujusmodi mixtura turbidi cum claro utrumque impediret; Duo siquidem obstabant, Primò scilicet circa verificationem secundi requisiti plurium præsentationum effectum sortitarum per spatium ad minus 50. annorum per authentica documenta; Licèt enim per idem ac majus spatium adessent litteræ institutionis præsentatorum pro tempore, cum subsequuta effectuatione, atque in eisdem litteris enunciarentur præsentationes, Attamen istarum aliquæ non habebantur, dum adhibendo in hac materia nimis indiscretum rigorem, & fortè per quandam speciem judaismi, firmatum fuit ipsas præsentationes multiplicatas, & continuatas, per legitima documenta justificandas esse, neque ad id sufficere assertiones, seu enunciativas in litteris institutionis, quasi quod requisitum pro forma adimpleri debeat præcisè non autem per æquipollens, ut formiter discusso articulo, rejectisque contrarium sentientibus, præsertim firmatum fuit *in Terracinen. Canonicatus 10. Aprilis 1628.* coram Merlino *inter suas decision. 349.* cum aliis per Adden. ad Buratt. *decis. 139. num. 14. & seqq.* atque cum hoc præsupposito proceditur in dicta alia Terracinen. *decis. 187. part. 12. recentior.* ubi etiam firmatur, quod neque intret præsumptio intermediarum, probatis extremis juxta opinionem *Genuen. in praxi Archiepiscopali cap. 63. num. 9.* Cujus tamen contrarium, ut scilicet primis, & ultimis probatis intermediæ præsumantur, admitti videtur apud Buratt. *decis. 172. num. 10. decis. 38. num. 4. & decis. 61. num. 4. post* Vivian, & apud Celsum *dec. 193. num. 5.*

Ista difficultas, mihi reflectenti ad veritatem, stantibus facti circumstantiis, parum probabilis videbatur, quodque aliàs esset quidam leguleicus indiscretus rigor, cum non ageretur de vaga, & generali enunciativa, fortè inconsiderata, minusque de Episcopo talis qualitatis quod cadere posset suspicio, ut à Domino temporali concussus, vel corruptis, id asserere potuerit, dum agebatur de uno ex sex antiquioribus Cardinalibus, ex personali etiam qualitate conspicuo, in litteris institutionis asserente factas esse præsentationes, cum expressione nominis proprii præsentantis, necnon, anni, mensis, diei, ac loci, quodque illæ remanserint penes ejus Secretarium.

Item attenta qualitate temporum ac loci, de tempore scilicet proximo publicationi Concilii Tridentini, in Urbe, ipseque Episcopus erat antiquioribus Cardinalibus qualificatis, & forsam Congregationis interpretum ejusdem Concilii; Ideòque omninò improbabile est quod tempore adeò proximo publicationi Concilii, in ipsamet Urbe, Episcopus ita qualificatus, adeò dicti decreti Conciliaris dispositionem, vel formam negligere voluerit.

Cumque receptum sit ut hujusmodi præsentationes fieri possint etiam per scripturas privatas, absque necessitate conficiendi desuper publica instrumenta, quorum originalia in Notariorum prothocollis conserventur, atque Magnatum præsertim usus frequentior sit istas præsentationes facere, in forma litterarum patentium per eorum Secretarium, ut in specie firmatur in supra allegata *Signina juris patronatus 11. Martii* 1648. coram Peutingerio; Hinc proindè, durum, ac improbabile videtur, ut Episcopo vel cancellario hujusmodi privatas scripturas amittente, vel cum aliis confundente, id parare debeat præjudicium patronis, omnimodæ amissionis proprii juris.

Ad quod comprobandum ponderabam ea, quæ habemus in materia productionis jurium in actis, quando illa dicatur verbalis, & quando realis, quod si ipsa pars dicat in actis producere jura, quæ deindè non reperiantur, tunc dicitur productio merè verbalis, quæ nihil operatur; Sed si Notarius, fortiùs autem si idem judex narret jura esse sibi producta, enunciando eorum tenorem, necnon annum, mensem, diem, locum, Notarium &c. asserendo etiam remanere penes se five in actis, tunc dicitur productio realis, ac propterea si jura non reperiantur, id non præjudicat validitati actorum, multò magis ubi concurrat executio cum subsequuta longa observantia sententiæ vel actorum, quæ in vim dictorum jurium prodierint, ut cæteris relatis firmatur per Rotam *decis. 62. num. 4. & seqq. part. 12. recent.* cum aliis per Adden. ad Gregor. *dec. 59.* & apud Buratt. *dec. 217. num. 7.*

Ac etiam quæ habemus adversus occultantes, lacerantes, comburentes, & aliàs amittentes scripturas, (ubi præsertim ex debito officii ad earum conservationem tenentur,) quoniam in horum odium, ac præjudicium, habetur ac si extarent, prout magis expedit scripturarum domino, vel exhibitori, ex relatis per Farinac. *de falsit. quæst. 150. part. 4. & consil. 43. lib. 1.* Rovit. *pragm. 1. memorial. subtraben.* & in sua materia *sub tit. de judiciis;* Quod etiam comprobat ipsa ratio, seu discursus naturalis, quoniam ita esset aperire latam viam fraudibus, atque ansam præbere Episcopis, vel eorum Officialibus, lacerando, vel comburendo scripturas sub publica fide in eorum actis, & archivio exhibitas, destruere omnia Jurepatronatus Potentium, & acquirere libertatem conferendi beneficia de jurepatronatus tanquam libera, eorum conjunctis, vel familiaribus, quo nil absurdius.

Et quemadmodum Notario stante partibus publicum vel authenticum sumptum instrumenti, vel actorum, non cessat fides, ex eo quod non reperiatur prothocollum, vel matrix, ut *decision. 552. numer. 4. p. rec. tom. 3. decis. 197. num. 1. & 2. part. 10. decis. 61. part. 12.* & in sua materia *sub tit. de judiciis;* sive Parocho dante fidem matrimonii coram eo celebrati, nil præjudicat, quod illud in ejus libro non reperiatur registratum, vel quod idem liber perierit, ut in sua materia *sub tit. de matoim.* cum similibus, eo quia Notarii, vel Parochi, aut similium negligentia non debet tertio, ac veritati præjudicare, ita in hac specie, potissimè concurrentibus observantia, & in aliis adminiculis.

Majorem difficultatem inferebat alterum objectum, quod sequuta vacatione hujus Archipresbyteratus de anno 1558. atque facta *per Orinthiam Columnam* tunc dicti loci Dominam præsentatione, reperirentur litteræ collationis in persona ejusdem præsentati, cum declaratione, quod conferretur ordinaria auctoritate, non autem in vim præsentationis, nisi tamen juxta S. Concilii Trid. decreta competat juspatronatus, cui Episcopus declaravit, quod non intendebat præjudicare, sed illud relinquere in ejus statu & robore, quasi quod tempus istius collationis non veniret computandum in spatio 50. annorum, ex deductis apud Rotam *decis. 321. n. 26. p. 9. rec.*

Pro ista difficultate removenda dicebam, quod non

constaret an dictus ita provisus in vim hujusmodi provisionis beneficium obtinuerit, itaut concurreret effectualitio, quinimò supponebatur in loco constantem famam ac traditionem vigere, præfata Domina dissentiente, expeditas fuisse aliàs litteras institutionis, quantum vigore idem respectivè præsentatus, ac provisus obtinuit beneficii possessionem usque ad mortem naturalem, vel civilem continuatam, quodque ob temporis antiquitatem, & magis ob Dominorum mutationem non jure successorio, sed emptionis, amissæ essent justificationes,
24 magnum huic veritati adminiculum præbente successiva observantia; Cum enim, ut dictum est, iste Episcopatus semper sit penes unum ex sex antiquioribus Cardinalibus, qui supponendi sunt viri peritissimi, nimiumque qualificati, hinc prorsus improbabile est, quod existente hujusmodi actu in eorum archivio, in successivis vacationibus ad patronorum præsentationem hoc beneficium per viam institutionis providere voluerint; Ideòque considerabam, dictas litteras, spectata magis substantia, quàm formalitate verborum, continere quamdam speciem deputationis provisionalis, quod scilicet interim
25 pendente confectione processus pro implemento decreti Conciliaris, nè cura animarum detrimentum pateretur, idem præsentatus deputatus fuerit tanquam species Vicarii ad ejusdem Conciliaris decreti præscriptum ita provisionaliter, absque aliquo patroni præjudicio, quod per dictam præservativam omninò præservatum remanet, absque eo quod beneficii status in aliquo alteretur, ut advertitur per Rotam *dec.* 245. *n.* 19. *& 20. p.* 9. *rec. in Bonon. jurisp.* 25. *Junii* 1567. cor. Meltio *dec.* 269. *p.* 12. *recent.* & deducitur in hujus causæ decisione edita super clericatu.

Quamvis autem hæc magnam probabilitatem habere viderentur, quodque revera erroneum sit juris rigorosas conclusiones, vel doctrinas, quas super hujus Conciliaris decreti intelligentia habemus, ita generaliter ac indefinitè attendere ad litteram, atque ut dici solet judaico more, quasi quod ista esset forma præcisa sacramenti, sine qua illud non conficiatur, cum ista videatur potiùs quæstio facti, & probationis, pro ejusdem facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis prudenti arbitrio ponderandis decidenda, spectato sine habito per Concilium, & an urgeat necnè illa mala præsumptio quæ impulit Concilium ad ita decernendum, attendendo, ut dictum est, potiùs substantiam veritatis, quam formalitates.

Attamen, cum ob nostri sæculi adeò pragmatici deplorabilem abusum, quoties in contrarium obstet aliqua doctrina, talis qualis ea sit, hujusmodi discursus reputari soleant ingeniosa ratiocinia Advocatorum, hinc proindè agnoscendo quod ex dicto abusu, ac de facto
26 potiùs quàm de jure, periculosum esset in prædictis solùm insistere, in congressibus pro directione desuper habitis, stante quod tam in isto clericatu, quàm in aliquibus ex aliis benè dictæ Conciliaris formæ requisita justificarentur, ut id attendendum esset pro adminiculo, seu probatione causæ universalis fundationis, vel dotationis, quod scilicet omnia hujus Ecclesiæ beneficia, utpotè eodem tempore eodemque modo fundata, & dotata, essent ejusdem naturæ, juxta ea quæ habentur *dec.* 17. *n.* 4. *p.* 2. *diverſ. & dec.* 263. *p.* 3. *recent.* cum qua pertransit, Lotther. *lib.* 2. *q.* 10. *n.* 22. Et magis proximè in terminis jurispatronatus potentium *dec.* 481. *num.* 2. *p.* 1. *rec.* quod scilicet loci Dominus ita hæc beneficia contextualiter fundaverit, & dotaverit, adeòut, canonizatio aliquorum, faciat statum quoad reliqua.

Clariùs quia fundationis, vel dotationis plura urgebant adminicula, ex quibus de jure, posita antiqua possessione, resultat præsumptiva probatio jurispatronatus etiam ex fundatione, vel dotatione, ut sunt antiqua insignia marmorea affixa in Ecclesia, fama publica similia, de quibus infra *Neapol. disc.* 9. ac etiam *disc.* 57. ubi generaliter de probatione jurispatronatus attentis terminis juris communis.

Receptum siquidem est, dictam rigorosam formam, à Conc. Trid. inductam, esse in solo casu juspatronatus ex consuetudine, vel antiqua possessione deducatur, cum tunc ea magis ad usurpationem de facto referenda veniat; Secus autem ubi allegatus titulus fundationis, vel dotationis, quoniam tunc intacta remanet dispositio juris communis, in nihilo alterata per d. decretum Conciliare, ut advertitur *decis.* 800. *n.* 5. *part.* 4. *div.* & aliis plenè relatis *decis.* 168. *n.* 33. *p.* 10. *rec. & d. dec.* 187. *n.* 6. *p.* 12. ac habetur infrà *disc.* 58. ubi generaliter agitur de probatione hujus jurispatronatus potentium.

Neque præmissis obstare observabam id quod advertitur Rot. *in Terracin. jurispatr.* 29. *Maii* 1659. coram Bevilacqua supra improbabilitate jurispatronatus universalis ex fundatione & dotatione, quasi quod moraliter 14
impossibile sit omnia beneficia contextualiter fundata, & dotata esse, quoniam id rectè procedit, ubi agitur de vera universitate complexiva omnium beneficiorum in loco vel in provincia, seu ditione existentium, cum tunc rectè, vel ad privilegium, vel ad usurpationem id referendum potiùs veniat, atque in his terminis dicta conclusio procedit, ac loquuntur omnes de illa agentes, secus autem ubi de beneficiis alicujus Ecclesiæ, cujus respectu tantùm universitatem constituunt ob uniformem eorum naturam, sed comparativè ad reliquam loci universitatem dicuntur particularia, tunc enim non intrat, dicta inverisimilitudo, sed potiùs verisimilitudo assistit, quod unica fuerit, tam Ecclesia materialis, quàm ejus clericorum & inservientium fundatio, & dotatio.

Adhuc tamen alia suberat difficultas, quod ad sensum Concilii, in potentibus fundatio, & dotatio justificari 28
non possit per testes, sed justificari deberet per legitima documenta, ut fuisse declaratum per S. Congr. Conc. de anno 1631. refert Add. ad Buratt. *dec.* 821. *n.* 10. quasi quod Concilium in personis potentibus non confidat de testibus; Verùm difficultas præsertim in hac facti specie, mihi non videbatur considerabilis; Cum ob auctoritatem Genuen. *in praxi Archiep. Neapolis c.* 10. *n.* 16. & Garz. qui latiùs probat *in add. ad p.* 5. *c.* 9. *ad nu.* 113. firmantium hujusmodi probationem etiam per alias speciei, de jure, fieri posse, dum illa verba Concilii, *qui ex authentico documento, & aliis à jure requisitis ostendat &c.* præseferre videntur quod Concilium se non restringat præcisè ad hanc speciem probationis per scripturas; Tunc etiam quia hæc magis rigorosa opinio recipienda venit, quando ad solos testes probatio restringeretur, quasi quod tunc urgeat ratio potentiæ, ob quam suspecti habentur testes, præsertim subditi pro Domini oportunitate deponentes, secus autem ubi concurrunt aliæ species probationis, vel adminicula, sub hujusmodi suspicione, seu præsumptione non cadentia; Ac etiam quod agitur de Dominiis temporalibus status Ecclesiastici, præsertim in districtu & propè Urbem, ubi non intrat illa mala præsumptio potentiæ Baronum, quæ alibi viget, ut supra advertitur, ideòque utraque opinio vera videtur pro facti qualitate respectivè recipienda, tanquàm in quæstione, 29
ut dictum est, potiùs facti quàm juris, dum etiam testibus defectivis, vel prohibitis confessionibus, aliisque de per se imperfectis probationibus defertur, ubi alia adminicula concurrunt; Neque in jure negatur probatio per testes, vel alias species, etiam in iis in quibus præcisè necessaria est scriptura, cujus casualis peremptio causare non debet jurium admissionem, ac suffocationem illius veritatis quæ aliundè habeatur.

ADNOT. AD DISC. III. & seqq.

AGitur in his discursibus de rigorosa forma probationis inducta per S. C. T. in Jurepatronatu Potentium super qua videri poterunt ea, quæ habentur *infra disc. generali* 58. *& in hoc tit. disc.* 72. *& in adn.* ad S. Conc. Tr. *disc.* 11.

Decisio prodita in casu, de quo *disc.* 3. *est impress. decis.* 444. *p.* 14. *rec.*

Altera decisio, quæ prodiit enunciata *in disc.* 5. *habetur impress. ead. p.* 4. *dec.* 77.

VE-

VELITERNA JURISPATRONATUS PRO EODEM PRINCIPE BURGHESIO, CUM PROMOTORE FISCALI CURIÆ EPISCOP.

Casus disputatus coram Ordinario, resolutus pro Burghesio.

An & quando sententia Ordinarii canonizatoria Jurispatronatus potentium suffragetur, si non reperiantur acta, ex quibus constet, impletam esse formam præscriptam à S. Conc. Trid.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Sententia quæ non justificatur ex actis non attenditur.*
3 *Episcopus non potest concedere Ecclesiam liberam in patronatum sine causa.*
4 *Ideoque assertioni Episcopi super causa non defertur, idemque in omni materia prohibita, præsertim dismembratione.*
5 *Fallit ubi sententia est antiqua & observata.*
6 *In specie de sententia super canonizatione jurispatronatus.*
7 *De fatuo judice desiderante doctrinas individuales.*
8 *Quod limitatio de qua n.* 6. *procedat etiam in jurepatronatus potentium.*
9 *Non est deferendum simpliciter doctrinis, sed est indagandum earum fundamentum.*
10 *De ratione cui innitatur limitatio de qua n.* 6.
11 *In quo ad hoc propositum differat juspatronatus potentium ab illo privatorum.*
12 *De facti circumstantis ob quas facilius deferendam veniat Episcopi assertionibus, ac sententiis, vel enunciativis.*

DISC. IV.

1 VAcante Canonicatu Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Normarum, cum Princeps Burghesius loci dominus, utpotè habens juspatronatus & præsentandi, aliàs idoneum coram Ordinario præsentasset, atque ad jurispatronatus justificationem exhibuisset sententiam ejusdem Curiæ ejus canonizatoriam latam usque ab anno 1597. ad favorem prædecessoris Domini dicti loci de familia Caetana, obiiciebatur per Promotorem Fiscalem, quod de dicta sententia nulla ratio habenda esset, nisi exiberentur processus, & acta, ex quibus appareret, adimpletam esse formam in jurepatronatus potentium præscriptam à S. C. T. *sess.* 25. *de Refor. c.* 9. de qua *disc. præc.* non solùm ex regula generali quam receptam habemus in omni materia indifferenti, quod sententia, quæ non justificatur ex actis, nullius est
2 momenti ac operationis, ex deductis per Burat. *dec.* 251. *n.* 3. *& 325. n.* 2. & passim.

Sed magis in specie, id habemus receptum in his terminis præcisis, ex ea clara ratione, quod Episcopus non potest Ecclesiam liberam redigere in servitutem, illamque sine
3 causa per sacros Canones probata concedere in patronatum, ut habetur infrà *in Rossan. Capellæ disc.* 11. Et consequenter, ne quod directè prohibitum est, per indirectum sequatur, non statur Episcopi sententiis vel assertionibus, aliisque justificationibus, nisi aliunde accedat justificatio, ut cæteris relatis firmatur per Rot. apud Merl. *dec.* 147. *n.* 7. *& dec.* 349. *p.* 5. *rec. dec.* 197. *n.* 50. *& seq. & dec.* 143. *nu.* 18.
4 post Viv. *de jurep.* ac habemus generaliter in omni materia prohibita ut in beneficialibus in proposito dismembrationis habetur apud Otthob. *dec.* 6. *n.* 13. *dec.* 224. *p.* 10. *rec. num.* 7. *cum aliis in Bonon. dismembr. sub tit. de Paroch. disc.* 35.

Scribens pro Burghesio, admittebam conclusionem tanquam veram, ac hodie non controvertibilem, de qua habetur etiam *inf. disc.* 58. ubi generaliter de materia justificationis juspatronatus potentium; Dicebam verò, etiam in sensu veritatis, intrare limitationem, quam in omni indifferenti materia receptam quoque habemus, ut concurrente observantia (continuata tamen, & non aliàs) id
5 cesset, quando agitur de sententia antiqua, qualis dicitur ubi accedit spatium 30. annor. ut generaliter apud Mantic. *dec.* 296. Caval. *dec.* 22. *&* 203. Add. ad Buratt. *dec.* 76. *nu.* 26. *& pluries sub tit. de jud.*

Et in his terminis specialibus sententiæ per Ordinarium latæ super canonizatione jurispatronatus, firmant Cam- 6
pan. *div. jur. Canon. rubr.* 11. *c.* 13. *n.* 422. Ciarl. *l.* 1. *constr.* 57. *n* 7. Barbos. *de Episcop. alleg.* 72. *n.* 49.

Judex coram quo causa disputabatur, Curiæ Prælatus, ac aliàs elaboratus, & alicujus nominis advocatus, de illorum tamen genere, qui nihil penitus ratiocinando, totam vim constituunt in doctrinis specialibus, atque, ut vulgò dicitur in individuis, difficultatem promovebat, quod istæ doctrinæ essent generales de jurepatronatus indefinitè loquentes, non descendendo ad hanc speciem jurispatronatus potentium, adeout penè incredibile sit quam magnum adhiberim laborem, ut illum redderem capacem, ista præsertim causa expertus, id quod pro joco in Curia dici 7
solet de illo judice nolente attendere juris principia quamvis notoria & indubitata, nisi haberet individua, adeout cum disputaretur de venditione seu locatione cujusdam præcodii vaccarum, atque causæ punctus consisteret in conclusionibus generaliter cadentibus super validitate & natura contractus, dicebat se non satisfactum, quia non darentur doctrinæ speciales loquentes de præcodiis vaccarum; Cumque advocati, ad satisfaciendum huic bestialitati, cum aliquo labore curassent invenire doctrinas de hoc specialiter agentes (deducendo forsan Rotæ decisionem coram Dunoz. jun. *inter suas dec.* 54. enunciatam *sub tit. de usur. in Tuscul. disc.* 2.) adhuc persistebat in difficultatibus, ex eo quod doctrina loqueretur de vaccis simpliciter, non autem descenderet ad speciem vaccarum rubearum, de quibus agebatur, istamque miseriam penè quotidiè experimur.

Dicebam igitur, quod dicti DD. considerant in specie, quod ageretur etiam de sententia lata post publicationem Conc. Trid. quod implicitè præsefert dictam specificationem, ut scil. ageretur de jurepatronatus potentium, in quo dicta rigorosa forma desideratur, quoniam in alio pa- 8
tronatu privatorum Concilium nihil statuit, nec innovavit & consequenter improprium aliàs fuisset descendere ad hujusmodi considetationem, an sententia esset ante, vel post Concilium.

Et ulterius observabam, quod *in ead. dec.* 349. Merl. *& in dec.* 343. post Viv. *de jurepatr.* promota ista limitatione, illa implicitè admittitur in puncto juris, dùm evitari curatur ex solo facto ejusque circumstantiis particularibus, ex quibus deficere observatum fuit requisita ad hujusmodi limitationem necessaria.

Prætereà, cum apud me, nedum damnabile, sed abhorritum perpetuò fuerit insistere solùm in dicto scribentium, an dicant, vel non dicant, non examinando eorum dicti rationes, & fundamenta, sine quibus, ubi præsertim 9
agitur de hujusmodi modernis collectoribus, eis deferendum non est, quamvis dicant, ut advertitur per doctum ac fundatum modernum Cyr. *contr.* 50. *n.* 3.

Hinc examinando punctum per rationes ac principia, Dicebam hujusmodi limitationem non inniti alicui rationi particulari, quæ in una specie jurispatronatus cadat seu con- 10
gruat, & in altera non, sed habere rationem generalem in omni materia cadentem, ut per antiquissimam observantiam intret præsumptiva probatio, quod omnia benè ac ser. ser. sequuta fuerint etiam in iis, in quibus urget juris resistentia, ut est præsertim in alienationibus bonorum Ecclesiæ, quoniam non obstante vehementi resistentia resultante à sacris Canonibus, ac *ab extrav. ambitiosæ de reb. Eccl. non alien.* quoties ob modernam innovationem sequutam per Constit. Urb. VIII. ampliantem hoc tempus ad centenarium, longissimi temporis observantia sufficit, ut pluries in sua materia *sub tit. de alien.* ac etiam in beneficialibus *sub tit. de benef.* ac etiam sub altero *de Parochis*, & alibi.

Cumque inter juspatronatus potentium, ac illud privatorum alia non videatur subesse ratio differentiæ, nisi quod à dicto decreto Conciliari citra, una species majorem habeat juris residentiam, seu malam præsumptionem, ob quam magis rigorosa probandi forma introducta est quam in altera, hinc proindè id aliud operari non videtur, nisi quod in prima specie desideranda veniat observantia longissima cum suis requisitis, eo modo quo in dicto casu alie- 11
nationis bonorum Ecclesiæ, vel simili, in quo urgeat juris resistentia, sed illis concurrentibus, nulla subesse videtur probabilis ratio dubitandi.

Fortius verò in hac facti specie ob plures ejus circumstantias, illam præsertim, de qua *disc. præc.* quod scil. iste Episcopus, à quo sententia, prodiit, semper est Decanus Sac. 12
Collegii Cardinalium, qui supponendus est peritissimus, dili-

diligens, atque magis potens, ideoque non intrat illa suspicio, quæ cadere solet in aliquibus parvarum ac pauperum Ecclesiarum miserabilibus Episcopis; Cumque iste Episcopatus utpotè sola ratione antianitatis possideri solitus per senes ac decrepitos, frequentes habeat mutationes, idcircò ubi etiam ille Episcopus, qui sententiam tulit, non benè suum munus explevisset, tot successores observantiam non tolerassent; Ponderando etiam generaliter ea quæ habentur *disc. præc.* contra occultantem vel amittentem scripturas, quas ex debito officii custodire & conservare tenetur; Ac etiam quia de facto ex quodam casu fortuito constabat plures hujus Archivii & Curiæ processus & scripturas periisse, ex quibus omnibus simul junctis, res pro meo judicio videbatur plana, & ita credo judicatum esse.

TOLETANA JURISPATRONATUS PRO DUCE PASTRANÆ, CUM PROMOTORE FISCALI CURIÆ ARCHIEPISCOPALIS.

Casus decisus per Rotam pro Promotore.

De eadem materia juris patronatus potentium, ac forma Conciliari, an procedat ubi persona potens habet causam à non potente, Et an dominium loci cum jurisdictione inducat potentiam in personis Ecclesiasticis.

Et an concesso Oppido vel Castro, veniat juspatronatus quod concedenti competit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De forma rigorosa probandi juspatronatus potentium.*
4 *Damnantur superfluæ allegationes in decisionibus.*
5 *Dominium temporale cum jurisdictione non inducit potentiam ad effectum dictæ formæ rigorosæ in personis Ecclesiasticis.*
6 *Si juspatronatus potentium transit ad privatum, adhuc retinet suam naturam, & è contra, & quando secus.*
7 *Castra, & feuda continent universitatem.*
8 *Facta venditione Castri vel Oppidi, venit juspatronatus illi annexum.*
9 *Quod præsumptio sit pro annexione juspatronatus Castro vel feudo.*
10 *Transfertur cum dicta universitate etiam sine consensu Ordinarii, & quamvis translatio feudi, vel universitatis fiat pretio mediante.*
11 *Quando id cesset.*
12 *Qui allegat annexionem juspatronatus Castro, debet probare.*
13 *Quod nominationes vel præsentationes referuntur ad alium titulum.*
14 *Discretiva attendenda est.*
15 *Provisiones Apostolicæ ex causa resignationis non alterant statum, neque præjudicant Patrono.*
16 *Sed in casu dubio præbent adminiculum pro juspatronatus exclusione.*

DISC. V.

1 POstquam militiarium Religionum, de Alcantara, de Calatrava, & S. Jacobi de Spata Magisterium, seu perpetua administratio per Sedem Apostolicam commissa fuit Regi Catholico, juxtà ea quæ habentur *sub tit. de Jurisd. disc.* 91. eadem Sedes concessit facultatem dicto Regi distrahendi ac liberè disponendi de Oppidis, Castris, & bonis, ad dictas militias, earumque mensam magistralem pertinentibus, cujus facultatis vigore de anno 1566. Dux Pastranæ seu ejus auctor emit Oppida de Zorica, & de Alvalate; Cumque Ecclesia parochialis dicti Oppidi aliàs provideri solita esset ad nominationem Commendatarii; Hinc dictus emptor, sequta ejus vacatione de anno 1570. præsentavit Rectorem cum subsequuta institutione, postmodum verò dictum jus præsentandi exercitium deductum non fuit usque ab ann. 1651. quando sequuta vacatione, Dux præsentationem fecit, qua rejecta; Ordinarius illam providit prævio concursu ad formam præscriptam à S. C. T. *sess.* 24. *de reform. c.* 18. Quare introducta causa prius coram Nuntio Hispaniarum, & deinde in Rota coram Alber. datoque dubio, *an constaret de juspatronatus* sub die 8. Junii 1663. negativa prodit resolutio, neque quod sciam, causa ulteriorem progressum habuit. 2

In hac disputatione, scribentes pro Archiepiscopo seu ejus Promotore fiscali, cum copiosissimis allegationibus magnoque labore insistebant super iis quæ ad materiam decreti Conciliaris *sess.* 25. *de Reform. c.* 9. habentibus dominium temporale loci cum jurisdictione, ut dicantur personæ potentes in quibus proindè requiritur, vel legitima probatio ex fundatione, vel dotatione, vel altera probatio cum immemorabili consuetudine, ac multiplicatis præsentationibus effectum sortitis spatio ad minus 50. ann. quorum neutrum justificabatur, quoniam nullus dabatur titulus fundationis, vel dotationis, neque alia probationis species concurrebat, atque decisio desuper edita, inhærendo eidem scribentium stylo, super hujusmodi motivis seu propositionibus, ac super interruptione immemorabili per actus contrarios plurium provisionum tanquam de libero; cum copiosis pariter allegationibus principaliter insistit. 3

Resolutio mihi, licèt scribenti pro Duce succumbente, probabilis visa est ex alio tamen fundamento, de quo infra, præmissæ autem propositiones extraneæ videbantur à casu quæstionis, adeout videretur labor verè inanis, tum quia extra casum, tum etiam quia hujusmodi propositiones hodie tanquam notoriæ, nullamque patientes amplius controversiam, præsupponendæ veniunt, adeout admissa aliqua excusatione: in scribentibus, quibus fortè expedit ad satisfaciendum litigantibus, ac ignaro vulgo, pro currente abusu, vel extraneis implere, parum tamen laudabile id videatur in decisionibus in quibus loquendum est more magistri ideoque incongruit, ut super vulgaribus, ac receptis regulis seu propositionibus nullam ampliùs patientibus quæstionem diffundatur in allegationibus, quæ solum congruæ, ac opportunæ sunt (adhuc stricto ac magistrali more, atque cum doctrinis classicis, & magistralibus) super iis articulis conclusionibus, quæ adhuc sint in controversia & in quibus cardo disputationis consistat. 4

Ac etiam, quia ubi hujusmodi Oppidis aliàs pene dictas militias juspatronatus annexum esset, tunc non intraret dicta forma Conciliaris, quamvis hodiernus Dominus esset sæcularis, ex duplici vero ac recepto principio, seu propositione; Primò scil. quod personæ potentes ad hunc effectum dicuntur locorum Domini jurisdictionem habentes, ubi sunt sæculares, secus autem ubi ecclesiastici, quorum respectu cessat mala præsumptio usurpationis, cui decretum Conciliare innixum est, ideòque non obstantibus, dominio & jurisdictione, incorrecta remanet dispositio juris communis, ut cæteris relatis firmatur per Rot. apud Duran. *dec.* 413. *n.* 5. *dec.* 401. *n.* 7. *cum seq. p.* 3. *rec.* & in aliis per Add. ad Buratt. *dec.* 832. *n.* 5. Atque in specialibus terminis juris patronatus annexi cuidam alteri Oppidò ad Religionem de Calatrava aliàs spectandi, & per Regem in vim dictæ facultatis venditi ad favorem emptoris quamvis sæcularis, tanquam absolutum præsuppositum fuit in alia Toletana, quæ habetur impressa *dec.* 399. *p.* 2. *rec.* quoniam, ut ista ac aliis supra allegatis decisionibus advertitur, ac habetur etiam supra *disc.* 2. in hac materia attenditur origo, ex qua resultat bona vel respective mala præsumptio, ut etiam habetur *infra disc. seq.* 5

Et secundò corollariè, quod si juspatronatus originaliter personæ potentis transeat in privatum, seu non potentem, adhuc eandem retinet naturam, atque justificandum est cum dicta rigorosa forma Conciliari, nisi penes privatum tam diuturno tempore cum exercitio præsentationum fuerit, quod dicta mala præsumptio purgata remaneat; atque juspatronatus naturam immutaverit; Et è converso si à privato aliàs istud jus possidente illud transierit in potentem, privati naturam retinet; Et consequenter ea, quæ habemus circa dictam formam Conciliarem, extranea remanebant à casu quoniam posito patronatu in Religione seu commendatario ecclesiastico, translatio in laicum cum legitima facultate, ut supra facta, ejus naturam non immutasset. 6

Punctus igitur causæ erat in dicta origine seu principio, pertinentiæ juris patronatus ad Religionem, seu commendam, & quatenus dicta pertinentia in genere concurreret, an illa esset ratione dominii dicti Oppidi, cui præfatum juspatronatus esset annexum, vel potius ex alio titulo à præfato temporali dominio independente.

Posita enim dicta annexione, tunc de plano resultasset per-

pertinentia ad favorem emptoris, quoniam hujusmodi Oppida, sive habeantur in feudum proprium, & verum, sive in allodium subordinatum alto dominio, ac superioritati alterius Principis, unde inesse dicatur quædam feudalitas impropria, seu remota, constituere dicuntur sine dubio universitatem complexivam omnium jurium, ac pertinentiarum, remanente solùm quæstione, an dicatur universitas facti, vel universitas juris, ex iis quæ pluries habentur in sua materia *sub tit. de feud.* 7

Et consequenter sub Castri, vel Oppidi venditione, quamvis pretium intercedat, nullusque accedat Ordinarii consensus, adhuc venit juspatronatus illi annexum, quamvis ad speciem deductum non esset, tanquam dicti corporis universalis pars, vel membrum, multo magis concurrente specificatione, ut *in d. dec.* 399. *p.* 2. *rec.* & in aliis plenè collectis per Add. *ad dec.* 46. *n.* 24. *cum seq. par.* 9. *recent.* 8

Atque posita pertinentia juris patronatus penes eum qui loci Dominus pro tempore fuit, præsumptio est pro annexione seu realitate magis, quàm pro personalitate, & sic quod dicatur ipsi loco, seu dominio annexum, ut habetur *dec.* 697. *n.* 3. *p.* 1. *rec.* ac aliis relatis *d. dec.* 46. *p.* 9. *nu.* 9. *in Signina juris patronatus* 11. *Februarii* 1648. coram Peutingorio & in aliis, nisi facti circumstantiæ aliàs suadeant, ut supra *disc.* 2. 9

Et quamvis duplex receptum principium obstare videatur, Primò scil. quod juspatronatus extra compatronos sine auctoritate Ordinarii transferri non potest, ut pluries infrà; Et secundò quod intervenire non potest, in hujusmodi cessione, vel translatione pecunia, vel alias res temporalis citra labem simoniæ, cum agatur de jure spirituali, sive spiritualitati annexo; Utrumque tamen cessat ex eadem ratione, quod scil. juris patronatus non dicitur principaliter deductum in conventionem accessoriè, sed consequutive ad ipsam universitatem, etiam si ad speciem deductum esset, quoniam stare censetur potius demonstrativè, seu per expressionem ejus quod de jure inest, nisi constet, illud principaliter, ac de per se in contractum deductum esse, ejusque rationem fuisse habitam in pretii valutatione, ut advertitur *dec.* 173. *num.* 28. *& seqq. p.* 7. *rec.* apud Otthob. *dec.* 234. *n.* 9. *& sæpius*, cum sit conclusio recepta; Et conferunt ea quæ habentur *in Tyburtina sub tit. de feud. disc.* 68. in proposito cessionis caffrorum, ac bonorum jurisdictionalium non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, vel aliis prohibitionibus, quoties contractus principaliter initus est super universitate, puta super hæreditate, cui castra & alia accessoriè annexa sint, sub universitate venientia tanquam partes, & membra. 10 11

Difficultas autem erat potius facti quàm juris, super dicta scil. pertinentia ad ipsammet Religionem ratione dominii ipsius Oppidi, cum de hoc non constaret, idque probandum est ab eo, qui acquirendo Oppidum, vel Castrum, dictam accessoriam translationem prætendit, ut apud Mantic. *dec.* 164. *n.* 2. cum aliis *dec.* 70. *nu.* 9. *cum seq. p.* 12. *rec.* & in hujus causæ decisione, Licèt enim ex hac parte deducerentur aliqua privilegia seu Constitutiones Apostolicæ, præsertim Julii II. super jure nominandi hujusmodi militiarum Vicarios in eorum Oppidis vel castris, Attamen (ultra quod observatum fuit id enunciativa proferri ad ipsarum militiarum assertionem, vel supplicationem, quodque propterea enunciativa unica attendenda non veniret, ubi ipsum enunciatum est principaliter in quæstione) id referri poterat ad illud jus nominandi quod competere dicitur in parochialibus de mensa alicujus Monasterii, vel Commendæ tanquam per speciem provisionis vicariæ, juxta ea quæ habentur pluries *sub tit. de paroch.* & sic quod esset jus competens Religioni in universum, seu commendæ jure spirituali, seu monasteriali, non autem ratione dominii temporalis. 12 13

Accedente potissimè discretiva, quod scilicet quando alicui ex hujusmodi Castris vel Oppidis annexum est juspatronatus, id deduci consuevit ad speciem, atque cum ipso Oppido, vel Castro in emptorem transferri, ut in specie practicatum fuit in dicto alio casu, de quo agitur in allegata *dec.* 399. *p.* 2. *rec.* atque ex parte Archiepiscopi docebatur de plerisque aliis similibus; Accedente præsertim successiva observantia, quod excepto unico actu ut supra, per longissimum spatium tale jus ad exercitium deductum non fuerat. 14

Licèt enim, posita dicti patronatus pertinentia, contraria observantia verè obstaculum præstare non potuisset, cum intermediæ provisiones inter primam factam ad præsentationem, ut supra, & ultimam, quæ dedit causam litigi; essent Apostolicæ ex causa resignationis, vel permutationis, quas receptum habemus non mutare statum, neque juri quæsito præjudicare, ut pluries infra habetur, præsertim *disc.* 65. ubi generaliter agitur de derogatione juris patronatus, seu de illius omissione, vel præscriptione ex contrario statu; Attamen ubi jus non est certum, tunc ex hujusmodi Apostolicis provisionibus sequutis absque patronorum consensu, nullaque facta ipsius juris patronatus derogatione, vel saltem mentione, vehemens resultat malum adminiculum; Atque in his consistebat causæ difficultas, ob quam resolutio, ut supra, probabilis visa est, non autem in dictis a aliis generalitatibus resultantibus à defectu formæ Conciliaris, quæ verè extranea erat à casu; Ideoque semper ac in dies edocemur, totam vim seu peritiam Judicantis, vel Consulentis consistere in arte applicandi congruè activa passivis, non autem cum improbo labore se diffundendi in extraneis, vel superfluis. 15 16

LAUDEN. PAROCHIALIS PRO PROMOTORE FISCALI CURIÆ EPISCOPALIS, CUM PP. CARTHUSIANIS.

Discursus pro veritate super casu per Rotam aliàs decisо.

De eadem materia Juris patronatus Potentium, ac formæ Conciliaris in eo præscriptæ, an procedat in communitatibus quamvis jurisdictionem non habentibus; Et quid ubi earum jus admixtum est cum Ecclesia vel persona non potenti, in qua non militet dicta mala præsumptio; Et quando hæc dicatur purgata.

Et an etiam in Ecclesia, vel personis Ecclesiasticis cadat eadem mala præsumptio, adeout dicatur juspatronatus potentium; Et quando juspatronatus competere dicatur ratione Oppidi seu dominii & jurisdictionis temporalis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Decisiones causæ.*
3 *De facilitate Curiæ Romanæ super restitutione in integrum adversus rem judicatam pro qua sufficit injustitia, etiam ordinaria.*
4 *Provisiones Apostolicæ non alterant statum, & non præjudicant patrono.*
5 *Mala præsumptio usurpationis in Dominis temporalibus non procedit in personis Ecclesiasticis.*
6 *Intellige nisi constat de mala origine à laico potenti.*
7 *Subintellige nisi hæc macula purgata fit, & quando.*
8 *Declaratur conclusio, de qua n.* 5.
9 *Comunitates dicuntur personæ potentes.*
10 *De consuetudine Status Mediolani.*
11 *An juspatronatus possessum à Domino temporali loci præsumatur personale, vel potius reale etiam annexum Castro.*
12 *Declaratur conclusio super purgatione, de qua n.* 7.
13 *De conclusione de quæ n.* 4. *ut provisiones Apostolicæ non præjudicent.*
14 *De mixtura patronatus Ecclesiastici & laici, quid operatur.*

DISC. VI.

CUm insignis Carthusia Papiensis, ex concessione Ducum Mediolani, vel ex alio titulo, effecta esset Domina in temporalibus Oppidi; seu loci Sancti Columbandi, observantia dedit quod ejusdem loci Ecclesia parochialis provideri consuevit ad præsentationem seu nominationem dictæ Carthusiæ, atque Communitatis laicorum; Verùm Episcopo prætendente dictam Ecclesiam esse liberæ collationis exorta desuper lite, introductaque causa in Rota coram Piroyano sub die 1. Julii, 1630. prodiit resolutio super justificatione juris patronatus, ut patet ex decisione impress. *dec.* 401. *part. quinta recentior.* ad cujus normam expedita sententia, transacta in judicatum atque denuo reassumpta causa coram Meltio sub die 1

9. Junii 1649. alltera prodiit resolutio ejusdem jurispatronatus canonizatoria istaque est impressa *decis. 321. part. 10. rec.* Contingente autem nova vacatione, atque per ordinarium prævio concursu facta provisione, cum ad
2 præsentationem dictorum Monasterii, Communitatis, altera Dataria provisus esset, hinc orta desuper lite coram A. C. ex parte provisi per Ordinarium pro veritate consultus fui ad effectum deliberandi super litis prosequutione.

Respondi resolutionem pendere à subsistentia dictarum resolutionum Rotalium, ad quarum normam prodierant sententiæ firmantes statum patronalem; Si enim earum fundamenta subsisterent, vanum esse dicebam litem assumere, secus autem è converso, cum res judicata in Curia, & Rota, ad quandam verbalem formalitatem quodammodo redacta videatur, dum etiam post annos 50. & 60. ac ultrà, adversus eam de restitutione in integrum re-
3 sponderi solet ex fundamento injustitiæ adeò dubiæ, quod ubi etiam causa esset nova, & integra, adhuc juxta ipsam rem judicatam fortè responderi probabiliter deberet, ut de restitutione in integrum adversus rem judicatam coram Seraphino de anno 1598. responsum fuit in Nolana Beneficii, seu parochialis 2. Decembris 1669. & 27. Junii 1670. coram V. Comite, & sic post annos 70 ex deductis in eadem Nolana *sub tit. de Benefic in supplemento*; Et de restitutione adversus tres conformes Rotales quamvis executas habetur in Bonon. fideicommissi de Pepulis *sub tit. de fide ic. dis.* 179 cum similibus; adeout effectus rei judicatæ in eo solùm consistere videatur, quod si canonizetur, cesset ulterior apellatio, quæ aliàs daretur in causa appellabili; De reliquo autem disputationes, quæ haberi solent super puncto restitutionis in integrum, nihil differre videntur ab iis que habentur in gradu appellationis, dum vivitur cum opinione, quod magna, & notoria injustitia requiratur ad effectum spolii, seu extraordinarii remedii possessorii retinendæ, non autem restitutionis in integrum; pro qua sufficere creditur qualibet injustitiam etiam ordinariam, Buratt. *d.* 323. *n.* 3. *Add. ad eum dec.* 110. *n* 14. *in fin. dec.* 516. *p.* 5. *rec. dec.* 50. *n.* 1. *&* 2. *p* 7. *& frequenter*.

Punctus igitur est, an istud jurispatronatus penes dictos possessores dicendum esset privatum, ac proptereà cum generali dispositione juris communis regulandum; vel è converso dicendum esset potentium, adeout subiaceret rigori S.C. T. *sess.* 25. *de reform c.* 9. Primo enim casu probabilius pro jurispatronatus probatione respondendum fore dicebam; dum constabat de pluribus præsentationibus effectum fortitis usque ab anno 1512. Quamvis enim aliquæ adessent intermediæ provisiones Apostolicæ, attamen in jurepatronatus privato cum sola juris communis dispositione regulando, recepta est conclusio, de qua in hujus causæ decisionibus, ac pluries in aliis infra, quod istæ non
4 alterant statum beneficii, neque præjudicant, nisi constet eo animo per Papam factas esse, cum continuata observantia præscriptiva; Potissimè verò, quia in aliquibus aderat jurispatronatus enunciativa vel respectivè præservativa, E' converso autem ubi versaremur in altero casu personæ potentis, certum est; quod probatio juxta formam Conciliarem non adest.

Ad probandum autem quod ageretur de jurepatronatus privato potius quàm potenti; In eisdem decisionibus ponderetur qualitas personæ ecclesiasticæ quæ repræsentatur per dictum Monasterium, quamvis loci temporale dominium haberet, dum mala præsumptio usurpationis, cui innitur decretum Conciliare, procedit in Dominis temporalibus, laicis non autem in personis Ecclesiasticis, quia
5 præsumendum est quod personæ ecclesiasticæ, & Religiosæ jus ecclesiasticum absque legitimo titulo, ac per viam usurpationis retinere voluerint, ut *d. dec.* 401. *num.* 5. *p.* 5. *& d. dec.* 321. *p.* 10. *n.* 18. ubi concord. de quibus etiam *infrà disc. seq. & disc.* 58. ubi generaliter de materia jurispatronatus potentium.

Cumque in illis disputationibus, ex parte promotoris Fiscalis objiceretur, dictam conclusionem rectè procedere, quando non constaret de initio infecto, quod scil. Ec-
6 clesia, vel persona Ecclesiastica habuerit jurispatronatus à persona potenti sæculari, ut in præsenti, quod Monasterium successerat in jus Ducum Mediolani, mediante concessione hujus Oppidi seu loci, ut infra, cum tunc attendatur origo, ideoque non per hoc jurispatronatus transit in personam Ecclesiasticam, vel privatam, mutat naturam, ut advertitur in præcedentibus, ac eodem supra allegato discursu generali in hac materia potentium.

Respondetur tamen (admissa dicta limitatione, seu declaratione tanquam vera,) ut procedat nisi macula, seu mala præsumptio, quæ habetur in potentibus, penès privatos, vel ecclesiasticos ab eis causam habentes, purgata dici valeat ex eo quod verisimile non sit, ut Ordinarii pro tempore in persona privata id tollerare voluerint diuturno tempore, ut cæteris relatis firmatur in Mediolan. Prioratus 14. Martii 1646. coram Corrado, & habetur *d. dec.* 401. *p.* 5. *n.* 12. *&* *dec.* 321. *p.* 10. *num.* 21.

His tamen non obstantibus, probabilius respondendum censui pro qualitate potenti, & consequenter quod intraret rigorosa forma Conciliaris, qua cessante, beneficium remaneret liberæ collationis non obstantibus dictis con- 8
clusionibus in suis casibus respectivè veris, non tamen ad hanc facti speciem benè applicatis; Vera siquidem est dicta conclusio, quod Conciliare decretum non procedit in personis Ecclesiasticis quamvis loci temporale dominium habentibus, ubi tamen non constet de initio vitioso, ut contingit in illis Ecclesiis & monasteriis, quæ ab antiquo castra, vel Oppida possideant, juxta casus de quibus in *Tolet. in Vulturar. in Theatina, & in Anglonen. sub titul. de juris. disc.* 1. 3. *&* 5. *& in aliis ibid.* secus autem ubi Monasterium, vel Ecclesia de recenti acquirat a Domino sæculari dominium temporale loci, ut in præsenti, quod paulò ante dictum annum 1512. in quo juris præsentandi exercitium penès ipsum Monasterium habuit, hæc acquisitio sequuta est.

Quodque ex hoc titulo dominii temporalis dictum Monasterium id egerit, continuando stylum ab ipsius Ducibus servari solitum, ad evitandum comprobari observabam ex pluribus, quæ ubi etiam singulariter considerata suas pati possent difficultates, simul tamen juncta cum regula, ut singula quæ non prosunt &c. rem in claris ponere videntur.

Primò scilicet mixtura communitatis laicorum, quam licet non habentem jurisdictionem, & imperium, extra controversiam receptum est, dici personam poten 9
tem, atque cadere sub dicto decreto, ut in utraque hujus causæ decisione admittitur, & habetur infra dicto *disc.* 58. ubi generaliter de isto jurepatronatus potentium; Licèt enim huic objecto in decisionibus respondeatur cum mixtura personæ ecclesiasticæ, in qua non cadit mala præsumptio, non tamen videtur bona responsio, Tum quia non probatur de jure quod decretum Conciliare cesset in jurepatronatus, quod sit mixtum, potentis & privati, nisi urgeant adminicula, quod in potentem à privato illud obvenerit, Tum etiam quia dato dicto malo initio tunc in ipsa etiam persona Ecclesiastica Conciliaris dispositio intrat.

Secundò in idem, stante consuetudine Status Mediolani, de qua loquuntur Lambertin. *de jurepatr. l.* 1. *p.* 1. *q.* 50 *art.* 8. *n.* 4. *& artic.* 5. *num.* 21. *&* 47. Rocch. *eod. tractat. verbo competens q.* 15. *num.* 60. Gonzal. *ad Regul.* 8. *glos.* 18. *n.* 91. quod scilicet Ordinarii solebant providere Ecclesias parochiales ad nominationem Ducis, & Communitatis loci.

Tertiò quia eadem consuetudo in ista Ecclesia individuali enunciatur in quibusdam litteris Innocentii VIII. de anno 1483. quod scilicet provideri solita esset ad præsentationem, seu nominationem Ducis, & Communitatis.

Quartò ob quasdam consimiles enunciativas de an. 1511. & 1613. de quibus fit mentio in eadem *dec.* 401. *p.* 5. *n.* 12. *in fine*. 11

Quintò quia, (Carthusia non erat in loco, unde dici posset, quod istam Ecclesiam fundasset, vel dotasset, seu quod aliàs cura animarum esset penès ipsum Monasterium cujus illa esset membrum; Ac etiam quia non constabat de exercitio hujus præsentandi vel nominandi nisi post acquisitionem dominii temporalis à Duce; Licèt enim sub quæstione sit, an jurispatronatus, quod possideatur per Dominum temporalem loci, præsumatur annexum ipsi loco, vel Castro necnè, super quo variæ habentur opiniones, atque verius sit istam esse potius quæstionem facti quàm juris, ex ipsius facti qualitate, & circumstantiis decidendam, suffragante generali præsumptione non annexionis, ad effectum, ut majora vel respectivè minora adminicula desideranda veniant ex deductis *dec.* 697. *n.* 3. *p.* 1. *rec.* Lotter *l.* 2. *q.* 9. *in Gnesenen. jurispatronat.* 27. *Januarii* 1648. coram Ghislerio & in aliis; Negari tamen non potest, exindè adminiculum resultare cum tot aliis coniungendum; Accedentibus præsertim quibusdam confessionibus

nibus & enunciativis de anno 1552. quod jusPatronatus pro medietate spectaret ad monasterium tanquam successorem Ducis.

Et quidem dicta mixtura Communitatis laicalis; claram hujus veritatis probationem præseferre videtur, ac de con-
12 sequenti per eandem junctam cum tot aliis adminiculis, excluſa remanet dicta hujus maculæ purgatio, quæ ex diuturna pacifica possessione penes privatum resultare dicitur, id enim rectè procedit, quando solus privatus absque mixtura potentis possederit, qualis est casus, de quo in dicta Mediolan. coram Corrado, quod privata familia quamvis causam habens à Duce, centenariam habebat pacificam, & continuatam possessionem; Secus autem ubi perseverat possessio personæ potentis, cujus mixtura id sine dubio impedire videtur, dum comprobat quod alter privatus ab alio potenti causam habens eo jure continuaverit.

Multò magis, quia neque aderat diuturna continuata possessio pacifica, dum ab anno 1573. & sic post publicationem Concilii sequutam de anno 1564. (ex quo tempo-
13 re de hujusmodi usurpationibus inquiri cœpit) usque ad ann. 1621. Ecclesia provideri consuevit per Sedem Apostolicam tanquam de libera, ac propterea dictas provisiones nimium attendendas esse considerabam compatibiliter cum dicta conclusione regulariter vera quod Apostolicæ provisiones, non mutant statum certum ac firmatum, vel scil. pro interpretatione, quod istud jusPatronatus caderet sub decreto Conciliari, vel ad effectum interrumpendi continuatam pacificam observantiam, ex qua resultat purgatio maculæ.

Præterea circa mixturam personæ ecclesiasticæ cum sæ-
14 culari, observabam intrare clarum dilemma inevitabile, aut enim huic mixto dare volumus naturam simplicis magis privilegiati ecclesiastici non subjecti dicto decreto Conciliari, & tunc, quia mixtum assumit naturam præponderantis, cum quo regulandum est, subjacebit alteri Conciliari decreto super forma concursus servanda in parochialibus de jurepatronatus ecclesiastico, ex deductis apud Merlin. *dec.* 198. & in sua materia *sub tit. de parochiis*, ac etiam Apostolicis reservationibus, & affectionibus; Aut dare voluimus alteram naturam laicalis, ut concursui non subiaceat, ut veriùs firmatur in hujus causæ *secunda decis.* 312. *p.* 10. *recent.* & habetur *discurs. seq.* & tunc cadere debet sub dicta altera forma Conciliari præscripta in laicali potentium; Causa vero incertum est ex qua ratione alium progressum non habuit, quod sciam.

SEGOBRICEN. CANONICATUS,

PRO BONAVENTURA DEXERNIT, ET CAPITULO CATHEDRALIS,

CUM POMPEO BRIOSCO, ET EPISCOPO.

Casus decisus por Rotam per Bonaventura, & Capitulo.

De probatione jurispatronatus Capituli, seu Universitatis Ecclesiasticæ non cadente sub rigorosa forma concilii, sed regulanda juxta dispositionem juris communis, & de eodem Patronatu Ecclesiastico cadente sub Regulis Cancellariæ, & reservationibus Apostolicis, vel sub concursu præscripto in parochialibus per S. Conc. Trid. Et aliqua de ultimo statu, & de attentata præsentatione lite pendente.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Ubi Ordinarius non est in causa, sed agitur inter provisos, leviores probationes jurispatronatus sufficiunt.*
4 *In jurepatronatus non potentium Concil. Trid. nil innovavit & n.* 10.
5 *Universitates seu Communitates laicorum dicuntur personæ potentes.*
6 *Secus si agatur de universitate Ecclesiastica, & de ratione.*
7 *Beneficia de jurepatronatus Ecclesiastico cadunt sub reservationibus.*
8 *Nisi aliàs cautum sit in lege fundationis.*
9 *Admittitur consuetudo, ut Capitulum nominet, &*
Episcopus instituat in canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis.
10 *De eadem conclusione, de qua, n.* 4.
11 *De probationibus jurispatronatus non potentium.*
12 *De ultimo statu libero.*
13 *In parochialibus de jurepatronatus Ecclesiastio intrat forma concursus.*
14 *Quid in mixto.*
15 *Quando concursus non intret.*
16 *Aliqua ad Regulam de Annali.*

DISC. VII.

DE anno 1404. sub Benedicto XIII. tunc in Hispaniis 1
pro Pontifice se gerente, ex vicaria perpetua Ecclesiæ Segobricen. erecta fuerunt duo beneficia curata, *Hebdomadariæ*, nuncupata, quorum provisionem in ejusdem erectionis litteris dicitur fieri deberet per Episcopum cum voluntate; & consensu Capituli, quæ beneficia tractu temporis erecta fuerunt in Canonicatus; multiplicatis vicibus provisos ad ejusdem Capituli præsentationem, cum pluribus ac multiplicatis enunciativis illos esse de jurepatronatus Capituli; vacante autem uno ex dictis Canonicatibus de mense Septembris 1651. Capitulum præsentavit Martinum Villorado, qui legitimè institutus de mense Octobris sequentis possessionem adeptus fuit, de mense verò Decembris 1652. Pompeus Brioscus, narrata devolutione juxtà decreta Concilii Lateranensis, obtinuit de illo tanquam devoluto per sedem Apostolicam provideri, & commissa causa in Rota, expedivit citationem cum inhibitione non exequutam contra Villorado possessorem ob ejus mortem, ob quam facto casu vacationis, Capitulum præsentavit Bonaventuram Dexernit; Quia verò Pompeus impetraverat litteras gratiosæ subrogationis in juribus dicti Martini defuncti, è converso autem Bonaventura curaverat expedire litteras Apostolicas pro præsentato nuncupatas, ac se opponebat relaxationi litterarum sub- 2
rogationis, hinc Datarius petiit votum Rotæ, an dicta subrogatio Pompeo suffragaretur, & proposita causa sub die 26. Novembris 1655. coram Dunozetto, negativè contra Pompeum resolutum fuit, tam ex capite cessantis litis, sine qua subrogatio non datur, quam ex capite calumniæ, quam eadem lis sapere videbatur, ut patet ex decisione edita impressa inter illas Dunozett. *dec.* 971. & in hac eadem causa habetur deductum *sub tit. de beneficiis disc.* 50. ac in aliis ad hanc materiam subrogationis gratiosæ dandæ collitiganti.

Ista verò decisione edita, cum Bonaventura prosequi vellet exequutionem suarum litterarum pro præsentato coram Priolo, coram quo causa commissa repellebatur se opponente dicto Pompeo à dato dubio, an locus esset dictarum litterarum exequutioni, itaut Bonaventuræ immisso ad possessionem Canonicatus concedenda esset, illud affirmativè sub diebus 22. Martii, & 14. Junii 1656. resolutum fuit, ut liquet ex decisionibus desuper editis, quarum prima est impress. *decis.* 152. *par.* 12. *recention.* cum solo dicto Pompeo se opponente absque eo quod Episcopus esset in causa; Cumque post dictarum decisionum editionum jactaret Episcopus, se inauditum velle ad causam admitti, ob præjudicium, tam in isto, quàm in altero Canonicatu resultans, ob canonizationem jurispatronatus occasione istius controversiæ in præfatis decisionibus sequutam; Hinc proindè, cum scripsissem ad causam tamquam Advocatus pro Bonaventura præsentato ex parte etiam Capituli requisitus fui de consilio pro veritate, an scilicet veniente Episcopo ad causam, non obstantibus ejus oppositionibus, probabiliter earumdem decisionum confirmatio speranda esset.

Dubitandi autem ratio providebat ex motivatis per aliquos sapientes, quod scilicet longa esset differentia inter canonizationem jurispatronatus ad alios effectus, Episcopo se non opponente, ac eandem canonizationem cum Episcopo contendente principaliter de libertate, stante quod in prima decisione 22. Martii 1656. *d. dec.* 28. *part.* 2. *rec.* dicitur, quod non agebatur de justificatione jurispatronatus principaliter, sed incidenter inter provisos occasione justificandi narrativam litterarum, ad quem effectum 3
leviores sufficiunt probationes, Cassador. *dec.* 1. *in fin. de probat. dec.* 803. *n.* 2. *part.* 1. *diverſ.* Mantic. *dec.* 244. *nu.* 5. Duran. *dec.* 87. *n.* 7. *& dec.* 163. *n.* 14. *& in aliis*.

Dicta verò difficultate non obstante, respondi decisiones prædictas me scribente obtenta, (reflectendo etiam ad veritatem,) probabiles, benèque fundatas vide-

ri, eisque circumscriptis, etiamsi causa esset integra, itaut principaliter opponente Episcopo & contendente de beneficii libertate, ageretur de canonizando patronatu, pro istius canonizatione respondendum esset, quoniam agebatur cum privato, & successivè extra rigorosam formam probatoriam præscriptam à Sac. C. T. quod receptum est (ut in eisdem decisionibus hujus causæ probatur) juris communis dispositionem non alterasse, nisi in potentibus, sub quorum nomine prætendi non poterat venire Capitulum, quod Universitatem constituit.

Licèt enim sub nomine potentium, cum quibus dicta forma præscripta est, veniant Universitates etiam parvæ, & jurisdictionem non habentes Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 18. *n.* 68. Mantic. *dec.* 234. & 253. Buratt. & Add. *dec.* 551. *n.* 9. & 16. *dec.* 197. *p.* 5. *rec.n.* 32. *dec.* 143. & 144. post Vivian. *dec.* 367. *n.* 4. *p.* 10. *recen.* & habetur *disc. præc.* ac etiam *disc.* 58. ubi generaliter de jurepatronatus potentium; Attamen id procedit in Universitatibus Ecclesiasticis sub Ordinariorum jurisdictione, seu visitatione, & correctione existentibus, in quibus attenditur dispositio juris communis, *ut dec.* 290. *nu.* 21. *par.* 5. *rec.* Add. ad Burat. *dict. dec.* 551. Aurien. parochialis 28. Aprilis 1653. Peutingerio, & 6. Februarii 1654. Zarata, & in dictis hujus causæ decisionibus.

Idque non solum ex ratione cessantis malæ præsumptionis usurpationis in Ecclesiasticis, ut *disc. præc.* sed etiam, quia satis modicum ac ferè nullum præjudicium, vel servitius ex hujusmodi patronatu resultare videtur; Nullum enim adest præjudicium Sedis Apostolicæ in conferendo, dum jurispatronatus ecclesiasticum cadit sub Regulis Cancellariæ, ac reservationibus adinstar beneficiorum liberæ collationis, Gonz. *d. gl.* 18. *n.* 6. & 7. Caval. *dec.* 547. *dec.* 48. *n.* 7. *p.* 5. *rec. d. Aurien. parochialis* 28. *Aprilis* 1653. Peutinger. & 6. *Februarii* 1654. Zarata, & in dictis hujus causæ decisionibus coram Priolo, nisi in lege fundationis cautum sit, ut quamvis esset ecclesiasticum reputari deberet tanquam laicale Lotter. *l.* 2. *qu.* 10. *nu.* 4. Cavaler. *dec.* 539. *num.* 5. *dec.* 157. *num.* 7. *recent.* & *sub titul. de beneficiis disc.* 6.

Nec minus de præjudicio Ordinarii, cum ageretur de Canonicatibus in Cathedrali, quorum collatio de jure est simultanea Episcopi, & Capituli, unde propterea ista qualitas patronalis, potius modum, quam substantiam diversificare videtur, quoniam sicuti Episcopus, & Capitulum pro æquali jure alias tanquam collatores concurrere deberent, ita pariter ambo concurrunt, sed jure diverso, Capitulum scil. in præsentando, & Episcopus instituendo.

Neque juri resistit consuetudo, per quam solum Capitulum eligat Canonicos, Episcopus verò confirmet ad text. *in c. cum Ecclesia Volaterana de elect. cum aliis sub tit. de benef. disc.* 1. & *seq.*

Ideoque leviores probationes desiderandæ videntur in hac specie patronatus minoris servitutis, ac minoris præjudicii, quam si ageretur de laicali privatorum; Et consequenter abundare dicebam probationes, & adminicula ponderata in utraque decisione ex dicta recepta propositione, quod concilium in hoc nihil alteravit, sed solum jus commune attenditur, Gabr. *conf.* 192. *l.* 2. Gonz. *d. gl.* 18. *n.* 54. & *seq. dec.* 29. *n.* 4. & 6. *p.* 7. *rec* in allegatis *Aurien. parochialis, in Firmana parochialis* 4. *Maii* 1657. Bevilacqua impress. *dec.* 224. *p.* 12. *rec.*

Plures autem concurrebant probationes in decisionibus recensitæ in patronatu privato sine dubio sufficientes; primò scil. statutum Capitulare conditum de anno 1557. cum præsentia & confirmatione Episcopi, in quo positivè narratur hujusmodi Canonicatus, seu vicarias, quarum loco illi subrogati sunt, erectas esse ex bonis mensæ Capitularis, & sic præsupponitur fundatio, & dotatio, quæ de jure importat patronatum unde dicebam ita Statutum capiendum non esse in simplici ratione Statuti; seu legi hujus servitutis inductivæ, sed tanquam probationem, seu enunciativam factam cum ea serietate, quæ in legibus contendentis adhiberi solet, stante præsertim præsentia, & consensu Episcopi, cui in his materiis stante proprio interesse satis deferri solet ex plenè congestis in Bonon. Archipresbyter. 23. Martii 1648. coram Corrado *decis.* 168. *n.* 27. *p.* 10. *rec.* & in hujus causæ decisione; Secundò ex Bulla Benedicti XIII. in qua pariter dicitur hujusmodi cappellanias de bonis mensæ fundatas, & dotatas esse; Tertiò ex fama publica; Quartò ex continuatis præsentationibus spatio 100. annorum, & ultra, interruptus solùm cum provisionibus Apostolicis, ut infra; Quintò quia exceptis provisionibus Apostolicis ratione reservationum contentarum in Regulis Cancellariæ, nunquam constat hujusmodi Canonicatus per Episcopum tanquam liberos collatos fuisse; Ideòque plura concurrebant superabundantia.

Et his addebam, quod cum cura animarum habitualis resideret penes Capitulum, atque isti Canonicatus subrogati essent loco Vicariorum deputatorum ad exercitium ejusdem curæ, adhuc ex sola dispositione juris, seu Constit. 57. Pii V. nominatio spectare deberet ad Capitulum, ut frequenter in sua materia *sub tit. de benef. & de paroch.* unde semper firmum remanebat; istam patronalem qualitatem, nullam, vel modicam inducere servitutem, nullamque, vel satis levem operari juris alterationem, & consequenter longè minores sufficere probationes, quàm si cum simplici privato ageretur.

In dictis disputationibus habitis, tam coram Dunozetto, quàm Priolo; Scribentes pro proviso Apostolico super duobus potissimùm insistebant, Primò scilicet super ultimo statu libero, ob plures provisiones Apostolicas effectum sortitas, quem statum ad hunc effectum attendendum esse dicebam ex deductis *dec.* 57. *num.* 2. *cum seq. p.* 6. *rec. dec.* 44. post Vivian. & sæpius, Et secundò quod in omnem eventum cum ageretur de beneficiis curatis, non esset servata forma concursus præscripta per S. Conc. Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 18. quam formam servandam esse in parochialibus etiam jurispatronatus ecclesiastici, ad litteram disponitur in eodem Concilio, ac firmatur apud Merlin. *dec.* 198. *n.* 3. & *seq. cum aliis ad d. Concil. à n.* 136. & *sub tit. de paroch.* ad materiam concursus; Solùm enim alias dubitatum fuit in jurepatronatus mixto, an scilicet participare potius debet de ecclesiastico concursui subiecto, vel de loci, quod à Conciliari dispositione exemptum est ex deductis per Add. ad Gregor. *dec.* 494. & ad Burat. *dec.* 25. Receptum tamen est participare debere de qualitate magis favorabili, & sic de laicali, ut firmatur *decis.* 321. *p.* 10. *rec.* edita in casu quo *disc. præc.* sed immerè Ecclesiastico, ut erat præsens, nulla cadit dubitatio.

Verùm objecta facilè tollebantur; Quatenus enim pertinet ad primum, cum beneficia de jurepatronatus Ecclesiastico subjaceant Regulis Cancellariæ, ac reservationibus Apostolicis, præsertim Regulæ octavæ, seu nonæ mensium, ut supra, exinde resultat dictas Apostolicas provisiones esse compatibiles cum jurepatronatus, & consequenter huic non præjudicare, neque firmare statum liberum, tunc inducendum, quando constat de voluntate providendi tanquam de libero, non obstante jurepatronatus, cujus scientia per Papam haberetur.

Et quoad alterum objectum, Non negando conclusionem super necessitate concursus, dicebam tamen duplicem limitationem intrare, Unam, quod ille requiritur in ipsis parochialibus, quibus actu, & habitu omnimoda, & totalis cura incumbit, itaut agatur de providenda Ecclesia parochiali sponso, seu Rectore, quo viduata sit, secus autem ubi de providendo Vicario ad solum exercitium curæ deputato, ut in Reatina Vicariæ 10. Maii, & 28. Junii 1647. Cerro *decis.* 48. & 104. *p.* 10. *recent.* in Barochionen. Vicariæ, seu parochialis coram Corrado *dec.* 330. *p.* 9. & frequenter in sua materia *sub tit. de Paroch.* cum isto casu provideri debeat Vicarius ad nominationem ejus, cui cura habitualis incumbit; Et secundò quia dicta Conciliaris dispositio intelligitur de illis beneficiis, quæ sunt principaliter curata, secùs autem, ubi sunt Dignitates, vel Canonicatus, quibus accessoriè cura annexa esset *dec.* 150. *num.* 20. post Vivian. Gerunden. Cappellaniæ 27. Januarii 1645. Bichio *dec.* 326. *part.* 9. *rec.* & habetur in hujus causæ decisionibus coram Priolo, præsertim *prima* 22. *Martii* 1656. *impress. in rec. decis.* 152. *p.* 12. *num.* 54.

Insistebant etiam satis in attentatis, quod scilicet Regula de annali, quæ ex hac parte opponebatur dicto proviso Apostolico, & de qua Regula habetur in sua materia *sub titul. de Beneficiis*, obstaret etiam dicto Bonaventuræ; Sive quod ob pendentiam litis cum altero prius præsentanto, non potuisset citra vitium attentatorum ad hanc novam præsentationem deveniri, sed de facili removebantur objecta, Tum ex eo quod nulla aderat lis, quæ non inducitur quoad collitigantem per solam commissionem causæ, & impetrationem citationis cum inhibitione nisi sequatur ejus legitima exequutio, Tum etiam quia lis reputata fuit merè calumniosa, ut firmatur in prima decisione 26. Novembris 1655. coram Dunozetto, *inter suas dec.* 971. *n.* 3. *cum seq. & num* 9. circa punctum denegandi subrogationem, & consequenter non apta inducere tale impedimentum, cum hujusmodi lis habeatur, ac si non esset, ideòque ubi etiam Episcopus veniret ad causam, nulla videbatur subesse dubitandi occasio.

BONONIEN. JURISPATRONATUS SEU HOSPITALIS,

PRO ACHILLE ALBERGATO, CUM JOANNE ANTONIO PETRAMELARIO.

Casus decisus per Rotam pro Achille.

De eadem materia universitatis seu Communitatis ecclesiasticæ, vel piæ non cadentis sub rigorosa forma inducta per Concil. Trid. in personis potentibus: Et quando in solis terminis juris communis ex antiqua etiam centenaria possessione non dicatur constare de jurepatronatus ex fundatione vel dotatione, sed quod sit potius ex consuetudine, faciendi nominationem consultivam & gratam.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Decisio causæ.*
3 *Universitates privatæ, vel Ecclesiasticæ non dicuntur personæ potentes.*
4 *Jurispatronatus provatorum ex fundatione, & dotatione probatur per centenariam.*
5 *Ablativus absolutus importat conditionem, ac requirit probationem exactam.*
6 *Dicto dumtaxat est præcisa & taxativa.*
7 *Probatio resultans à centenaria, ut num.* 4. *est præsumptiva, & excluditur per contrarias præsumptiones.*
8 *Omnis præsumptio legis admittit dictam contrariam probationem, dantur similia.*
9 *Tollitur dicta præsumptio ex contraria præsumptione resultante ab inverisimilitudine fundationis.*
10 *Nominationes consultivæ, & gratæ non tribuunt jus patronatus.*
11 *Defertur observantiæ post Concilium Tridentinum.*
12 *De conclusione, quod provisiones Apostolicæ non mutant statum, quomodo intelligatur, & quod aliud est mutare, aliud verò interpretari.*

D I S C. VIII.

1 IN Hospitali pauperum leprosorum S. Lazari extra menia Civitatis Bonon. antiquus usus præbuit, quod ipsi pauperes ibi degentes, Rectorem eligerent, seu nominarent continuato spatio ann. 200. & ultra, ab anno scil. 1359. usque ad an. 1562. ex quo tempore per sedem Apostolicam in commendam provideri consuevit usque ad an. 1605. in quo Jo: Antonius Petramelarius senior dictę commendæ possessor, ut eam in propria domo perpetuaret, curavit per ipsius Hospitalis pauperes jurispatronatus sibi donari obtenta de an. 1621. dictæ donationis approbatione & confirmatione à Greg. XV. in forma commissaria dicta Ordinario cum clausula *verificato prius, quod jurpatronatus ex fundatione, vel dotatione competeret.*

Sequuta verò dictæ commendæ seu administrationis vacatione sub Innoc. X. hic illam contulit Marchioni Achilli Albergato, Cumque exequutioni litterarum Apostolicarum desuper expeditarum se opponeret Jo: Antonius Petramelarius junior, tanquam patronatus hinc introducta causa in Rota coram Cerro, datoque dubio, constaret de dicto jurepatronatus sub die 13. Maii 1668. negativa prodiit
2 decisio, quæ habetur impressa *p.* 2. *rec. dec.* 341. cui dictus oppositor acquievit, neque causa ulteriorem progressum habuit.

In hac igitur disputatione; Scribentes pro dicto Jo: Antonio principaliter insistebant in eo, quod cum ista esset universitas potius privata, quàm publica; pauperum scil. leprosorum in eodem Hospitali existentium, eaque esset ecclesiastica, vel saltem pia ad præscriptum S. C. T. existens sub visitatione, jurisdictione, & correctione Ordinarii, idcircò non erat de illis universitatibus, quæ etiam sine jurisdictione, & quamvis parvæ dicuntur in hoc proposito personæ potentes, duplici respectu; Primò quia non est universitas publica loci, sed est privata; ita universitas nuncupata, tanquam constitutiva corporis universalis conflati ex pluribus particularibus, ut sunt confraternitates laicorum, & collegia DD. seu mercatorum, vel artificum, & Capitula Cathedralium, vel Collegiatarum, cum similibus, ut cæteris relatis habetur per Rot. *dec.* 290. *p.* 5. *rec. n.* 17. *cum seqq.* Add. ad Burat. *decis.* 551. *n.* 16. Et secundò, quia cum agatur de universitate ecclesiastica, vel pia subjecta visitationi, & jurisdictioni Ordinarii cessat illa mala præsumptio usurpationis, quam in personis potentibus idem Conc. induxit, *ut d. decis.* 590. *p.* 5. & *in aliis* per Add. ad Burat. *d. dec.* 651. & habetur *in Segobr. disc. præc.*

Hoc igitur posita, quod scil. Conc. Trid. nihil desuper innovasset, sed firma remaneret juris communis dispositio, dicebant satis constare de hoc jurepatronatus ex fundatione, vel dotatione, quamvis titulus explicitus non haberetur, ex implicito, seu præsumpto resultante à centenaria possessione, quæ ad hunc effectum sufficit, vel etiam 4
à quadragenaria cum fama juxtà *conf.* 234. Feder. de Senis *cum aliis in Neapol. disc. seq.* ac etiam *infra disc.* 57. ubi generaliter de hac probatione jurispatronatus privatorum ad formam juris communis, ideòque, cum ut suprà constaret de continuatis præsentationibus spatio annorum 200. ita dicebant exuberanter satisfactum esse dictæ clausulæ contentæ in confirmatione Apostolica.

His tamen non obstantibus, scribens pro Achille proviso Apostolico (etiam cum sensu veritatis) dicebam de hujusmodi clausulæ verificatione non constare, sed potius de oppositio, ideòque resolutio justa benèque fundata visa est; Non quidem negando dictum assumptum, quod hæc universitas non caderet sub decreto Conciliari, sed regulanda esset ad limites juris communis, quod tanquam certum admittebam, ut etiam Rota admisit, sed quia non aderat dicta probatio fundationis vel dotationis, que utpotè posita in litteris Apostolicis dictæ confirmationis per ablativum absolutum redolentem formalem conditionem, exigit præcisam, & concludentem justificationem ex de- 5
ductis apud Burat. *dec.* 178. *n.* 1. Duran. *dec.* 87. *n.* 18. & *seqq. d.* 569. *n.* 29. & *seq. p.* 5. *rec.* & firmatur in causæ decisione.

Ista verò probatio non aderat, sed potius excluśa remanebat per quasdam litteras Clementis Septimi de anno 1526. in quibus enunciatur hoc jusparonatus ex 6
consuetudine dumtaxat, quæ dictio utpotè taxativa, omnem alium titulum excludit, ex collectis *in hac eadem decis.* 341. *part.* 12. *recent. n.* 9. *ubi concordantes.*

Prætereà quamvis vera esset dicta propositio, quod in probatione ordinaria jurispatronatus non cadentis sub rigorosa forma Concilii Tridentini, sufficit centenaria quæ æquippollet titulo explicito; Attamen hæc est juris præsumptio, sufficiens quidem ubi non constat de contrario, sed absque dubio elidibilis per contrariam prō- 7
bationem expressam, vel etiam præsumptam ex fortioribus præsumptionibus resultantem, ut admittitur apud Buratt. *decis.* 172. *num.* 2. & *decis.* 875. *nu.* 7. *decis.* 197. *nu. fin. part.* 5. *rec.* & firmatur per Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 7. *nu.* 31. *cum seqq.*

Quod habemus in jure receptum in omni probatione, quæ resultat à juris præsumptione, quoties non dispositur istam esse debere juris & de jure, cum semper præsumptio cedat contrariæ veritati, ut frequenter in foro habe- 8
mus in materia beneplaciti Apostolici præsumpti, vel præsumptivæ probationis alterius extrinsecæ solemnitatis resultantis ab observantia longissimi temporis, quod cessat ex contraria probatione, quamvis præsumptiva, resultante ab inverisimilitudine, quod scilicet actus sit talis, ut attento stylo Datariæ, Papa non esset approbaturus, ut in sua materia *sub titulo de alienationibus, & contractibus*, ac alibi pluries; Et habemus etiam in materia illius præsumptæ solutionis, quam in plerisque partibus Statutum induxit ex aliquo diuturno silentio (& quam statutariam præscriptionem vulgò dicimus) quod cessat etiam ex contrariis præsumptionibus, illa præsertim inverisimilitudinis, cum similibus.

Clara vero in præsenti videbatur inverisimilitudo, imò certa contraria probatio, quoniam nedum improbabile, sed impossibile est ut pauperes leprosi eleemosynaliter vi- 9
ventes

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

ventes in Hoſpitali, potuerint de proprio illud fundare vel dotare cum redditu valdè notabili, ut in ſimilibus imo fortioribus terminis habetur apud Creſcent. *dec.1. de jurepatronatus dec.28. n.1.* poſt Vivian. *dec.321. part.9. recent.* cum *aliis in deciſione*.

Ideòque dicebam dictam obſervantiam potiùs referendam eſſe cuidam conſultivæ & gratiæ nominationi, quam Superiores antiquitùs à ſubditis ſeu gubernandi exigere ſolebant, ut eis gratus Rector vel adminiſtrator daretur, ac præſertim practicabatur in proviſionibus Eccleſiarum parochialium, quod libenter recipiebatur nominatio ip-
10 ſorum parochianorum & populi, ſed id non tribuit juſpatronatus juxta *conſ.45.* Geminiani *communiter receptum* Ferrer. *conſ.33. num.4.* Gonzal. *ad regul.8. gloſ.18. num.90.* Cavaler. *deciſ.419. num.1. deciſ.197. num.11. part.9. recent. & in aliis*.

Comprobantur hæc evidenter ex ſubſequuta obſervantia, quoniam cum Concilium Tridentinum pro hujuſmodi patronatuum, vel conſuetudinum abolitione, vel reviſione Ordinarios monuiſſet, exinde ſequutum eſt, quod poſt ejuſdem Concilii publicationem de anno 1564. Hoſpitale non conſuevit provideri ad dictorum pauperum præ-
11 ſentationem tanquam de jurepatronatus, ſed dari in commendam per Sedem Apoſtolicam tanquam liberum; Quamvis enim ſcribentes in contrarium, cum ſolito juriſtarum nauſeativo ſtylo, nimium ſe diffunderent cum copioſis allegationibus ad probandam veram & quotidianam abſque auctoritatibus præſupponendam concluſionem, quod Apoſtolicæ proviſiones non mutant ſtatum, neque tollunt jus tertiò jam quæſitum, niſi conſtet, quod Pa-
12 pa ſciens id voluerit, quod in dubio non præſumitur, potiſſimè quia inter tempus ultimæ vacationis per obitum proviſi ad præſentationem, ſeu nominationem pauperum de anno 1562. & tempus ſuperventi tituli patronalis in poſſeſſore ex dicta donatione ſibi facta de anno 1605. modicum ſpatium accedebat, non aptum ad præſcribendum ſtatum jam firmatum; Dicebam tamen id extraneum eſſe à caſu, inanemque continere laborem, quoniam dicta obſervantia non ponderabatur tanquam deſtructiva ſeu formiter præſcriptiva juris quæſiti, vel ſtatus legitimè impreſſi, ſed tanquam interpretativa dictæ veritatis, quod ſcil. iſtud eſſet jus præſentandi ex ſola conſuetudine initium habente à dicto bono fine dandi ſuperiorem gratum, & benevolum, quodque caderet ſub decreto Concilii, dum poſt ejus publicationem id amplius practicatum non erat; Ideoque inculcabam, quod frequenter dicendi mea eſt conſuetudo, vim ſcribentium non eſſe in cumulandis concluſionibus, vel allegationibus, ſed in earum congrua applicatione ad caſum.

NEAPOLITANA BENEFICII, SEU JURISPATRONATUS, PRO JULIA BRANCACCIA ET CONSORTIBUS, CUM JOANNE BAPTISTA PICCIRILLO.

Caſus deciſus per Rotam pro Julia, & aliis.

De probatione juriſpatronatus privatorum ex fundatione & dotatione, quando adeſſe dicatur, Et quando patrono obſtet ultimus ſtatus de libero.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries cum deciſionibus cauſæ.*
2 *Attenditur ultimus ſtatus de libero* ad text. in c. conſultationibus.
3. *Conſenſus præſtitus proviſioni Apoſtolicæ æquipollet præſentationi, & n.11.*
4 *Ut intret concluſio de qua n.2. requiritur bona fides.*
5 *Declaratur dicta concluſio* ex cap. conſultationibus, *quando procedat.*
6 *In privatis Concilium Tridentinum nil innovavit.*
7 *Quæ regula tenenda ſit in probatione juriſpatronatus privatorum.*
8 *Quomodo probetur effectuatio præſentationum.*
9 *Centenaria poſſeſſio cauſat probationem ex fundatione & dotatione.*
10 *Quadragenario cum fama & adminiculis idem operatur.*
11 *Proviſiones Apoſtolicæ non alterant, & ſi exigitur conſenſus, potius comprobant.*
12 *Denominatio Eccleſiæ facit adminiculum.*
13 *Inſignia in Eccleſia.*
14 *Liber in quo ſunt deſcripta beneficia diœceſis.*
15 *Quod nunquam fuerit proviſum tanquam liberum.*
16 *Fama publica.*
17 *De ſententia Ordinarii, vel enunciativis.*
18 *Quod pro adminiculo attendatur potentia Ordinarii.*

D I S C. IX.

Orta lite de anno 1619. inter præſentatum à patronis laicis ad vacans beneficium S. Angeli de Cicinis aliàs de Pennino, & proviſum ab Ordinario de eodem tanquam libero, introductaque cauſa in Rota *coram Buratto*, prodiit reſolutio canonizatoria juriſpatronatus, quodque propterea inſtituendus eſſet præſentatus à patronis, ut patet ex *deciſ.552.* inter illas Buratti, Verùm cedente vel decedente præſentato, proviſus ab Ordinario, de conſenſu patronorum obtinuit novam proviſionem Apoſtolicam; Contingente autem per obitum dicti proviſi vacatione de anno 1643. cum Julia Brancaccia & Antonius Monacus patroni præſentaſſent Joannem Baptiſtam Tortorellam coram Ordinario, hic lata ſententia ſuper non competentia juriſpatronatus, beneficium contulit tanquam liberum Joanni Baptiſtæ Piccirillo; Quare introducta cauſa in Rota *coram Ghiſlerio*, circa meæ profeſſionis initia, iſtaque exiſtente de primis cauſis in Rota diſputatis, *ſub die prima Julii 1648.* prodiit reſolutio conformis dictæ præcedenti deciſioni 552. Buratti, eaque poſt aliquod ſilentium confirmata fuit *ſub die 11. Februarii 1664. coram Albergato ſubrogato*, incertuſque remanet cauſæ exitus, quem puto per concordiam, dum amplius de illa actum non audivi. 1

In his autem diſputationibus *coram Ghiſlerio & Albergato*, duo erant puncti; Primus ſcilicet circa ipſius juriſpatronatus probationem, Et ſecundus, ea poſita, ſuper ultimo ſtatu tanquam de libero, ſuper quo magis inſiſtebatur per ſcribentes pro poſſeſſore proviſo per Ordinarium ad illam proviſionem ſubſtinendam, juxta diſpoſitionem ac terminos textus *in cap. conſultationibus de jurepatronatus*, parum curando, quod juſpatronatus pro futuris vacationibus canonizaretur.

Ideoque quatenus pertinet ad hunc ſecundum punctum, in quo magis inſiſtebatur, dicebant, quod cum controverſa vacatio contigiſſet per obitum proviſi ab Ordinario tanquam de libero, ita Ordinarius conſtitutus erat in iſta quaſi poſſeſſione; neque juriſpatronatus canonizatio cauſare poterat infectionem proviſionis jam ſequutæ, ſed benè jus præſentandi in futurum; juxta dictos termi- 2
nos textus *in cap. conſultationibus cum ibi communiter notatis*, de quibus apud Otthob. *deciſ.125. num.14. & 263. num.5.* apud Dunozett. *deciſ.861. deciſ.191. num.2. part. 5. rec. dec.435. in fine part.2. Gerunden. beneficii 1. Julii 1664.* Ghiſlerio, quæ videtur in materia magiſtralis, *in Faventina parochialis 4. Decembris 1666. coram Ninot*, edita in cauſa de qua *ſub tit. de parochis diſc.15. & infra diſc.11.*

Iſtius autem objecti facilis fuit ſolutio ex triplici reſponſione, quarum quælibet abundabat, multo magis eis ſimul junctis; Primò ſcilicet ex ſolo facto, quod proviſio Ordinarii, ex qua iſta quaſi poſſeſſio deducebatur, effectum ſortita non erat, dum proviſus, agnita ex Rotali reſolutione *coram Buratto*, ſuæ proviſionis inſubſiſtentia, curaverat cedente vel decedente præſentato obtinere novam proviſionem Apoſtolicam de patronorum conſenſu, quem receptum eſt præſentationi æquivalere, ejuſque vim 3
habere, ut advertitur infra occaſione agendi de proviſione Apoſtolica anni 1569.

Secundò quia ut patet ex eiſdem mox allegatis deciſionibus, ad hunc effectum requiritur in Ordinario bona fi- 4
des, quæ in præſenti ceſſabat ob dictam contrariam reſolutionem Rotalem; Et tertiò, quia, ut particulariter habetur infra *in Capuana Abbatiæ diſc.36.* rigor dictæ regulæ de ſumptæ *ex c. conſultationibus* procedit, quando proviſio tanquam de libero ſive ad præſentationem exiſtentium in quaſi poſſeſſione præſentandi ſuum pacificum effectum 5
jam ſortita eſt, unde ſub prætextu pertinentiæ patronalis prætendatur expellere dictum proviſum poſſeſſorem, qui pacificè ac in ſtatu bonæ fidei proviſum fuit cum jam ſubſequuto

quuto effectu; Secus autem ubi res eſt in fieri, ac proviſio facta eſt poſt præſentationem, ac pendente lite, an præſentatus eſſet inſtituendus necnè, ut in hujus cauſæ deciſionibus firmatur, ac videtur principium abſolutum, cum hæc dicatur poſſeſſio potius intruſiva & attentata, quæ in propoſito ſuffragari non debet.

Quo verò ad punctum principalem ſuper juſpatronatus juſtificatione; Iidem ſcribentes in contrarium non negabant concluſionem, quæ hodie controverſiam amplius
6 non admittit, quod ſcilicet ubi non agitur de perſonis potentibus, ſed privatis, Concilium Tridentinum nihil in notavit, ſed intacta remanet diſpoſitio juris communis.

Iſta verò attenta, non de facili certa & determinata regula generalis tradi poteſt, ſed tanquam in quæſtione po-
7 tius facti quam juris, deciſio reſultat à ſingulorum caſuum particulari qualitate ac circumſtantiis, ex quibus, ad inſtar eorum quæ in materia ultimarum voluntatum, aliarum conjecturalium probationum habemus, nunc uno, & nunc altero modo judicandum eſt, eademque adminicula in uno caſu admittenda veniunt, in altero autem illa & majora debent rejici; Atque in hoc verſatur quotidianus pragmaticorum error, inveniunt enim deciſionem unum adminiculum canonizantem, vel reprobantem, ergo dicunt idem judicandum eſſe in omni caſu; Stant enim benè ſimul quod unum adminiculum in uno caſu ſit nimis relevans imò concludens, in altero autem nihil valeat; Ut præſertim habemus de illo vehementiſſimo & concludenti reſultante à centenaria poſſeſſione, cujus vigore quicumque titulus de mundo melior allegari poteſt, & tamen, ut patet ex caſu, de quo *diſc. præced.* etiam duplicata centenaria, ex contraria veriſimilitudine hujuſmodi poſſeſſionem ad diverſum titulum referente non ſufficit.

Ita pariter inſignia in Eccleſiis depicta, vel inſculpta ſunt magnum fundationis vel dotationis argumentum, ut infra, & tamen referri poſſunt ad aliquod beneficium, ſive ad protectionem cum ſimilibus; Ideoque ut dictum eſt, in ſingulis caſibus, adminicula attendenda ſunt pro facti qualitate, & cum conſueta regula in conjecturalibus ſeu præſumptivis & adminiculativis probationibus principaliter attendenda, *ut ſingula, quæ non proſunt &c.* juxta provinciarum, vel regionum mores, & uſus, perſonarum qualitates, antiquas traditiones, ac populi opiniones, & Ordinarii ſeu Prælati qualitatem, &c.

Deſcendendo autem ad ſpeciem; Plura concurrebant ad hujus juriſpatronatus privati exuberantem probationem; Primò ſcilicet centenaria benè probata cum quinque præſentationibus ab anno 1513. uſque ad annum 1619. quæ omnes probabantur effectuatæ, juxta illum effectua-
8 tionis modum, quem paſſim receptum habemus juxta *vulgare conſ.229.* Oldradi, quod ſcilicet unus per obitum alterius præſentati ſucceſſivo ordine proviſus fuerit; Habens enim centenariam, habere dicitur titulum de
9 mundo meliorem, ideoque exinde reſultat titulus fundationis & dotationis Feder. de Senis *conſ.234.* Abb. *in cap. querela num. 9. de electione, cum concordant.* per Gabriel. *conſ.198. num.5. lib.2.* Rot *deciſ.29. num.1. & ſeqq. parte 7. recent. dec.164. num.1. & ſeqq. part. 9.* & frequenter in præcedentibus, cum ſit concluſio recepta, quoties efficacior præſumptio in contrarium non obſtet, juxta caſum de quo *diſc. præced.*

Et nihilominus ſtantibus aliis adminiculis de quibus infra, junctis cum fama, etiam ſola quadragenaria eumdem operatur effectum, eamdemque producit probationem Caſſador. *deciſ.2. de probat. num.4.* Achill. *dec.6. de jurepa-*
10 *tronatus*, Seraph. *deciſ.1141. num.6. deciſ.164. num.8. part.9.* & in hujus cauſæ deciſionibus, præſertim *prima coram Buratto*.

Et quamvis adverſus centenariam deduceretur quædam Apoſtolica proviſio intermedia de anno 1569. attamen ultra quod, calculando à prima præſentatione poſt obitum dicti proviſi uſque ad annum 1619. adhuc aderat quadra-
11 genaria quæ ſufficit ut ſupra; Omnis difficultas ceſſabat, quoniam erat proviſio ex cauſa reſignationis ad favorem, per quam ubi etiam nullus patronorum conſenſus requiſitus eſſet, receptum eſt, beneficii ſtatum non alterari, ut pluries in præcedentibus; Multoque magis, quia dicta proviſio facta erat ſub reſervatione conſenſus patronorum, vel ſaltem medietatis, cum derogatione alterius medietatis, dictuſque conſenſus acceſſerat, unde tantum abeſt, quod exinde præjudicium vel interruptio ſequatur, quod potius hujuſmodi actus corroborat jus patronorum, illud que confirmat, ſive ponderari ſolet pro uno ex adminiculis, Seraph. *deciſ.1334. numer.2. & 3.* Buratt. *deciſ.172 numer.10. deciſ.63. n.3. p.10. recentior.* & in cauſæ deciſionibus.

Secundum adminiculum reſultat à denominatione Ecclesiæ ſub nomine illorum *de Cicinnis* antiquorum patronorum, à quibus juſtificabatur iſtos præſentantes deſcendere & cauſam habere, ut ponderatur apud Buratt. *dec.111. n.10. & 919. n.3.* & in cauſæ deciſionibus. 12

Tertium ab inſigniis dictæ familiæ *de Cicinis* ſculptis in marmore, ac affixis in ejuſdem Eccleſiæ parietibus, ut advertitur apud Seraph. *dec.1141. num.10.* Coccin. *dec.230. num.1. dec.172. nu.5. part.5. rec. cum aliis* per Buratt. & Adden. *dec.323. n.17. & 919. n.4.* & advertitur etiam ſupra *in Præſtina diſcur.3.* 13

Quartum deducebatur ex quodam antiquo codice ſeu regiſtro beneficiorum hujus Civitatis & diœceſis, in quo iſtud beneficium enunciatur de jurepatronatus prædictorum *de Cicinis*, ut advertitur apud Gregor. *deciſ.83. num.2 deciſ.13. numer.3. & deciſ.195. num.1. & 2. par. 1. recentior.* Lotther. *lib.2. quæſt.13. n.150. cum ſeqq.* 14

Quintum ex eo quod nulla dabatur probatio, vel ſaltem vehemens fumus, quod iſtud beneficium fuerit unquam, cum ſubſequuto effectu, proviſum tanquam liberum, ut in ſpecie advertitur apud Burat. *d. dec.919. n.7.* 15

Sextum ex fama publica benè probata, cui nimium deferendum videtur, ut in hujus cauſæ deciſionibus probatur; Et demum ultra alia leviora concurrentia, accedebat ſententia Ordinarii lata de anno 1552. hujus juriſpatronatus canonizatoria; Hujuſmodi Ordinariorum ſententiis vel enunciativis, aliiſque actibus nimium deferendum videtur, ob veriſimilitudinem eis aſſiſtentem, cum locorum Ordinarii nimium invigilare ſoleant ſuper libertate beneficiorum, ut advertitur, cæteris relatis, *plenè deciſ.168. numer.12. & 16. part.10. recentior.* Iſtamque præſumptionem fortiùs procedere obſervabam, ubi agitur de beneficiis ſimplicibus non reſidentialibus alicujus notabilis redditus, cum de illis provideri poſſint conjuncti vel familiares, ideoque magis ſuper eis inſiſti ac invigilari ſolet, quàm ſuper reſidentialibus ac ſervitoriis, præſertim verò in parochialibus, in quibus Ordinariorum arbitrium refrænatum eſt, atque inducta quædam ſpecies neceſſariæ proviſionalis ad inſtar patronalis, dum eorum facultas reſtricta eſt inter illos, qui per examinatores habiles, ac idonei denuncientur. 16

Super hoc autem adminiculo; Scribentes in contrarium nimium ſe diffundebant ad probandum, quod Ordinariorum ſententiis vel enunciativis nullatenus deferendum eſt, niſi ex actis juſtificetur illas audito promotore fiſcali, aliiſque ſervatis de jure ſervandis latas eſſe, quoniam cum non 17
poſſit Ordinarius explicitè Eccleſiam liberam facere ſervam, illamque alteri concedere in patronatum; ut habetur *in Roſſanen. diſc.13.* idcircò concedendum non eſt per indirectum id quod eſt directè prohibitum, ex deductis per Lotther. *d. lib.2. quæſt.13. num. fin.*, Cavaler. *deciſ.362. in fine, deciſ.413. num.1. & 482. num.5. part.1 recent. & frequenter*.

Verùm difficultas tollebatur ex ſolo facto, dum exhibebatur etiam proceſſus dictæ ſententiæ juſtificativus, atque ubi non haberetur, abſque neceſſitate aſſumendi altiorem inſpectionem ſuper concluſione de ſententia antiqua probante etiam ſine actis, dum ob tot limitationes 18
vel declarationes plures pati ſolet difficultates; Admittendo etiam dictam concluſionem in objectum deductam, tanquam veram, advertebam quod, Aliud eſt conſiderare ſententiam Ordinarii pro fundamento principali, adeout ex illa deducatur ſtatus beneficii ita firmatus; Aliud verò illam conſiderare tanquam unum ex adminiculis; Ad primum enim effectum, admittebam dictam concluſionem rectè intrare ex ſupra inſinuata ratione ſecus autem ad alterum, atque ita diſtinguendo rectè conciliantur omnes auctoritates ac deciſiones, quæ deſuper habentur.

Prædictis quoque adminiculis, ac aliis, quæ ponderantur in cauſæ deciſionibus, addebam ego alterum apud me nimis efficax & conſiderabile, quod ageretur de patronis, nobilibus quidem qualificatæ nobilitatis, ſeu privatæ fortunæ, nimiumque compoſiti ſtatus ſeu modi vivendi; E' converſo autem ageretur de Ordinario magnæ potentiæ; Licèt enim in rigoroſa forma inducta per Concilium Tridentinum, in jurepatronatus potentium receptum ſit non curari majorem potentiam Ordina-

gii, attamen ubi non versamur in eo casu, negari non potest magnum exinde adminiculum resultare, ut etiam occasione juris patronatus potentium advertitur supra *disc.* 3. & 4. Ideòque ex his omnibus, ista probatio remanere videbatur nimium concludens, & clara.

ADNOT. AD DISC. X.

DE probatione Juris patronatus privatorum videnda sunt deducta *hoc cod. tit. disc.* 57. *per tot. & in adnot. ad S. C. T. disc.* 11. Et ad materiam ultimi status, & cap. Consultationibus habetur pariter *hoc titul.* 11. 36. & 62. & *in discurs.* 85.

Decisio prodita *in hoc discurs. est impress. part.* 14. *rec. dec.* 136.

LUCANA PRIORATUS PRO DOMINICO DE DOMINICIS CUM IOSEPHO ARNOLPHINO.

Casus variè per Rotam decisus.

An & quando jus patronatus laicale competens ex privilegio oneroso, puta concesso ob augmentum dotis, dicatur competere ex gratia, itaut subjaceat Apostolicis reservationibus, & Regulis Cancellariæ, Vel potius ex justitia, itaut hujusmodi subjectionem non habeat; Et quid veniat sub nomine fructuum, Et quales sint distributiones non computandæ in valore ad hunc, vel alios effectus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Juris patronatus concessum ex causa onerosa non præponderanti; dicitur ex gratia & subjacet reservationibus.*
4 *Secus è converso; ubi causa onerosa præponderat.*
5 *Etiamsi privilegium dicatur censeri verè ex fundatione, & dotatione.*
6 *De differentia, ubi Papa loquitur privilegiativè per fictionem, & ubi loquitur assertivè per veritatem.*
7 *Distributiones quotidianæ non veniunt in fructu, seu palore.*
8 *Distinguuntur plures casus, seu effectus ad quos agitur de hac inspectione, an distributiones veniant in fructu.*
9 *Quando Ecclesia libera concedatur in patronatum ob dotis augmentum.*
10 *Idem de unione beneficiorum.*
11 *Quæ sit ratio ob quam paupertatem Ecclesiæ conceditur in patronatum.*
12 *Quando distributiones, ad hunc effectum haberi debeant pro fructibus.*
13 *Quod jus honorificum, vel juris dictionale sit etiam considerabile.*
14 *Per illud enim cessat ratio, de qua n.* 11.
15 *Jura & emolumenta parochialia non sunt incerta.*
16 *Quæ propriè dicantur emolumenta incerta.*
17 *Etiam incerta, quandoque habentur pro certis.*
18 *De congrua debita exercenti curam animarum annexam Ecclesiæ.*
19 *Ex valore non detrahuntur onera voluntaria, quæ beneficiatus patitur ob ejus commoditatem, vel honorificentiam.*
20 *Distinguitur, quando procedat propositio, quod distributiones non veniunt in valore, & sub nomine fructuum.*
21 *De alio casu juris patronatus ex privilegio ob augmentum dotis cadentis sub reservationibus.*

DISC. X.

PArochialem Ecclesiam loci Camajoris, *Leo Decimus* in Collegiatam erexit, distribuendo ejusdem Ecclesiæ
1 redditus, & proventus inter Canonicos noviter erectos, & Priorem, qui illius principalis Dignitas esset, & cui incumberet etiam cura quæ prius penes parochum existebat, decernendo Priori (præsenti tamen & infervienti) quamdam majorem participationem stariorum 20. frumenti, omnes autem reliqui redditus, proventus, & emolumenta repartiri deberent ad formam distributionum quotidianarum, per punctaturas inter solos interessentes ac infervientes; Dictaque erectione sequuta. N. de Orsuciis, prævia narrativa nimiæ exiguitatis fructuum dicti Prioratus in præfatis 20. stariis frumenti, valorem sex ducatorum auri Cameræ constituentibus, obtinuit ab eodem *Leone* sibi concedi jus patronatus, ob augmentum dotis in totidem sex ducatis; quod privilegium confirmatum & exequutum fuit sub *Paulo III.*

Vacante autem dicto Prioratu per obitum possessoris de mense Augusti 1661. atque sequuta præsentatione per illos de Orsuciis in persona Josephi Arnolphini; Cum excitata esset quædam antiqua prætensio Communitatis dicti loci super jurepatronatus, & præsentandi Rectorem (cujus loco Præpositus successit,) ex causa fundationis, & dotationis, ut antiquæ traditiones, ac pleraque inditia suadere videbantur; Hinc præsentatus curavit causam suæ institutionis introducere *in Rota coram Albergato*, ut ita per Rotales decisiones, ad majorem firmitatem in futurum, tam ipsa institutio, quam fortius jus patronatus & præsentandi firmarentur, ipsoque tantum informante, citato solùm promotore fiscali, quem suppositum fuit se jactasse de beneficii libertate *sub die* 26. *Junii* 1662. prodiit resolutio pro institutione, canonizando jus patronatus, ac rejiciendo quamdam præsentationem factam per Communitatem in personam Michaelis de Orsuciis illam non curantis, neque se aliquo modo opponentis.

In hoc autem statu, ex parte Communitatis prædictæ convocatus fuit Advocatorum congressus, ad effectum habendi consilium pro veritate, an ejus prætensio aliquam haberet subsistentiam, ita ut deliberandum esset, an causa prosequenda, vel deferenda foret: In hoc autem congressu ego concludendo pro non jure Communitatis, nisi in facto meliores adducerentur probationes fundationis, vel dotationis, quibus cessantibus, stante dispositione Concilii collocantis Communitates inter personas potentes, ac stante inobservantia ferè duorum sæculorum, desperatum opus esse dicebam; Excitavi motivum, (quod pluries, ac pluries excitasse pœnituit, ob damnum, quod invitus intuli tam impetranti quàm Patronis,) quod scilicet ista dignitas, quę ob illum Pontificalium, & qualitatem proventuum, aliasque circumstantias, satis conspicua in regione reputatur, subjaceret reservationi contentæ in *Regula tertia seu quarta*, non obstante dicto jurepatronatus, quod tanquam concessum ex privilegio ob augmentum dotis longè infra dimidiam valoris seu fructuum, & sic ex mera gratia, cadebat, vel sub revocatione *Adriani VI.* vel sub reservationibus & Regulis Cancellariæ excitatus Dominicus,

Hinc enim qui in congressu intervenerat tanquam Causæ Patronus, dictum Prioratum principalem Dignitatem in Collegiata cadentem sub *Regula* 3. *seu* 4. impetravit, expeditoque Brevi de capienda possessione, ac præsentato in *Rota coram eodem Albergato*, ubi causa introducta reperiebatur, dato dubio, *an breve esset exequendum*, post multas propositiones, in quibus ob nimiam votorum discrepantiam capi non potuerat resolutio, ista prodiit affirmativa omnibus videntibus sub *die* 24. *Martii* 1664. sed concessa nova audientia, & reproposita sub *die* 20. *Junii sequentis*, videntibus solum quatuor correspondentibus, recessum fuit à 8
decisis; Reproposita verò sub dubio, *an esset standum in primo vel secundo loco decisis* post trinam propositionem sub *die* 26. *Martii* 1666. omnibus de ordine etiam Sanctissimi videntibus, resolutum fuit ad favorem provisi Apostolici super executione brevis, cum aliqua tamen votorum discrepantia, quę ansam dedit novæ audientiæ, unde bis reproposita causa sine resolutione, obiit provisus, Unde collitigans, renunciando præsentationi, obtinuit à Dataria subrogationem cum nova provisione tanquam de reservato cum onere etiam cujusdam pensionis.

In his igitur, satis quidem actibus disputationibus, cum tanta votorum scissura semper habitis; Pro Dominico provisо Apostolico scribens dicebam unicum ac brevem hujus causę punctum esse, an & qui redditus ac proventus ad effectum, de quo agebatur, venirent in computatione valoris; Recepta siquidem ac hodie plana est juris propositio, quod beneficia de jurepatronatus ex privilegio, concesso non ex mera gratia

gratia & concessione gratuita, sed ob augmentum dotis, & sic partim ex justitia & partim ex gratia, assumunt naturam partis pręponderantis, quod scilicet si augmentum
3 est inferius antiqua dote quam Ecclesia habebat, dicatur totum ex gratia ad effectum reservationum, ac subjectionis Regulis Cancellariæ (licèt secus sit quoad revocationem, seu revisionem mandatam à Concilio Tridentino loquente de privilegiis ex mera gratia.)

E' conversò autem, si augmentum superat antiquam dotem, vel saltem non est inferius, itaut adæquet medietatem, & tunc totum reputatur ex justitia, non cadens sub
4 reservationibus; Quinimò, etiam in casu æqualitatis habetur pro prępondęranti, cum data æqualitate, prævaleat illa pars, quæ prędervat dispositionem juris communis, juxta distinctionem magis ex professo firmatam *in Conzana jurispatronatus decis.* 58. & 88. *part.* 1. *recent.* quę decisiones sunt in materia magistrales, deindeque sæpiùs dictum fuit præsertim *decis.* 336. & 658. *p.* 4 *in Lucana beneficii* 3. *Junii* 1654. Bevilacqua, *Mediolanen. Cappellaniæ* 22. *Junii* 1657. & 28. *Junii* 1658. Celso inter suas *dec.* 239. & 273 & in aliis frequenter.

Idque procedit, quamvis in privilegio dicatur ut illud censendum sit, ac si verè, & non fictè esset patronus ex fundatione, & dotatione, quoniam si revera causa one-
5 rosa non est pręponderans, vel saltem coęqualis, ita ut totum pendeat ab amplitudine, seu prægnantia verborum, seu clausularum, id nihil operatur, quoniam etiam in ista materia intrat propositio in omnibus vera, & principaliter præoculis habenda, ut non cortex, & figura verborum, sed substantia veritatis attendi debeat; Atque ut benè dicere solebant antiqui beneficialistæ, quo magis ampliora sunt verba, eo majus est privilegium.

Tunc enim, ut benè distinguendo advertitur *in Bonon. Archipresbyteratus* 23. *Martii* 1648. *coram Corrado dec.* 168. *part.* 10. *recentior.* privilegiis, ac litteris Apostolicis in hac materia defertur, quando non privilegiativè, ac per viam
6 concessionis, sed assertivè, ac per viam attestationis dicatur, quod patronatus sit ex fundatione, & dotatione, cum tunc ista reputetur una ex probationibus cum aliis conjungenda ex deductis *dicta decisione* 168. Ideoque aliud est quando Papa assertivè loquitur de iis, quæ facti sunt, aliud verò, quando fingit ita censeri debere, id quod revera, & de facto non est tale, aut habetur etiam supra *discurs.* 2. Non negabatur hæc theorica per scribentes in contrarium, cum revera illa hodie sit incontrovertibilis, Verùm insistebatur in applicatione, quod scilicet augmentum dotis in annuis ducatis sex (quantum importabant 20. staria frumenti, quæ Priori assignata fuerant in prębendam) esset pręponderans, non habita ratione aliorum emolumentorum, cum illa essent incerta, & debita tanquam distributiones quotidianæ ratione ministerii, seu servitii personalis juxta *conf.* 118. Oldradi *num.* 1. Fælin. *in cap. ad aures num.* 14. *de ræscriptis*, Lambertin. *de jurepatronatus lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 5. *art.* 21. *num.* 10. Duran.
7 *decis.* 289. cum aliis *in tertia decisione* ad favorem præsentati ædita 20. *Junii* 1664. Ideòque tota causa seu disputatio restringebatur ad punctum, an reliqua emolumenta satis pinguia istius dignitatis, utpotè non debita ratione prębendæ, sed ratione interessentiæ, ac servitii personalis ad formam distributionum quotidianarum, dicenda essent incerta, & talia, quod computanda non essent in valore, vel è contrà.

In hoc autem, (reflectendo etiam ad veritatem,) manifestum æquivocum videbatur procedere cum terminis generalibus hujusmodi quæstionis, an scilicet, & quando distributiones quotidianæ habent necnè speciem fructuum;
8 Siquidem ad plures effectus de hujusmodi quæstione agi solet; Primò scilicet in ordine ad *Regulam de valore*, pro solutione annatæ aliosque effectus exindè resultantes de quibus pluries *sub titulo de Beneficiis*, *præsertim discurs.* 90. & si de materia potius odiosa, Et tunc rectè procedit regula, ut sub nomine fructuum non veniant distributiones, neque in valore computari debeant, atque in his terminis loquuntur plerique ex iis, qui allegabantur.

Secundò ad effectum pariter odibilem, pensionis super beneficio reservatæ cum narrativa certi valoris, an
9 scilicet sub isto veniant distributiones, & an super eis censeatur reservata pensio, atque isto pariter casu regula est negativa, ex ratione odibilitatis, & quia durum videtur, de illo emolumento, quod datur ratione servitii ac laboris personalis participet alter nullam in ser-
vitio, seu labore participationem habens, & in his terminis loquuntur pleræque auctoritates & decisiones præsertim *in Mediolanen. pensionis* 13. *Maji* 1664. & 20. *Maji* 1646. *coram Meltio, quæ in dicta tertia decisione* allegantur, cum aliis *disc.* 90. *sub tit. de benef.* & in sua materia *sub tit. de pension. plures.*

Tertius effectus est pariter odibilis, lucri, quod beneficiatus quamvis absens ex justa causa puta studiorum, vel in servitio Episcopi, aut simili de jure facere prætendit, & tunc intrat etiam regula negativa, quæ in isto, ac proximè præcedenti casu, secundum aliquos limitari solet, quando Canonicatus, vel Dignitas nullam haberet prębendam, sed omnia emolumenta consisterent in distributionibus massæ grossæ, quæ loco prębendæ reputantur, quod neque procedit, ubi vivitur per punctos, ut dicto *discurs.* 90. *sub tit. de benef. & pluries sub tit. de Canonicis.*

Quidquid autem sit de dicta regula ejusque limitationibus in præfatis casibus diversam rationem habentibus; Illa nullatenus cadebat in proposito, de quo agebatur, ad effectum scilicet metiendi dotem; Eatenus enim Ecclesiæ liberę per Papam rediguntur in servitutem laicorum eisque conceduntur in patronatum, quatenus ita depaupertatæ sint, quod ob emolumentorum tenuitatem non inveniant rectorem, seu infervientem, ita ut cultus deseratur, cum isto tantum casu augmentum dotis dicatur justa causa acquisitionis juris patronatus Rot. *dec.* 568. *par.* 4. *rec.* 930. *num.* 60. & *sequen. part.* 4. *tom.* 3. cum aliis per Adden. ad Buratt. *decision.* 931.

Quod etiam habemus in materia unionis beneficiorum, 10
prębendis Canonicalibus, vel Dignitatibus, ad effectum Regulæ revocatoriæ, ex deductis apud Otthob. *dec.* 261. & in aliis per Adden. ad Buratt. *dec.* 176. *par.* 4. *rec. tom.* 3. Mediolanen. *beneficii* 26. *Januarii* 1654. Celso inter suas *dec.* 575. & *sub tit. de beneficiis*; ubi pluries, præsertim *in Sorana disc.* 43. & in aliis.

Isto enim casu, spectatur causa, seu ratio, ob quam hujusmodi concessionis fieri solent, ne scilicet Ecclesia non habens congruam dotem pro substentatione rectoris, ita debito cultu, ac servitio destituta remaneat; Ideoque 11
ubi hæc ratio cessat, quia nempè sit benè provisa, ac libentissimè in casu vacationis plures habeat concurrentes ad illius provisionem, tunc nil refert, an proventus ac emolumenta sint sub nomine fructuum & prębendæ, vel sub nomine distributionum, quoniam vis non est in nuncupatione, seu in formalitate verborum, sed in substantia veritatis ac implemento finis, ob quem Ecclesiarum dos desideratur, ut docet praxis Canonicatuum Basilicarum Urbis, & Ecclesiarum Toletan. & Hyspalen. cum similibus, atque hic est punctus inevitabilis.

Fortius verò, ac ad evidentiam, ubi proventus ac emolumenta, ad formam distributionum quotidianarum ratione servitii percipi solita, non dependent ab anniversariis seu exequiis, aliisque incertis ac voluntariis populi 12
oblationibus (quo casu verè & propriè dicuntur quotidianæ ac incertæ distributiones ratione meri laboris, ac servitii personalis,) sed agitur de fructibus certis provenientibus à prædiis, aliisque bonis stabilibus Ecclesiæ, ut in presenti, dum in ipsamet erectione ista Ecclesia habebat in redditu certo ducatos 120. qui dempta dicta modica rata stariorum 20. frumenti, quæ precipua in signum cujusdam præminentiæ assignata fuit Priori, repartiti fuerint inter ipsum & Canonicos, ad formam tamen distributionum ratione servitii & per punctaturas, quod prudenter in plerisque etiam primariis Ecclesiis pro meliori earum cultu ordinatum fuit, ut præsertim habetur in dictis tribus Basilicis Patriarcalibus Urbis deductis apud Duran. *dec.* 285. & 411. *in Romana Beneficiatus S. Petri* 15. *Junii* 1657. *Bevilacqua impress. decis.* 260. *part.* 12. *recent.* & in aliis, ac etiam practicatur in dictis insignibus Ecclesiis Toletana, & Hyspalen. aliisque primariis; Hinc prorsus absonum est dicere, quod cum hujusmodi Ecclesiarum Canonicatus, licèt aliàs satis pingues, ac ditissimi nullos habeant fructus certos, licitum esset cum augmento dotis in duobus, vel tribus ducatis, acquirere illorum patronatum ex causa dotationis, vel augmenti prępondęrantis, & hic erat casus; Ideoque tot difficultates habitæ in ista causam, magnam mihi inferebant admirationem, cum ea non videretur tanta dote digna, dum punctus non erat in veritate, sed in applicatione conclusionum.

Dicebam ulteriùs, quod ubi etiam non habita ratione distributionum, attendendi essent solùm dicti fructus certi pertinentes ad Priorem, qui considerandus esset tanquam Dignitas seu unus de Collegio, itaut spectato solo interesse bursali augmentum esset coequale; Adhuc tamen non poterat dici tale, habita ratione juris honorifici ac præeminentiarum, dum agebatur de principali dignitate in Collegiata, cum usu insignium pontificalium, aliisque
13 prærogativis, ac jurisdictionibus, quæ habenda veniunt in consideratione, atque computanda in valore, ut apud Merlin. *decis.* 702. *aliàs decis.* 94. *part.* 7. *recent. num.* 58. *decis.* 336. *num.* 21. *part.* 10. *recent. Assisten. oblationum* 4. *Martii* 1652. *& 15. Januarii* 1653. Albergato quarum prima est *decis.* 222. *part.* 11. *recentior.* de qua causa *sub tit. de præeminentiis disc.* 11.

Intrat enim eadem consideratio cessantis rationis, ob quam inducatur Sedes Apostolica ad hujusmodi concessiones
14 faciendas, ne scilicet ob proventuum tenuitatem, non de facili reperiantur, qui Ecclesiæ rectoriam, ac administrationem suscipiant, seu quod suscipientes pro victu comparando cogantur Ecclesiæ cultum deserere, cum in hujusmodi honorificis, & qualificatis dignitatibus, etiam modicum redditum habentibus, non desint qui aliàs de proprio patrimonio, seu aliunde benè provisi illas anhelent, multò magis dum computatis distributionibus, beneficium satis pinguem dotem habebat, ut supra.

Item eidem Dignitati annexa erat cura animarum, quæ aliàs residebat penes Rectorem, cujus loco Bulla erectionis Priore succedere voluit, unde propterea re-
15 manebant emolumenta parochialia considerabilis valoris istum augentia, & quæ dici non possunt incerta, & eventualia, cum de necessitate parochiali contrahere debeant matrimonia, aliaque sacramenta suscipere; necnon mori, & funerari, ideoque perneccesse sequitur certitudo hujusmodi emolumentorum in genere, & quoad substantiam licèt quoad quantitatem essent incerta, & variabilia, ut advertitur *dicto titulo de beneficiis* ad materiam valoris *discurs.* 90.

Illa enim sunt emolumenta omninò incerta, & eventualia non computanda in valore, quæ pendent à mero arbitrio seu devotione & voluntate parochianorum, secus autem quæ sunt necessaria, ut advertitur per Lambertin. *de jurepatronatus lib.* 1. *quæst.* 5. *art.* 21. *nu.* 14. *vers. est tamen*, & habetur etiam *decis.* 230. *num.* 2. *cum seqq. part.* 6. *recent.* ubi de dictis voluntariis, de quibus etiam Barbos. *de Episcopo alleg.* 70. *num.* 11. *& dicto discurs.* 90. *de benef.*

Et nihilominus etiam incerta, & eventualia à populi devotione, ac libito resultantia, quoties ex longævo ex-
17 perimento sunt indefitientia, itaut de facili inveniant conductorem, adhuc dicuntur esse in dote aç valore certo, ut ex Ancheran. loquente de oblationibus, quæ fiunt in Ecclesia S. Antonii, advertunt Lott. & cæteri, de quibus Rota *in allegata Assisten. oblationum coram Albergato*, & in eadem causa *sub dicto titulo de præeminentiis discur.* 11.

Atque intrat clarum dilemma inevitabile, Aut hę emolumenta parochialia dicenda sunt certa, Aut incerta Primo casu veniunt in valore; Secundo autem non habentur in considerationibus, sed ultra ea debetur curato congrua, quæ in erectionibus, vel unionibus præservata censetur
18 *cap. si propter de præscript. & in cap. fin. §. porro de off. ord. in sexto*, Gratian. *discept.* 365. *nu.* 13. *& seq.* Lotter. *lib.* 2. *quæst.* 12. *numer.* 20. *decis.* 420. *num.* 7. *par.* 1. *recent.* 449. *num.* 3. *par.* 2. *decis.* 230. *num.* 8. *par.* 6. & pluries *sub tit. de Paroch.*

Replicabatur quod hæc emolumenta non percipiantur à Priore, utpotè assignata Vicario deputato ad exercitium curę animarum; Verum istud erat leve fundamentum, quoniam spectandum est in proposito tempus concessionis privilegii, quo attento, cura erat penes Priorem, qui deinde, ob majorem ejus honorificentiam, vel commoditatem, ex conventione cum Capitulo, voluit exerceri per Vicarium; Et sic de eo tempore Priora erat etiam cum his emolumentis provisa, quæ tractu temporis voluntariè neglecta fuerunt; Ut enim habetur *dicto disc.* 90.
19 *sub tit. de benefi.* ad materiam valoris non desumuntur de valore illa onera, quæ sunt voluntaria, & pro adjutorio seu minore labore beneficiati.

Adducebatur pro speciali auctoritate *decis.* 270. *p.* 2. *div.* quæ est eadem apud Cæs. de Graff. *dec.* 9. *de præb.* confirmatoria *decis.* 7. *ejusdem eod. tit.* in qua benè habetur, quod dicta conclusio derivata ex Oldr. *dicto cons.* 118. ut scilicet sub nomine fructuum non veniant, nisi certę prębendę assequendæ etiam per non inservientem, procedat in termi- 20
nis Regulę de valore, aliisque odiosis, ex exorbitantibus, vel penalibus; Verùm advertebam dictam decisionem potiùs retorqueri, atque huic parti assistere, cum in presenti ageretur ad effectum Ecclesiæ favorabilem, atque super omnia urgeret ratio provisionis Ecclesiæ, ob quàm cessat illud incoveniens, cujus ratione Ecclesia libera fieri solet serva, ut suprà, Quoties enim est congruè provisa, ita ut habeatur finis seu effectus, ad quem Ecclesiæ dos requiritur, parùm curandum est de modo; Atque hic pro meo judicio videbatur punctus inevitabilis, quoniam, Aliud est agere de valore, Aliud verò de dote, & an Ecclesia sit dotata & provisa, vel non provisa & indotata, ideoque ut dictum est, causa non videbatur tantæ difficultatis, ac variationis dote digna,

Adeòque autem hodie certum ac absolutum est, ut quo- 21
ties non concurit vera præponderantia, dicatur jurpatronatus ex gratia seu privilegio, ideoque subjaceat reservationibus Apostolicis, quod cum Venusii & Plumbini Princeps Nicolaus Ludovisius tanquam Comes Compsani sub *Innocentio X.* patruo ejus tertiæ uxoris, circa meæ professionis initia in Urbe, reassumere vellet causam super jurepatronatus Ecclesiæ Abbatialis Sanctæ Mariæ in Ilice, de qua *dicta decis.* 58. *& 88. p.* 1. *recent.* In congressibus desuper habitis, conclusum fuit subsistere quidem jurpatronatus ex privilegiis *Leonis X. & Pauli III.* non cadentibus sub revocatoris *Adriani VI. & Sac. Conc. Trid.* sed quia augmentum dotis non præponderabat, idcircò evitari non posset subjecto Apostolicarum reservationum, quatenus vacatio caderet sub eis.

ADNOT. AD DISC. X.

NOtatum est supra *ad discurs.* 2. in materia reservationum Apostolicarum; Prima autem, & ultima decisio *est impress. dec.* 492. *p.* 13. *& dec.* 449. *par.* 14. *rec.*

FAVENTINA PAROCHIALIS
PRO SEBASTIANO MIGNANO
CUM ANDREA GORIO.

Casus decisus per Rotam pro Sebastiano.

De concessione jurispatronatus facta per Episcopum ex causa augmenti dotis, an subsistat, & faciat patronum necnè; Et an ultimus longus status collativus tanquam de libero destruat patronalem qualitatem.

SUMMARIUM.

1 *DE facti serie remissivè.*
2 *Episcopus non potest concedere Ecclesiam in patronatum sine causa, & quæ sit.*
3 *Causa debet justificari aliundè, & non sufficit assertio.*
4 *Status liber beneficii cum libertate à jurepatronatus constituitur per longissimam observantiam, & quomodo.*
5 *Scientia juris alieni, ac mala fides resultat ab existentia scripturarum in proprio Archivio.*
6 *Ad præscribendum contrarium statum liberum requiritur bona fides.*
7 *Ad Regulam* text. in cap. consultationibus de jurepatronatus.
8 *Jura informia probant ex adminiculis, & observantia.*
9 *Declaratur concluso, de qua num.* 2. *&* 3.
10 *Quomodo in hac materia attendi debeat status contrarius ac etiam considerari defectus potestatis.*
11 *Et quæ regula teneri debeat circa conclusiones, quæ desuper circumferri solent.*
12 *De aliis disputationibus habitis in causa remissivè.*

DISC. XI.

RExenta facti serie, de qua in hac eadem causa *sub tit.* 1
de Parochis discurs. 15. ubi de concernentibus concursum

cursum adhibendum necnè in Ecclesiis de jurepatronatus, ac de possessorio, & an illi obstet sequestrum provisionale; Quatenus pertinet ad ipsam patronalem qualitatem probandam, vel respectivè excludendam; Cum prætensi patroni, ad quorum præsentationem Andreas provisus fuit, dictam qualitatem fundarent in quodam instrumento concessionis sibi factæ per Ordinarium ex causa reædificationis ac redotationis Ecclesiæ, cum quinque præsentationibus effectum fortitis ab anno 1480. usque ad annum 1529. à cujus ultimæ provisionis vacatione per Sedem Apostolicam, vel per Ordinarium provideri consuevit beneficium tanquam liberum; Hinc proinde ex parte Sebastiani provisi per Ordinarium, qui etiam sibi assistebat, tria deducebantur hoc jusпatronatus excludentia; Primò scilicet, quod instrumentum desuper exhibitum esset imperfectum, seu aliàs formam probantem non haberet; Secundò, posita concessionis veritate, impugnabant defectum potestatis Episcopi faciendi dictam concessionem, quoniam Episcopus Ecclesiam liberam facere non potest servam, eamque concedere in patronatum sine justa causa à jure probata, qualis non dicitur illa refectionis vel redotationis;
2 nisi constet de omnimoda destructione, vel depauperatione, cum aliàs dicatur solùm restaurator, vel benefactor, non autem dotans, vel fundator, qualis debet esse, ut efficiatur patronus, ex collectis per Barbos. *de Episcopo alleg.* 70. *num.* 11. Buratt. *decis.* 931. *num.* 8. *& sequen.* & in aliis de quibus *disc. sequen. &* in hujus causæ decisione in bono jure 4. *Junii* 1663. *coram Ninot*, & 2. *Decembris* 1622 *coram Bourlemont*.

Quodque dicta causa debeat justificari aliundè non autem per ipsius Episcopi concedentis assertionem in proposito non attendendam, quoniam prohibitus facere actum, prohibitus quoque est desuper confiteri, ne aliàs legi fraus fiat, atque, quod directè fieri non potest, ita indirectè ac illicitè sequatur; Ut ultra generalia, quæ habemus in foro quotidiana, in minoribus & mulieribus, ac aliis absque certa solemnitate & causa contrahere, seu alienare prohibitis; In his terminis concessionis, vel dismembrationis Ecclesiarum, cæteris relatis, habetur apud Otthobon. *decis.* 6. *num.* 13. *decis* 321. *num.* 31. *& seqq. par.* 9. *rec. decis.* 224. *par.* 10. *decis.* 320. *par.* 12. *& in dicta hujus causæ decisione* 4. *Junii* 1603. *coram Ninot*, ac habetur præsertim *in Bonon. dismembrationis parochialis sub tit. de parochis disc.* 35.

Et tertiò, quod in omnem eventum posita etiam dictæ concessionis validitate, adhuc tamen, stante ultimo contrario statu libero per tempus antiquissimum annorum 130.
4 circiter, ita dictum jusпatronatus præscriptum remaneret, cum reversione Ecclesiæ ad suum statum liberum; Vel saltem quod id sufficeret ad subsistendam præsentem collationem, juxtà terminos ac dispositionem textus *in cap. consultationibus de jurepatronatus*, de quibus, in specialibus terminis parochialium habetur *decis.* 435. *part.* 2. *rec. in Novarien. parochialis* 10. *Decembris* 1619. 1. *Julii* 1651. *& 16. Januarii* 1651. *coram Peutingerio*, quarum ultima est impres. *dec.* 106. *par.* 11. *rec. & in hujus causæ decis.* 2. *Decembris* 1662. *coram Bourlemont*, *& 4. Junii* 1663. *coram Ninot*.

E' conversò scribentes pro qualitate patronali, ac successivè pro subsistenda provisione facta ad præsentationem, probare conabantur perfectionem ac veritatem dicti instrumenti, respondendo singulis defectibus, qui ob quasdam interlineaturas, & vacua ex hac parte objiciebantur, unde propterea super singulis defectibus, vel respectivè responsionibus quæ illis dabantur, cum consueto improbo juristarum labore, chartæ cum copiosis allegationibus implebantur; Et quoad secundum objectum, reassumendo quasi per viam tractationis materiam aquisitionis jurispatronatus ex causa reædificationis vel redotaionis, super validitate vel invalidite concessionis, nimium certabatur hinc inde.

Magis verò super tertio puncto præscriptionis resultantis ab ultimo statu, dum scribentes in contrarium probare conabantur non adesse talem statutum, qui ad hujusmodi præscriptionem sufficeret, demendo scilicet plures provisiones Apostolicas ex causa resignationis vel permutationis, quas receptum est non alterare statum beneficii, non constito de animo Papæ id faciendi, ut præjudicaret patronis, atque Ecclesiam in statu libero constitueret; Et quoad collationes factas per Episcopum, ut dicebatur quod essent insufficientes, stante mala fide resultante ab existentia dic-
5 ti instrumenti concessionis, ac etiam plurium præsentationum effectum sortitarum in ipso Archivio Episcopali, de præsumpta scientia, ac mala fides resultat, juxta celebre *cons.* 96. *num.* 4. Geminiani, de quo Caputaq; *decis.* 24. *part.* 2. Cavaler. *decis.* 77. *num.* 7. *& decis.* 91. *num.* 10. Buratt. *decis.* 912. *num.* 9. *decis.* 324. *num.* 8. *part.* 12. *recent. & sæpius*, & habetur *in Romana imaginis sub tit. de paroch. disc.* 32.

Hodie si quidem ex dispositione juris canonici *in c. finali de præscript.* extra controversiam est, quemcumque lapsum temporis esse insufficientem ad præscriptionemubi accedat mala fides, ut ultra generalia plenè collecta *in decis.* 373. *n.* 9. *& seqq. par.* 9. *recent.* & in aliis frequenter, & in his specialibus terminis præscribendi statum liberum in destructionem contrarii status patronalis, ut istud bonæ fidei requisitum necessarium sit, cæteris relatis Garz *par.* 5. *cap.* 5. *num.* 140. *& seqq.* add. ad Buratt. *dec.* 139. & infra ad materiam præscriptionis.

Ad dictam verò regulam textus *in c. consultat. de jurepatr.* Respondebant cum jam firmatis *in Capuana Abbatiæ*, 7
de qua infra *disc.* 36. & alibi pluries, quod scilicet procedat, quando provisio tanquam delibero, in statu pacifico ac bonæ fidei sequuta esset, adeout ageretur de repellendo jam provisum ac possessorem per novam prætensionem patronalis qualitatis postmodum excitatam, secus autem ubi re integra & antequam ad provisionem procederetur, patronus se opposuisset, ac præsentationem coram ipsomet Ordinario fecisset, ut in præsenti supponebatur.

Scribens ego pro hac eadem parte provisii ab Ordinario tanquam de libero; Credebam quidem, (etiam in sensu veritatis,) justitiam illi assistere, per Rotam ut supra agnitam & canonizatam in dictis decisionibus in causa editis; Considerabam tamen, non benè ex parte insisti super dictis fundamentis, vel conclusionibus ita generaliter ac abstractè sumptis, super quibus potiùs ex altera parte benè dici videbatur. Quatenus enim pertinet ad validitatem seu formam probantem instrumenta, advertebam hanc inspectionem cadere quando illud exintegro absque aliqua effectuatione vel adminiculis exhiberetur, cum tunc principaliter insistatur in eo, an habeat necnè formam probantem ac publici instrumenti requisitam. Secùs autem dum concurrebat dictum adminiculum existentiæ in Arch vio ipsiusmet Curiæ Episcopalis atque cum dicto adminiculo concurrebat observantia reiterata per plures vices ad tempus notabile, dum docebatur de quinque præsentationibus effectum fortitis, continuato spatio annorum circiter 50. ab anno scilicet 1480. ad annum 1529. ia quo ultima provisio ad præsentationem sequuta fuit cum plurium sequentium annorum decursu ejus effectuationis usque ad obitum provisi; Stante propositione, quàm in foro quotidianam habemus, ut jura etiam informia vel alium defectum habentia probent, ac formam probantem obtineant ab observantia, & 8
adminiculis ex deductis apud Buratt. *& add. decis.* 10. *& deci.* 243. *num.* 6. Cavaler. *dec.* 232. *dec.* 640. *num.* 4. *dec.* 61. *par.* 12. *rec. & sæpius*.

Prout examinando singulas provisiones Apostolicas, vel respectivè ordinarias isto medio tempore sequutas, non de facili verificari poterant requisita in jure deliberata ad inducendam legitimam præscriptionem status patronalis jam legitimè impressi.

Et quod magis solidum hujus partis fundamentum, super defectu potestatis Episcopi faciendi hujusmodi concessiones sine justa causa à jure probata, & aliunde justificanda, non autem per ejusdem Episcopi assertionem. Adver- 9
tebam idem de quo supra circa ipsum instrumentum, quod scilicet id rectè procedit, quando ex integro iste titulus deduceretur, secus autem stante illius subsequuta observantia per annos 50. & ultra, cum tam in alienationibus bonorum Ecclesiæ (attento præsertim eo tempore, quo non intrabat obstaculum Constitutionis Urbani VIII.) quàm generaliter in aliarum gratiarum justificatione, receptum habeamus, ut longissima triennalis observantia pro justificationis præsumptione sufficiat.

Dicebam igitur, omnia præmissa ex hac parte deducta, non ita singulariter ac abstractè attendenda esse in rigorosis terminis invaliditatis ex defectu potestatis, vel prescriptionis nimium rarò verificabilis, ob dictum requisitum bonæ fidei, atque ob subductionem temporis pupillaris ætatis, vel ob restitutionem in integrum ex causa ignorantiæ, vel minoris ætatis seu alterius impedimenti, &c. sed omnia hæc, præsertim verò dictam contrariam longissimam observantiam, attendi debere in regulis ac terminis observantiæ interpretativæ, seu probativæ ejus quod de jure sequi tunc 10
debuit, ac probabile est sequutum esse.

Cum enim circa ea tempora, etiam apud Sedem Apostolicam, atque ad ejus imitationem apud Ordinarios, frequens inoleverit usus de facili concedendi Ecclesias liberas in jus-patronatus, etiam ex modica restauratione vel dotis augmento; Hinc proindè supervenit de anno 1485. *Constitutio V. Innocentii VIII.* hujusmodi concessionem revocatoria, quæ ob superventam nimiam liberalitatem successorum Pontificum præsertim Leonis X. neque sufficiebat, unde supervenit *Constit. 3. Adriani VI.* de anno 1522. ac successivè dispositio *Sac. Conc. Trid. sess. 24. c. 12. & seq. sess. 24. c. 18. & sess. 25. c. 9.* per quam injungitur Ordinariis revisio patronatuum cum eorum revocatione respectivè.

Hinc proindè, nimium probabile est, quod tam per dictas Constitutiones revocatorias, quàm per præfatam Conciliarem dispositionem, tunc temporis Ordinarius, istam concessionem revidendo, utpotè ex insufficienti causa factam, invalidam; atque sub dictis Constitutionibus cadentem declaraverit, restituendo Ecclesiam primævæ libertati, primævoque statui, cum subsequuta acquiescientia patronorum tam diuturno spatio, & quæ acquiescientia, seu observantia attendenda est tanquam probatio hujus verisimilis declarationis, seu revocationis; Potissimè verò ubi accedit centenaria, qua concurrente licita redditur allegatio cujuscumque tituli melioris absque necessitate probationis, cujus loco stat ipsa centenaria possessio, ut sæpiùs advertitur alibi præsertim *sub tit. de feudis disc. 3.* ac etiam *sub tit. de alienat. & contract.* Atque ita per hanc viam plana mihi videbatur hujus causæ justitia pro beneficii libertate ac patronalis qualitatis exclusione, absque necessitate assumendi cum inani labore altiores ac dubias quæstiones cum inani
11 repletione chartarum, cum vis non consistat in farragine conclusionum, & auctoritatum, sed in earum congrua adaptatione ad casum, advertendo magis ad factum ejusque circumstantias, quàm ad conclusiones juris in abstracto.

Plures autem aliæ in ista causa prodierunt resolutiones in possessorio, vel respectivè super appositione vel remo-
12 tione sequestri provisionalis, ex iis quæ habentur in hac eadem causa *sub tit. de paroch. d. disc. 15.*

ADNOT. AD DISC. XI.

Quod Episcopus non possit sine causa facere Ecclesiam liberam patronatam habetur etiam *supra disc. 3.* ac etiam *disc. seq. utrobique nu. 4.* prima decisio enunciata *coram Ninot. est inter ejus impress. decis. 46.* & altera est *decis. 514. part. 13. rec.*

ROSSANEN. CAPELLÆ, seu JURISPATRONATUS PRO ARCHIEPISCOPO CUM DUCE CORIOLANI.

Casus decisus ut infrà, & postea concordatus.

An Episcopus Ecclesiam liberam concedere possit in patronatum, Et ex qua fundatione vel dotatione jus patronatus acquiratur, & quomodo: Et incidenter de administratione eleemosynarum & oblationum Ecclesiæ vel Cappellæ patronatæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Decisiones causæ.*
3 *Concessio juris patronatus sub certis conditionibus his non adimpletis non suffragatur.*
4 *Episcopus non potest Ecclesiam liberam, & dotatam concedere in patronatum.*
5 *Augumentum dotis Ecclesiæ dotatæ non facit Patronatum sed benefactorem, & non sufficit ad jus patronatus, & quando sufficiat.*
6 *Aliud est Ecclesia, aliud sunt altaria, & capellæ in Ecclesia.*
7 *Patronus non potest se ingerere in administratione bonorum temporalium Ecclesiæ.*
8 *Sed dicitur interessatus, ut assistere possit defensioni, & bonæ administrationi ab aliis faciendæ.*
9 *Parochus habet pro se regulam in eleemosynis, & oblationibus quæ sunt imaginibus intra fines parochiæ.*
10 *Quando id cesset, atque pertineat ad Episcopum, ut in alios usus convertat.*

DISC. XII.

CUm in territorio Oppidi Coriolani, detecta esset quedam imago B. Virginis nuncupata *de Sclavonia*, ad 1
quam magnus haberetur devotorum concursus, illaque reposita in adjacenti Ecclesia sub invocatione S. Leonardi, hinc præfati oppidi Baro, seu Dux in ejusdem imaginis honorem cappellam construxit, eamque dotavit pro substentatione unius cappellani, qui certis diebus missam ibi celebraret, ac etiam se obtulit constituere proprio sumptu, ac in proprio solo aliam Ecclesiam sub dictæ imaginis invocatione, unde propterea sub his conditionibus Archiepiscopus Ecclesiam ità construendam, & dotandam, in patronatum illi concesit; Crescente autem devotione, nimiumque excretis eleemosynis, ac oblationibus, ex eis ipsamet Ecclesia S. Leonardi in longè majorem ac nobiliorem structuram redacta fuit, immutata etiam invocatione exindè S. Mariæ, atque ad meliorem cultum Archiepiscopus ex eisdem oblationibus tres erexit cappellanias, aliasque provisiones super eleemosynarum ac oblationum administratione; His autem omnibus se opponentibus tam dicto Duce tanquam patrono, quàm cappellano per eum deputato, introducta causa in Rota coram Cerro, datoque dubio in possessorio, an & cui dandum esset mandatum de manutenendo, sub die 11. Martii 1652. ad favorem omnium respectivè prodiit resolutio, Archiepiscopi scilicet in quasi possessionem jurisdictionis, & administrationis 2
Ecclesiæ, ac oblationum, deputando quæstuarios & administratores; Duci autem in possessione præsentandi cappellanum ad cappellaniam per eum fundatam, & dotatam; Et cappellano in quasi possessione celebrandi in ipsa cappella statutis diebus, ac percipiendi redditus ab ipso Duce fundatore pro cappellaniæ dote assignatos, atque in dicta resolutione ad favorem Archiepiscopi perstitum fuit sub die 10 Februarii 1653. coram eodem, quarum prima est impressa *part. 11. recent. decis. 229.* Et deindè ad causam se admisit Archipresbyter ejusdem loci tanquam curatus, prætendens, quod sibi, non autem Archiepiscopo competeret perceptio ac administratio oblationum & eleemosynarum, atque post aliquas disputationes, præsertim super attentatis, vel recursibus ad laicos hinc indè objectis, quædam honesta concordia controversiæ finem dedit.

In his autem disputationibus, tres erant puncti; Primò super existentia dicti juris patronatus; Secundò (illo etiam 3
posito) an exindè patronus aliquod jus prætendere posset privativè ad Archiepiscopum super dictarum eleemosynarum, & oblationum administratione; Et tertiò super eadem administratione inter Archiepiscopum, & Archipresbyterum.

Quoad primum, (in sensu etiam veritatis) improbabilis erat dicti Ducis pretensio super jurepatronatus Ecclesiæ, ex solo facto, quamvis Archiepiscopus dictam concessionem facere potuisset, dum illa concepta erat sub certis conditionibus, quibus non adimpletis, certum juris principium est ut conditionalis concessio non suffragetur, ac habeatur perinde ac si facta non esset, ut specie concessionis juris patronatus, *decis. 630. num. 61. & seqq. par. 4. rec. tom. 3.* Buratt. & add. *decis. 931. num. 6.*

Multò magis dum conditiones erant necessariè ad inducendam potestatem concedentis, cum cessante justa causa fundationis, vel omnimodè donationis, seu etiam augmenti antiquè dotis adeò exiguæ, quod non sufficiat pro cultu Ecclesiæ quæ depauperata dici valeat, non possit Episcopus Ecclesiam liberam facere servam, eamque alteri concedere in patronatum, quoniam est species alienationis quę sine solemnitate, & causa fieri non potest, Calderin. *cons. ult. de jurepatr.* Abb. *cons. 106. lib. 2.* Garz. *part. 5. cap. 9. num. 128. & seqq.* Rot. *dec. 218. num. 2. part 5. rec. decis. 247. num. 10. part. 6. decis. 6. num. 2. & decis. 137. nu. 10. part. 10. rec.* 4

Idemque etiam si ex causa augmenti dotis fiat, quoniam ubi Ecclesia non est omninò indotata, vel ubi dos adeò exigua est quod non sufficiat ad cultum, & substentationem, itaut depauperata dici non valeat tunc augmentum dotis utpotè ad ditationem non autem ad necessitatem, vel dotationem, ad id non sufficit sine Apostolica auctoritate, neque facit Patronum, sed benefactorem, juxtà distinctionem Abb. *d. cons. 106.* Rot. apud Millin. *decis. 187. decis. 568. num. 2. & 3. par. 4. rec. dec. 630. num. 60. ead. part. 4. tom. 3. d. dec. 318. num. 5. & 6. par. 5.* add. ad Buratt. *dec. 931. n. 8.* & habetur *disc. præced.* 5

Dice-

Dicebant scribentes pro Duce prætendente patronatum, quod concurrebat omnimoda dotatio ex integro per erectionem dictæ cappellaniæ prius in rerum natura non existentis; Verùm id continebat fallaciam claram, quoniam hæc fuit dotatio seu fundatio cappellaniæ, quæ aliud operari non potest nisi jus patronatus ipsius cappellaniæ, ut ad eam competeret jus præsentandi, quod non controvertebatur, non indè tamen inferri poterat ad patronatum Ecclesiæ non fundatę, nec dotatæ, quoniam aliud est Ecclesia, aliud verò cappellania, vel beneficium in Ecclesia, ideoque per fundationem vel dotationem altaris, vel cappellę non acquiritur jus patronatus in Ecclesia, Cardinal. *in cap. fin.* 6
de jurepatr. ubi Abb. *numer. 1.* Calder. *consil. 18. in princip. eod. tit. de præben.* Rota *decis. 247. numer. 9. par. 7. recent.* Et consequenter a liud exindè non acquiritur nisi quoddam jus celebrandi in Ecclesia, itaut facta erectione de consensu Episcopi, iste, vel Ecclesiæ Rector non possit cappellano impedire celebrationem quæ non controvertebatur, ideoque solutio prædicta ad favorem Ducis, & cappellani fuit super iis quæ non erant in quæstione.

Hinc proindè opus non erat agere de secundo puncto, qui verè dabat causam edicto, super administratione scilicet eleemosynarum, & oblationum, aliorumque bonorum Ecclesiæ, cum tam in Patrono, quàm in cappellano cessaret omne jus in ipsa Ecclesia; Verùm ubi etiam adesset jus patronatus, non per hoc tamen Patronus prætendere potuisset dictam administra-
7 tionem, quoniam imò per Sac. Concil. Trident. *sess. 22. de reform. cap. 11.* expresè depositum est, nè ipse modo aliquo posset in temporali administratione se ingerere sub pœnis in eodem Conciliari decreto contentis, illa præsertim amissionis ipsius juris patronatus; Benè tamen interesse habens dici potest, atque exaudiri meretur super bona administratione, & conserva-
8 tione reddituum ac bonorum, & jurium Ecclesiæ cujus patronatum habet, *decis. 2. de jurepatr. in novis, decis. 264. num. 16. par. 8. rec.*

Demum quoad tertium controversiæ punctum, in Rota formiter non disputatum, nec decisum, inter Archipresbyterum, qui se dicebat Parochum in toto territorio, & Archiepiscopum, (dum solùm pro Archiepiscopo responsum fuit, quando parochus non erat in causa) quamvis parocho assistat regula plenè firmata per
9 Rotam apud Merlin. *decis. 257. repetit. decis. 37. par. 5. recent.* cum aliis *in Romana imaginis sub tit. de Paroch. disc. 32.* Attamen plures limitationes in hac facti specie concurrere videbantur; Primò scilicet nudi facti præsuppositum, quod Archipresbyteri jus parochiale restrictum esset ad ipsum Oppidum, ac ambitum per tria miliaria circum circa, reliquum autem remaneret extra totam parochiam sub Archiepiscopi jurisdictione, ut admittitur in *d. decis. 257.* Merlini *num. 2.*
10 Secundo pariter facti ex particulari hujus diœcesis consuetudine Archiepiscopo assistente; Et tertiò quia, ut advertitur *d. disc. 32. sub tit. de paroch.* dicta regula procedit in modicis eleemosynis, & oblationibus, non autem quando sunt magnæ, magnusque est concursus; itaut nova Ecclesia construi valeat, atque divinus cultus ita magis augeri, ita totius Catholici Orbis observantia docente, ut advertitur *d. disc. 32. sub titulo de Paroch.* ubi potius de hoc tractatur, cum in præsenti disputatione de hoc actum non sit.

ANNOT. AD DISC. XII.

DE modis, quibus acquiratur Jus patronatus, habetur *infra disc. generali 55. per tot.*

De eleemosynis, & oblationibus videri poterunt notata ad *disc. 32. de Paroch.*

MELEVITANA JURISPATRONATUS PRO PONTREMOLIS CUM ALDANIA.

Casus variè decisus per Rotam, & postea concordatus.

An novæ dispositiones factæ per eumdem fundatorem importent augumentum dotis beneficii jam fundati, vel potiùs novum & diversum beneficium; Et an in eadem Capella detur pluralitas beneficiorum, & patronatuum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quod pluralitas non præsumatur.*
4 *Non dantur duo Rectores unius beneficii.*
5 *Quod in hac materia deferendum sit observantiæ.*
6 *Quando dicantur duo beneficia vel unum.*
7 *In eadem Ecclesia possunt esse beneficia diversæ naturæ nempe sæcularia & regularia.*
8 *In eodem Altari, vel Capella possunt adesse plura beneficia.*
9 *Non infertur ad unicitatem beneficii, eo quia unus posse derit, quia in simplicibus potest unus obtinere plura beneficia.*

DISC. XIII.

SMeragda de anno 1418. assignavit prædium pro fundatione beneficii ad Altare Annunciatæ, posteà verò de anno 1432. in testamento vel codicillis assignavit quædam alia prædia pro tribus, aut dixit animagiis, sub diversis oneribus; quæ omnia voluit esse de jurepatronatus suorum descendentium; seu Antonii viri & hæredis; Observantia verò dedit, quod conferri consueverunt tanquam duo quorum uno vacante de anno 1603. orta inter descendentes controversia super pertinentia patronali; Et introducta causa in Rota, duæ prodierunt decisiones, quæ habentur impressæ *decis. 170. & 178. par. 3. rec.* percutientes magis legitimationem personarum, ac descendentium; Cumque deinde utrumque per unum possideretur, sequuta vacatione de anno 1656. denuò inter contendentes orta controversia super dicta pertinentia patronali, aliqui præsentarunt Pontremolos, alii verò Aldanam, & post quandam sententiam Ordinarii, introducta causa in Rota coram Bevilaqua, ultrà punctum probationis descendentię ac legitimationis personarum in solo facto consistentem, disputatum etiam fuit an istud esset unicum, vel potiùs plura beneficia, atque sub die 16. Junii 1659. dictum fuit esse unicum primo loco fundatum de anno 1418. posteriorem verò dispositionem circa assignationem aliorum prædiorum non multiplicare beneficia, sed importare dotis augumentum cum augmento onerum; Repropositа verò causa sub diebus 30. Aprilis 1660. & 28. Januarii 1661. recedendo in hac parte à resolutis, firmatum fuit esse duo, aliis resolutionibus proditis percutientibus dictum alterum punctum probationis descendentiæ, successivè pertinentię, qui ut dictum est, consistebat in nudo facto ejusque probationibus.

Quatenùs igitur ad dictum punctum unicitatis seu pluralitatis pertinet; Sribentes in contrarium contendentes de unicitate juxta primam resolutionem, duo deducebant fundamenta ad id probandum; primò scilicet, quod unum & idem esset altare sub eadem invocatione; Et secundò quod sæpiùs, præsertim verò attento ultimo statu ac spectata persona, per cujus obitum sequuta erat vacatio, quæ liti causam dederat, possessa fuerat per unum Rectorem.

Assistere si quidem dicebant regulam generalem in dubio 3
exclusivam pluralitatis non præsumendæ ex collectis per Barbos. *axiom. 179. num. 2. & seq.* ex quo juxta currentem abusum transcribendo, chartas allegationibus implebant, multò magis dictis circumstantiis accedentibus, ideoque ita dicebant unicitatem clarè probatam remanere.

Cumulando in idem cum longo apparatu ea quæ in propositо Cathedralitatis, & jurisdictionis pluries habentur *sub tit. de jurisd.* ac sub altero *de Præeminentiis*, & in sua 4
materia *sub tit. de Benefitiis*; Quod scilicet quemadmodum citrà monstrum dari non possunt duo capita in eodem corpore, sive citrà turpitudinem, duo viri unius mulieris, ità dari non possunt duo Rectores ejusdem Ecclesiæ,

seu ejusdem beneficii; Et consequenter cum nnicum esset altare, cujus Rector seu cappellanus jam deputatus fuit usque ab anno 1418. dictæ aliæ dispositiones non importarent nova beneficia, sed solum augmentum dotis beneficii jam erecti.

Contrarium dicebam Ego scribens pro duplicitate (etiam in sensu veritatis) esse probabilius; ut in posterioribus resolutionibus firmatum fuit; Siquidem negari non poterat secundam dispositionem diverso tempore cum expressione fundationis trium animagiorum cum assignatione diversorum prædiorum, & cum diversis etiam oneribus, esse ambiguam, an primi beneficii augmentum importarent, vel potius tria alia, ut littera probare videbatur sive unum complexivum hujusmodi trium prædiorum, diversum à primo; Ista verò diversitate posita, omninò deferendum esse dicebam observantiæ, quam in omnibus ambiguis actibus ac dispositionibus, tam viventium quàm morientium, nimis in foro frequens ac recepta propositio est, esse optimam interpretem, ac interpretationum reginam, specialiter verò in hac materia juris patronatus, ut pluries habetur infra occasione quæstionis, an illud sit gen-
5 tilitium vel hæreditarium, sive aliam naturam haberet, quoniam ubi clara non est fundatoris voluntas, semper defertur observantiæ, quæ principatum in hac materia habere videtur.

Ideoque admittendo tanquam verum dictum assumptum, quod ob insinuata inconvenientia dari non possunt unius beneficii duo beneficiati insolidum, unde quando casus præbet, quod plures eidem Ecclesiæ, sive eidem beneficio præficiantur, nemo ex eis singulariter consideratus erit verus beneficiatus vel rector, sed plures personæ materiales ita concurrere dicuntur potius quodam vicario jure ad efformandam, seu repræsentandam unicam intellectualem, seu formalem personam Rectoris, ex deductis pluries in dicta sua materia *sub tit. de Beneficiis*, & sub altero *de Parochis*; Ita id retorquebam, quod scilicet cum justificaretur; pluries iongo temporis spatio hujusmodi beneficia tanquam duo inter se distincta, duabus diversis personis
6 collata esse, ita potiùs pluralitas comprobata remanebat, ut de hac materia unicitatis, vel pluralitatis beneficiorum habetur *decis.* 50. *par.* 7. *rec.* cum ibi allegatis.

Neque obstare dicebam unicitatem altaris, quoniam sicuti non implicat ut in una & eadem Ecclesia plura adesse possint beneficia, nedum ejusdem naturæ, puta omnia sæcularia, vel respectivè omnia regularia, sed etiam diverse
7 naturæ, quod scilicet in Ecclesia regulari adesse possint beneficia sæcularia, dummodo non agatur de altari majori, ipsiusque Ecclesiæ, & Monasterii Prælatura.

Ita non implicat, quod in uno, & eodem altari plura ad-
8 sint beneficia, eo quia spiritualia non occupant locum, neque in hac materia attenditur materialitas, sed formalitas, ut apud Pœniam *dec.* 1394. Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 2. *num.* 46. cum aliis in dictis duabus posterioribus decisionibus, quoniam est propositio vera & recepta, adeoùt hujusmodi quæstiones potius esse soleant facti quàm juris, an scilicet tenor fundationis aliaque facti circumstantiæ, illa præsertim observantiæ, quæ ut dictum est in hac materia totum facit, suadeant unicitatem vel pluralitatem, præsertim verò in hujusmodi simplicibus beneficiis seu cappellaniis destinatis ad solam celebrationem missarum, quæ æquè benè in eodem altari à tribus eadem die fieri potest, ideoque nulla penitùs implicantia adesse dicitur.

Minus obstare dicebam alterum fundamentum, quod hujusmodi beneficia, attento præsertim ultimo statu, ab uno tantùm possessa fuissent, quod deducebatur in argumentum unicitatis, nè daretur alterum inconveniens, ut unus vir duas haberet sponsas; Ista enim implicantia re-
9 ctè procedit in illis beneficiis in quibus cadit ratio matrimonii seu sponsalitii spiritualis, ut contingit in Ecclesiis parochialibus, ac etiam in Cathedralibus, quando non accedat unio æquè principalis, quæ conservat ipsas Ecclesias inter se distinctas quoad earum prærogativas aliosque effectus, de quibus pluries *d. titulo de Præeminentiis* ad hanc materiam plurium Cathedralium simul unitarum, sed quoad dicuntur; Secus autem ubi agitur de simplicibus beneficiis, in quibus non cadit dicta ratio matrimonii spiritualis, & consequenter non urget dictus inconveniens, ut unus vir plures habeat mulieres, minusque urget altera ratio incompatibilitatis ratione veræ, ac præcisè residentiæ.

Ideoque ubi duo vel plura singulariter considerata non sint pinguia, & ad congruam substentationem sufficientia, adeoùt non cadat prohibita multiplicitas beneficiorum, nil prohibet, ut unus plura, & inter se distincta beneficia obtinere ac possidere valeat, etiamsi sint de jure patronatus, cum ista quoque cadant sub dispositione Sac. Concil. Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 17. ut per Garz. *p.* 11. *c.* 5. *§.* 3. *nu.* 280. *atque admittitur d. dec.* 50. *par.* 7. *rec.* & in utraque hujus causæ decisione & comprobat nimium frequens praxis, etiam ubi Apostolica dispensatio non accedat, ac habetur in dicta sua materia *de Beneficiis*, in proposito unionis, ad cujus probationem non infertur, ex quod unus, & idem plura possederit, cum rectè ac citra unionem tanquam distincta ab eadem persona possideri valeant.

ANNOT. AD DISC. XIII.

De materia pluralitatis beneficiorum adnotatum fuit ad *disc.* 57. *de Benef.* decisiones autem in ista causa proditæ habentur impress. *dec.* 96. 206. & 389. *p.* 11. *rec.*

ROMANA JURISPATRONATUS DE MANOSIIS

PRO ANGELO ANDOSILLA CUM JOSEPHO SARAVEZZIO.

Casus decisus per Rotam pro Josepho.

Hærede negligente erigere beneficium à testatore demandatum, an secundus hæres ab ipso hærede institutus ac fideicommisso gravatus, erigendo beneficium, possit reservare jus patronatus sibi ejusque successoribus, vel potiùs illud transeat cum hæreditate ad substitutos.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ,*
3 *Hæres acquirens bona de pecunia hæreditatis fideicommissariæ sibi acquirit.*
4 *Acquirens jus patronatus de pecunia aliena sibi acquirit,*
5 *Declaratur conclusio de qua nu.* 3. *ubi adest præceptum.*
6 *Acquirit jus patronatus hæres qui perficit erectionem, & quando, n.* 8.
7 *Id quod hæres acquirit causa conditionis implendæ non venit in restitutione fideicommissi.*
8 *De eadem conclusione, de qua n.* 6.
9 *Verbum* successor *junctum verbo* hæredis *facit, ut jus patronatus transeat in fideicommissarium.*
10 *Quod successor non possit alterare naturam jus patronatus in præjudicio illorum qui sunt vocati.*
11 *De motivo ob quod placet causæ resolutio.*
12 *An ille quem testator se credens patronum mandavit præsentari in beneficio, petat æstimationem si præsentatio sortiri non potest remissivè.*

DISC. XIV.

MArius Spinosius, instituto hærede Laurentio Manosio, mandavit in suo testamento, quod infra quinquennium construere deberet in Ecclesia S. Mariæ ad Transtyberim cappellam, ibique erigere duo beneficia, quæ esse deberent de jurepatronatus perpetuò ipsius Laurentii ejusque hæredum, & successorum in perpetuum; Adimplevit hæres præceptum circa constructionem cappellæ, neglexit verò alterum in erectione beneficiorum longævo spatio 33. annorum superviventiæ; Cumque moriens hæredem instituisset Angelum Andosillam seniorem cum onere restituendi post mortem hæreditatem Josepho Saravezzio, cui injunxit onus assumendi cognomen & insignia, Angelus processit ad erectionem dictorum beneficiorum, cum reservatione juris patronatus pro se ipso, susque hæredibus & successoribus, præsentando ad unum quemdam familiarem, in altero verò supplicando pro se ipso. 1

Cum autem eo defuncto, Angeli junioris hæredis, ac pupilli tutor, inhærendo desiderio defuncti, in beneficio ita vacato presentasset eumdem familiarem alterius beneficii possessorem, se opposuit expeditioni litterarum in Data- 2
ria dictus Joseph substitutus, prætendens ad se spectare dictum jus patronatus, unde Datario expetente de super vo-

tum Rotæ, proposita causa sub die 13. Decemb. 1659. coram Cerro, ad favorem Josephi substituti prodiit resolutio cui hucusque altera pars acquievit.

In hac igitur disputatione, scribens pro Angelo deducebam, Primò conclusionem frequenter deductam in materia fideicommissaria sub *tit. de fideicommissis* præsertim
3 in Cataceu. *disc.* 177. quod hæres fideicommisso gravatus, si ex bonis vel pecuniis hereditariis aliquid sibi susque hæredibus acquirit, bonorum acquisitorum dominium est suum suorumque hæredum, non autem fideicommissariæ hereditatis, cujus solùm remanet debitor quantitatis pro reintegratione; Et consequenter cum Angelus senior expresse reservasset hoc jus patronatus pro se susque hæredi-
4 bus, ad istos, non autem ad fideicommissariam hæreditatem illud spectare deberet, ut in his terminis erectionis jurispatronatus de pecunia aliena, Vivian. *hoc tract. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 19.

Huic fundamento respondet decisio cùm limitatione, de qua pluries *eodem tit. de fideicommissis*, præsertim *dict. disc.* 177. ut scilicet id non procedat, quando accedat testatoris præceptum de investiendo pecuniam seu faciendo acquisitiones, quoniam tunc, licèt dicatur acquisitionem fieri pro se ejusque hæredibus, adhuc tamen pertinet ad fideicommissum.

Responsio non videbatur sufficiens (quamvis ex alio motivo ut infrà placeret resolutio, cujus exitum in congressu habito pro directione prædixi.) Tum quia non versabamur in casu, dum implementum factum non erat per primum hæredem, cui fuerat injunctum præceptum faciendi erectionem, sed per se-
5 cundum ut supra; Tum etiam quia dicta limitatio resultans ex præcepto testatoris inducit simplicem juris præsumptionem ad excludendum delictum, ut scilicet ità id egisse videatur in causam necessariam potius quàm voluntariam, quodque stipulatio pro ejus hæredibus, ità vel de stylo, vel demonstrativè stare videatur, sed semper præsumptivè ex sola præsumptione juris, quæ in dubio cessare debet, ubi accedat contraria voluntas facientis, cum nullibi in jure cautum sit, ut tale præceptum contra voluntatem facientis causet acquisitionem bonorum fideicommissariæ hæreditatis.

Quamvis autem ista consideratio, seu dictæ limitationis declaratio pro meo judicio certa videretur, attamen in hac facti specie cessabat applicatio, quoniam posita dicta declaratione, oporteret dare casum, quod hæres gravatus, convertendo ad diversum usum, & pro se ipso bona pro dicta erectione assignata, remaneret fideicommissariæ hæreditatis debitor in æquivalenti pro fideicommissi reintegratione, unde propterea duplicata erectio aliorum duorum beneficiorum fieri deberet, quod certum est in erigentis animo non fuisse, potissimè quia erectio non de pecunia hæreditaria facta erat, sed cum ipsismet bonis à primo testatore ad hunc effectum destinatis; Ideoque eatenus secundus hæres pro seipso suisque hæredibus dictam erectionem fecit, quatenus tanquam insignis, ac ingeniosissimus J. C. in materia præsertim beneficiali versatissimus, opinaretur id sibi licere, istaque videbatur solidior responsio.

Dicebam secundò, quod cum primus hæres, cui præceptum injunctum fuit, cum positiva inexcusabili negligentia annorum 33. testatoris præceptum adimplere neglexisset, ita redditus esset hoc beneficio indignus, ideoque secundus hæres, qui sua sponte testatoris voluntatem adimplevit, rectè potuit jus patronatus sibi reservare, quoniam illud acquiri dicitur à perficiente erectionem, non autem ab eo, qui debebat perficere, & non fecit, ut advertit Lam-
6 bertin. *lib.* 1. *parte* 1. *q.* 4. *art.* 6. *num.* 6. & in specie de hærede hæredis, Vivian. *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. & 19. & ponderatur per Rotam *decis.* 167. *part.* 2. *diversf.* & *in Auximana jurispatronatus* 26. *Aprilis* 1613. *coram Sacrato* apud Vivian. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 13.

Atque huic motivo alterum addebam, quod acquisitum per hæredem gravatum causa conditionis implendæ, seu
7 aliàs ex propria industria, vel diligentia non venit sub restitutione fideicommissi, sub qua venit solùm id, quod remansit in fideicommittentis hæreditate, ut cæteris relatis Peregr. *de fideicom. art.* 6. *n.* 39. Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 196. *num.* 1. *cum seqq.* Fusar. *quæst.* 627. *num.* 6. *cum sequent.* & in sua materia *sub tit. de fideicommissis*; Ideoque cum istud jus patronatus nunquam fuerit in hæreditate dicti Laurentii fideicommittentis, cadere non debet sub restitu-
tione fideicommissi.

Huic fundamento dupliciter respondet decisio, Primò quod hæredi imputabilis non esset negligentia, stante quod aliquæ domus pro dote unius ex dictis beneficiis ipsimet hæredi donec viveret per testatorem prælegatæ fuissent; Non tamen hæc responsio congrua videbatur, cum ea percuteret solùm unum beneficium non autem alterum; Ac etiam quia testatore præcipiente tam cappellæ fundationem, quam beneficiorum erectionem, fieri debere intra quinquennium, nulla aderat implicantia, quod erectio fieret in tempore præfinitio, differendo tamen respectu unius, executionem seu fruitionem bonorum, ideoque negligentia erat inexcusabilis.

Altera est responsio, quod objectum procederet in casu quo super reservatione jurispatronatus nulla adesset fundatoris provisio, qualis est casus *dict. dec.* 167. *numer.* 1. & 8
seqq. part. 2. *diversf.* secùs autem ubi fundatos præservavit jus patronatus pro certo genere personarum, cui per negligentiam primi hæredis præjudicari non potest; Potissimè verò ubi non accedat præcisa coactio judicis, cum cujus præsupposito aliqui ex allegatis loquuntur.

Verùm pariter ista responsio non placebat ex defectu applicationis; Rectè si quidem procederet, quando contendentes de jurepatronatus jus suum metirentur ex judicio primi testatoris independenter ab ipso hærede delinquente, cujus negligentia eis præjudicare non potuit, atque isto casu admittebam propositionem rectè procedere; Hoc autem non benè applicabatur ad casum, dum Josephus suum jus metiebatur, non à Mario primo testatore, sed à Laurentio hærede negligente; Quamvis enim primus testator mandasset jus patronatus esse debere hæredum & successorum ipsius Laurentii in perpetuum, attamen ita disposuit in ipsius hæredis gratiam, cum præsupposito quod voluntatem impleret, ad effectum ut jus patronatus ad omnes hæredes transmittere posset, atque beneficia non efficerentur libera, non autem quod dicti hæredes & successores ex judicio & affectione testatoris directè venirent jure proprio independenter, unde propterea sine dubio dictus Laurentius facta debito tempore erectione, potuisset, altero instituto hærede, de isto jurepatronatus cum licentia Ordinarii in vita, vel in morte ad alterius favorem disponere, & consequenter responsio nullatenus intrat.

Eodemque modo cessat altera decisionis ponderatio, quod cum primus testator non contentus verbo, *hæredum*, adjecisset alterum magis generale, *successorum*, cum dictio- 9
ne copulativa, &, aliquam ampliationem præferente, ita resultabat præsumptio, quod hoc jus patronatus transiret etiam ad fideicommissarium, ac veniret sub restitutione fideicommissi, quamvis regula sit in contrarium, ex iis quæ in hac materia transitus jurispatronatus ad fideicommissarium habentur infrà *in Capuana*, & *aliis*: Id enim rectè procederet in illo fideicommissario, qui succederet ex judicio primi testatoris, secùs autem in illo, qui venit ex judicio hæredis indigni obtinendi illud beneficium, quod ipse neglexit; Quemadmodum enim si ipse post factam erectionem hoc jus patronatus alteri donasset vel legasset, seu remisisset, non potuissent ejus hæredes & successores ipsius factum impugnare, dictumque jus patronatus prætendere, ita advertebam quod potuit dictum jus amittere, ideoque non poterat hæres fideicommissarius prætendere id quod nunquam fuerat in hæreditate fideicommittentis.

Extranea pariter à casu videbatur altera conclusio in dicta decisione deducta, quæ videtur esse illius præcipuum fundamentum, (quamvis illa generaliter ac in suis casibus vera sit) quod scilicet non possit hæres immutare dispositionem fundatoris, neque prejudicare illis, quos ipse vo- 10
cavit ex deductis per Ferret. *conf.* 134. *n.* 2. *cum seqq.* Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 24. *nu.* 31. Vivian. *l.* 14 *cap.* 3. *nu.* 6. & 7. Guttier. *conf.* 1. *n.* 19. Rot. apud Merlin. *dec.* 546. *n.* 6. *cum aliis in eadem decisione*; Id enim rectè procederet quoad vocatos ex ipsius primi testatoris judicio, quibus successor præjudicare non potest, in quibus terminis allegati loquuntur, secùs autem in hac facti specie ut supra, ideoque conclusio est vera, sed non benè applicata.

Quamvis autem de stricto jure præmissa ita procedere viderentur, ideoque resolutio potiùs improbabilis censenda esset; Adhuc tamen reflectendo ad veritatem, placuit 11
& probabilis visa est, non quidem ex premissis, sed ex facto, ejusque circumstantiis, quod scilicet dictus Laurentius primus heres habens in animo principaliter, ac directè instituendi hæredem Josephum, ob istius minorem ætatem, aliasque circumstantias, ex prudentialibus motivis hæredem scripsit dictum Angelum conjunctum in pe-

nè decrepita ætate jam conſtitutum, non ad lucrum, & commodum, ſed potius per quandam ſpeciem fiduciæ, in gratiam ac protectionem dicti hæredis, quem licèt ſecundum & ſubſtitutum, verè in animo habuit tanquam primum ac directum, cujus vice dictus Angelus adimpleret adimplenda, atque hæreditatem in bono ſtatu poneret: Iſtudque fuit verum reſolutionis fundamentum, quamvis fortè prudentialiter neglectum in deciſione, ad cujus ornatum deductæ fuerunt dictæ concluſiones, in ſuis caſibus verè, ſed non benè applicatæ, & quibus reverà innixa non eſt reſolutio, ut frequenter contingit; Ideoque edocemur, quomodo in deciſionum uſu, ac intelligentia procedere debeamus, reflectendo ſcilicèt ad earum particulares circumſtantias, non autem eas generaliter allegando.

Iſta verò controverſia, alteram ſatis curioſam excitavit quæſtionem, quod ille qui ex judicio, vel deſiderio dicti
12 Angeli, per tutorem præſentatus fuerat, dicta præſentatione effectum non ſortiente, prætendebat æquivalentem refectionem tanquam legati æſtimationem ab hærede, atque ob ingeniorum varietatem oportuit dictam prætenſionem ſopire per concordiam, ut habetur deductum in ſua materia *ſub tit. de legatis*, ubi agitur in ſpecie de iſto caſu.

ANNOT. AD DISC. XIV. & ſeqq.

AGitur principaliter in hujuſmodi diſcurſibus, an & quando immutari, ſeu alterari valeat natura Juriſpatronatus in præjudicium eorum, qui ſunt vocati, de qua videri poterunt deducta *in hoc eod. tit. diſc.* 79. 80. & 90.

Deciſio prodita in caſu, de quo *diſc.* 14. eſt impreſs. *dec.* 136. *par.* 13. *rcc.*

Aliæ deciſiones proditæ coram Ninot, in caſu de quo *diſc.* 19. habentur inter ejus impreſs. *dec.* 4. 12. 25. & 60.

MACERATEN. CAPPELLANIÆ PRO NICOLAO AURISPA, CUM EVANDRO FRATRE.

Caſus diſputatus in Rota, & concordatus.

De eodem, An ſcilicet hæres vel ſucceſſor in jurepatronatus poſſit facere perpetuum beneficium, quod erat manuale.

Et è converſo, an fundator vel ſucceſſor poſſit facere manuale beneficium, quod erat perpetuum.

SUMMARIUM.

1 FACti ſeries.
2 Succeſſor non poteſt alterare naturam juriſpatronatus, vel leges fundationis, &c. nu. 7.
3 Quod patronus poſſit de conſenſu Ordinarii beneficium perpetuum facere manuale, & num. 10.
4 Cappellania fundata ſine auctoritate Ordinarii non eſt beneficium Eccleſiaſticum, neque cum regulis beneficialibus procedit, ſed ſimplex legatum pium.
5 Ad Regulam. text. in l. cum à Matre, C. de rei vendic. ut hæres teneatur præcisè ſervare factum auctoris etiam in juribus propriis.
6 An id procedat in beneficialibus.
7 Declaratur concluſio, de qua nu. 2. quando procedat.
8 Quod etiam in manualibus non detur amotio, quæ cauſet injuriam, vel notabile præjudicium.
9 Quod hæres, vel ſucceſſor ſuppleat, vel declaret voluntatem fundatoris, ſeu alteret in iis, quæ non adverſantur dictæ voluntati, & quando ſecus.
10 De alio caſu in quo de concluſione, de qua num. 3.
11 Quod expediat erigere Cappellanias manuales, & de ratione.
12 Diſmembratio vel alteratio beneficii eſt ſpecies alienationis.

DISC. XV.

DIſpoſuit Antonius Accurſius, ut ex ejus bonis erigi deberet cappellania ad nutum amovibilis juxta modum præſcribendum ab Hippolyto Auriſpa cui juſpatronatus reliquit continuaturum in majori natu ſuæ deſcendentiæ, Hippolytus verò deputando in primum cappellanum Nicolaum filium, diſpoſuit, quod ubi contingeret cappellanum eſſe extraneum, eſſe deberet ad nutum amovibilis, ſecùs autem ubi eſſet de familia, ut tunc ſit perpetuus; Defuncto autem Hippolyto, Evander filius primogenitus, ex diverſo etiam matrimonio, judicium inſtituit coram Ordinario contrà dictum Nicolaum pro ejus remotione, ex eo fundamento, quod cum cappellania ex judicio Antonii fundatoris, eſſe deberet manualis, non potuerat per Hippolytum hæredem, vel executorem alterari ac effici perpetua, ſed ſuccubuit, introductaque cauſa in Rota coram Bevilacqua, atque aſſumpta diſputatione ſub die 9. Maii 1660. nulla capta fuit reſolutio, ut ità inter fratres, ſuper his, pluribuſque aliis controverſiis ſequeretur concordia, ut ſequutum fuit.

In hac igitur diſputatione, ſcribentes pro actore deducebant eadem, quæ habentur *in Romana juriſpatronatus diſc. præced.* & in deciſione in ea cauſa edita coram Cer- 2
ro, circa defectum poteſtatis ſucceſſoris alterandi leges à fundatore adjectas, addendo alteram deciſionem *in Tranen. juriſpatronatus* 10. Martii 1627. coram Ubaldo, quæ exagerabatur tanquam ſpecialis; Et conſequenter, quod cum fundator mandaſſet cappellaniam eſſe debere manualem, ac ad nutum amovibilem, non poterat ſucceſſor in præjudicium ejus, qui ad juſpatronatus vocatus erat ab ipſo fundatore independenter à dicto Hippolyto hærede, vel executore id alterare.

Potiſſimè verò, quia ut advertit Navar. *conſil.* 9. *de officio Ordinar. lib.* 1. *juxta impreſſionem Romanam*, aliàs *con-* 3
ſil. 11. *juxta Venetam lib.* 1. expedit, ut cappellaniæ de jurepatronatus ſint potius manuales, quam perpetuæ, quia ſic magis incumbit Cappellanus ſervitio cappellæ, ac adimplemento onerum, atque melius vivit ob timorem amotionis, undè propterèa credit, quod beneficium perpetuum poſſit Patronus de conſenſu Ordinarii efficere manuale, ac ad nutum amovibile, & cum Navarro pertranſit, Gonzal. *ad Reg.* 8. *glo ſ.* 5. §. 6. *num.* 62.

Scribens ego pro reo convento poſſeſſore cappellaniæ, ut amoveri non poſſet; Advertebam in primis ad concluſionem hodie certam, quam ſcribentes in contrarium 4
non negabant, quod cum hujuſmodi cappellania formalem erectionem in beneficium cum Ordinarii, vel alterius Superioris auctoritate non haberet, regulanda non eſſet cum terminis ſpiritualibus, ſeu beneficialibus, ſed cum prophanis tanquam ſimplex legatum celebrationis miſſarum, quod hæredi injunctum ſit faciendi per quemcumque presbyterum ejus libito eligendum juxta magiſtralem deciſionem *in Melphiten. legati pii coram Dunzetto inter ſuas deciſ.* 101. *repetit. deciſ.* 238. *par.* 5. *recen.* & poſt Marin. *reſol.* 36. *lib.* 1. *ſæpiſſimè receptam*, ut pluries advertitur in ſua materia *ſub tit. de beneficiis*, occaſione agendi de manualibus.

Effectus autem exindè reſultantes plures erant, ille præſertim, quod cum actor eſſet filius, & hæres Hippolyti, qui cum hac lege perpetuitatis reum deputaverat, ita de plano intraret recepta regula textus *in l. cum à matre, Cod. de rei vindicat. & l. vindicantem, ff. de evict.* ut ſcilicet hæres non poſſit ex jure ſuo quamvis independenter ab 5
ejus auctore iſtius factum impugnare, ſed illud præcisè ratum habere teneatur, quatenus vires hæreditariæ ſuppetant, quoties non concurrat talis nullitas actus, vel talis vehemens juris reſiſtentia, quod etiam ipſimet auctori contra tale factum venire licitum eſſet, ut rejecta opinione Grammatici *dec.* 93. ejuſdem ſequacium, atque ſequendo opinionem Franchi *diſc.* 83. 153. & 155. & ſequacium, habetur apud Buratt. & adden. *deciſ.* 154. & 395. & ſæpiſſimè firmavit Rota, ut advertitur *Romana reſidui dotis ſub tit. de dote diſc.* 24. & frequentius in ſua materia *ſub tit. de fideicommiſſis*, cum ſit concluſio, quæ hodie non admittit ampliùs controverſiam, niſi quando dicta circumſtantia nullitatis, vel manifeſtæ reſiſtentiæ legis inducat ejus limitationem, juxta firmata *in Bonon. fideicommiſſi de Rubeis coram Corrado deciſ.* 363. *par.* 10. *recent.* cum aliis per add. ad Buratt. *dicta deciſ.* 154. & *frequenter*.

Quidquid enim ſit, an eadem regula procedat in caſu quo agatur de vero beneficio juriſpatronatus laicorum; Et in quo affirmativam quoque ſubſtinet Ma- 6
ranta junior *part.* 4. *reſponſ.* 13. *num.* 15. & *per tot.* Quod tamen ſuas difficultates pati poſſe videtur, cum agatur de materia non exiſtente in privato commercio abſque conſenſu Ordinarii, vel alterius legitimi Superioris, dum Navarr. *loco ſupracitato* cum quo pertranſit Gonzal. firmando, ut patronus immutare poſſit naturam beneficii, illiudque de perpetuo facere manuale ſupponit Ordinarii conſenſum, ſine quo nulla datur diſpoſitio ipſius juſpatronatus extra compatronos, præterquam ubi illud eſſet reale, ſeu aliàs acceſſorie veniret cum univerſitate bonorum, cui eſt annexum; Quinimò licèt, ut pluries infra ipſimet fundatori concedatur de jure facultas adiiciendi in limine fundationis leges, & conditiones, quamvis juri contrarias, adhuc tamen intelligitur, quatenus accedat Ordinarii aſſenſus, adeout intrare videantur ea quæ habemus in materia feudali, ut in iis, quæ corpus, vel ſubſtantiam feudi tangunt, extra comprehenſos in inveſtitura nulla detur diſpoſitio ſine aſſenſu domini.

Adhuc tamen relinquendo in hoc locum veritati, quam adhuc occaſio examinare non præbuit, ita dicebam omnem ceſſare difficultatem, ut dicta regula intrare deberet, cum verſaremur in merè prophanis, in quibus non cadit illa juris reſiſtentia, quę ceſſante Ordinarii aſſenſu, intrat in meris beneficiis, quamvis juriſpatronatus laicorum.

Prætereà, (in ſenſu etiam veritatis,) advertebam, quod verſabamur extra quæſtionem diſputari ſolitam circa poteſtatem hæredis, vel alterius ſucceſſoris alterandi naturam juriſpatronatus in præjudicium vocatorum, ſeu aliorum, quibus jus quæſitum eſſet, puta illud de gentilitio faciendo
7 hæreditarium, ſive alterando qualitatem paſſivam illi adjectam ad favorem certi generis perſonarum juxta caſus de quibus *diſc. præced. ac plurib. ſeqq.* itaut, vel ipſius juriſpatronatus, vel etiam ipſius beneficii natura per fundatorem jam præſcripta, formalem reciperet mutationem, vel alterationem, Id enim in præſenti dici non poterat, unde propterèa extranea remanebant ea, quæ ut ſupra circa defectum poteſtatis, cum magno apparatu, & allegationum copia ſcribentes pro actore reducebant; Siquidem cappellania adhuc remanſit, ac remanet in terminis manualis, atque ad nutum amovibilis juxta fundatoris voluntatem, taliſque eſt ejus generalis, ſeu regularis natura, cum ſola limitatione, quatenus contingeret eam poſſideri per illos de familia; Id autem ſatis probabilem habet rationem, cum hujuſmodi remotiones, dedecus, ſeu aliud
8 notabile præjudicium quandoque cauſare ſoleant, unde propterèa hujuſmodi effectu reſultante, reſtrictionem recipit facultas, quæ aliàs in manualibus regulariter competit amovendi etiam ſine cauſa, ut advertitur pluries in dicta ſua materia *ſub tit. de beneficiis* præſertim *diſc.* 97. ubi generaliter habetur de manualibus, ac etiam *in Materanen.* & in aliis *ſub tit. de Capitulo*; & *Canonicis*; Ideoque prudenter potuit primus hæres, vel exequutor voluntatis defuncti, ita hujuſmodi legem adjicere, non quidem alternativam naturę beneficii, vel cappellaniæ, remanentis in ſuis terminis manualitatis, ſed circa dictum accidens,
9 ſeu limitationem ad occurrendum inconvenientibus aliàs reſultantibus, ubi contingeret remotionem fieri de ipſis deſcendentibus, ſeu aliàs de agnatione; Et ſic potius per ſuppletionem, vel explicationem verisimilis voluntatis ipſius fundatoris, quod rectè per hęredem, vel alterum fiduciarium utpotè dictę voluntatis verisimiliter conſcium fieri poteſt, ut in his terminis ac proximè ad rem advertitur per Rotam *d. dec.* 116. *par.* 10. *rec.* ubi de declaratione, ut cappellania ſit manualis, & non habeat naturam beneficii, ſi voluntas non adverſatur, & habetur generaliter *ſub tit. de fideicomm.* præſertim *diſc.* 33. ubi de facultate primi gravati, vel fiduciarii in aliquo alterandi teſtatoris voluntatem per viam interpretationis, vel etiam ut ea melius ac pinguius impleatur.

Dicta verò deciſio *Tranen.* coram Ubaldo, in qua magnum conſtitui videbatur fundamentum, percutit terminos diverſos ſuper facultate adjiciendi legem, vel conditionem juris diſpoſitioni contrariam, ut ſcilicet præſentari poſſent etiam non habentes legitimam ætatem, quod dictum fuit adverſari etiam voluntati fundatoris, quàm præſumendum eſt juris diſpoſitioni conformem eſſe, ideòque termini ſunt nimium diverſi; Et in dicta *dec.* 216. *par.* 10. *recent.* agitur de quibuſdam legibus, & declarationibus reſpicientibus Eccleſiæ ſervitium abſque formali immutatione.

In hoc autem propoſito facultatis fundatoris, vel ſucceſſoris alterandi naturam beneficii, illudque de perpetuo facere manuale; Id in ſpecie diſputavi in una *Cuſentina ju-*
10 *riſpatronatus* pro Seraphino de Marco, cum quodam Pignanello coram Prælato Judice commiſſario, abſque eo quod punctus reciperet formalem determinationem, cum cauſa finem habuerit per ſolam determinationem poſſeſſorii retinendæ adverſus Seraphinum, qui cum impetratione piſcatoria, ſeu certo modo attentatè ſe intruſerat.

Ad ſubſtinendam verò dictam immutationem, quam ipſemet fundator cum quodam dotis augmento fecerat de perpetuo manuale, adducebantur dictæ auctoritates Navarr. *conſ.* 9. *juxta Romanam*, & *conſ.* 11. *juxta Venetam impreſſionem ſub tit. de off. Ordinarii*, cum quo pertranſit Gonzal. *ſupra allegatus ad reg.* 8. *glo ſ.* 5. §. 6. *n.* 62.

Verum abſque neceſſitate examinandi hujus doctrinæ veritatem; Dicebam ſcribens in contrarium, omnem difficultatem ceſſare ex eo quod dicta immutatio careret conſenſu Ordinarii, quem idem Navarr. preſupponit pro eſſentiali requiſito, & ſine quo novas leges alterativas adjici non poſſe poſtquam cum ejuſdem Ordinarii auctoritate erectio facta eſt, habetur *diſc. prox. ſeqq.* Ubi verò talis conſenſus accederet, quamvis ratio expreſſa per Navarr.
ut ſupr. mihi nimium placeret, ſatiſque probabilis videre- 11
tur, unde propterèa fortè ſupra centeſimum nnmerum, & ultra, occaſio dedit conſulendi piè diſponere volentibus, ut ab erectione beneficiorum de jurepatronatus abſtinerent, atque erigerent, ſeù fundarent hujuſmodi cappellas manuales tanquam ſpecies pii legati abſque Ordinarii auctoritate, tam ob dictam rationem ponderatam per Navarr. quod poſſeſſores amotionem timentes melius vivunt, meliuſque cappellæ inſerviunt, quàm etiam ad evitandum devolutiones, ſeu derogationes, aliaſque Beneficialiſtarum ſubtilitates, ob quas juſpatronatus amitti, vel inutile reddi ſolet; attamen de ſtricto jure mihi videbatur id non ſubſiſtere, quoniam cum beneficium jam conſtitutum eſſet in ſuo ſtatu perpetuitatis, quæ beneficiis, & cappellaniis ſæcularibus eſt connaturalis, ut advertitur apud Cavaler. *dec.* 72. & pluries in dicta ſua materia *ſub tit. de Beneficiis*, adeout ipſa cappella, vel altare (quamvis verſemur in ſimplicibus) ita acquiſitiſſe videatur jus habendi proprium ſponſum vel ſaltem proprium Rectorem, iſta immutatio ſapere videtur ſpeciem alienationis, vel diſmembrationis quæ et- 12
iam in ſpiritualibus ſine cauſa, & ſolemnitate prohibita eſt ex deductis apud Otthobon. *dec.* 6. & *dec.* 224. *par.* 19. *rec.* cum aliis *in Bonon. diſmemb. ſub tit. de Paroch.*, ac etiam *d. tit. de beneficiis in genere*, & *ſub altero de alienat.*

Neque dictis auctoritatibus nimium deferendum videtur quoniam Gonzales nullatenus examinando punctum juxta conſuetum modernorum tranſcriptorum vitium, eſt ſimplex relator Navar. qui loquitur dubitativè, quod ſcilicet probabiliter defendi poſſet, nil tamen firmando, nullamque auctoritatem, vel ſolidam rationem adducendo, ejuſq; principale reſponſum reſidet ſuper altero puncto excuſationis poſſeſſoris à fructibus perceptis, ideòque in caſus occurentia maturiùs cogitandum eſt; Magis verò ad rem facere videretur *d. dec.* 216. *par.* 10. *rec.* ſed ibi alteratio percutiebat majus Eccleſiæ ſervitium, atque circa accidentia non autem circa ſubſtantiam, vel naturam beneficii.

MELPHITEN. BENEFICII INTER CAPITULUM CATHEDRALIS, ET SCHINOSIOS.

Reſponſum pro veritate.

An idem fundator alterare poſſit leges fundationis, præſertim circa qualitates præſentandorum, ac juſpatronatus paſſivum, & onera beneficiati.

SUMMARIUM.

1 FACti ſeries.
2 Fundator non poteſt ex intervallo tollere juſpatronatus, vel aliud jus tertio quæſitum.
3 Sive agatur de jurepatronatus activo, ſive paſſivo.
4 Fortius ſi tertio jus quæſitum eſſet, ex contractu correſpectivo.
5 Juris diſpoſitioni conformis eſt conditio, ut illi de ſanguine debeant præſentari.
6 An obſervantiæ in hoc ſit deferendum.
7 Expenditur diſtinctio, quæ datur inter filios, & extraneos ſuper concluſione de qua num. 2.
8 Quod in hac materia non attendantur ſubtilitas, ac rigores juris civilis.

DISC. XVI.

1 FUndavit in Cathedrali Ecclesia de consensu Episcopi, & Capituli N. Schinosius cappellam, & cappellaniam sub ea lege, quod ipse ejusque successores quibus reservatum fuit jusPatronatus, præsentare deberent sacerdotes de gremio ejusdem Ecclesiæ: In testamento autem idem fundator mandavit successoribus pro tempore, ut præsentare deberent illos de familia, quibus extantibus non possent præsentari extranei; Cumque ob immutatum hujus familiæ domicilium à Civitate *Melphytensi* adibi adjacentem *Vigilien sem*, casus daret, quod adesset presbyter de familia, & descendentia testatoris, qui tamen non esset de gremio dictæ Ecclesiæ, ideoque Capitulum se opponeret institutioni præfati de familia præsentati, utpotè non habentis dictam qualitatem à lege fundationis requisitam, Hinc per utramque partem de voto pro veritate requisitus.

Respondi probabilem videri Capituli oppositionem, ubi etiam certa esset voluntas fundatoris alterandi dictam legem fundationis, ex defectu potestatis, quoniam postquam beneficii erectio perfectè sequuta est, cum reservatione jurispatronatus activi, vel passivi, ad favorem, non solùm fundatoris, sed aliorum, quibus jus ex tunc quæsitum sit, non potest revocari, vel alterari, ut cæteris relatis plenè
2 habetur apud Ricc. *decis.* 280 *lib.* 4. Tondut. *quæst beneficiar. part.* 1. *cap.* 91. *nu.* 1. *& seqq.* Rot. *dec.* 37 *nu.* 1. *& seq. par.* 7. *rec. dec.* 107. *nu.* 3. *& dec.* 220. *nu.* 33. *& seqq. par.* 11.

Et licèt dictæ auctoritates percutiant jusPatronatus activum, quod ad extraneorum favorem reservatum est de Ordinarii consensu, qui in hac materia sapere videtur Notarii stipulationem reddentem actum perfectum ac irrevocabilem, attamen eadem ratio in omnibus procedit quoad
3 passivum, de quo loquitur *d. dec.* 220. *nu.* 33. *part.* 11. edita in causa, de qua infrà *in Bonon. Beneficii disc.* 35.

Clariùs verò, & cum minori controversia in hac facti specie, in qua tertius, cui jus irrevocabile quæsitum fuit, illud non metitur ex sola munificentia, & liberalitate fundatoris, adeout irrevocabilitas resultet à solo rigore legis reddendi perfectas, & irrevocaliles donationes inter vivos, sed provenit potius à contractu correspectivo concessionis factæ
4 per Episcopum, & capitulum cappellæ jam constructæ, vel situs pro construenda Ecclesia; Ac etiam quia dicta lex, ut præsentari debeat præsbyter de gremio Ecclesiæ, non percutit alicujus commodum, vel interesse privatum pro solo jure honorifico, vel bursali, sed interesse Ecclesiæ pro majori cultu, ob cujus finem, Episcopus, & Capitulum dictam concessionem fecerunt, unde propterea termini sunt longè fortiores, atque ità casus remanere videbatur extrà omnem quæstionem.

Ponderabam ulterius, quod neque dici poterat, ut voluntas in testamento conteuta adversaretur primæ fundationi adeout quæstio ad solum defectum potestatis reduceretur, quoniam hæc secunda dispositio rectè compatibilis est cum prima, ut scilicet non recedendo à dicta qualitate, quod præsentandi esse deberent de gremio, istoque præsupposito retento, fundator explicare voluerit id, quod etiam
5 de jure prætendi posset, ut existentibus in eodem gremio de ejus familia, vel descendètia isti debeant præferri, cum id juri, ac equitati consonum reputetur, Rocc. *de jurepatr. verb. honorificum quæst.* 18. *nu.* 46. Buratt. *dec.* 316. *nu.* 12. *decis.* 647. *nu.* 16. *& dec.* 779. *nu.* 12. *dec.* 122. *nu.* 12. *par.* 11. *rec.* & in aliis; Ideòque dum hæc voluntas suam habere potest operationem, itaut non remanet inanis, inducenda non est correctio, vel ademptio in dubio non præsumenda; Multò magis stante dicto defectu potestatis à quo voluntas metienda est, juxtà satis vulgaria, & recepta axiomata: Non cogitabat enim testator de mutatione patriæ, quam ejus descendentes posteà fecerunt, ideòque præsupponendo, quod illi de ejus familia exituri essent de gremio, hujus Ecclesiæ omnium civium receptitiæ, ut de illa occasione præfinitionis numeri, habetur mentio sub *tit. de Canonicis, & Capitulo in Neritonen. Statuti disc.* 19. & in aliis, meritò potius supplendo, vel explicando dictam priorem voluntatem, compatibiliter, non autem correctivè, ita dispositi.

Et licet in contrarium magnum fundamentum constitueretur in observantia deducta ex eo, quod ille, per cujus obitum vacatio sequuta erat, esset de familia, & non de gremio, Dicebam tamen, quod ita erat allegare potius inconveniens, quam observantiam, quæ in hoc proposito, dum res est clara dici non potest interpretativa, sed potius præscriptiva indigens requisitis præscriptionis, juxtà distinctionem, de qua Barbos. *in l. quæ dotis nu.* 47. *ff. solut. matrim.* Rota *dec.* 319. *num.* 2. *cum seqq. & dec.* 351. *nu.* 7. *cum seqq. par.* 6. *rec.* & sæpiùs. Potissimè cum actus esset unicus, & quod magis, non ageretur de jure alicujus privati, contra quem ob ejus negligentiam præscribi potuerit, sed de jure Capituli, & Ecclesiæ, quibus ex negligentia capitularium tunc temporis præjudicari non potuit; Atque juxta votum practicatum fuit cum presentatione unius de gremio, sed de sanguine, ac parentela fundatoris. 6

In hoc autem proposito deficientis potestatis fundatoris alterandi legem fundationis in prejudicium eorum quibus jus activum, vel passivum quæsitum est, respondendo ad *consil.* 19. Calderini *sub tit. de jurepatron.* distingui solent 7
scribentes, an agatur de filiis, vel de extraneis, ex deductis per eundem Riccium *d. decis.* 280. *part.* 4. Gratian. *discept.* 177. *à num.* 14. *ad fin.* & Rota *dec.* 37. *par.* 7. *recent.* Verum ista differentia inter filios, & extraneos nullum habere videtur juris probabile fundamentum, nisi ad effectum regulandi voluntatem, quod scilicet quando in reservatione enunciantur extranei, quibus ipsius fundatoris successio de jure debita non est, ità perneceśsè occultari videatur donatio, quam ipse fundator facere voluit, secus autem ubi cum filiis, vel aliis conjunctis legitimis successoribus, cum tunc isti enunciati dicantur potius tanquam futuri successores, quam donatarii, & hic proprièest sensus Calderini, sed si verba ita concepta sint, quod agendo de filiis, adesse dicatur dicta donatio, vel agendo de extraneis, ad alium titulum, quam donationis id referri possit, tunc nulla cadere videtur differentia.

Licèt enim attentis terminis, ac subtilitatibus juris civilis, differentia constituatur inter filios in potestate, ac extraneos, quorum jure censentur etiam filii, qui in potestate non sint, ob prohibitam donationem inter patrem, & filium, ob quam quidquid in filium ab explicita, vel implicita donatione obvenit, dicitur peculium profectitium, 8
ideoque revocabile, utpotè à substantia, & dominio patris non abdicatum, ex iis, quæ præsertim habentur *sub tit. de donation.* occasione donationum, quæ contemplatione matrimonii fiant sponso acceptanti pro se, & filiis, & præsertim *in Romana donationis de Jordanis, & Urbinaten. disc.* 1. *&* 2. Attamen, quemadmodum hæc cessando accedit juramentum, quod hujusmodi donationes revalidat, vel juxtà unam opinionem agatur de donatione facta filio clerico cum similibus, ita fortiùs in hac subjecta materia, quoniam spiritualia, & beneficialia non subjacent subtilitatibus juris civilis, ideoque non intrant effectus patriæ potestatis, etiam quoad usumfructum, qui sine dubio non acquiratur in bonis prophanis ob mixturam Ecclesiasticæ qualitatis in filio, ex deductis *in Maceraten. sub tit. de servit. disc.* 61. *& sub tit. de testamenc. in Romana testament. de Jebot* occasione agendi de testabilitate filii familias clerici, cum similibus.

ÆSINA CAPPELLANIÆ

PRO FULGENTIO DE GRATIANIS CUM THEODORO THÆSÆO.

Casus disputatus coram Prælato judice commissario sub incerto exitu.

De eodem, An scilicet Patronus possit immutare legem fundationis, ac tollere jusPatronatus ad alterius favorem reservatum, Et quid occasione novæ erectionis, an hæc importet diversum beneficium, ac diversum jusPatronatus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *In uno altari, vel cappella possunt esse plura beneficia, vel cappellaniæ.*
3 *Declaratur dummodo sub diversa invocatione, & de ratione.*
4 *Rejicitur hæc declaratio, seu distinguitur quando procedat.*
5 *Quod dentur in eodem altari plura beneficia etiam diversæ naturæ, partim scilicet libera, & partim de jurepatronatus, seu &c.*
6 *Et quando detur pluralitas personarum etiam in unico beneficio individuo.*
7 *Non intrant istæ regulæ in cappellaniis non habentibus formalem erectionem.*
8 *An, & quando acquiratur jus absenti.*
9 *Fieri potest nominatio, vel præsentatio ad beneficium erigendum.*
10 *De facultate accumulandi competente Patronis laicis.*

DISC. XVII.

1 POstquam Theodorus Thesæus, fundavit, & dotavit cappellam sub invocatione Sanctissimæ Conceptionis, cum reservatione jurispatronatus pro se, ac universa ejus familia de Thesæis, quædam alia bona eidem cappellæ elargitus fuit pro alio cappellano ad præsentationem sui, ac familiæ de Gratianis, nominando Fulgentium; Deindè verò mutando sententiam, declaravit istam quoque cappellaniam esse debere dictæ ejus familiæ de Thesæis; Quare orta desuper lite cum ipso fundatore adhuc vivente, atque introducta causa coram Prælato judice commissario, duo erant disputationis puncti, Primò scilicet, an reservatio hujus secundi jurispatronatus, ad favorem dictorum de Gratianis esset revocabilis; Et secundò, an dicta posterior bonorum assignatio importaret solum augmentum dotis primi beneficii, vel potius erectionem alterius diversi; Si enim esset juxta primam partem, inanis remanebat inspectio primi puncti, cum nullum adesset subjectum jurispatronatus, quod ita reservari potuerit.

Quatenùs igitur pertinet ad hunc secundum punctum; Ego Scribens pro Gratianis substinere volentibus duplicitatem beneficiorum, ac propterea quod in secundo verificabile remaneret jusPatronatus ad eorum favorem reservatum, deducebam eadem, quæ habentur supra *in Melevitana disc.* 13. (dum tunc jam erant editæ decisiones il-
2 lius causæ,) quod scilicet cum spiritualia non occupent locum, idcircò non implicat, ut in uno eodemque altari plura beneficia erigantur juxtà *decis.* 1394. Peniæ, cum qua moderniores procedunt.

Respondebatur per scribentes in contrarium, (atque Judex eis adhærere videbatur innixus verbis Lottherii *lib.* 1. *quæst.* 30. *numer.* 40.) ut id procedat, dummodò id sequeretur sub diversis invocationibus, diversisque ab initio Ecclesiis, vel Altaribus, quorum uno destructo,
3 ad alterum ejus beneficii, seu cappellaniæ translatio facta esset, qualis est casus *d. decision.* Peniæ; Ponderando etiam incompatibilitatem resultantem ab absurdo *in eadem Melevitana* considerando, quod ità esset dare duos viros unius sponsæ, seu duo capita unius corporis; Et ex qua ratione habemus dari non posse insolidum duos beneficiatos ejusdem beneficii, & consequenter quod secunda dispositio importaret solùm augmentum dotis primi beneficii non recipientis duplicationem.

Verè tamen ista responsio nullius momenti erat, dum claré constabat de animo disponentis erigendi duas diversas cappellanias sub diverso jurepatronatus reservato ad favorem diversæ familiæ, unde propterea nulla cadebat
4 quæstio voluntatis, sed tota erat potestatis, circa quam nil penitùs obstare dicebam dicta verba Lottherii, id obiter asserentis relativè ad præfatam decisionem Peniæ pro illius casu explicando, non autem quod serio, ac maturè, cum rationis, vel auctoritatis fundamento id asserere voluerit, & quatenùs voluerit, quod ei deferendum esset; Ideoque semper ac magis deploranda remanet hujus sæculi, vel professionis miseria, ità litteraliter insistendi in dicto scribentium ad litteram non reflectendo quare, ad quid, & quomodo, adeout nil deplorabilius, vel irridibilius.

Implicantia siquidem prædicta non dandi duos Rectores ejusdem beneficii ob inconveniens, quod aliàs resultaret dandi duos viros ejusdem mulieris, procedit in iis beneficiis, quæ important formalem rectoriam, seu prælaturam Ecclesiæ, cujus caput, vel sponsus dicatur beneficiatus, Secus autem in hujusmodi beneficiis, vel cappellaniis merè servitoriis, in quibus non intrat iste terminus, capitis vel sponsi, sed benè potius alter plurium famulorum servientium eidem Domino, cujus personam repræsentare dicitur ipsa Ecclesia, vel cappella, ità habens plures famulos, & ministros, ut videmus in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis habentibus tot ministros, & servientes sub nomine Canonicorum, & beneficiatorum, & clericorum, atque cappellanorum, &c.

Et magis proximè, de pluribus cappellanis, & beneficiatis ejusdem cappellæ, seu altaris, docet quotidiana praxis totius Catholici Orbis, præsertim in Urbe in duabus insignibus cappellis Sixtina, & Paulina S. Mariæ Majoris, Et in altera insigni cappella Thæsauri in Metropolitana Ecclesia Neapolis, de qua habetur actum *sub tit. de præeminentiis disc.* 12.

Quinimò in eadem cappella, seu eodem altari, dari possunt, ac de facto dantur hujusmodi beneficia servitoria diversæ naturæ, quod scilicet aliqua sint liberæ collationis, alia verò de jurepatronatus diversarum personarum, cum diversis etiam legibus, & oneribus, majoris vel minoris 5
servitii, vel obligationis residentiæ, non implicat, ut nullo existente Rectore, qui formaliter, sponsi vel capitis personam gerat, pluries adsint personæ materiales, dictam formalem unicam personam repræsentantes, vel, (& verius) sint ad exercitium deputatæ cum participatione fructuum, & emolumentorum ex deductis per Adden. ad Gregor. *decis.* 479. *num. finali, & d. tit. de Benef.*

Clariùs verò, ac extrà omnem controversiam in facti specie, dum nulla accedebat formalis erectio hujusmodi cappellaniarum in beneficium cum auctoritate Ordinarii, vel alterius Superioris, unde propterea totum remanebat 7
in terminis merè prophanis, absque eo quod intrarent regulæ beneficiales, ut advertitur supra *in Maceraten. capellaniæ disc.* 15.

Verùm ex hoc præsertim ultimo fundamento, verificari videbatur solitum dicterium, quod sæpius ea quæ prosunt hepeti, nocent stomacho, vel è contra, quoniam istud motivum destruebat alterum hujus partis fundamentum circa irrevocabilitatem jurispatronatus; Siquidem ea quæ in hoc proposito habentur circa dictam irrevocabilitatem, præsertim *in Melphiten. disc. præced.* procedunt data formali erectione beneficii cum auctoritate Or- 8
dinarii habente speciem stipulationis pro absentibus, quorum favore reservatio, fiat unde resultet actus perfectio, & irrevocabilitas; Secùs autem hujusmodi circumstantia cessante, cum tunc nisi accedant, vel juramentum, vel stipulatio Notarii, aut alia circumstantia, ob quam de jure absenti quæratur jus exclusivum pœnitentiæ, juxtà terminos generales in quacumque materia indifferenti ad limitationem regulæ text. *in l. absenti, &c.* nil videtur in ista materia peculiare, dum, ut dictum est, non cadunt termini beneficiales, sed merè prophani, de quibus habetur præsertim actum pluries *sub tit. de donation.* ubi de hac materia, quando scilicèt absenti acquiratur necne jus irrevocabile, adeout excludatur pœnitentia.

Et quoniam dictus fundator in præfata nova, vel secunda dispositione; non solùm reservaverat jusPatronatus, sed nominaverat Fulgentium de eadem familia Gratiana, qui verè causam substinebat; Hinc disputatum etiam fuit, an ista nominatio valeret, dum beneficium adhuc erectum non erat, & quatenùs valeret, an potuerit deindè revocari, atque alter nominari; Utraque tamen quæstio extranea videbatur ob dictam circumstantiam, quod non ageretur de vero beneficio, sed de dispositione merè prophana, unde propterea non intrarent termini spirituales, seu beneficiales.

Quando tamen de hoc agi debuisset; Quatenùs pertinet ad primum punctum, dicebam nil in jure prohibere, ut nominatio, seu præsentatio in beneficium erigendum fieri valeat, ut per Zabarel. *consil.* 82. *nu.* 2. *in fin.* Lambert. *lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 9. *nu.* 47. *&* 48. Et quoad secundum non cadebat necessitas assumendi, inspectionem super omnimoda revocabilitate, quoniam cum præsentatio non esset jurata cum promissione de non revocando, vel non accumulando, sufficiebat in exclusionem dicti primi nominati in concursu alterius, qui jam possidebat, illa facultas accumulandi pro una vice, quæ patronis laicis de jure competit, juxtà ea quę in hac materia facultatis accumulandi haben-

tur

tur infrà *in Compostellana Parochialis disc.*43. ideòque plura obstabant huic parti, cujus succumbentiam credo sequutam esse, nisi sequuta sit concordia, quam Ego ab initio prævidens difficultates consului.

ARIANEN. BENEFICII PRO FELICE CACABO, CUM FRANCISCO CASALTA.

Casus decisus per Rotam pro Felice.

De eodem, An scilicet ipse fundator, vel successor alterare possit naturam juspatronatus, illud de hæreditario faciendo gentilitium, vel è contrà, sive adjiciendo qualitatem passivam, quæ prius non aderat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Ubi adest qualitas juris patronatus passivi non potest patronus illam negligere, ac alias habens qualitates est instituendus.*
4 *An patronus ex intervallo, vel successor possit alterare naturam juris patronatus, ac adjicere dictam qualitatem passivam, distinguitur.*
5 *An inter sit Ecclesiæ immutari naturam beneficii, atque de hæreditario fieri gentilitium.*

DISC. XVIII.

1 ANtiquum juspatronatus beneficiorum S. Angeli, S. Mariæ, & SS. Apostolorum, prius familiæ de Filibertis, postmodum alterius familiæ de Pellicanis, ab ista transitum fecit in Gabrielem Cacabum qui circa annum 1574. instituendo septem filios ex duabus uxoribus susceptos cum reciproca substitutione inter eos, adjecit hujc juspatronatus passivam qualitatem familiarem, ut scilicèt præsentari non possent nisi illi de familia, vel descendentia ipsius, quatenùs adessent habiles; Cumque sequuta vacatione de anno 1648. aliqui ex descendentibus dicti Gabrielis præsentassent Felicem pariter descendentem, & de familia, Alii verò Franciscum de diversa familia, atque Ordinarius Felicem instituisset, hinc introducta per appellationem à Francisco causa *in Rota coram Verospio, sub die* 10. *Martii* 1651. ad ejusdem Felicis favorem prodiit resolutio, cui altera pars acquievit, unde propterea causa ulteriorem progressum non habuit, dictaque 2 resolutio habetur impressa *in part.*11. *recent. decis.* 222 etiam repetita post Tondut. *de pension. decis.*5.

In hac autem unica disputatione, in qua Ego scribebam pro Felice, non dubitabatur de vera, & recepta conclusione, quod ubi juris patronatus admixtam habet qualitatem passivam, à fundatore, vel alio legitimè adjectam, quod scilicèt præsentari non possint nisi personæ de certo genere, vel certam qualitatem habentes, ut non possit patronus talem legem spernere, ac alium præsentare, quodque aliter faciendo actus remaneat invalidus, atque habens qualitatem, spreto patrono, instituì debeat tanquam 3 præsentatus ab ipso fundatore, sive talem legem adjiciente, *ad theor.* Abb. *in cap. cum in cunctis, §. inferior num.*10. *& seqq. de elect.* Lambertin. *lib.*2. *part.*1. *quæst.*8. *art.*4. *n.*11. Vivian. *part.*2. *lib.*2. *cap.*9. Seraphin. *decis.*774. *&* 1270. Burat. *decis.*559. & Add. *ad ipsum decis.* 55. *num. fin.* cum aliis in hujus causæ decisione, & frequenter; cum sit principium hodie receptum non admittens amplius controversiam, adeout per scribentes in contrarium, ut supra, non negaretur.

Negabatur tamen potestas dicti Gabrielis adjiciendi dictam legem, seu qualitatem, quæ propterea utpotè malè adjecta non esset obligatoria, stante quod non ageretur de lege adjecta per fundatorem in limine fundationis cum consensu Ordinarii, quo casu absoluta est talis legis validitas, sed agebatur de adjecta post longum temporis spatium ab ejus fundatione, cum tamen, non solùm successori, sed etam ipsimet fundatori non concedatur ex intervallo adjicere novas leges alterativas, novaque onera, ex generaliter deductis per Monet. *de commutat. ult. volunt. cap.*10. *nu.* 351. Ciarlin. *controv.*69. *n.*4. Rot. *decis.*593. *part.*5. *recent.* 4 Et in individuo, ut adjici non possit ista qualitas passiva restringens patronorum libertatem advertitur per Vivian. *part.*1. *l.*2. *c.*8. *n.*6. & motivatur *decis.*151. *post eumdem n.*17. *ex conf.*134. Ferett. cum aliis quę habentur pluries in præcedentibus super defectu potestatis, tam fundatoris, quàm successoris tollendi, vel alterandi jus aliis quæsitum.

Respondebam, (& Rota admisit responsionem, utpotè veram benèque fundatam) id procedere, Vel indefinitè etiam in juspatronatus hæreditario favore Ecclesiæ, cujus præjudicium talis alteratio percuteret, Vel quia patronalem qualitatem ipsiusque Ecclesiæ servitutem prorogaret, ut contingere posset, quando taxativè juspatronatus restrictum esset ad certam familiam, seu certum genus quo defecto efficeretur libera, per novam autem alterationem induceretur prorogatio ad diversum genus; Sive quod Ecclesiæ præjudicium esset circa cultum, quia beneficiato remitterentur onera, vel remitteretur qualitas residentialis, seu sacerdotalis cum similibus.

Sive quod ageretur de jurepatronatus gentilitio, aut aliàs ità constituto, quod successor, qui talem alterationem impugnat, veniat jure suo directè, ac independenter ab eo qui talem legem alterativam adjecit, atque in his terminis procedunt dictæ auctoritates, ac aliæ quæ desuper habentur insinuatę *disc. præc.* præsertim in Melphiten. *disc.*16.

Secus autem ubi agitur de jurepatronatus hæreditario, unde successores suum jus metiantur ab eo qui talem legem alterativam adjecit, & quem in eorum auctorem agnoscant; Tunc enim, quoad hæredes, & successores ab eo causam habentes, censendus est jure primi fundatoris, quia si poterat in præjudicium ejus hæredum, de ipso jurepatronatus in genere disponere, illud Ecclesiæ remittendo, vel aliis donando, aut legando, multò magis potuit illud hæredibus relinquere in aliqua parte à suo primævo statu alteratum, ex indubitato principio, quod nunquam impugnari potest judicium ejus, qui dedit minus, dum in ejus libertate erit nihil dare, ut advertunt Lambertin. *p.*2. *lib.*1. *qu.*2. *art.*7. *n.*4. Gratian. *discept.*577. *nu.*41. *& seqq.* Rota *dec.*267. *n.*4. *& seqq. par.*6. *rec.* plenè scribentes apud Vivian. *lib.*14. *post c.*2. *nu.*27. *cum seqq.* atque ita distinguendo firmatur per Rotam *dicta dec.*151. post Vivian. *in dec.*130. *&* 372. *par.*11. *rec.* plenè in Lunen. Sarzanen. beneficiorum 5. Decembris 1661. 22. Maii 1662. & 12. Februarii 1663. coram Ninot, editis in causa, de qua *disc. seqq.*

Multò magis, quia ut advertitur suprà *dict. disc.*16. ista præsertim lex præscribens necessitatem patronis præferendi illos de familia, vel sanguine in concursu extraneorum, non videtur exorbitans, seu alterativa, sed potiùs magis declarativa ejus, quod est de jure, ex ibi deductis, & in hujus causæ decisione, cum posita habilitate, nil Ecclesiæ interest, beneficium uni, vel alteri personæ conferri; Quinimò potiùs hujusmodi restrictiones Ecclesiæ favorem concernere videntur, ubi scilicet de hæreditario, juspatronatus fieret gentilitium, cum ita Ecclesia faciliùs sperare posset libertatem, sequendo eam opinionem, quod cessato illo genere, juspatronatus expiret; Licèt enim ista sit minus recepta, attamen ejus casus dari potest ex clausulis, & verbis restrictivis, ex deductis infrà in hac materia, præsertim in Bonon. beneficiis *disc.*35.

LUNEN. SARZANEN. BENEFICIORUM PRO JO: FRANCISCO PROMONTORIO, CUM JOANNE ANTONIO CONTARDO.

Casus variè decisus per Rotam.

De eadem materia potestatis alterandi naturam juris patronatus, & præsertim illud faciendi fideicommissarium, an fieri possit sine assensu Ordinarii.

SUMMARIUM.

1 *Facti series cum causæ dicisionibus.*
2 *An juspatronatus cadat sub fideicommisso remissivè.*
3 *Quod requiratur consensus Ordinarii ad subiiciendum juspatronatus fideicommisso.*
4 *Ex lapsu longissimi temporis iste consensus præsumitur.*
5 *Dummodò concurrat observantia sine qua tempus non sufficit.*
6 *Conclusio, de qua n.*3. *intelligitur de fideicommisso particulari.*
7 *Doctores debent intelligi juxta auctoritates quas allegant.*
8 *De auctoritate* Emmanuel. Costæ, *ut loquantur de fideicommisso universali.*
9 *De errore Legistarum circa intelligentiam litteralem doctrinarum.*
10 *Expenditur ratio, ob quam in legato, vel donatione, aut alia dispositione particulari juris patronatus requiratur consensus Ordinarii, an sit illæ simoniæ.*
11 *In dispositione inter compatronos non requiritur dictus consensus.*
12 *Assignatur vera ratio, ob quam ille requiritur.*
13 *Juspatronatus est individuum, & competit cuilibet ex patronis insolidum.*
14 *Juspatronatus sine consensu prædicto venit accessorię ad universitatem, vel rem cui est annexum.*
15 *De alia ratione, ob quam fideicommissum universale, vel etiam particolare in bonis ordinari valeat, quod juspatronatus complectatur sine consensu.*

DISC. XIX.

1 AD beneficia Beatæ Mariæ, Sancti Nicolai, & Sanctæ Luciæ, à patronis (inter se divisis) præsentati fuerunt Joannes Franciscus Promontorius, & Joannes Antonius Contardus, quorum uterque litteras Apostolicas cum derogatione partis vocum obtinuit, unde præsentatis per Joannem Franciscum litteris in Rota coram Cerro, super earum executione duæ prodierunt resolutiones sub diebus 3. Decembris 1655. & 9. Junii 1656. quę habentur impressæ *p.*12. *resent. decis.* 100. & 190. ad quarum normam emanata sententia, in alia instantia appellationis, vel restitutionis in integrum coram Celso, ea infirmata fuit cum unica decisione 27. Junii 1661. inter ejus impress. *decis.* 360. In tertia verò instantia coram Ninot, hæc posterior sententia infirmata fuit sub diebus 5. Decembris ejusdem anni, & 27. Maii 1662. & 12. Februarii 1663. incertumque est, an causa ulteriorem disputationis trutinam habuerit, & qualis fuerit ejus exitus, dum ampliùs de illa actum non audivi, & forsan obitus Joannis Francisci illi finem dedit.

Cum autem causæ decisio penderet ab enumeratione vocum, & an Joannes Franciscus haberet, necne majorem partem, sub cujus conditione gratiam Apostolicam habebat; Hinc proindè plures cadebant inspectiones in nudo facto consistentes circa legitimationem personarum, ac pertinentiam vocum, seu portionum; Punctus verò juris principaliter consistebat in eo, an attendendum esset quoddam fideicommissum ordinatum per Nicolaum Griffium unum ex filiis Augustini fundatoris, vel possessoris juspatronatus ad favorem trium ejus fratrum, eorumque descendentium sub dispositione, quod in casu obitus absque filiis, ultimus aliquem adoptaret, qui familiam assumeret, atque in fideicommisso succederet, ut sequutum fuit.

Non cadebat autem quæstio voluntatis frequentiùs in hac materia disputari solita, an scilicet juspatronatus veniat in restitutione fideicommissi, necne juxta disputationes habitas infrà in Capuana, & Mediolanen. *disc.*36. *& seqq.* & 8 in aliis proximis, cum in præsenti voluntas esset clara, & expressa; Ideòque quæstio fuit solùm potestatis, an scilicet fundator ex intervallo, vel ejus successor, adjicere possit hanc legem in ipsius fundationis limine non adjectam, atque ita juris patronatus naturam immutare sine consensu Ordinarii.

Istum verò necessarium esse ad effectum, ut juspatronatus fideicommisso subjiciatur, firmant Decius *cons.*127. *nu.*2. 3 Lambertin. *lib.*1. *par.*2. *qu.*2. *art.*35. *nu.*9. Garz. *par.*5. *cap.*9. *num.*19. Emmanuel. Costa *in cap. si pater de testam. in* 6. *par.*2. *verbo Trebellianica nu.*6. *in fin.* Rota *decis.*532. *nu.*16. *par.*5. *rec.*

In prioribus autem decisionibus coram Cerro, admittendo simpliciter, ac indefinitè dicti assensus necessitatem, constituitur fundamentum in ejus præsumptione resultante à 4 lapsu longissimi temporis, ex generali conclusione, quam habemus in alienationibus bonorum Ecclesiæ, vel similibus super præsumptione solemnitatum ex lapsu longi, vel respectivè longissimi temporis resultante, juxtà majorem, vel minorem juris resistentiam, ad notata *in cap. pervenit de cens. cum concord.* ex deductis per Gabr. *de præsumpt. conclus.*1. Adden. ad Gregor. *dec.*354. Buratt. & Add. *dec.*45. & frequenter in omnibus ferè materiis, præsertim verò in illa alienationis bonorum Ecclesiæ *sub tit. de alienat. & contract. disc.*1. Et in specialibus terminis hujus consensus, Coccin. *dec.*106. *nu.*11. Adden. ad Gregor. *dec.*420. *num.*7. cum aliis in dictis decisionibus coram Cerro, & admittitur in alia coram Celso.

Facilè autem fuit scribentibus in contrarium hujusmodi fundamentum evertere in dicta alia instantia coram Celso, quoniam receptissimum est, ut ad hujus- 5 modi præsumptionem inducendam non sufficiat solus lapsus temporis, sed copulativè requiratur observantia vera, pacifica, continua, & univoca, non autem æquivoca, ex deductis apud Otthobon. *decis.* 220. & frequenter in dicta sua materia *de alienationibus, ac alibi*, & in specie *dicta decis.*360. *coram Celso numer.*3. cum sit pariter principium certum non admittens ampliùs controversiam; Undę cum de hujusmodi observantia non constaret in adoptivo possessore fideicommissi, cujus casus evenerat, & à cujus voti computatione resolutio pendebat, hinc non mirum si retento dicto præsupposito necessitatis dicti consensus, à prioribus resolutionibus recessum fuit.

Meritò autem mihi in aliquibus disputationibus scribenti pro Joanne Francisco, (cum sensu etiam veritatis,) visum est, recedendo ab intermedia resolutione, primam sententiam canonizatam esse ex cessante dicta necessitate, quoniam illa procedit in fideicommisso particulari, quod in ipso jurepatronatus ordinaretur, ut tunc, 6 tanquam in legato, vel in donatione, aut alia particulari dispositione ille requiratur, & in his terminis loquitur Decius *dicto consil.*127. *numer.*2. in cujus auctoritate se fundat Lambert. *loco citato*, atque ita intelligendus venit Garz. *ubi suprà*, qui more collectoris potiùs, quàm Doctoris, juxta frequentiorem modernorum stylum, id asserit relativè ad Lambertin. Doctores enim intelligendi sunt juxta doctrinas quas allegant, juxta vulgarem, ac receptam theoricam Bartoli *in l. non solum, §. liberatione, ff. de libert. legata.*

Scribentes in contrarium, inhærendo juxta modernam corruptelam verbis DD. ac si essent verba legis, acriter 8 insistebant in eo, quod Emmanuel Costa *in dict. cap. si pater de testam in* 6. *part.*2. *verb. Trebellianica numer.* 6. *in fine*, explicitè loqueretur etiam de fideicommisso universali, dum dicit, quod restituta hæreditate ex testantis judicio, poterit fideicommissarius consequi etiam juspatronatus, si Episcopi auctoritas accedat; Ex hoc enim inferebant ita explicitè supponi dictam auctoritatem necessariam esse etiam in fideicommisso universali ordinato in hæreditate; Atque super hac doctrina, juxtà no- 9 stras consuetas leguleicas insipiduras, ob quas apud aliarum scientiarum professores, præsertim verò illos politioris litteraturæ, contemptibiles, ac nauseativi reddimur; Quasi quod in potestate privati Doctoris repositum sit legem concedere, ideoque attendi debere, quamvis rationem destitutam, quodque ab ejus verbis dentur illationes, vel argumenta à contrario sensu, quo nil absurdius, nihilque magis insipidum, & contemptibile, cum sæpiùs scribentes, vel non intelligendo quid dicant, vel aliud principaliter agendo, neque particulariter ad verborum formalitates reflectendo, æquivocè eorum sensum explicare soleant.

Cùmque progenio, ac stylo, perpetuò abhorruerim istum pragmaticum morem insistendi super sola doctrina in littera, non indagata ratione; Hinc proindè advertebam, quod pro hujusmodi æquivoci clara notitia, indaganda est ratio, cui dicta conclusio innixa est super hujusmodi consensus necessitate, ut juspatronatus fideicommissariæ successioni supponatur, & quæ differentia sit inter fideicommissum universale, & particulare.

Aliqui enim putant, ideò in donatione, vel legato, aut alia particulari dispositione requiri Ordinarii consensum, ut ita removeatur suspicio simoniæ, quæ aliàs committi posset; Verùm insulsa est hæc ratio; Tum quia simonia occultè committi solet, non autem publicè, in contractum, vel aliam dispositionem deduci, unde propterea nihil refert accedere, vel non accedere Ordinarii consensum, ubi partes talem depravatum animum habeant; Tum etiam, quia ubi constaret de certa, & omnimoda sinceritate actus, ut præsertim de facili constare dicitur in dispositionibus, quæ per probos viros fiant in actu moriendi per ultimam voluntatem, non debe-

deberet ista necessitas desiderari, cujus contrarium est verius; Ac etiam, quia non videtur, cur eadem suspicio cadere non valeat in donatione, seu legato, aut alia particulari dispositione, quæ fieret in compatronum, & tamen quidquid Rocch. & alii dubitent, hodie extra controversiam est id rectè fieri posse, neque dictum consensum desiderari, ut cæteris relatis Peregrin. *consil.* 87. *n.* 5. & 6. *lib.* 3. Achil. *decis.* 10. *de jurepatron.* Barbos. *de Episcopo allegat.* 71. *num.* 28. Rot. apud Otthob. *dec.* 230. *numer.* 12. *dec.* 206. *numer.* 26. *part.* 7. *recent.* & in aliis frequenter.

Vera ergò ratio illa est, quod hujusmodi jura non sunt in commercio, sed tanquam provenientia ex Ecclesiæ gratia, & benignitate ita inducta ad alliciendos fi-
12 deles, ad fundandas, & dotandas Ecclesias, habeant speciem feudorum, vel jurium Regalium non existentium in commercio, neque transferibilium de uno in alterum absque Domini assensu, qui speciem investituræ, seu novæ concessionis præseferre dicitur, juxtà ea, quæ in feudis habemus in sua materia *sub titulo de feudis*, & in officiis, ac locis montium, aliisque juribus Regalibus habemus *sub eo titulo de Regalibus cum similibus*; Unde propterea prodiit, quod dictus assensus non requiritur in dispositione inter compatronos, eo modo, quo in feudo, vel emphyteusi non requiritur inter vocatos ab eadem investitura, cum isti jam habeant assensum.

Ac etiam, quia juxta ea, quæ habentur plenè deducta per Bellon. jun. *de jur. accresc. cap.* 6. *quæst.* 48. cum aliis
13 *sub titulo de feud.* in Mutinen. de Rangonis *disc.* 8. jus patronatus dicitur individuum, quod habitualiter residet penès quemlibet ex pluribus insolidum, diviso solùm exercitio, unde propterea, quando compatronus ad favorem alterius juri suo cedit, nihil cessionarius acquirit de novo, sed per quoddam jus non decrescendi, sive per remotionem obstaculi, obtinet in exercitio, & fruitione majorem portionem, quàm prius obtineret, ut advertitur *dicto disc.* 8. *de feudis*, & benè Achil. *dicta decis.* 10. *de jurepatronat.* cum qua alii moderniores transeunt, ubi alia consideratur ratio, de qua etiam *sub tit. de feriad. disc.* 47. quod Ecclesiæ expedit patronorum numerum minui.

Ista verò ratio non cadit, ubi agatur de dispositione universali, facta scilicet in hæreditate, vel etiam de particulari facta in aliqua bonorum universitate, sub qua ac-
14 cessorie, & consecutivè tanquam universitatis pars, seu corporis universalis membrum veniat ipsum jus patronatus, vel altera res prohibita; Quinimò etiam, ubi agatur de dispositione inter vivos, vel per ultimam voluntatem de re particulari, puta castro, villa, vel prædio, cui jus patronatus annexum sit, quoniam rectè illud venit, non solùm in dispositionibus merè gratuitis, ut sunt, legatum, vel donatio, sed etiam in contractu emptionis, & venditionis, vel simili mediante pecunia, vel alia re temporali, etiamsi ipsius juris patronatus specifica mentio fiat, quoniam nisi constet, quod de illo in pretio ratio habita sit, adeòut ejus augmentum causaverit, id nil refert, quoniam specificatio facta censetur de eo, quod jam inerat, gratia majoris declarationis, neque desuper aliquis consensus necessarius est, ad text. *in cap. ex litteris de jurepatronatus*, ubi Abb. & cæteri, de quibus Lother. *lib.* 2. *qu.* 9. *num.* 50. Vivian. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 16. *cum seqq.* Barbos. *de Episcopo dicta allegat.* 71. *nu.* 20. Rota *decis.* 173. *nu.* 24. *cum seqq. & dec.* 206. *num.* 27. *par.* 7. *rec. dec.* 207. *nu.* 15. *& seqq. par.* 6. cum aliis collectis per Adden. *ad decis.* 46. *nu.* 11. *& seqq. & n.* 123. *& seqq. par.* 9. *rec.* & in ultimis hujus causæ decisionibus coram Ninot.

Et conferunt, quæ de alienatione bonorum jurisdictionalium, vel prohibitorum sub venditione, vel cessione hæreditatis, vel alterius juris universalis habentur *in d. tit. de feud.* in Tiburtina *disc.* 68.

Item quia ex iis, quæ habentur infrà in dicta Capuana *disc.* 36. & in aliis proximis, in quæstione, an jus patronatus cadat, necne sub fideicommisso, totum restringi-
15 tur ad voluntatem, nullatenùs autem dubitatur de potestate, minùsque agitur de necessitate dictæ solemnitatis, quam incongruum esset desiderare, cum frequentiùs fideicommissa ordinari soleant per ultimas voluntates in actu moriendi, quando tempus non vacat hujusmodi solemnitates adhibendi; Ac etiam, quia fideicommissum non est aliud, nisi succedendi ordo præscriptus ab homine, ad instar illius ordinis quem lex in intestata successione præscripsit, unde quemadmodum prohibitum non est acquirere jus patronatus cum dicto ordine legis, sive etiam præscribere alterum ordinem sanguinis in gentilitio, etiam ex intervallo, ita non videtur, quæ ratio dictam solemnitatem exigat, nisi quando ageretur de individua, & particulari dispositione fideicommissaria ipsius juris patronatus tanquam per puram speciem legati, cum cujus terminis procedit Decius *ubi sup.* qui est hujus conclusionis auctor; Ita verò dicebam examinari debere articulum, non autem immorari in formalitate verborum alicujus Doctoris, ut nostra quotidiana miseria facere cogit etiam eos, qui abhorrent eo, quia frequenter ratiocinia, potiùs aliquorum judicum mentem involvunt, eosque in suspicionem inducunt, opinando, quod ita Advocati eis pulverem in oculos injicere velint.

PISANA COMMENDÆ PRO FRANCISCO MARIA CUM MICHAELE DE GRIFONIBUS.

Casus disputatus coram judicibus S. Religionis Sancti Stephani, resolutus ut infrà.

De eodem, an scilicet attendi debeat nova lex, vel conditio per fundatorem, vel alium ejus nomine ex intervallo adjecta, quæ sit alterativa antiquæ legis, vel naturæ juris patronatus; Et an ex lege adjecta in jurepatronatus activo inferatur ad passivum; Et in specie Commendarum militarium Sancti Stephani super Statuto, ut Patrono existente incapaci debeat ejus capacitas expectari, & interim Commenda vacare, quomodo, & quando procedat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Commendæ tam circa ætatem, quàm circa alia regulantur jure beneficiorum.*
3 *Dispositio S. Conc. Trid. circa ætatem* 14. *annorum, procedit etiam in beneficiis de jurepatronatus.*
4 *Commendæ regulares non conferuntur, nisi regularibus, vel habilibus ad profitendum.*
5 *An in majoratibus, ac fideicommissis, & primogenituris detur suspensio, ut expectetur capacitas primo vocati.*
6 *In beneficiis autem non datur hæc suspensio.*
7 *Vocatio à fundatore debetur institutio etiam invito Patrono, qui alium præsentet.*
8 *De decisionibus* Rotæ in Romana Commendæ *admittentibus dictam suspensionem.*
9 *De impressione; quam faciant doctrinæ punctuales magis, quàm rationis.*
10 *An vocato natu majori, intelligatur attenta ætate, vel attenta linea.*
11 *Quod ab immutatione juris patronatus activi non inferatur ad passivum.*
12 *Quod Patronus non possit præsentare seipsum remissivè.*
13 *Patronus non potest se ingerere in fructibus beneficii.*
14 *Quod Commendæ Religionis S. Stephani non regulentur jure beneficiorum Ecclesiasticorum, sed jure primogenitorum, & majoratuum.*
15 *Declaratur quando id procedat.*
16 *Fundator in limine apponere potest conditiones juri contrarias.*
17 *Statuta hujus Religionis non attenduntur in iis, quæ sunt juri contraria.*
18 *M. Magister Religionis militaris, licèt sit in temporalibus Princeps supremus, attamen in concernentibus militiam reputatur, ut Prælatus.*
19 *Rubrica enim habet vim legis, vel eam interpretatur.*
20 *Quando jus patronatus dicatur competere ex fundatione si concessum est ob augmentum dotis.*
21 *Non attenduntur clausulæ, & verba, sed ipsa substantia veritatis.*
22 *De intellectu Statuti circa fundationem ex bonis Ecclesiasticis.*
23 *Dispositio loquens de futuro non amplectitur præterita, & è contra.*
24 *Quomodo in his commendis judicetur, vel judicandum sit, & de distinctione, quando in eis intrent Statuta.*

DI-

DISC. XX.

1 POstquam juxtà seriem, quæ de ista militari Religione S. Stephani habetur *sub tit. de jurisd. disc.* 92. Ad supplicationem Cosmi Primi Florentiæ Ducis, Pius IV. de anno 1561. dictam militiam erexit, atque de anno sequenti ejus Statuta confirmavit; Idem Pontifex de anno 1565. suppresso Monasterio S. Pauli ad ripam Arni Vallumbrusanæ Congregationis, descripto in libris Cameræ valoris florenorum 400. sive attentò eo tempore consimilis summæ 400. ducatorum auri, intuitu augmenti dotis oblati per Michaelem de Grifonibus annuorum scutorum 300. monetæ, illud mandavit erigi in commendam, seu baiulivatum dictæ militiæ de activo jurepatronatus dicti Michaelis majoris natu, ejusve inter descendentes, passivo autem universæ ejus familiæ, quatenùs in ea adessent idonei, & capaces; De anno verò 1574. ad ejusdem Michaelis preces Greg. XIII. censuit, seu declaravit dictum jus patronatus juxta ordinem primogenituræ, in dicti Michaelis descendentibus regulari debere.

Cum autem ex Michaele fuisset superstes Franciscus, qui duos habuit filios, Michaelem scil. primogenitum, & Ferdinandum; Atque ex primo fuisset superstes Franciscus junior dictæ commendæ possessor, sequuta istius morte superstite Cosmo filio in pupillari ætate constituto, hinc orta est controversia inter istum, & Franciscum Mariam dicti Ferdinandi filium habilem, & capacem super dictæ commendæ ita vacanti pertinentia, atque pro Cosmo prodiit sententia ordinarii Judicis, vel Magistratus dictæ Militiæ in prima instantia, commendam scilicet ei debitam esse, quando ad legitimam ætatem devenerit, interim verò debere stare in suspenso ad normam stabilimentorum, seu Statutorum ejusdem Religionis *tit.* 13. *c.* 90. atque pendet revisio.

In hac autem controversia; Scribens pro Francisco Maria natu majori, & capaci, occasione præsertim petendi revisionem, dicebam pro clariori, magisque methodica discussione, tres inspectiones efformandas esse; Unam scilicet in terminis generalibus juris communis; Alteram attentis dictis litteris Apostolicis Pii IV. & Greg. XIII. Et tertiam attento dicto Statuto Religionis *tit.* 13. *c.* 90. per quod expresse disponitur, ut contingente casu vacationis commendæ de jurepatronatus quomodocumque competentis, quatenus patronus, vel ille de lina esse in ætate incapaci, expectari debeat capacitas, atque interim commendam vacare, cum facultate patroni applicandi sibi ipsi fructus, dummodò Ecclesiæ provideatur de necessario, vel consueto servitio.

Quatenus igitur pertinet ad primum, attento solo puncto juris communis, deducebam eadem fundamenta, quæ in consimili quæstione habentur deducta in Romana Commendæ *sub tit. de fideicommiss. disc.* 8. Quod scilicet Com-
2 mendæ etiam Religionum Militarium regulantur quoad ætatem, capacitatem, ac necessitatem providendi, eodem modo, quo beneficia ecclesiastica, Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 5. §. 8. *n.* 9. Gärz. *par.* 1. *cap.* 4. *n.* 6. & 7. Lother. *lib.* 1. *q.* 17. *n.* 11. & habetur *sub tit. de benef. disc.* 95. ubi generaliter agitur de ætate in beneficiis requisita.

Qua certa conclusione ita constituta, duæ inhabilitates in dicto Cosmo concurrebant; Una scilicet ætatis, quæ per S. Conc. requiritur ad minus 14. annorum; Atq; extra controversiam est, ut cessante contraria voluntate fundatoris, ubi præsertim agitur de fundationibus post Concilium, istius dispositio procedat etiam in beneficiis de jure-
3 patronatus laicorum, Viv. *lib.* 6. *c.* 6. *n.* 6. Ventriglia *de benef. tit. de ætate*, &c *num.* 6. & communiter, ut *dicto disc.* 95. *de benef.* ac alibi *cod. tit.*

Et altera, quod in commendis, vel beneficiis Regularibus, vel militaribus, pro earum assequutione requiritur, vel professio, vel habilitas ad profitendum, *Clem.* 1. *de statu Monachor.* cum ibi not. & in S.C.T. *sess.* 14. *de refor. c.* 10. *&*
4 *sess.* 25. *de regular. c.* 25. ubi plures colligit Barbos. Buratt. *decis.* 390. 463. Unde cum in ista militia ad susceptionem habitus, seu admissionem ad illum actum, qui loco professionis habetur, requiratur ætas 16. vel 18. annorum, hinc incapacitas remanebat certa, ut etiam supponebatur tanquam absoluta.

Neque de jure prætendi potest diuturna vacatio usque ad tempus habilitatis, quoniam etiam in feudis, vel in
5 primogeniis, & majoratibus Hispaniæ, aliisque aliquam administrationem annexam habentibus, receptum est non dari suspensionem, seu vacationem, admittendam solùm in fideicommissis ordinariis, ac etiam juxtà veriorem opinionem in illis majoratibus, & primogenituris, quæ in omnibus jure fideicommissorum ad terminos juris communis regulantur, præterquam circa individuitatem, vel singularitatem personæ, excludendo plurium simultaneum concursum, ut advertitur in dicta Romana Commendæ, ac latiùs, magisque ex professo in Bonon. primogenituræ ac Luparis, & in Ferrarien. fideicommissi de Franchis *sub dicto tit. de fideicomm. disc.* 7. *cum duobus seqq.*

In beneficiis verò Ecclesiasticis, vel Commendis, ut suprà jure beneficiorum regulandi, extra controversiam
6 est non dari hujusmodi vacationem, nisi pro tempore à Sacris Canonibus præfinito, quatuor scilicet mensium in illis de jurepatronatus laicali, & sex in illis de jure ecclesiastico, seu de jure collativo; Et consequenter si de tempore vacationis proximior, & qui aliàs data capacitate præferri deberet, non reperiatur capax, saltem pro tempore, quo præsentatio, vel collatio facienda est, admittitur remotior, vel etiam extraneus præsentari potest irrevocabiliter, ut apud Buratt. *decis.* 680. *decis.* 496. *part.* 1. *recent. decis.* 206. *par.* 3. Firmana jurispatronatus 18. Maii 1654. coram Albergato, & frequenter, dum præsertim in dicta
7 Ferrarien. *sub titulo de fideicommissis disc.* 9. præsupposita ista conclusione tanquam indubitata, quæstio erat, an à similibus idem dicendum esset in fideicommissis qualificatis, ali-
8 quam administrationem, & qualitatem annexam habentibus, putà quia vocati sint Doctores, ac habiles ad exercendum munus Advocati, vel Procuratoris, juxta illum casum cum similibus.

Et consequenter cum dictus Cosmus, quamvis de linea primogenita, in quam commenda ingressa erat, ac filius ultimi possessoris, data capacitate, quodam jure continuativo præferendus esset, ut suprà, dupliciter incapax tam
7 attento temporis vacationis, quàm ultimo momento termini præfiniti ad præsentandum, planum ac absolutum remanere videbatur institutionem debitam esse alteri proximiori de linea, quamvis à dicto primogenito possessore jurispatronatus activi non præsentaretur, ex natura jurispatronatus passivi, quod personæ de genere vocato, etiam sine præsentatione patroni pro tempore, quinimò eo invito, institui debent, tanquam vocati à lege, seu præsentati à fundatore, juxtà deducta suprà in Ariannen. *disc.* 18. & in aliis pluries ad materiam jurispatronatus passivi.

In contrarium, attentis etiam terminis generalibus juris, nimiùm urgebant, atque attento currenti pragmatico sty-
8 lo, maximum faciebant ostaculum duæ decisiones Rotæ Romanæ proditæ in dicta Romana Commendæ 21. Februarii 1661. coram Albergato, & 5. Februarii 1662. coram Emerix, quæ verè fuerunt causa hujus resolutionis in prima instantia; Verùm (in sensu etiam veritatis) dicebam dictas decisiones, retentis terminis beneficialibus, quodque ageretur de vera Commenda Ecclesiastica jure beneficiorum regulanda, prorsus extraneas esse à casu, cum illarum verum fundamentum consisteret in eo, quod ageretur de primogenitura merè prophana honorifica commendæ militaris vocabulo cohonestata, ex privata tamen dispositione, & ex aliis facti circumstantiis, de quibus in eadem causa *d. tit. de fideicomm. disc.* 8. unde meritò sub fideicommissaria potiùs, quàm beneficiali, vel jus patronatus materia situata fuit.

Ideòque advertebam, quod dictæ decisiones essent quidem regulariter congruè applicabiles commendis hujus militiæ ex privatis dispositionibus erectis, atque cadentibus sub *dicto Statuto* 90. *tit.* 13. *de fundator. Commend.* non autem congruere huic Commendæ, ob quamdam specialem ejus qualitatem ad diversificantem naturam, ut advertitur infrà in secunda, & tertia inspectione; Verùm
9 quia juxtà pragmaticum dicterium hodie magis æstimari solet una doctrina, vel auctoritas punctualis, quàm centum ratiocinia, quod cum aliqua admiratione deductum quoque habetur in quadam Rotali decisione edita in casu, de quo *sub tit. de emphteusi discurs.* 3. dictusque morbus ubique inolevit; Hinc proindè satis durum esse solet cum hujusmodi distinctionibus, vel cum considerationibus incongruæ applicationis, tollere impressiones, quas doctrinæ punctuales, præsertim verò decisiones faciunt.

Quo verò ad secundam inspectionem resultantem à literis Apostolicis Pii IV. & Gregorii XIII. Attentis primis super concessione; & fundatione jurispatronatus, etiam quoad activum, prætendi potuisset illud spectare debere ad istum natu majorem, dum concessio legitur

pro natu majoribus de descendentia primi acquirentis, ex
10 magis vera, & recepta propositione, de qua *dicto titulo de fideicommissis discurs. 1. cum plurib. seqq.* ut quicquid sit in majoratibus, in quibus de solo jure successorio bonorum agatur, in illis tamen, qui magis honorifici, quàm utilitarii, administrationem annexam habent, cujus ratione prudentia desiderari videtur, vocatus censeatur major natus per naturam, inspecta sola ætate, non autem per legis fictionem derivantem à prærogativa lineæ.

Istam verò quæstionem, seu difficultatem providus fundator, seu primus acquirens prudenter dirimere curavit, cum subsequenti declaratione Apostolica Gregorii XIII. aliud non continente, nisi declarationem prædictam circa jus patronatus activum, ut scilicet cum ordine primogenituræ deberet regulari, ut existeret penes eum, qui primam figuram in familia faceret, atque ut vulgò dicitur, capitis domus, juxtà ponderationem, de qua infrà *discurs. proximè sequenti*; Nihil autem disponitur, vel innovatur circa patronatum passivum, in quo primæ litteræ Pii IV. in hac parte in aliquo non alteratæ, majori natu, & capaci assistunt, dum in eis disponitur præsentari debere descendentes de linea, seu familia, quatenùs adessent idonei, & capaces, ideòque juris communis dispositio in aliquo alterata non remanet.

Neque ex dicta alteratione ad preces ipsius fundatoris sequuta in jurepatronatus activo aliqua illatio fieri potest ad passivum, de quo nullatenus actum est,
11 ob notabilem differentiam, quod activi sunt capaces infantes, ac mulieres, atque certa capacitas non desideratur, secus autem in passivo; Et sic aliud non continere observabam dictas posteriores litteras Gregorii XIII. nisi remotiorem difficultatis in discursibus præcedentibus pluries insinuatæ, præsertim in Melphiten. *disc.16.* quod fundator ex intervallo immutare, vel alterare non possit naturam juris patronatus in præjudicium eorum, quibus ex lege primæ fundationis aliquod jus quæsitum esset, dum ut supra, stantibus dictis litteris Pii IV. continentibus jus patronatus activum pro majoribus natu, probabiliùs natu major per naturam, neglecta prærogativa, seu fictione lineæ, ejus pertinentiam prætendere potuisset; Ideòque pro meo sensu extra controversiam quoque videbatur, ut attenta prima, & secunda inspectione, pro hac parte responderi debuisset.

Major igitur, ac tota difficultas residere videbatur in tertia inspectione, ob suprà insinuatum hujus militiæ Statutum, per quod tria præsupponuntur, seu inducuntur juri contraria; Primò scilicet, quod commenda diuturnam vacationem pati cogatur, donec patroni, vel alterius de genere vocato capacitas superveniat, quod de jure non procedit, ut suprà; Secundò, quia supponitur ipsum patronum posse præsentare seipsum, illique perne-
12 cessè debitam esse institutionem, cujus contrarium de jure dispositum est, ut præsertim habetur infrà in Pistorien. *discurs.31.* Et tertiò, quod interim patronus, quamvis incapax possit sibi applicare fructus, quod de jure communi est prohibitum, ad text. *in capit. præterea de jurepatronatus*, ubi scribentes relati per Barbos. *in collectan. ad eundem textum*, & per Viv. *part. tertia, lib.15. cap. secundo*, *num.13.* Magisque clarè, ac rigorosè disponitur
13 per Sacr. Concil. Trident. *sess.22. de reformat. cap.11.* sub gravibus pœnis, illa præsertim privationis ipsius juris patronatus.

Atque hinc scribentes super hujusmodi Statutis, vel respectivè super istius militiæ commendis, præsertim Ansaldus *consil. decimo secundo*, *cum sequentibus*, qui apud
14 hujus Militiæ officiales reputatur in his materiis Euangelista, ac etiam Corinus *inter consil. Venturin. consil. quadragesimo tertio*, dixerunt hujusmodi commendas, & bajulivatus, vel prioratus regulari non debere cum terminis beneficiorum, vel juris patronatus, sed cum illis feudorum pacti, & providentiæ, seu primogeniorum, & majoratuum sæcularium.

Super hoc autem advertebam, (etiam cum sensu veritatis,) id rectè procedere generaliter in hujus militiæ bajulivatibus, & commendis, ut plurimum ex privata dispositione, privatisque bonis erectis, ac fundatis,
15 in quibus dictum assumptum rectè procedit; Tum ex eadem ratione, de qua in dict. Romana Commendæ *sub tit. de fideicommissis disc.* 8. quod scilicet ista sit quidem probata militia pia, ac etiam quodammodo Ecclesiastica, non autem verè regularis, seu religiosa juxtà deducta *dict. tit. de jurisdict. disc.* 92. & consequenter, quod non intrent ea, quæ supra habentur de commendis jure beneficiorum regulandis; Tum etiam, quod quemadmodum etiam in vero jurepatronatus beneficiorum Ecclesiasticorum apponi possunt per fundatorem cum consensu Ordinarii leges, & conditiones, quamvis juri contrariæ, *cap. præterea de jurepatr. & cap. quanto decens.* Lambertin. *de jurepatron. lib.1. par.* 16
1. *quæst.* 9. *artic.* 1. Barbos. *de Episcopo allegat.* 70. *num.* 35. Buratt. *decis.23. num.3.* Adden. ad eum *dec.* 223. *num.* 18. Royas *decis.294. num.20.* Ita nomine omnium fundatorum pro tempore, ipsa Religio in universum, dictas leges adiicere potuit; ut in quacumque fundatione subintelligantur, ac adjectæ censeantur; Ideòque in commendis ita de privatis bonis ex ipsius militiæ auctoritate fundatis Statutum prædictum remanet justum benèque fundatum, & observatione dignum, ac etiam rectè intrat dictum assumptum Ansaldi, & Corini, quod potiùs regulæ prophanæ primogeniorum, & majoratuum, quàm spirituales beneficiorum Ecclesiasticorum attendi debeant.

Hujus autem regulæ, in hac militia generaliter veræ, applicationem constanter negabam in commenda controversa, atque in hoc pro meo sensu versabatur æquivocum clarum, ob istius commendæ particularem naturam ab aliis diversificantem, & non cadentem sub Statuto prædicto, tam ex ratione, seu defectu potestatis, quàm etiam voluntatis.

Potestatis scilicet dupliciter; Primò, quia facultas, quam Pius IV. ut suprà dedit hujus militiæ M. Magistro ordinandi Statuta, expresè restricta est ad ea, quæ Sacris Canonibus, & Concilio Tridentino contraria non sint, ideòque cum posita qualitate beneficii Eccle- 17
siastici Statutum prædictum in tribus adversetur Concilio, & Sacris Canonibus, ita defectus potestatis remanet clarus, eatenùs non cadens generaliter in aliis commendis, & bajulivatibus, quatenùs, non cum regulis spiritualibus, ac beneficialibus, sed cum prophanis primogeniorum, ac majoratuum laicalium, ut suprà censeri debeant.

Licèt enim iste M. Magister in sua temporali Ditione habeat jura supremi Principis, ac legem condendi, 18
vel tollendi, eique dispensandi potestatem; Attamen id percutit prophana, & laicalia sub ejus laicali Principatu cadentia, non autem in spiritualibus, & ecclesiasticis, in quibus diversam gerit personam Prælati, seu Generalis Religionis, vel Militiæ Ecclesiasticæ, seu Piæ, auctoritatem desumens à Papa, qui eam sibi dedit limitatam, ut de fortiori casu M. Magistri Militarium Religionum Sancti Jacobi de Spata, de Calatrava, & de Alcantara habetur *dict. disc.92. sub tit. de jurisdict.* & in Toletana de Veles *sub tit. de Regular.* ac etiam de M. Magistro Hierosolymitanæ Religionis, qui in insula Melevitana est Princeps, habetur in Melevitana *eod. tit. de jurisd. disc.69.*

Et secundò magis in specie, quia si Pius IV. in hujus juris patronatus concessione expresè statuit, vel supposuit præsentari illos de familia habiles, & idoneos, hinc proindè non potuit dictum posterius Statutum conditum de anno 1590. derogare Apostolicæ determinationi.

Voluntatis quoque defectum ex pluribus adesse ponderabam; Primò scilicet, ex vulgari axiomate metiendi voluntatem à potestate; Et secundò, quia Statutum, (ut probat ejus Rubrica) loquitur de commendarum fundatoribus, quibus has prærogativas præbet, ideòque cum non agatur de commenda, quæ patronum agnoscat in fundatorem, dicebam, quod non versabamur in casu statuti, sed in casu omisso, vel mixto regulando juxtà terminos juris communis, juxta satis frequentem, ac receptam propositionem, quam in materia statutaria habemus *sub tit. de success. ab intest.* & alibi sæpiùs.

Atque Rubrica attendenda est ad decisionem, vel interpretationem, ut cæteris relatis Rota apud Royas *decis.* 359. *num.14.* Otthob *decis.269. num.17.* apud Cels. *decis.* 19
152. *n.11.* & *dicto tit. de success.*

Fundatoris autem, vel fundationis titulus, absque dubio huic Commendæ, vel dicto Michaeli primo jurispatronatus acquisitori contendentium stipiti non convenit, quoniam ut pluries *hoc tit.* advertitur, præsertim supra in Lucana *disc.10.* & infrà *disc.65.* ubi generaliter 20
agitur quando jus patronatus dicatur ex fundatione, vel

ex gratia, & privilegio ad effectum videndi, an cadat, necne sub reservationibus, ac derogationibus Apostolicis; Ubi concessio ut in præsenti est mixta, quia nempè non ex sola causa fundationis, vel dotationis, minusque ex sola gratia, vel privilegio facta sit, sed de utraque participet, ut contingit in concessionibus, quæ fiant Ecclesiarum, vel beneficiorum jam existentium ex causa augmenti dotis, tunc attenditur præponderantia, quod scilicet, si antiqua dos Ecclesiæ excedit novam, seu augmentum, dicatur jus patronatus ex gratia, & privilegio, in casu autem converso dicatur ex fundatione, seu justitia; Ideòque cum in litteris Pii IV. dicatur Monasterium esse tunc valoris ducatorum Cameræ 400. qui attenta illorum temporum conditione importabant scuta monetæ circiter 500. cum hodie importent multò plus, augmentum verò esset scutorum 300. monetæ, ita clarum remanebat, quod versabamur in patronatu, potiùs gratiæ, & privilegii, quàm fundationis, & justitiæ.

Et licèt per judices, ac scribentes in contrarium, magnum constitueretur fundamentum, quod in eisdem litteris Pii IV. disponeretur, ut istud censendum esset jus-
21 patronatus ex fundatione, & dotatione perindè, ac si dictus Michael verè, ac integrè de ejus bonis fundasset, ac dotasset; Dicebam tamen hanc dubitandi rationem excusabilem quidem esse in exteris istam materiam beneficialem adeò manualem non habentibus, in Curia verò cum risu potiùs accipiendam videri, quoniam ut locis citatis advertitur, id non pendet à verborum, & clausularum formalitate, sed à subsistantia veritatis, atque quo magis amplæ sunt clausulæ, eò magis dicitur gratia, & privilegium.

Motivabatur etiam, quod Statutum disponeret de Commendis fundatis, tam de bonis prophanis, quàm
22 etiam de prophanis, & ecclesiasticis; Sed pariter videbatur nimis debile motivum; Tum ex claro defectu potestatis, ut suprà; Tum etiam, quia regulando voluntatem à potestate, admittendus videbatur intellectus compatibilis, ut scilicet, vel intelligeretur de illa mixtura, quæ tanquam modica non alterat naturam juris patronatus, ut suprà, vel de illis bonis Ecclesiasticis, quæ contradistingui solent à laicalibus, utpotè quæsitis per fundatorem, intuitu Ecclesiæ, ad effectum regulandi alteram juris patronatus naturam, an scilicet esset Ecclesiasticum, vel laicale, ex iis, quæ pro hujusmodi natura indaganda generaliter habentur infrà *disc* 59.

Item ad comprobandum dictum defectum voluntatis, duo alia observabam; Primò scilicet, quod in eisdem litteris Pii IV. disponitur, ut Jacobus primo præsentandus dicti Michaelis ex fratre nepos, eatenùs admitti posset, quatenus prius Clericali tonsura initiaretur, ac etiam habitum hujus militiæ susciperet, ac emitteret illam talem qualem professionem, quæ in ea emitti dicitur.

Et secundò, quia dictum Statutum emanatum de anno 1590. litteraliter disponit de commendis in futurum fundandis, dirigendo fundationis, vel acquisitionis verba in tempus futurum, unde propterea dicebam, capere non posse istam fundationem sequutam de anno 1565. Atque juris regula est, ut indulta aliæque dispositiones de Eccle-
23 siis erigendis non capiant erecta, sed è contrà juxta *consil.* 17. Calder. *de reb. Eccles. non alien.* cum aliis apud Cels. *decis.175. num.8.*

Ex his autem certum remanere videbatur, quod ubi causa tractari debuisset in Rota, vel Curia, ita cum regulis beneficialibus omninò judicandum esset ob dictam hujus commendæ particularem qualitatem ab aliis diversificantem; Quia verò tractabatur coram ejusdem Religionis judicibus, & officialibus, hinc ab initio, dicti eventus timorem concepi, cum non advertendo ad hujusmodi distinctiones, generaliter dictis statutis, ac traditionibus Ansaldi, & Corini procedi videatur; Verùm est error manifestus, quoniam attendenda quidem, ac observanda sunt Statuta in suis casibus, quibus congruunt, ut suprà in quibus etiam benè allegati Auctores loquuntur, non autem trahenda ad omnem casum.

Neque videtur hæc posse simul stare, quod scilicet ista dicenda sit militia verè Ecclesiastica; ad effectum exemptionis à foro, ac oneribus laicalibus, juxtà ea, quæ habentur *dict. disc.92. sub tit. de jurisdictione*, ac etiam in Romana liberationis à molestiis *sub tit. de credito* & quod standum non sit regulis Ecclesiastici, & beneficialibus; Ista enim implicante inter se, neque possunt simul stare potiri scilicet qualitate Ecclesiastica in favorabilibus, eandem in aliis, quæ non placent negare; Ideòque veritas videtur, ut dictum Statutum rectè procedat in iis fundationibus, quæ fiant de bonis propriis, quamvis etiam Ecclesiastica, inspecta origine acquisitionis, dici valeant, non tamen constituant verum beneficium Ecclesiasticum, ut est præsens, sed potiùs importent privatam erectionem majoratus, vel primogenituræ ita qualificatæ, juxtà casum, de quo in dict. Romana Commendæ *tit. de fideicomm. disc.8.*

ROMANA JURISPATRONATUS DE CAFFARELLIS

PRO ABB. CAFFARELLO,

CUM FRANCISCO N.

Casus disputatus coram Datario, & resolutus pro Abbate.

De eodem, an scilicet fundator ex intervallo alteret naturam juris patronatus reservati pro soło majori natu, ut competat omnibus de familia; Et quatenus non alteretur, an attendatur major natu in linea, vel in ætate.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur puncti causæ.*
3 *An & quando ex intervallo fundator possit alterare legem fundationis.*
4 *Ex quibus arguatur jus patronatus esse potiùs familiare.*
5 *Prima dispositio revocata adhuc attenditur pro interpretatione.*
5 *Stant simul jus patronatus competere omnibus de familia, vel descendentia, & tamen exercitium esse penès unum.*
7 *Correctio, vel mutatio voluntatis non est danda si cadit compatibilitas.*
8 *An vocato natu majore, veniat ille, qui est talis in linea, vel potiùs, qui est in ætate.*

DISC. XXI.

IOannes Andreas Caffarellus Episcopus Anconitanus, 1
circa annum 1454. Cappellaniam, seu beneficium fundavit in Cappella erecta in Ecclesia SS. Fabiani, & Sebastiani de jurepatronatus familiæ, sub lege, ut præsentatio spectare deberet ad seniorem primum domus, & familiæ; In alia verò dispositione de anno 1458. disposuit simpliciter, ut dictum jus patronatus esse deberet Antonii fratris, ejusque posterorum; Cùmque dirùta dicta Ecclesia, Cappella translata esset ad illam S. Eustachii, atque de anno 1591. Joannes Petrus filius Ascanii primogeniti, Curtius & Alexander filii Prosperi fecundogeniti, obtenta coram Cardinalibus Visitatoribus canonizatione dicti jurispatronatus cum quodam augmento doris, & cum expressione, quod esset, ac esse deberet in perpetuum ipsorum nobilium de Caffarellis pro descendentibus masculis, hinc præsentarunt, cum subsequuta institutione, Cæsarem Marinellum, cujus obitu sequuto, de anno 1612. iidem præsentarunt Prosperum filium dicti Alexandri (qui postmodum fuit Cardinalis,) cujus obitu sequuto de anno 1659. Dux & frater nepotes dicti Ascanii primogeniti ex Joanne Petro filio, præsentaruunt Abbatem dicti Ducis filium, Petrus autem dicti Cardinalis germanus frater omnium senior præsentavit quemdam Franciscum, atque utroque præsentato petente provisionem Apostolicam cum derogatione medietatis vocum, post plures disputationes habitas coram Datario, sequuta fuit institutio in persona dicti Abbatis cum subsequuto pacifico effectu, altero præsentato ejus juri cedente.

In his autem disputationibus, tres fuerunt puncti; Primò super forma probante dictorum testamentorum, seu dispositionum Joannis Andreæ fundatoris, ac justificationem jurispatronatus; Secundò, an per fecundam dispositionem, ut illud esse deberet omnium posterorum Antonii 2
fratris fundatoris, innovari potuerit lex adiecta in ipsa fundatione, quod jus præsentandi pertineret ad seniorem, & primum de domo, unde propterà omnes posteri habe-

rent jus præsentandi capita? Et tertiò, posito quod id alterari non potuerint, an sub nomine dicti senioris, & primi de domo, veniret ille, qui haberet prærogativam lineæ primogenitæ, vel potiùs ille, qui naturaliter esset senior, inspecta sola prærogativa ætatis.

Primus punctus consistebat magis in facto, quàm in jure, atque ex facti circumstantiis remansit planus; Prout modica pariter quæstio fuit super altera facultatis competentis, necne primò fundatori ex intervallo alterandi legem fundationis; Licèt enim Scribentes pro Petro, vel præsentato ab eo deducerent firmata *in dec.* 37. *par.* 7. *rec. decis.* 316. *num.* 23. *cum seqq. par.* 10. *& decis.* 170. *num.* 2. &
3 *seqq. par.* 11. quod scilicet, ubi agitur de extraneo, non autem de patre acquirente juspatronatus pro filiis, dicta facultas denegatur; Attamen dicebam, scribens pro Duce, ac Balthassare, & pro præsentato per eos, ut juxtà ea, quæ habentur suprà in Melphiten. *disc.* 16. id procedant, quando prima lex adiecta favore aliorum redoleret perfectam irrevocabilem donationem, quræ resultare dicitur à formali erectione facta cum consensu Ordinarii, qui habet vicem stipulationis pro omnibus; Et quo casu minus tuta videtur distinctio inter filios, & extraneos, desumpta *ex consil.* 19. Calderini *de jurepatronatus*, juxtà ea, quæ habentur *eodem disc.* 16. Id autem applicari non potest ad casum, in quo prima lex adiecta sit in altero testamento quandocumque revocabili; Et clariùs, quia in eo continebatur reservatio facultatis adjiciendi novas leges, vel priores reformandi, quando cum Ordinarii consensu formalis erectio sequeretur, qua non sequuta, actus adhuc remanet in terminis imperfectionis, & consequenter nemini dici potest jus perfectè quæsitum, adeòut sit revocabile, ut in his terminis advertitur per Rotam *decis.* 208. *num.* 4. *& 5. par.* 7. *recent.*

Et quamvis iidem scribentes in contrarium, ad aliud motivum convolarent, per quod æqualitas vocum ita inter præsentantes induceretur, eas computando in stirpes, non autem in capita, quod scilicet posita dicta fecunda reservatione pro omnibus posteris, intelligendum esset pro eisdem tanquam hæredibus, atque super hoc cum con-
4 sueto improbo Legistarum labore, longissimas retexerent allegationes super nimium vulgari, ac ampliùs non controversa regula, quod jusparonatus in dubio præsumitur hæreditarium magis, quam gentilitium, seu familiare; Inanis tamen remanebat labor ex solo facto; ex cujus circumstantiis, tam attentis verbis dispositionis, quàm expressa subsequuta declaratione dictorum posterorum de anno 1591. ac etiam ex observantia, satis plana remanebat qualitas gentilitia, seu familiarum, pro qua præsertim ponderabam illud verbum, *domus*, quod denotat familiam, magis quam ipsum verbum, *familiæ*, ut advertitur *decis.* 162. *num.* 5. *& decis.* 374. *num.* 17. *par.* 11. *recent.* cum aliis, quæ in his proximis terminis habentur *sub tit. de præeminentiis disc.* 13. & pluries *sub tit. de fideicommissis.*

Prout magnum hujus qualitatis argumentum resultare dicebam à dicta prima dispositione; ut esse deberet senioris, ac primi de domo, ut advertitur *d. dec.* 208. *n.* 2. *p.* 7.
5 *rec.* Licèt enim ex hac parte pretenderetur dicta dispositio immutata per secundam, adhuc tamen attendi solet pro adminiculo voluntatis, ut pluries *sub dicto tit. de fideicommissis*, præsertim quia verba secundæ dispositionis sonabant in idem, dum vocati erant *posteri*, quorum vocabulum regulariter solis descendentibus convenit; Et licèt quandoque conveniat etiam transversalibus, adhuc tamen intelligitur retenta qualitate sanguinis, ex deductis apud Fusar. *quæst.* 330. Ac etiam accedente observantia, per quam cessabat omnis difficultas circa dictam qualitatem gentilitiam, seu familiarem.

Major autem apud me erat difficultas, (quamvis non
6 examinata, utpotè non tacta per scribentes in contarium, substinere volentes partes senioris, ac insistentes in dicto solo defectu potestatis,) quod scilicet secunda dispositio non esset incompatibilis cum prima, quoniam stant benè simul, ut jusparonatus competat omnibus de posteritate, adeòut ratione individuitatis totum jus resideat penès omnes, & quemlibet eorum insolidum, & tamen quod exercitium gratia majoris commoditatis sit penès solùm seniorem, seu primum domus, ut advertitur *sub tit. de feudis disc.* 8. occasione administrationis, & jurisdictionis feudi, ac etiam frequentiùs *sub tit. de fideicommissis disc.* 1. *& seqq. usque ad* 6. ubi descenditur ad hanc speciem jurispatronatus occasione quæstionis, de qua proximè infra: Juris enim recepta propositio est, quod evitare debemus ademptionem, seu correctionem, quoties posterior voluntas 7
non est clarè ademptiva, sed alium possibilem intellectum compatibilem habere potest, ex latè collectis per Barbos. *axiom.* 230. *n.* 7. Fusar. *quæst.* 632. *num.* 14. *& 15.* & est propositio in foro quotidiana, de qua sæpè *sub tit. de fideicommissis.* & sub altero *de legatis*, & alibi.

Ideòque stante dicta compatibilitate, ac etiam, quia rationabile, & congruum videtur tam pro majori familiæ decore, quàm pro tollendis dissentionibus, & litibus, quæ in multiplicata familia desuper oriri solent, ut exercitium sit penès unum, qui digniorem figuram faciat, hinc verisimile est, quod fundator explicaverit quidem in secunda dispositione voluntatem super habituali pertinentia jurispatronatus ad favorem universæ posteritatis, sed compatibiliter, cum præcedenti dispositione probabili, ac prudenti super exercitio.

Verùm ubi id subsisteret, adhuc dicebam probabilius istud exercitium esse debere penès dictum Ducem, qui licèt ætate minor erat primogenitus, atque ut vulgò dicitur, capitis domus figuram faciebat; Licèt enim, ut pluries advertitur *sub dicto tit. de fideicommiss. disc.* 1. *cum seqq.* & in his terminis habetur apud Gratian. *discept.* 645. *nu.* 7. *& 12. cum seqq. & discept.* 834. *num.* 6. *& per totum*, quoties non agitur de jure successorio in bonis, sed de hujusmodi juribus honorificis, ac præminentialibus, quorum exercitium pendeat à judicio intellectus, atque majorem prudentiam exigat sub nomine majoris natu, vel senioris, probabiliùs veniat ille, qui naturaliter est talis inspecta ætate, non curata prærogativa lineæ; Attamen occasione istius controversiæ advertebam, attento communi usu, ac etiam probabilitate, id rectè procedere, quando tale exercitium non uni tantùm, sed pluribus relictum esset, putà quia in jurepatronatus familiari disponeretur, quod duo, vel tres seniores præsentare deberent, aliaq; jura honorifica exercere; Secus autem, ubi uni tantùm, cum tunc probabiliùs videatur intellectum esse de majori natu juxtà prærogativam lineæ, ideòst de illo, qui primam figuram capitis domus facit, & in quo familiæ decor conservari, ac repræsentari dicitur, vel solet, cum potiùs indecorum, atque incongruum esset, ut isto neglecto, tales honorificas functiones facere deberet ille, qui habens prærogativam ætatis, tractu temporis, pauper ac vilis esset, cum sæpiùs juxtà casuum contingentiam, ac fortunarum diversitatem, quàm sæpè experimur in eadem familia, tractu temporis ista notabilis inæqualitas contingat, ut advertitur *dicto disc.* 1. *& seqq. sub tit. de fideicommissis*, & habetur præsertim infrà in Pistorien. *disc.* 31.

Clariùs verò, ac pro meo judicio extra omnem controversiam, quoniam testator non adiecit solum verbum *senioris*, quod magni momenti esse solet ad favorem ejus, qui naturaliter est natu major, ut *in dicto tit. de fideicommissis disc.* 1. *& seqq.* sed adjecit etiam alterum verbum, *primo*, quod ad evidentiam probare videtur, quod fundator intellexerit de illo, qui primam figuram capitis domus faceret, ac familiæ decorem conservaret, ut communis usus, atq; humanus disc. clarè probant; Atque hæc mihi videbatur veritas.

FLORENTINA JURISPATRONATUS DE CASA VECCHIA

PRO ANDREA DE PITTIS CUM PIER A D CASA VECCHIA.

Responsum ad causam cum sensu veritatis extrà Curiam sub incerto exitu.

Jusparonatus quando dicatur hæreditarium, vel familiare, seu gentilitium, & familiare; Et an fœminæ veniant, & quomodo sub gentilitio, seu familiari.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Jusparonatus præsumitur hæreditarium.*
3 *Observantiæ satis defertur sub gentilitia qualitate.*
4 *Etiam ex conjecturis gentilitia qualitas desumitur.*
5 *De Statuto Florentiæ exclusivo fœminarum.*
6 *Consuetudo attenditur in solo individuo.*
7 *Confessio probat contra habentem causam à confitente.*
8 *Quando observantia est dubia, itaut sola non sufficiat, adhuc servit pro adminiculo.*
9 *Verbum familiæ, æquivocum & aptum habere diversam significationem.*
10 *Quæ differentia sit inter gentilitium, & familiare.*
11 *An in familiari succedant fœminæ.*
12 *Quomodo in hoc deferendum sit observantiæ.*
13 *De fœminarum admissione in fideicommissis ordinatis pro familia.*
14 *An differant in hoc termini fideicommissarii ab illis jurispatronatus.*
15 *Expenduntur auctoritates facientes pro fœminis.*
16 *Familiare finita familia non cessat, sed transit ad hæredes ultimi defamilia.*

DISC. XXII.

1 DOncarus, & Dionysius ultimi masculi de familia Casa vecchia, donarunt cum consensu Ordinarii, aliisque servatis de jure servandis, Andreæ de Pittis jusparonatus Parochialis Ecclesiæ *Prioriæ*, nuncupatæ Sanctæ Mariæ de Casa vecchia; Cumque eis defunctis, ex primo fuerint superstites Maria Magdalena, & Piera, quarum prima approbabat donationem; Altera verò eam impugnabat, ac prætendebat jusparonatus ad ipsam potiùs pertinere; Hinc introducta causa coram Ordinario Florentino, communicatisque motivis per judicem, ex eo laudabili stylo dari solitis, antequam ad determinationem deveniatur, duo erant controversiæ puncti, seu inspectiones; Una super qualitate jurispatronatus, an scilicet esset gentilitium, vel potiùs hæreditarium; Et altera, posito quod esset gentilitium an fœminæ dicendæ essent ad illud vocatæ itaut dicti ultimi masculi in earum præjudicium dictam donationem facere non potuerint.

Quoad primam inspectionem; In primo responso ad petitionem Andreæ dato, priusquam motiva communicarentur, aliæque meliores facti notitiæ haberentur, stante quod non habebatur tenor fundationis;) Respondi probabiliùs pro hæreditaria qualitate respondendum videri, quoniam pro illa stat regula, ut scilicet censendum sit potiùs
2 hæreditarium, quàm familiare, ad text. *in cap.* 1. *& cap. cum sæculum de jurepatr. Clemantina puberes eod. tit.* Calderin. *cons.* 4. *eodem*, & Scribentes communiter, de quibus apud Buratt. & Adden. *decis.* 183. & 647. *num.* 1. *decis.* 120. *n.* 9. *& 10. & decis.* 136. *n.* 2. post Vivian. *de jurepatr. decis.* 288. *n.* 1. *par.* 11. *recent.* Comen. beneficii 12. Maii 1659. coram Priolo, & aliàs frequenter.

Et quamvis ad probandam gentilitiam qualitatem deduceretur longissima observantia annorum circiter 150. in quorum spatio semper masculi, nunquam verò fœminæ præsentarunt, per quam observantiam inferri
3 ad hujusmodi qualitatis probationem, plenè probant Scribentes apud Vivian. *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 53. Tondut *quæst. benefic. par.* 3. *cap* 144. *n.* 17. Buratt. *dec.* 183. *n.* 23. Royas *decis.* 446. *n.* 7. *decis.* 204. *par.* 10. *recent.* & sæpiùs, cum etiam ex conjecturis id justificari posse, firmetur in magistrali
4 Florentina jurispatronatus de Ricasulis 10. Mantii 1603. & 11. Februarii 1604. coram Lancellotto apud Vivian. *lib.* 4. *cap.* 1. *post n.* 71. *decis.* 162. *& 374. & 254. par.* 11. *recent.* & in aliis, de quibus infrà *disc.* 57. *generali.*

Nihilominùs istud non videbatur tutum fundamentum, quinimò observabam potiùs retorqueri posse, quoniam stante Statuto antiquo Florentino, per quod (in toto Orbe fortè singulariter, antiquis autem Romanorum legibus magis adaptatè,) excluduntur fœminæ per masculos usq; ad octavum gradum, & de quo Statuto actum habetur in
5 alia Florentina *sub tit. de success.* exindè magis infertur ad qualitatem hæreditariam vix practicabilem in fœminis, ubi essent masculi agnati, ideòque potiùs id convincit exclusionem qualitatis gentilitiæ, qua etiam posita si attendimus opinionem admittentium, fœminas pariformiter cum masculis nullo servato ordine successionis, ac proximitatis vel sexus, ut infrà, etiam ipsæ præsentare debuissent, unde propterea dicebam intrare dilemma, quod aut tenenda est opinio fœminarum exclusiva à gentilitio, & oppositrix omni destituta erat fundamento, cum in ultimo masculo jurispatronatus, vel cessare dicatur juxtà unam opinionem, vel juxtà alteram magis receptam efficiatur hæreditarium, ut infrà; Aut tenenda est opinio æqualis concursus fœminarum cum masculis, & tunc observantia erat potiùs contraria.

Illud etiam observando, quod cum non constaret de tenore fundationis, unde propterea observantia non deducatur tanquam ejusdem fundationis interpretativa, (quo casu facilius admittitur,) sed tanquam consuetudo præscriptiva, seu alterativa regularis naturæ jurispatronatus, 6
& sic inductiva limitationis regulæ, intrat recepta conclusio deducta ex *consil.* 237. *Oldradi num* 3. de qua Gregor. & Adden. *decis.* 162. *num.* 2. Buratt. *decis* 570. *nu.* 9. *& 895. n.* 4. Major. Canonic. 27. Martii 1656. & 25. Junii 1657. coram Meltio *impress. decis.* 156. *& 278. part.* 12. *recent.* ut scilicet consuetudo operativa sit intra ejus præcisos terminos, ac in individuo, non autem extendenda est de casu ad casum; Et consequenter si observantia fuit pro solis masculis, dicendum esset gentilitium masculinum, nullatenùs verò fœminæ jus haberent, dum neque lex fundationis, neque observantia eis assistebat.

Visis autem motivis, ac etiam ipsamet donatione; Quoad hanc primam inspectionem qualitatis jurispatronatus in genere, an scilicet esset hæreditarium, vel familiare, mutavi sententiam, atque in secundo Responso, probabiliùs credidi esse potiùs familiare, stante quod in eadem donatione, ex qua donatarius jus metiri prætendebat, geminata aderat donatorum confessio, 7
quod hujusmodi jurispatronatus esset familiare, ideòque tanquam proprii auctoris confessio rectè probat contra habentem causam ab eo, ex generaliter deductis per Add. ad Gregor. *decis.* 452. & in specialibus terminis jurispatronatus, Buratt. *dicta decis.* 183. *nu.* 6. *cum seqq. decis.* 697. *par.* 2. *num.* 2. *& 132. num.* 5. *part.* 3. *recent.* Royas *dict. dec.* 446. *num.* 3. in eandem Piscien. 26. Novembris 1650. coram Celso *inter suas decis.* 106. *num.* 5. *& in aliis.*

Multò magis concurrente dicto adminiculo observantiæ, quæ licèt sola, & per se videatur æquivoca, seu 8
non operativa, ut supra, nihilominùs considerabilis remanere videbatur pro adminiculo, pro quo etiam rectè ponderari poterat alia species probationis, quæ in motivis deducebatur ex quadam enunciativa antiqua anni 1514. quoniam multoties hujusmodi verba familiam denotantia, stare solent demonstrativè, & compatibiliter cum qualita- 9
te hæreditaria, ut ponderatur in altera Florentina coram Merlino inter suas *decis.* 798. aliàs 120. post Vivian. *n.* 15. & in Cremonen. post eumdem Vivian. *decis.* 139. & post Carenam *resol.* 10. *n.* 13.

Et sic dicta duo adminicula, singulariter & de per se, nullius erant operationis, satis tamen considerabilia ad dictum effectum adminiculandi præfatam confessione, quæ adminiculata, si præjudicat etiam tertio, multò magis habenti causam à confitente; Potissimè ubi non constat de fundatione, ex cujus diverso tenore convinci posset confessionis error in dubio non præsumendus, unde quoad hanc primam inspectionem cedebam motivanti, admittendo ut pro familiari potius, quàm hæreditaria qualitate respondendum veniret.

Quare totus causæ punctus residebat in altera inspectione, an scilicet, (posita hujusmodi qualitate,) fœminæ superstites post masculos defectos jus haberent dictæ dispositionis impeditivum; Ad hujus autem puncti veritatem clariùs indagandam observabam, quod licèt 10
DD. ac etiam Rota promiscuè uti soleant termino familiaris, ac altero gentilitii, eos habendo pro synonimis; Attamen strictè loquendo inter se differunt, atque terminus gentilitii quandoque latiùs patet, quàm ille familiaris, & è contra; Sæpè enim datur gentilitium latiùs, utpotè fundatum pro omnibus de sanguine, & parentela, sive masculis, sive fœminis, ac sive agnatis, & cognatis, & sic latiùs quam familiare, non conveniens, nisi illis de familia, & agnatione; E'conversò autem iste terminus gentilitii strictiùs capi solet pro sola descendentia fundatoris, seu de familia effectiva, cum alter terminus familiaris, universam familiam tam effectivam, quàm contentivam capiat, ut istos terminos plenè explicat Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 11.

Id autem præmonendum censui, ad effectum dignoscendi verba confessionis non esse omninò univoca pro decidenda controversia, de qua agebatur, quodque in hac materia, certa & uniformis regula tradi non potest, sed totum pendet à singulorum casuum individuis circumstantiis, itaut ad instar fideicommissorum, & ultimarum voluntatum sit quæstio potiùs facti, quàm juris, & sic non ex eo, quod enunciatur jusparonatus esse de familia, ergo sequitur convenire omnibus tam masculis, quàm fœminis, ac illis tam de effectiva, quàm de contentiva, sive proxima, sive remota, quoniam hujusmodi confessio rectè operativa est quoad qualitatem in

hereditarium, non autem quoad comprehenſionem ſpecierum ſub eodem genere cadentium, cum hoc pendeat ex facti circumſtantiis.

His igitur præmiſſis; Dicebam non reperiri expreſsè in jure cautum, an in jurepatronatus familiari ſuccedant
11 fœminæ, necne; Affirmativam enim tenere viſa eſt Rota in altera Florentina coram Merlino inter ſuas *deciſ.*563. aliàs *dec.*166. *par.*6. *recent. n.*15. Negativam verò probant plenè ſcribentes apud Vivian. *dict. lib.*14. *c.*2. *nu.*56. ubi referunt ſententiam latam de anno 1578. in individuo canonizatem conſimilem donationem juriſpatronatus factam per ultimos maſculos, non obſtante oppoſitione fœminarum ſuperſtitum, & ſequuntur Tondut. *quæſt. benefical.*158. *n.*1. Carena *reſolut.*10. *n.*8. *in fine*, & ſentiit Rota in dict. Picien. beneficii 26. Novembris 1650. coram Celſo inter duas *dec.*106. *n.*6. & in ejus confirmatoria apud Rovas *dict. dec.*446. *n.*6.

Qualis autem ex his opinionibus eſſet verior, tunc proprium judicium interponere nolui; Dicebam tamen, quodquicquid ſit de articulo in abſtracto, quoties haberemus legem fundationis generaliter, & indefinitè vocantem familiam; Attamen, ubi (lege deficiente,) hujuſmodi qua-
12 litas deducitur ſolùm ab obſervantia, iſta capienda eſt in ſuo ſtatu, & prout iacet, nedum ex natura conſuetudinis attendendæ in ſolo individuo, ut ſuprà, ſed etiam, quia ſtante dicta opinionum varietate, rectè illa capienda eſt tanquam interpretativa, ſeu deciſiva dictæ dubiæ quæſtionis.

Motivabatur, quod in jurepatronatus familiari, fœminarum ſucceſſio verificabilis eſſet per poſterius in defectum maſculorum, eo modo quo in fideicommiſſis, ſeu
13 primogenituris agnatitiis illæ admitti ſolent, ea deducitis *deciſ.*133. *parte* 9. *recent.* ac ſæpè in ſua materia *ſub tit. de fideicommiſſis*; Verùm (cum ſenſu etiam veritatis) dicebam, motivum non ſubſiſtere; Tum ex ſupradicta conſideratione, quod ſcilicet difficultas cadere poſſet, quando haberemus legem fundationis omnes de familia expreſsè vocantem, ſecus autem, ubi hujuſmodi qualitas deducitur ex ſola obſervantia, quæ utpotè reſtricta ad maſculos, trahi non poteſt ad fœminas, in quibus illa deficit; Tum etiam, quia nullibi in jure cautum eſt, ut in jurepatronatus dare debeamus eumdem ordinem per prius, & per poſterius, qui datur in fideicommiſſarii ſucceſſionibus, in dubio regulandis, juxtà ordinem inteſtatæ ſucceſſionis, & ex ea ratione, quod dum fœminæ non propagant familiam,
14 admittendæ non ſunt ſtantibus maſculis, quam ad proprios filios extraneos tranſmitterent; Iſtæ ſiquidem conſiderationes non cadunt in patronatu, qui tanquam individuus dicitur extare penès omnes de familia inſolidum, conſiderato in ſingulis ſolo exercitio, unde non incongruit omnes de familia eodem tempore admitti, ſive maſculos, ſive fœminas, qui de tempore ſingularum vacationum reperiuntur, abſque gradus, vel ſexus diſcretione.

Et quamvis ab eodem motivante in id allegarentur *deciſ.* 69. & 139. poſt Vivian. attamen iſtæ auctoritates ad rem
15 facere non videbantur, Prima enim agit de caſu, in quo conſtabat de fundatione vocante omnes de ſtirpe, ſeu trunco; Et in ſecunda aderat etiam fundatio concepta pro omnibus deſcendentibus per lineam maſculinam, ſub quorum nomine, ex verisimili voluntate teſtatoris, ac ſtatutaria diſpoſitione, dicitur cenſeri vocatus prius maſculus, & his defectis etiam fœmina, priuſquam juſpatronatus tranſitum faceret ad Capitulum extraneum, & ſic extrà caſum controverſiæ in qua non habebatur lex fundationis, ſed totum conſiſtebat in obſervantia reſtricta ad ſolos maſculos; Ideòque nullum adeſſe videbatur fundamentum, ex quo fœminæ earum jus deducerent, ita enim intrabat dilemma clarum; Aut enim juſpatronatus eſt hæreditarium, & de illo diſponi potuit; Aut gentilitium ita reſtrictum ad maſculos, & fœminæ ſub eo non veniunt, unde de conſequenti reſultat, quod in ultimo maſculo effectum
16 eſſet hæreditarium, ideòque liberæ diſpoſitionis juxtà veriorem opinionem in Curia receptam, quod juſpatronatus gentilitium, ubi verba præcisè taxativa non concurrunt, extincta familia, ſive extincto genere vocato, Eccleſia non ſit libera, ſed juſpatronatus tranſit ad hæredes, ex deductis infrà in Bonon. beneficii *diſc.*35.

ANNOT. AD DISC. XXII. cum ſeqq.

IUſpatronatus quando dicatur hæreditarium, vel familiare, ſeu gentilitium habetur infrà *diſc. generali* 60. *per tot. & in hoc eodem tit. diſc.*76. 77. & 90. & aliqua circa juſpatronatus paſſivum, & concurſum fœminarum habentur *in diſc.*88. 89. & 94.

Deciſio prodita in caſu, de quo *diſc.*23. habetur impreſſa *deciſ.*73. *par.*13. *rec.*

Aliæ deciſiones prædictæ *in diſc.*27. habentur impreſſ. *ead. par.*13. *deciſ.*156. 345. & 373. inter illas Ninot. *deciſ.* 22. & 29. & *deciſ* 299. *par.*15. *rec.*

COMEN. BENEFICII PRO JOANNE BAPTISTA CASTROBESUTIO, CUM FRANCISCO BETUSCO.

Caſus deciſus per Rotam pro Franciſco.

An juſpatronatus ſit gentilitium, vel hæreditarium, & quæ regula tenenda ſit ad diſtinguendam unam qualitatem ab altera.

SUMMARIUM.

1 *FActi ſeries cum cauſæ deciſionibus.*
2 *Computatio vocum in hæreditario ſit in ſtirpes, in familiari autem in capita.*
3 *Præſumitur juſpatronatus hæreditarium, niſi conſtet de contrario, etiam ex adminiculis.*
4 *Qualis regula tenenda ſit, pro una, vel altera qualitate dignoſcenda, & n* 11.
5 *Ubi habetur tenor fundationis attendi primò debet.*
6 *De adminiculis inducentibus gentilitiam qualitatem.*
7 *Articulans non fatetur, verùm articuli faciunt adminiculum.*
8 *Ut adminicula, de quibus n.*6. *operentur debent eſſe univoca, & non ſufficiunt æquivoca.*
9 *Limitatio non præſumitur, ſed eſt probanda, aliàs fundata eſt intentio habentis regulam.*
10 *In arbitrariis non de facili datur gravamen.*
11 *De eodem, de quo n.*4.
12 *Datur diſtinctio cum qua regulari debeat pondus adminiculorum, an conſtet, necne de fundatione.*
13 *Quod lex fundationis poſſit immutari per obſervantiam, & quomodo.*
14 *Quod de facili admittenda ſit qualitas familiaris.*

DISC. XXIII.

CUm plures de familia Caſtrobeſutia, inter ſe diviſi, ad controverſum beneficium præſentaſſent Joannem Baptiſtam, & Octavianum de eadem familia, hinc orta inter iſtos lite prius in partibus, & deindè in Rota coram Dunozetto ſub die 12. Maii 1656. ſuper bono jure Octaviani prodiit reſolutio impreſſ. inter illa Dunozetti *dec.* 973. Commiſſaque cauſa appellationis in eadem Rota coram Priolo, cum clauſula, *parito litteris arbitrio*, atque ſequuta victoris morte, Franciſcus cum derogatione juriſpatronatus, ac ſubrogatione ad jus defuncti, proviſionem Apoſtolicam obtinuit, unde reaſſumpta diſputatione dubii ex dictæ commiſſionis ventre reſultantis, *An intrat arbitrium* ſub die 12. Maii 1659. negativa prodiit reſolutio, atque conceſſa expeditione per Signaturam etiam canonizata cum rejectione appellationis ſuſpenſivæ, cauſa quod ſciam, finem habuit. 1

In hac ultima diſputatione coram Priolo, in qua ſolùm pro ſuccumbente ſcripſi, ultrà alios punctos concernentes potiùs ordinem judicii, quàm juſtitiam cauſæ, ac merita negotii principalis; Quatenùs ad iſta pertinet, deciſio pendebat à natura, ſeu qualitate juriſpatronatus, de cujus exiſtentia non dubitabatur, an ſcilicet eſſet hæreditarium, vel gentilitium, cum ex hoc penderet vocum computatio, uno, vel reſpectivè altero modo facienda, cum non dubitaretur hincindè de juris principiis hodie certis, quod ſcilicet, ſi eſſet hæreditarium computatin facienda eſſet in ſtirpes, juxtà quem computandi modum major pars vocum aſſiſtebat Octaviano, & ſucceſſivè Franciſco in ejus locum ſubrogato; E' converſò autem, ſi eſſet gentilitium, facienda eſſet in capita, unde major pars aſſiſtebat Jo. Baptiſtæ. 2

Super hoc autem, licèt juxtè conſuetum ſtylum per

per Scribentes in contrarium magnus fieret allegationum apparatus ad probandam regulam aſſidentem qualitati hæreditariæ, qualis in dubio præſumenda eſt; Attamen erat labor ſuperfluus, quoniam Ego, & cæteri pro hac parte ſcribentes, eam admittebamus, inſiſteri pro hac parte ſcribentes, eam admittebamus, inſiſte-
8 bamus verò in limitatione reſultante ex contraria probatione, quam pariter non dubitatur, etiam præſumptivam, ac adminiculativam ſufficere; Adeòut iſta videatur ſpecies quæſtionis fideicommiſſariæ facti potiùs, quàm juris, non recipiens certam, ac uniformem regulam generalem, unde propterea ejus deciſio pendet à ſingulorum caſuum particulari qualitate, ac indivi-
4 duis circumſtantiis, ex quibus reſultat, quod eædem conjecturæ, ac adminicula in uno caſu approbata, in alio autem reprobata habeantur, quia ſic unius, vel alterius caſus qualitas exigat; Et conſequenter conſuetus leguleicus error eſt inſiſtere in cumulo auctoritatum, ad probandum, quod aliqua adminiculi ſpecies in aliis caſibus canonizata, vel rejecta ſit: Attendendo potiſſimè regulam, de qua ſæpè in dicta materia fideicommiſſaria *ſub tit. de fideicommiſſis*, ut non ſingulariter, ac diſtinctè ponderanda ſint, ſed unitim cum conſueta regula, *ut ſingula, quæ non proſunt, unica juvent*: Ex quo reſultat, ut non contrariæ, ſed potiùs diverſæ, pro caſuum diverſitate ſint deciſiones, ac auctoritates quas deſuper habemus, & quæ aliquibus invicem pugnantes videntur, iſteque eſt verus modus decidendi hujuſmodi quæſtiones.

Deſcendendo autem ad ſpecialia, ſeu applicationem; Cum non haberetur tenor fundationis, (qua concurrente ceſſare ſolet omnis quæſtio, cum illi non data
5 legitima immutatione præſcriptiva deferendum ſit,) Lotter. *lib.*2. *quæſt.*11. *num.*2. & *deciſ.*155. *nu.*1. *par.*1. *recent. deciſ.*290. *n.*1. *part.*4. & habetur infrà *diſc.*56. & *ſeqq.* ubi de hoc principaliter, unde propterea reſiſtente regula in contrarium, ut ſupra recurrere oportet ad adminicula limitationem redolentia.

Ponderabam primò, quod per plures præſentationes, notabili temporis ſpatio præſentaverant perſonæ de hac familia ſimpliciter, nulla facta mentione qualitatis hæreditariæ, minuſque admixta altera perſona extranea, vel per cognationem conjuncta, quod videtur magnum gen-
6 tilitiæ qualitatis argumentum, vel quia veriſimiliter quandoque hæreditariæ qualitatis mentio facta eſſet, vel quia veriſimile ſit, ut in longo temporis intervallo nulla adfuerit mixtura cognatorum, vel etiam extraneorum hæredum, ut in celebri Florentina de Ricaſolis cor. Lancellotto apud Vivia. *lib.*4. *cap.*1. *poſt n.*71. Buratt. *dec.*173. *n.*22. *cum ſeqq. & per tot. & in aliis*.

Secundò, quia per teſtes probatum fuerat, omnes de hac familia admiſſos fuiſſe ad præſentandum, nulla data graduum, & proximitatis diſcretione, quod propriè incongruit gentilitio, ſeu familiari, non autem congruit hæreditario, ut in d. Florentina de Ricaſolis, à qua tanquam magiſtra in hac materia aliæ derivant, Buratt. *d. deciſ.* 183. *n.*17. & *ſeqq.* Royas *dec.*446. *n.*8. Celſ. *dec.*106. *nu.*7. & 8. *dec.*166. *n.*14. *par.*6. *recent.*

Tertiò, concurrebat publica vox, & fama, quæ juncta cum aliis attendenda eſt, cum etiam leviores probationes, & adminicula ſuffragentur, ſimul juncta cum dicta regula, *ut ſingula, quæ non proſunt, &c. ut dicta deciſ.* 166. *n.*11. *par.*6. Et his accedebant quidam articuli dati ex parte dicti Octaviani, in quibus idem continebatur; Licèt enim articulans non fateatur, attamen non levè adminiculum ex eis reſultat, eo quia non ſolent articuli concipi, & dari abſque prævia conſideratione, ut *deciſ.*115.
7 *n.*2. *par.*7. *rec.* cum aliis per Adden. ad Gregor. *dec.*143. & ad Buratt. *dec.*600. *in fine*.

His autem omnibus, in dictis deciſionibus, præſertim in ſecunda coram Priolo, reſponderetur, quod ſint probationes æquivocæ non benè concludentes, quoniam non ex eo, quod illi de familia, vel deſcendentia præſentaverint abſque aliorum mixtura, perneceſsè reſultat iſta
8 qualitas, cum caſus præbere potuerit eis tantùm hæreditatem pro tempore delatam fuiſſe; Neque ex eo, quod negligitur expreſſio tituli hæreditarii, ergo ille remanet excluſus, Seraphin. *deciſ.*164. *num.*9. Duran. *deciſ.*173. *num.*2. Merlin. *deciſ.*798. *num.*9. *deciſ.*288. *num.*6. & *ſequent. par.*5. *recent.* cum aliis in dictis deciſionibus cauſæ, in quibus etiam, præſertim ſecunda, fundamentum conſtituitur in quadam confeſſione aſſerti procuratoris Joannis Baptiſtæ.

Et conſequenter cum regula ſit pro hæreditaria qualitate, limitatio autem non præſumatur, ſed per allegantem probanda ſit, ex collectis per Barboſ. *axiom.*198. Mantic. 9
*deciſ.*251. *num.*4. & *paſſim*, hinc reſultat, quod dici non poteſt adeſſe probatio concludens per actus æquivocos, dictam contrariam poſſibilitatem habentes.

Quamvis autem in arbitrariis, non de facili gravamen convinci valeat, ut advertitur apud Gregor. *deciſ.* 106. *num.*2. & *ſub tit. de fideicommiſſis*, ubi frequenter de- 10
hoc arbitrio judicio ſuper conjecturalibus, & adminicalativis, cum pluries ob ingeniorum varietatem data etiam æquali doctrina, & integritate nimiùm frequens praxis doceat, ut quod uni videtur album, alteri videatur nigrum; Attamen pro meo ſenſu, reſolutiones non omninò captivarunt intellectum, ita ſingulas dictas conjecturas criticando, cum potiùs procedendum videa- 11
tur cum dicta regula, *ut ſingula, quæ non proſunt, &c.* conſiderando totam facti maſſam, qua attenta, ob dictas inveriſimilitudines (etiam in ſenſu veritatis) probabiliùs pro familiari qualitate mihi reſpondendum eſſe videbatur.

Cùmque in deciſionibus, præſertim ſecunda, allegarentur aliquæ auctoritates, quæ diverſum caſum percutiuntur, unde propterea reſultare videbatur argumentum, quod non diſtinguendo caſum à caſu fortè cum aliquo æquivoco proceſſum eſſet; Hinc proindè advertebam, reflectendum eſſe ad caſuum diſtinctionem; Aliud enim eſt, quando conſtat de fundatione, cujus tenor probet hæreditariam qualitatem, cujus proindè clara, & expreſſa pro- 12
batio habeatur, prætendatur autem ejus immutatio ex contraria obſervantia (per quam ubi eſt talis, quod præſcriptiva dici valeat, etiam ſtatus ab initio in fundatione impreſſus immutari poteſt, Vivian. *lib.*4. *cap.*9. *num.*28. & *ſeqq. cum aliis infrà diſc.* 60. ubi generaliter agitur de hac 13
materia, quando juſpatronatus dicatur hæreditarium, vel familiare, ſeu gentilitium;) Et tunc, quia ſuper diverſa hæreditaria qualitate habetur, certa & concludens probatio, quæ reſultat à fundatione in hac materia ante omnia attendenda, obſervantia verò non deducitur pro interpretatione, vel fortiori præſumptione excludente ſimplicem præſumptionem juris, unde debet eſſe formiter præſcriptiva, tanquam deſtructiva, ſeu innovativa præcedentis ſtatus certi, idcircò probatio debet eſſe univoca, & concludens, pro qua non ſufficiunt adminicula univoca, rectèque intrat axioma, quod ſatis frequens in foro habemus, ut contraria poſſibilitas perfectam, & concludentem probationem tollat, & in his terminis procedunt *dd. deciſiones* 173. *Durani n.*5. 336. *n.*5. *par* 5. & 175. *n.*10. *par.*7. *recent. & aliæ*.

Aut verò de fundatione non conſtat, itaut verè incertum ſit, qualis natura ab initio impreſſa fuerit, & tunc, licèt regula ſit pro hæreditaria qualitate, attamen eſt regula innixa ſimplici præſumptioni juris tantùm, pro qua elidenda, neceſſaria non eſt perfecta, & concludens probatio, ſed ſufficit etiam levis, & præſumptiva, ſeu adminiculativa, neque ita rigoroſè proceditur, ut advertitur in dicta magiſtrali Florentina de Ricaſolis coram Lancellotto, & apud Buratt. *dicta deciſ.*183. *ac d. deciſ.*166. *par.*6. *recent. & in aliis*.

Iſtaque videtur vera, & germana diſtinctio, quæ debet eſſe materiæ regulatrix, tanquam libra, ſeu ſtatera, cum qua ponderari debent conjecturæ, & adminicula; Ideòque ſæpiùs, ac ſæpiùs, (fortè ultrà centeſimum numerum) ſuper hoc puncto, vel pro veritate, vel ad cauſam conſultus extrà Curiam, quando ſcilicet juſpatronatus eſſet hæreditarium, vel reſpectivè gentilitium, aut familiare, cum hac diſtinctione procedere conſuevi, quandoque pro una, & quandoque pro altera qualitate reſpondendo, juxtà ſingulorum caſuum particulares circumſtantias, tanquam in quæſtione potiùs facti, quàm juris, quoties expreſſus tenor fundationis non habeatur.

Proclivior autem eſſe conſuevi pro qualitate familiari, motus à communi uſu ſaltem Italiæ, quod cum præſertim in privatis familiis, juriſpatronatus fundationes fie- 14
ri ſoleant, nedum ad pietatem, ſed etiam, (& fortè magis) ad ambitionem, ac honorificentiam, ut ita fundatoris memoria conſervetur, atque faciliùs nobilitatis juſtificatio poſt longa tempora fieri valeat, ſeu familiæ identitatas, vel deſcendentia probari, ut frequens experientia docet; Hinc proindè, probabilius videtur, in animo fundatoris potiùs fuiſſe iſtam qualitatem familiarem, quàm hæreditariam, per quam ad breve tempus memoria funda-

toris diluitur, atque hoc jus honorificum decoris, conservativum ad extraneas manus transitum facit contra omnem verisimilitudinem; Ideòque advertebam rectè cadere ea, quæ ex eadem ratione pluries habentur in sequentibus super alio articulo, an juspatronatus transeat cum fideicommisso, necne, quod scilicet, quamvis Rota, & Curia potiùs in venerationem antiquitatis, quàm quòd ratio suadeat, sequatur pro regula opinionem negativam, agnoscendo tamen ejus modicam probabilitatem, de facili, atque ex levibus adminiculis admittit talis regulæ limitationem, sic à pari circa regulam, quod sit hæreditarium.

SYPONTINA BENEFICII
PRO PETRO,
CUM JOSEPHO DE PASCHARELLIS.

Casus disputatus coram Prælato judice commissario, & resolutus pro Petro.

Posita fundatione pro successoribus de familia, de qua familia intelligatur, an de effectiva tantùm, vel etiam de contentiva; Et quid ubi fundator non habet prolem, unde propterea dicta distinctio non intret, de qua specie familiæ intelligendum sit; Et an illud verbum, *successore de familia*, exigat etiam qualitatem hæreditariam, unde faciat juspatronatus mixtum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod appellatione familiæ regulariter veniat solùm effectiva, & fortiùs si adest pronomen*, sua.
3 *Secus ubi in fundatore non est verificabilis, nisi contentiva.*
4 *Distinguitur contentiva inter proximam, & remotam in eo, in quo non est verificabilis effectiva.*
5 *Quid operentur in hoc proposito verba*, legitimi successores.
6 *Ubi cum verbo* descendentibus, *vel* de familia *admixtum est aliud verbum*, successor, *inducitur qualitas mixta, & desideratur etiam qualitas hæreditaria.*
7 *Clariùs, ubi adest verbum*, legitimi.
8 *Sed est probatio præsumptiva contraria probatione eligibilis.*
9 *In jurepatronatus mixto utraque qualitas copulativè defideratur.*

DISC. XXIV.

1 SEquuta de anno 1646. vacatione beneficii, seu Capellaniæ S. Luciæ in Oppido Vici, fundatæ per olim Antonium de Pascharellis sacerdotem *pro se, suisque legitimis successoribus de sua domo*, plures descendentes ex ejusdem fundatoris patruo omnes agnati, & de familia, inter se divisi, præsentarunt Petrum, & Iosephum de eadem familia, inter quos orta lite coram Ordinario, prodiit sententia Josepho favorabilis; Introducta verò per appellationem causa in Curia coram Prælato, me circa professionis initia scribente pro Petro, contrarium judicatum fuit, cum subsequuto effectu, dum collitigans acquievit.

Non dubitabatur autem in ista causa inter partes de qualitate familiari juspatronatus, cum tenor fundationis esset clarus, sed duo erant controversiæ puncti, ex quibus pendebat computatio vocum, & an istarum major pars uni, vel alteri præsentato assisteret; Primò scilicet, de qua familia dicta fundatio intelligenda esset, an de universa contentiva ex omnibus majoribus fundatoris constituta, vel solùm de contentiva proxima, cujus stipes esset proprius fundatoris pater; Et secundò, an illud verbum, *successoribus*, qualificaret hoc juspatronatus, adeòut exigeret etiam qualitatem hæreditariam, unde potiùs mixtum, quàm purum familiare dicendum esset; Ubi enim concurreret ista qualitas mixta, sive quod intelligendum esset de sola contentiva proxima, cujus stipes esset fundatoris pater, sine dubio major pars vocum assistebat huic parti; E' conversò autem, pariter extra dubium, collitigans majorem partem habebat.

Quatenùs igitur pertinet ad primum; Quando verè, ac propriè adaptabilis esset vulgata distinctio, quam occasione fideicommissorum habemus inter familiam effectivam, & contentivam, tunc extra controversiam esset, quod soli effectivæ dispositio conveniret; Tum quia ex 2
magis communi, ac recepta opinione talis in dubio est regula; Tum etiam, quia adest illud pronomen, *sua*, per quod clariùs dicta regula procedit, ut sæpiùs habetur *sub titulo de fideicommissis*, præsertim *disc.*50. *& plur. seqq.*

Verùm difficultas in eo residebat, quod in fundatore, utpotè sacerdote nullam prolem ante Clericatum legitimè susceptam habente, verificabilis non erat terminus familiæ effectivę, sed solùm ille familiæ contentivæ, sub qua veniunt omnes ab eodem stipite descendentes, ac per transversum attinentes, sive proximi, sive remoti sint, quamvis accederet dictum pronomen *sua*, operativum 3
quidem in casu quo sit verificabilis dicta distinctio, secus autem, ubi aliàs non est operativum, ut in his terminis specialibus juspatronatus, cæteris relatis habetur *decis.* 213. *num.*22. *& seqq. par.*9. *recent.* Et generaliter ad satietatem colligit Andreol. *controv.*338. & habetur *d. disc.* 50. *& seqq. de fideicommissis*, ac in aliis ibidem; Sive ut ita excludantur illi, qui eandem cognominationem habentes, non probentur descendere ab eodem stipite, itaut incerta sit familiæ identitas, ut etiam in his terminis juspatronatus advertitur *dict. tit. de fideicommiss. disc.*50. & habetur infrà *disc.*60. ubi generaliter de hac materia, quando juspatronatus sit familiare, & quibus de familia conveniat; Et propterea cum non dubitaretur de identitate familiæ, quodque omnes descenderent ab eodem stipite, dum sola differentia erat, quod aliqui descendebant à fratre, alii verò à patruo fundatoris, ita dicebant scribentes pro altera parte, clarum remanere, ut omnium voces in capita computari deberent.

His tamen non obstantibus, (etiam cum sensu veritatis) dicebam justitiam huic parti assistere, quodque solùm in calculo venire deberent voces descendentium ex germano fratri, qui ipsius fundatoris intestatam hæreditatem obtinuerunt, non autem remotiorum transversalium, ob restrictionem dicti verbi *familiæ*, seu *domus*, ad solos descendentes ab ipsius fundatoris fratre tanquam ex stipite ejus patris, quem proprium judicavit.

Licèt enim apud antiquiores, dicti duo termini generales, familiæ effectivæ, & contentivæ solùm cogniti sint, sub primo cadentibus solùm descendentibus, sub altero autem generaliter omnibus transversalibus, nulla data 4
discrepatione gradus, cum sola qualitate descendentiæ ab eodem stipite; Apud modernos tamen, magis adaptatè, ac judiciosè, ista distinctio admittitur in illis disponentibus, qui prolem relinquant, unde propterea uterque terminus verificabilis remaneat; Secus autem in iis, qui cœlibem vitam ducentes, atque prole destituti, aliam habere non possunt familiam nisi contentivam, Tunc enim rectè cadit istius subdistinctio, inter proximam constitutam ab ejusdem disponentis patre, ac remotam ab aliis ulterioribus ascendentibus, quasi quod proxima dicatur verè familia, seu domus propria, & quasi effectiva, tanquam constituta à stipite patris, qui proprius reputatur, tanquam à seipso, ita docentibus communi usu, præsertim in Clericis, ac etiam naturali discursu, & advertunt Peregr. *cons.*57. *num* 8. *&* 9. *lib.*5. Cyriac. *controv.*281. *num.* 72. Altograd. *consil.*46. *n.*1. *cum seqq. & consil.*95. *num.*114. *& seqq. lib.*2. & plenè, (licèt non ita distinctè, sed cum aliqua confusione,) Andreol. *d. controv.*338. *n.*5. *& seqq. & n.*11. *& per totum*, & habetur *in d. tit. de fideicomm. disc.*25. ac etiam *disc.*50. *cum seqq.*

Clariùs verò in hac facti specie ob illa verba, *suisque legitimis successoribus de sua domo*, ex quibus non solum 5
resultat effectus mixtæ qualitatis, ut infrà, sed etiam iste restrictionis dicti generalis vocabuli *domus*, seu *familiæ*, ad illam domum, quam constituturi essent ipsius fundatoris legitimi successores.

Item quia, ubi verbo *descendentium*, vel æquipollenti denotanti gentilitiam, seu familiarem qualitatem, additur etiam verbum *successor*, istud denotare videtur 6
qualitatem hæreditariam rei familiaris quoque junctam, unde propterea juspatronatus remanet mixtum, ut ex Paris. *consil.*48. *num.*9. *& seqq. lib.*4. Achill. *decis.*9. *de jurepatron.* Buratt. *decis.*647. *num.*2. *&* 3. *& decis.* 72. *& seqq. par.*7. *recent.* & habetur pluries *sub tit. de fideicomm.* ac etiam in aliis *de feud. & de emphyt.* super dicta mixta qualitate.

Potissimè verò, ubi verbum *successor*, non est solùm, sed admixtum quoque est illud adjectum *legitimo-*

rum, quod rectè ad legitimam intestatam successionem referendum videtur, licèt præsumptivè non autem necessariè, & sic quatenus alia efficaciora in contrarium non urgeant, cum citrà fatuitatem dictum verbum *legitimi*, suam faciat operationem in exclusionem illegitimorum, atque alterum verbum *successorum*, referri possit ad tractum successivum, & continuativum in illis de domo, ad impediendum transitum in extraneos, vel ad impediendam beneficii libertatem; Et sic est probatio præsumptiva tantùm, rectè operativa, quando majora in contrarium non urgeant.

8 Posita verò dicta mixta qualitate, certum est, quod illi, qui unam tantùm habent, (ut erant illi remotiores agnati,) concursum prætendere non possunt cum habenti-
9 bus utramque, ut erant illi, qui pro majori parte Petrum præsentaverant.

BURGI S. SEPULCHRI JURISPATRONATUS
PRO DOMINICO ZANCHIO.

Responsum pro veritate.

Sub nomine familiæ, qui veniant in utroque patronatu activo, & passivo, & quid ubi adjectum esset etiam verbum *descendentiæ*, quia dictum esset *de familia, & descendentia.*

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Sub vocabulo*, familiæ, *veniunt etiam cognati.*
3 *Fallit in fideicommissis ex usu loquendi.*
4 *Quod idem dicendum sit in jurepatronatus, & quando.*
5 *Verbum*, descendentia, *complectitur omnes per agnationem, & cognationem.*
6 *Verbum*, hæres, *vel* successores, *adjectum verbo* filiis, *vel* descendentibus, *an stet ampliativè, vel qualificativè.*
7 *Quid de vocabulo*, parentelæ, *adjecto verbo*, familiæ.
8 *De argumentis, ut verbum*, descendentiæ, *adjunctum verbo*, familiæ, *non stet qualificativè, sed ampliativè.*
9 *De argumentis contrariis.*
10 *Quando admittendus sit usus loquendi, de quo n.* 4.
11 *Quod verbum*, parentelæ, *quandoque importet agnationem remissivè.*

DISC. XXV.

1 FUndatore vocante ad juspatronatus passivum personas de duabus familiis sibi conjunctis, postmodum verò vocante illos de familia, & descendentia cujusdam Francisci Pelati, hinc orta est difficultas, an Dominicus Gratius descendens à dicto Francisco per medium femininum esset de vocatis, necne.

Super hoc autem consultus pro veritate ex parte Dominici Zanchi, Respondi, quod ubi vocati solùm essent illi de familia, absque alio adjecto, tunc non improbabiliter pro Dominico petente consilium contra alterum Dominicum cognatum responderi potuisset, quoniam licèt verbum, *familiæ*, in sui lata significatione, attento præsertim jure noviss imo, aptum sit convenire etiam cognatis, ad text. *in l. fin. Cod. de verb. signific.* ubi scribentes, de quibus apud Manticam *de conject. lib.* 8. *tit.* 12. *nu.* 6. *in principio*, Molina *de primog. lib.*3 *c.*4. *n.*9. Cyriac. *controv.*
2 365. *num.* 39. Ciarlin. *controv.* 222. *num.* 35. *cum seqq.* Seraph. *dec.*1437. *num.* 5. *&* 6. & in terminis juspatronatus, Rot. *decis.* 101. *n.* 13. *p.* 6. *rec.* cum aliis, de quibus latiùs in Romaaa protectionum *sub tit. de præeminentiis disc.* 13.

Attamen ex recepto communi usu Italiæ, sub nomine
3 familiæ demonstrati videntur solùm agnati idem cognomen habentes, ex deductis per Fusar. *q.*351. *& cons.*169. Rota *dec.* 44. *num.*1. *p.*1. *rec.* cum aliis, de quibus *eod. disc.* 13. *de præeminent.* & in sua materia *sub tit. de fideic. disc.*24. *& seqq. & disc.* 50. *& seqq.* Idcircò idem, aliis non refragantibus, præsertim in eadem provincia Italiæ, in ista materia respondendum etiam videtur, quoniam dum est quæstio voluntatis, quid scilicet in animo habuerit dis-
4 ponens sub hoc vocabulo comprehendere, adhuc idem loquendi usus attendendus videtur, ut parificando istos terminos habetur in Mediolanen. impress. post Vivian. *de jurepatron. decis.* 71. *cum plurib. seqq.* & in Cremonen. cor. Corrado *decis.* 139. post eundem Vivianum, & in aliis pluries, atque admitto potiùs *in d. disc.* 13. *de præemin.* quando ageretur de hoc nudo, & simplici verbo, aliæque non concurrerent circumstantiæ in eo casu concurrentes, dum ut advertitur supra in Comen. *disc.*23. in jurepatronatus æquè, ac in fideicommissis, (ac fortè magis) urget ratio, ita conservandi fundatoris memoriam, ac agnationis, & familiæ decorem, & nobilitatem.

Verùm, quia in hac facti specie accedebat alterum magis latum vocabulum *descendentiæ*, sub quo non dubitatur, venire omnes, sive per agnationem, sive per cognationem descendentes, quoties diversæ voluntatis probatio- 5
nes, vel adminicula non concurrant, ex plenè collectis per Fusar. *q.* 327. & pluries in sua materia *sub tit. de fideicommiss.* Hinc proindè advertebam, decisionem controversiæ pendere à puncto, an dictum aliud vocabulum adjectum per copulam, ibi, *della famiglia, e descendenza, &c.* staret ampliativè, vel potiùs qualificativè.

Super hoc autem in terminis feudalibus, vel similibus occasione verbi *hæres*, seu verbi *successor*, juncti cum verbo *filiis*, seu *descendentibus*, nimium DD certant, ac scinduntur, ut patet ex copiosè deductis per Capyc. Latr. *consult.* 65. impugnando decisiones Rotæ ibidem registratas 6
in Sarcinaten. feudi coram Coccino, & latius in eadem Sarcinaten. cor. Dunozetto inter suas *decis.* 748. *&* 760. *repetit. post controv Contrii decis.* 18. *&* 19. & in eadem cor. Otthobono inter suas *dec.* 265. ex quibus liquet vix discerni posse, quænam sit verior opinio.

Quia tamen Rota in dictis posterioribus decisionibus cor. Dunozetto, & Otthobono, sequuta est opinionem, ut concurrente dictione copulativa, staret magis ampliativè, quàm qualificativè, etiam favore extraneorum, qui comprehendantur sub vocabulo *hæredum*, & sic in fortiori casu, in quo agebatur de materia differenti feudorum, qui regulariter non conveniunt, nisi hæredibus sanguinis, hinc dicebam multò magis regulariter, & 7
non concurrente tali circumstantia, quæ limitationem suadeat, an admittendum esse in præsenti; Dum ratione subjectæ materiæ indifferentis, quæ de sui natura est hæreditaria, extraneis etiam congrua; Tum quia non agebatur de comprehensione extraneorum sub latiori vocabulo *hæredum*, vel *successorum*, sed de magis stricta comprehensione descendentium, ut in proposito vocabuli *parentelæ*, per copulam adjuncti vocabulo *familiæ*, habetur etiam *dicto disc.* 13. *de præeminentiis*, ideòque concludebam talem esse regulam generaliter, ac in dubio tenendam.

Multò magis in hac facti specie ex pluribus circumstantiis, vel adminiculis eamdem regulam corroborantibus; 8
Primò scilicet, quia non agebatur de familia ipsius fundatoris, unde caderet illa affectionis ratio, quæ erga proprium nomen, propriamque familiam, ex dicto præsertim Italiæ usu urgere solet; Secundò ob differentiam, quod in duabus aliis familiis præcedenter vocatis istud vocabulum magis latum non adjecit, unde propterea intrat vulgare argumentum discretivæ, quod ubi dolùit dixit, &c. Et tertiò fortiùs ex qualitate dicti Francisci de eo tempore in dicta decrepita ætate constituti, alium non habentis filium, nisi unum constitutum jam in sacris de nova prole desperati, unde propterea familiæ vocabulum in sui vera, & propria significatione verificari non poterat.

E'conversò autem, aliud argumentum non urgebat, nisi illud, quod in præcedentibus dispositionibus, cum duabus aliis familiis attinentibus ad solùm familiæ vocabulum 9
se restrinxerat, ideòque improbabile videbatur quod cum extraneo latiùs disponere voluisset; Verùm hoc unicum adminiculum non videbatur sufficiens in concursu tot aliorum in contrarium habentium assistentiam regulæ, ut suprà; Et fortiùs, quia neque expressè in jure statutum est, ut familiæ vocabulum importet præcisam restrictionem ad illos de agnatione, adeòut concurrat positiva incapacitas cognatorum, ne sub illo comprehendantur, sed solùm in 10
potiùs provenit ex dicto communi loquendi usu, quem pro meo sensu, ut suprà admitterem, ut etiam in hac materia sufficeret, quando dictum vocabulum est solùm, atque percutit ipsius testatoris, vel fundatoris familiam, erga quam urgeat ratio affectionis, atque alia in contrarium non concurrant, non autem, ut id adeò certam habeat juris regulam, quod oporteat formalem limitationem probare, atque discutere, an adminicula sint vehementia, & sufficiant, necne, unde propterea in ista tanquam quæstio-

ne facti; & voluntatis potiùs, quàm juris, ipsius facti qualitas regulatrix esse videtur, ut latiùs in his proximis terminis advertitur *dicto disc. 13. de præeminentiis*.

Præsupponebatur in facti notula, quod vera testatoris intentio fuisset, mediante vocatione familiæ, & descendentiæ dicti Francisci extranei, gratificandi solùm præfatum ejus unicum filium sibi cognitum, quem sciebat in sacris constitutum, dum etiam sciebat eumdem Franciscum ob ejus gravem ætatem non esse habilem ad procreationem aliorum filiorum, quibus mediantibus ejus familia conservari posset, atque ego in quodam sensu naturali credebam ob facti circumstantias, quod ista esset verisimilis voluntas; Verùm id non videbatur sufficiens, ut præmissis præponderaret, ideòque concludebam alia facti adminicula expetenda esse, puta ex verbis, licèt incidenter per fundatorem dictis cum amicis, seu aliàs, cum etiam in fortiori casu lati vocabuli, seu termini *parentelæ*, absq; adjuncto *familiæ*, Rot. judicaverit pro restrictione ad illos de familia in Civitatis plebis Cappellaniæ, de qua infrà *disc.* 27.

FANEN. CAPPELLANIÆ
PRO AUGUSTINO CLAUDIO,
CUM
N.

Casus variè resolutus.

De eodem vocabulo *familiæ*, quid significet, & qui sub eo veniant in utroque patronatu; An scilicet conveniant solis agnatis, vel etiam cognatis; Et quid ubi adjunctum est proprium nomen, cum quo ipsa familia dominatur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ex quibus apud judices fieri soleant impressiones.*
3 *An & quando sub vocabulo* familiæ, *veniant cognati remissivè.*
4 *Ubi adest voluntas disponentis non curvanda r absurda.*
5 *Non semper eadem est significatio, seu operatio verborum, & in specie de verbo* parentelæ, *quandoque capiendo pro agnatione.*
6 *Quod etiam in jurepatronatus verbum* familiæ, *ex usu loquendi non conveniat, nisi agnatis.*
7 *Verba per* rectam lineam, *quid significent, vel operentur.*
8 *Quando verbo familiæ adjectum est illud nominis, seu nuncupationis, tunc non convenit, nisi agnatis.*
9 *Item ubi verba dirigantur in agnatum masculum.*

DISC. XXVI.

1 AD controversam Cappellaniam fundator vocavit descendentes Therigii fratris de ejus familia Balestreriorum tantùm, istaque familia deficiente vocavit familiam illorum de Claudiis; Cùmque defecta linea masculina dicti Therigii, sequuto casu vacationis, descendentes per fœminas ex dicto Therigio præsentassent N. pariter descendentem, illi verò de Claudiis præsentassent Augustinum de eadem familia; Hinc orta lite, illaque introducta in Curia cor. Prælato, pro dicto primo descendente per fœminam à dicto Therigio pronunciavit, sed in gradu appellationis alter Prælatus, revocando dictam sententiam judicavit pro Augustino, pro quo scribebam, atque in hoc statu causa pendet.

Motus fuit judex primæ instantiæ alioquin doctus, &
2 ingeniosus, ex iis, quæ habentur deducta in Romana protectionum *sub tit. de præeminentiis disc. 13.* cum in ea causa ipse quoque aliquam habuisset participationem pro illis de sanguine Pontificis fundatoris, pro quibus Ego scribebam, vel respectivè votabam, ideòque formata ex illis impressione, induci non potuit ad reflectendum ad casuum diversitatem; Incredibile siquidem est, quantum in judicibus operentur illæ primæ impressiones, quas in eorum intellectu fecerunt aliæ consimiles causæ propriæ, vel conjunctorum, seu concivium, aut in quibus aliàs judicarunt, vel tanquam Advocati scripserunt, ut quotidiè experimur.

Dicebam igitur scribens pro Augustino, (etiam cum sensu veritatis agnitæ per judicem alterius instantiæ,) quod ubi verbum, *familiæ*, esset solum, tunc in con-
3 cursu extraneorum, probabilis esset comprehendi quoque descendentes per cognationem, ex deductis *d. disc. 13. de præeminentiis*, ac etiam in Burgi Sancti Sepulchri *disc. præced.* ubi quod licèt in ista materia jurispatronatus, juxtà dispositionem juris Canonici potiùs, quàm juxtà subtilitates juris civilis regulanda, facilius procedatur, quàm in materia fideicommissaria, attamen idem loquendi usus attendendus videtur; Sed quia alia concurrebant verba, & adminicula suadentia restrictionem voluntatis ad solos agnatos præcisè, idcircò omnes juris regulæ, ac præsumptiones cedere debent voluntati disponentis, quæ dominatur totumqne facit, quamvis absurda exindè resultarent, atque ita irrationabilis remaneat dispositio, quoniam in quæstionibus voluntatis non inspicitur quare, sed quid disponens voluerit, ut præsertim advertitur *sub tit. de fideicommissis disc.* 30. & in decisionibus in ea causa editis, & alibi. 4

Neque semper eadem, ac uniformis est verborum operatio, vel significatio, sed juxta facti qualitatem, unam vel alteram voluntatem suadentem, ut præsertim habetur *disc. seq.* de verbo *parentelæ*, quod sine dubio latiùs patet, atque de sui natura aptum est comprehendere, ita cognatos sicut agnatos, ut *d. disc. 13. de præemin.* & tamen illud ad solos agnatos ibi restrictionem recepit, cum si-
5 milibus, quoniam ut pluries habetur *in d. tit. de fideicomm.* ac etiam *hoc eod. tit.* & alibi, in quæstionibus voluntatis prorsus erroneum est ex verborum formulis, vel grammaticali significatione regulam generalem cuicumque casui applicabilem statuere.

Applicando autem ad rem, ultrà verbum *familiæ*, quod stante communi usu Italiæ, quod præsertim non concurrunt alia verba latiora, etiam in hac materia jurispatro-
6 natus, vel honorifici, in sensu restrictionis ad agnationem accipi solet, ut patet ex deductis *d. disc. 13. de præeminent.* & habetur apud Lotther. *lib. 2. q. 11. n. 67.* & per Rot. *decis. 71. cum seq. & decis. 139.* post Viv. *& in aliis pluries*; Plura alia concurrere observabam id ad evidentiam convincentia.

Primò scilicet, quia vocabantur descendentes per rectam lineam à dicto Therigio tantùm; Dicta enim
7 verba per *rectam, seu directam lineam*, denotare videntur solum masculum per masculum, ex deductis per Menoch. *consil. 326. num. 83.* Fusar. *quæst. 346. nu. 7.* Barbos. *in tract. variis de verb. appell. cap. 135. num. 14.* Et quamvis ista propositio non sit omninò firma, suasque patiatur difficultates, ex iis, quæ habentur in Romana fideicommissi de Pontianis *sub tit. de fideicommiss. disc. 27.* attamen, quidquid sit de hoc puncto, quando de illo principaliter agendum esset, negari non potest, saltem exindè aliquod adminiculum resultare.

Secundò, quia vocabulum *familiæ*, non est simpliciter prolatum, sed adjectum ejusdem familiæ cognomen
8 *de Balestreriis* tunc enim tanquam in claris, cessat omnis quæstio, quæ solùm cadit, an censeatur vocata sola familia effectiva, vel etiam veniat contentiva, juxtà notas decisiones in Bononien. fideicommissi de Pancaldis coram Panzirolo, & Cerro, de quibus habetur sæpiùs mentio *sub tit. de fideicommiss.* præsertim *disc. 50. cum plurib. seqq.* ad materiam comprehensionis personarum sub dispositione concepta ad favorem familiæ; Omnes autem nemine discrepante, concordare videntur, quod ubi accedit dicta nominis specificatio, tunc vocabulum *familiæ*, non nisi agnatis conveniat.

Et in specie, quod ubi adest adjectum nominis, non
9 veniant, nisi illi, qui verè sunt de familia, ponderabam decis. Papien. jurispatronatus coram Lancellotto registrata apud Viv. *lib. 4 c. 9. n. 55.* ubi de jurepatronatus reservato per Pium V. in Collegio Papien. per ipsum fundato ad favorem ejus familiæ, quod ob illud adjectum Ghisleriorum de facto illi de Ghisleriis, qui per transversum, & forsan remotè, ipsi Pontifici attinebant, obtinent dictum jusparonatus in exclusionem Marchionum, seu Ducum Cassani descendentium ex Pontificis sorore, & quos ipse in nepotes, & coniunctos agnovit, ut advertitur *d. disc. 13. de præemin.* & habetur etiam in Miscellanea variarum rerum Ecclesiasticarum *sub tit. de sepultur. in Romana sepult.* ubi de quodam sepulchro ab eodem Pontifice constructo, dum erat Cardinalis, quoniam ubi dictum adjectum concurrit, tunc reverà nulla cadere videtur difficultas.

Tertiò, quia prima dispositio directa est in masculum, quo casu intrat consideratio, de qua *d. tit. de fideicommiss. disc. 24. & seqq.*

CI-

CIVITATIS PLEBIS CAPPELLANIÆ
PRO FELICE CINCIO,
CUM JOANNE FATIO.

Casus variè decisus per Rotam.

De jurepatronatus passivo ordinato pro illis de parentela fundatoris, an conveniat attinentibus per cognationem, vel solùm agnatis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quod quandoque expensæ litis superent victoriæ æstimationem.*
4 *A. C. in beneficialibus non habet jurisdictionem, ex cujus defectu non solùm corruit ejus sententia, sed etiam corruunt aliæ Rotales confirmatoriæ.*
5 *An in Cappellaniis non erectis formiter in beneficium.*
6 *Quando in jurepatronatus activo, vel passivo constare debeat de conjunctione per gradus distinctos, vel sufficiat probatio generica.*
7 *Actor debet concludenter probare, id quod est fundamentum vacationis, ac etiam in beneficialibus intrat regula, quod reo & possessori sufficit vincere per non jus.*
8 *De verbo* parentelæ, *quibus conveniat.*
9 *Quod ex voluntate fundatoris possit esse restrictum ad solam agnationem.*

DISC. XXVII.

1 FUndante testatore de familia Fatia, Cappellaniam, cujus jusparonatus activum aliis concessit, sub dispositione tamen, quod illinc ad 15. annos (quibus durantibus deputari deberet Cappellanus Manualis) existentibus habilibus, & capacibus de ejus parentela, isti deberent præsentari, ac aliis omninò præferri; Cum adveniente dicto tempore, fuisset præsentatus Felix, testatoris conjunctus per cognationem, cum subsequuta institutione, eandem Cappellaniam, utpotè malè provisam contra legem à fundatore adjectam, à Dataria impetravit Joannes fundatoris agnatus, sub prætextu quod sibi ratione jurispatronatus passivi juxta legem à fundatore adjectam beneficium debitum esset; Quare introducta causa cor. A. C. prodiit sententia Joanni impetranti favorabilis, confirmata in gradu appellationis per aliam sententiam Rotalem cor. Verospio prævia decis. 23. Januarii 1660 Commissa verò causa appellationis in eadem Rot. cor. Cerro, præviis duabus decisionibus sub diebus 15. Junii, & 5. Decembris 1661. infirmatæ fuerunt dictæ sententiæ; Commissaq; denuò causa coram Ninot ista posterior sententia infirmata fuit, confirmando duas præcedentes prævias duabus decisionibus sub diebus 4. Decembris 1662. & 23. Febr. 1663. Unde propterea denuò commissa causa coram Taja, cum clausula, constito de tribus, sub diebus 14. Decembris 1663. & 5. Februarii, & 26. Jun. 1664. responsum fuit de prædictarum trium conformium infirmatione ob earum nullitatem, atque ad normam dictarum trium decisionum expedita sententia, & commissa causa cor. Carpineo, sub die 9. Decembris 1665. prodiit resolutio pro confirmatione hujus ultimæ sententiæ infirmatoriæ, unde propterea
2 Joannes adeundo Signaturam Sanctissimi obtinuit rescriptum, ut postpositis nullitatibus procederetur ad ulteriora in causa, constito de bono jure, super quo ad formam rescripti assumpta disputatione, sub die ..... 1668. pro eodem Joanne prodiit resolutio, quæ fortè liti finem dedit, dum amplius de illa actum non audivi, atque in ista causa etiam quoad victorem verificatum vidimus solitum dicterium, quod beneficia assequenda per viam litis inter maleficia, & infortunia potiùs computanda sunt, dum sine dubio, litis expensæ ejus æstimationem in duplo, & ultrà excesserunt.

3 Duæ igitur fuerunt istius causæ partes, una ordinis circa nullitates trium conformium, de quibus actum fuit in quinta instantia cor. Taja, & in sexta coram Carpineo; Et altera justitiæ, seu meritorum negotii principalis.

Super hac secunda solùm ego scripsi in ultima instantia coram Carpineo, super dubio prodito à rescripto Sanctissimi, & sic in statu causæ semimortuæ post dictas tres conformes, quæ Sanctissimo ejusque Signaturæ Gratiæ, occasione agendi de rejectione nullitatum, (quamvis incidenter) reputatæ fuerunt justæ, ideòque nullam partem habui in disputationibus super nullitatibus dupliciter canonizatis; Primò ex defectu citationis; Et secundò ex altero jurisdictionis, qua caret Aud. Cam. in beneficialibus, cùmque duæ posteriores sententiæ Rotales essent simpliciter confirmatoriæ primæ sententiæ, hinc dictum fuit, eas quoque corruere tanquam ex initio infecto, unde dictæ decisiones coram Taja, & Carpineo videntur satis notabiles in hac materia carentiæ jurisdictionis A. C. in beneficialibus, ut advertitur in sua materia *sub tit. de benefic.* ac etiam *sub tit. de judic.*

Adeòque mordicus dicta jurisdictio negata fuit, quod licèt ex parte dicti Joannis, qui sententias reportaverat
4 fundatè diceretur, quod ista non esset causa beneficialis, dum agebatur de Cappellania proveniente a privato judicio testatoris, absque formali erectione facta cum auctoritate Ordinarii, unde propterea remanere potiùs dicitur in terminis simplicis legati pii, juxtà notoriam, ac magistralem decisionem Melphit. legati pii cor. Dunozetto *inter suas decis. 101. repetit.* post Marin. *resolut. 36. lib. 1. & decis. 238. par. 5. rec.* sæpiùs enunciata *hoc eod. titul.* & sub altero *de beneficiis*; Adhuc tamen respondetur sufficere implicitam erectionem, seu approbationem resultantem ab institutione, quam Ordinarius concesserat Felici
5 præsentato, & clariùs in præjudicium ipsius Joannis, qui tanquam formale beneficium eamdem Cappellaniam impetraverat à Dataria, unde propterea ipse dicere non poterat contrarium, neque dictam qualitatem negare; Super cujus famen assumpti veritate adhuc occasio non dedit maturum judicium effornare, dum super isto puncto, ut insinuatum est, non scripsi; Visa est tamen magna extensio, dum etiam in casu dictæ Melphiten. cor. Dunozett. concurrebant aliquæ provisiones factæ per Ordinarium, cum præsupposito quod ageretur de beneficio legitimè erecto, sed quod hoc præsuppositum, sive reverà detegatur erroneum, non videtur aptum ad imprimendam talem qualitatem, cum in actibus gestis cum falso præsuppositio, seu erronea credulitate abesse dicatur consensus; Ac etiam, quia non omninò incongruit, ut etiam super simplicis legati pii pertinentia ex judicio testatoris Ordinarii auctoritas adhibeatur, super delatione, seu adjudicatione magis uni, quàm alteri, quodque adversus Ordinarii judicium detur etiam recursus ad Sedem Apostolicam, absque eo, quod exindè resultet formalis erectio in beneficium, dum nulla causæ cognitio desuper habita fuit, atque animus Ordinarii, vel respectivè Papæ ita fuit potiùs præsuppositivus, quàm dispositivus.

Quatenùs igitur pertinet ad alteram causæ partem in meritis negotii principalis; In præcedentibus disputationibus tres erant puncti; Primò scilicet super incapacitate dicti Joannis possidentis in eadem Ecclesia, in qua erat Cappellania, alterum beneficium, unde propterea ex hac parte dicebatur, atque in decisionibus coram Cerro admittitur, obstare judicium fundatoris prohibentis Cappellanjam conferri iis, qui alteri servitio addicti essent; Verùm hic punctus in ultima disputatione, in qua ego scripsi, neglectus fuit, & meritò, cum ex facti qualitate reverà incompatibilitas non adesset, dum utriq; beneficio, seu Cappellaniæ compatibiliter, & commodè servitium præstari poterat, capiendo fundatoris præceptum, spectato ejus fine, seu effectu, non autem in sola formalitate verborum, & multò magis accedente dispensatione Apostolica, unde propterea decisiones coram Ninot, in hac parte mihi videbantur justæ, benèque fundatæ.

Alter erat punctus, quod Joannes meliùs, ac per gradus distinctos probaret proximitatem cum fundatore, quam non ita benè probaret Felix, ideòque in concursu præferri deberet ille, qui meliores habebat probationes; Et tertius, quod ubi etiam clara probatio ex parte Felicis adesset, neque suffragaretur, eo quia fundator vocando sibi magis attinentes de parentela, de solis agnatis, non autem de cognatis intelligere voluerit.

Secundus punctus erat potiùs facti, quàm juris semper fit de præstanda testibus ex parte Felicis inductis ad probandam ejus parentelam in gradu æquali cum Joanne, 6
cum sola differentia, quod unus esset per agnationem, & alter per cognationem, Quatenùs verò pertinet ad partes Advocati, dicebam, quod hæc inspectio, an magis unus, quàm alter contendentium suam proximitatem probaret, rectè caderet, quando res esset in fieri, quia nem-

pe

cante beneficio juriſpatronatus paſſivi, ac debito certo generi perſonarum juxta ordinem proximitatis, dum ſe opponerent contendentes de inſtitutione, vel adjudicatione, quorum unus per gradus diſtinctos meliùs proximitatem probaret, quàm alter, atque in his terminis benè procedunt dictæ deciſiones, ac auctoritates in eis deductæ, quæ verè hos terminos percutiunt.

Secus autem, dum res non erat ampliùs in fieri, dum patroni jam præſentaverant, cum ſubſequuta inſtitutione, & poſſeſſione, cum, quem non dubitabatur in genere eſſe de fundatoris parentela, cum ſola controverſia eſſet circa probationem graduum, ſeu majoris, & minoris proximitatis; Ita enim dictus conjunctus in genere rectè præſentatus, ac inſtitutus dici poterat, dum alter, qui ſe prætenderet proximiorem, non compariuerat; Non tenentur enim patroni canere tuba, vel indagare, an adeſſent, necnè in rerum natura magis proximi, quàm ille quem præſentare intendunt, ſed aliis non comparentibus, benè ſatisfaciunt judicio fundatoris ſe non reſtringentis ad certum gradum, præſentando aliquem de genere juxta receptum conſ. 43. Cumani, de quo cæteris relatis Lother. *lib. 3. quæſt. 11. num.* 100. *cum ſeqq.* Buratt. *dec.* 945. *num.* 4. *deciſ.* 135. & 146. poſt Vivian. *dec.* 159. *n.* 9. *p.* 10. *rec.* & in aliis, in quibus occaſione patronatus, ſive activi, ſive paſſivi habetur de hac diſtinctione, an fundator ad certum gradum ſe reſtrinxerit, necne, ut in caſu non reſtrictionis ſufficiat parentela in genere, non curata diſtinctione graduum, dum alter proximior non comparet.

Poſito igitur, quod actus jam geſtus dici non valeat infectus, quodque alter, qui ſe contendit proximiorem, ex majoris proximitatis fundamento inſtitutum, ac poſſeſſorem repellere velit, tunc onus non eſt rei, & poſſeſſoris plenè, & concludenter per gradus diſtinctos probare ſuam majorem, vel æqualem proximitatem, eo modo quo teneretur, quando res eſſet in fieri, & in concurſu, quoniam etiam in beneficialibus receptum eſt vul-
7 gare principium, ut reo, & poſſeſſori ſufficiat vincere per non jus actoris, cujus onus eſt concludenter probare narratam qualitatem, quæ eſt cauſa vacationis, ac ſuæ intentionis fundamentum, quamvis conſiſtat in negativa, ex deductis per Gregor. & Adden. *deciſ.* 210. & 252. Buratt. & Adden. *deciſ.* 175. & 948. & paſſim, ideòque quando ab hoc ſolo puncto deciſio penderet, mihi videatur quod juſtitia huic parti aſſiſteret.

Major autem difficultas reſidebat in altero puncto omnimodæ incapacitatis dicti Felicis cognati, ubi etiam per gradus diſtinctos, æqualem vel proximiorem ſe probaret,
8 ob omnimodam carentiam generis, eo quod teſtator de ſolis agnatis intelligere voluerit; Licèt enim etiam prima deciſio coram Veroſpio admittat, & non negent aliæ poſteriores coram Ninot, & Carpineo aſſumptum firmatum in aliis deciſionibus coram Cerro, quod verbum, ſeu vocabulum *parentelæ*, latè pateat, omneſque conjunctos comprehendat, nulla data diſcretione agnationis, vel cognationis, de quo etiam apud Carill. *dec.* 165. *num.* 5. *repetit. deciſ.* 155. *num.* 6. *p.* 8. *rec.* cum aliis, quæ de hoc vocabulo *parentelæ*, habentur in Romana protectionum *ſub tit. de præeminent. diſc.* 13. Attamen ex judicio teſtatoris tale vocabulum diverſam habere poteſt ſignificationem, cum ſubſtantia veritatis cuicumque verborum formulæ, vel enſui in hujuſmodi voluntatis quæſtionibus
9 perpetuò, ac ſine dubio prævaleat.

Dictæ autem voluntatis probatio dabatur ex teſtimonio aliquorum ex illdem executoribus, quibus teſtator, nedum deſiderati operis effectuationem commiſit, ſed etiam juſpatronatus activum reliquit, atque aliquæ exceptiones, quæ dabantur adverſus dictos teſtes eorum fides minuentes benè ſuppletæ videbantur ab eo vehementi adminiculo, quod de tempore teſtamenti Felix erat ſacerdos, benèque teſtatori cognitus, & tamen ab eo neglectus, non obſtantibus quibuſdam inſtantiis ſibi factis, ob aſſignatam rationem deſiderandi, quod Cappellania obtineretur per illos de familia, ad quem effectum dictam dilationem 15. annorum præſcripſerat, ut ita ſequi poſſet habilitas, ſeu capacitas puerorum, tunc in familia exiſtentium, quo facto ſic ſtante reſolutiones juſtæ viſæ ſunt ex motivis potiùs factì, quàm juris, & quatenùs iſtud facti præſuppoſitum ſubſiſteret.

MUTINEN. BENEFICII PRO ANDREA MARZOLO, CUM ANTONIO MARIA NASIO.

Caſus diſputatus coram Prælato ſub incerto exitu.

An vocabulum *cognationis* uſurpetur pro agnatione, ad quam diſpoſitio reſtricta cenſeatur, & quid de vocabulo *progenie*, & *ſtirpe*; Et an fœmina veniat in jure agnatitio.

Et incidenter, an & quando Vicarius Generalis Epiſcopi præſtet conſenſum donationi juriſpatronatus.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Ex quibus deſumatur juſpatronatus eſſe agnatitium.*
3 *Quod appellatione maſculorum veniant etiam deſcendentes per cognationem.*
4 *Quando ſecus.*
5 *Quod obſervantiæ ſit nimium deferendum.*
6 *Verba præſuppoſitiva non inducunt diſpoſitionem.*
7 *Quod verbum* cognatio, *quandoque uſurpetur pro agnatione.*
8 *Fœminæ dicuntur agnatæ, & veniunt etiam in diſpoſitionibus agnatis.*
9 *Juſpatronatus familiare penès ultimum de familia eſſe dicitur hæreditarium.*
10 *Illi de genere præſentandi ſunt ratione juriſpatronatus paſſivi.*
11 *De verbis*, progenies, ſtirpes, & proximiores, *quibus conveniant.*
12 *An jurepatronatus activo infertur ad paſſivum, & è contra.*
13 *Vicarius Generalis non poteſt præſtare conſenſum dominationi juriſpatronatus.*
14 *Ex quibus deſumatur hanc facultatem attributam eſſe.*
15 *Et quid circa poteſtatem novæ erectionis juſpatronatus.*
16 *Quod mandatum in hoc propoſito probetur etiam adminiculativè.*

DISC. XXVIII.

ERecto uſque ab anno 1342. in Eccleſia Cathedrali beneficio ſacerdotali per Joannem Baptiſtam de 1
Buralibus cum reſervatione juriſpatronatus activi ad favorem aliquorum ex germano fratre nepotum, eorumque ex ſanguine deſcendentium maſculorum ab agnatione non extraneorum, ita ut in diſcordia prævaleret ea pars in qua eſſent duo ex antiquioribus melioribus dictæ cognationis, ſub ea tamen lege, ut ſemper unus, *de domo*, *progenie*, *vel ſtirpe*, ubi adeſt præſentari debeat, cum ea prærogativa ſupra extraneos, quod ei ſufficiat Clericatus in minoribus; Cum obſervantia dediſſet dicti juriſpatronatus perſeverantiam uſque ad Octavium ultimum maſculum de hac familia iſte cum conſenſu Vicarii Generalis, Epiſcopo abſente donavit hoc juſpatronatus Jacobo Turrio; Unde ſequuta beneficii vacatione, de anno 1627. dictus Jacobus præſentavit Joannem Mariam Naſium; Quidam autem de Manzolis deſcendentes per cognationem ab uno ex nepotibus fundatoris præſentarunt Andream de eadem deſcendentia; Blanca verò germana ſoror dicti Octavii præſentavit Antonium Mariam Paganinum, quo juri ſuo cedente, Andreas obtinuit à Dataria in ejus juribus ſubrogari, latiſque in partibus aliquibus ſententiis, atque commiſſa demùm cauſa in Curia coram Prælato, poſt unicam diſputationem, ampliùs de illa actum non audivi, undè incertus eſt ejus exitus, neque in unica diſputatione maturum judicium deſuper efformari potuit, probabiliter tamen credebam juſtitiam aſſiſtere Andreæ, utpotè de progeniæ, ſive ſtirpe fundatoris.

In hac autem diſputatione, tres erant puncti; Primò, an juſpatronatus activum eſſet ſolùm agnatitium, vel potiùs gentilitium, itaut præfatis de Manzolis cognatis convenire poſſet; Secundò, an quatenùs eſſet ſolùm agnatitium, conveniret fœminis, adeòut Blanca agnata dici poſſet vera patrona in concurſu aliorum; Et tertiò, circa juſpatronatus paſſivum, an ſcilicèt Andreas

dreas eſſet de illo genere, quod fundator vocavit, ac omninò præferri voluit, cum ea prærogativa ſupra extraneos, ut quoad iſtos beneficium eſſet ſacerdotale, quo verò ad illos de genere, præſentari poſſet Clericus ſeptem annorum.

Quatenùs pertinet ad primum, verba invicem pugnantia in tenore fundationis adeſſe videbantur; Pro qua-
2 litate ſiquidem agnatitia faciebant illa verba, *proximiorum ex ſanguine deſcendentium non extraneorum ab agnatione maſculorum*; Vocatio enim maſculorum juncta cum illo verbo *ex ſanguine*, & cum illa qualitate, *ut ab agnatione extranei non ſint*, clarè convincere videbatur voluntatem vocandi ſolos agnatos; Si enim in ſenſu aliquorum, illud verbum *ex ſanguine*, reſtrictionem ad agnationem importare videtur, ex iis, quæ in his proximis terminis habentur in Romana protectionum *ſub tit. de præeminentiis diſc.* 13. multò magis concurrente vocatione maſculorum cum dicta qualitate, *ut extranei non ſint ab agnatione*; Ac etiam concurrente altera ſatis conſiderabili circumſtantia, quod fundator erat maſculus de familia juxtà ea, quæ pluries habentur *ſub tit. de fideicomm.* in propoſito deſumendi agnatitiam qualitatem, præſertim *diſc.* 23. & *ſeqq.* Et in terminis juriſpatronatus de vocabulo caſatæ *dec.* 162. & *dec.* 374. *p.* 11. *rec.*

E'conversò autem pro capacitate, ſeu vocatione co-
3 gnatorum habentium ſexum maſculinum, ad quem fundator ſe reſtrinxit, duo facere videbantur, quæ ego tanquam Advocatus, ſubſtinendo partes dicti Andreæ præſentati à cognatis deducebam; Primò ſcilicet, quod juxtà magis communem, atque in Rota, & Curia receptam opinionem, cui anteſignanus tribuitur, Fulgoſ. *conſ.* 85. appellatione maſculorum veniunt tam maſculi ex maſculis, quàm maſculi ex fœminis, quoniam ſufficit ſexus non curato medio, ex deductis *dict. diſc.* 24. & *ſeqq. de fideicommiſſis*, ubi concordantes; Et ſecundò, quia in verbis fundator etiam cognatos vocavit, dum in caſu diſcordiæ mandavit prævalere illam partem, in qua eſſent duo ſeniores, ac meliores de cognatione, ideòque dicebam intrare vulgarem regulam, text. *in lege ille*, *aut ille*, *ff. de legat. tertio*, quod in claris, & expreſſis non intrant quæſtiones, dum ita litteraliter vocata legitur cognatio.

Reflectendo tamen ad veritatem, contrarium vide-
4 batur probabilius, quoniam dicta regula, ut appellatione deſcendentium maſculorum venirent omnes de eodem ſexu, non curato medio agnatitio, vel cognatitio, ceſſat ubi conſtat agnationis contemplationem habitam eſſe, ex deductis *eiſdem diſc.* 23. & *ſeqq. de fideicommiſſ.* unde cum adeſſent dicta verba clara, quod maſculi deſcendentes non eſſent ab agnatione extranei, juncto altero verbo *ex ſanguine*, clara videbatur dicta contemplatio.

Et nihilominùs ponderabam ſufficere id eſſe probabi-
5 liter dubium, ut nimium, ac omninò deferendum eſſet obſervantiæ adeò longevæ trium ſæculorum, quod ſemper agnati præſentarunt, abſque eo, quod conſtaret participaſſe de patronatu, ac jure præſentandi maſculos cognatos, quos nimium improbabile eſt tam longo ſpatio non adfuiſſe, ut ponderatur infrà *diſc.* 60. generali ſuper natura juriſpatronatus agnatitii, vel reſpectivè gentilitii.

Magis autem urgere videbatur dictum aliud verbum
6 *de cognatione*, quando non concurreret dictum nimium efficax argumentum reſultans ab adeò diuturna obſervantia, quam omninò prævalere debere credebam, potiſſimè verò, quia dictum verbum non erat in parte diſpoſitiva continente, ut ſupra importantia reſtrictionem ad agnationem, ſed potiùs erat in parte præſuppoſitiva occaſione demandandi probationem in caſu diſcordiæ, cum pars præſuppoſitiva non inducat diſpoſitio-
7 nem, ex deductis per Gregor. & Adden. *deciſ.* 208. *num.* 2. & 7. Rovit. *pragm.* 1. *de titulorum abuſu n.* 83. & *ſeqq.* præſertim ad effectum corrigendi diſpoſitionem præcedentem claram, benè tamen ad eam dubiam interpretandam, ut pluries in dicta fideicommiſſaria materia advertitur.

Ac etiam, quia verbum, *cognatio*, licèt in ſua legali ſignificatione ad cognatos regulariter referatur, ob alium diſcretum terminum agnationis, cum quo agnati demonſtrantur, attamen apud grammaticos pro agnatione quandoque uſurpari ſolet, ideòque non eſt verbum omnimò univocum, ſed æquivocum, ac aptum recipere di-

ctam reſtrictionem, quando alia concurrant illam ſuadentia, Ruin. *conſil.* 161. *num.* 4. & *ſeqq. lib.* 2. Peregr. *artic.* 22. *num.* 39. & 40. cum aliis relatis per Fuſar. *quæſt.* 368. *num.* 2. & *quæſt.* 371. *num.* 3. ac probatur in textu Evangelico Lucæ *cap.* 1. & frequenter in aliis novi, & veteris teſtamenti partibus, quod hoc verbum cognationis pro agnatione uſurpatur, ut advertitur *d. diſc.* 13. *ſub tit. de præeminentiis*, ideòque cum urgerent verba prædicta in parte diſpoſitiva magis attendenda, fortiùs verò urgeret dicta longiſſima obſervantia, certa mihi videbatur dicta reſtrictio.

Quo verò ad ſecundum punctum, an ſcilicet poſita agnatitia, ſeu familiari qualitate, juſpatronatus conve-
8 niret dictæ Blanchæ germanæ ſorori Octavii ultimi maſculi; Scribens pariter tanquam Advocatus, deducebam regulam hodie receptam frequenter firmatam *in d. tit. de fideicomm.* & de qua latè Rota *dec.* 133. *p.* 9. *recent. dec.* 40. poſt Cenſal. ad Peregr. apud Dunozet *dec.* 837. 853. & *frequenter*, quod fœminæ dicuntur etiam agnatæ, quamvis nuptæ, non obſtante conſuetudine Italiæ aſſumendi de facto nuncupationem, ſeu nomen virorum, ideòque veniunt, (ordine tamen præpoſtero, ac poſt defectos maſculos) etiam in fideicommiſſis, & primogenituris merè agnatitiis, quod ad Moniales quoq; extenſum fuiſſe habetur *dicta deciſ.* 40. poſt Cenſal. *& in aliis pluries*; Verùm reflectendo ad veritatem habebam quoque difficultatem ob dictam reſtrictionem ad ſexum maſculinum, qua concurrente, extrà controverſiam eſt dictam regulam non intrare, ut in eadem fideicommiſſaria materia pluries habetur; Et in his præciſis terminis poſt hæc ſcripta firmavit Rota in Rhegien. beneficii 9. April. 1666. coram Bourlemont, ubi de jure extranei hæredis ultimi maſculi de familia, in excluſionem fœminæ de eadem familia ob reſtrictionem ad maſculos.

Et his ſtantibus, quando non obſtaret motivum invaliditatis donationis, de quo infrà, juſpatronatus reſidere dicebatur penès dictum Jacobum donatarium, quoniam juxtà receptam opinionem, de qua pluries *hoc tit.* præſer-
9 tim in *Bonon. diſc.* 35. juſpatronatus merè agnatitium reſtrictum ad certam qualitatem perſonarum, penès ultimum efficitur hæreditarium ac liberæ diſpoſitionis, & conſequenter donari potuit, quatenùs legitimus Ordinarii conſenſus accedat.

Adhuc tamen credebam, dicto Andreæ juſtitiam aſſiſtere, quamvis admitteretur juſpatronatus activum non eſſe penès illos, qui eum præſentaverant, ſed penès dictum extraneum donatarium, ratione ſcilicèt juriſpatronatus paſſivi, ob quod habere diceretur præſentationem fundatoris ex deductis apud Buratt. *deciſ.* 55. & 559. Mer-
10 lin. *dec.* 897. *dec.* 122. & 372. *p.* 11. *rec.* & pluries in præcedentibus, ac etiam *diſcurſ. proximè ſequenti*.

Fundator etenim in hoc jurepatronatus paſſivo ſe non reſtrinxit ad ſolos agnatos, ut in activo feciſſe videtur, ſed generaliter vocavit omnes *de domo*, *progenie*, *ſivè ſtirpe*, quæ verba latiùs patent, potiſſimè concurrentibus aliis verbis magis generalibus, ibi, & *ſucceſſivè de propinquioribus ipſius domus*, cum verbum *progenies*, ac alterum verbum *ſtirpes*, clarius verò verbum magis generales *propinquiorum*, ſine dubio latius pateant, omneſque complectantur quomodocumque per agnationem vel cognationem
11 coniunctos, ex collectis per Fuſar. *quæſt.* 335. & 337. & in ſpecie de verbo *progenies* habetur *d. tit. de fideicommiſſis*; Stant enim benè ſimul, ut advertitur *diſc. ſeq.* ut juſpatronatus activum ſit hæreditarium, ac tranſitorium ad extraneos, & tamen quod adſit obligatio præſentandi perſonas de certo genere volito per fundatorem ratione juriſpatronatus paſſivi.

Scribentes in contrarium, inſiſtebant in eo, quod natura unius ex dictis patronatibus regulat alterum, juxtà firmata *in Aquilana juriſpatronatus* 1. *Februar.* 1651. *coram Meltio*, *deciſ.* 374. *num.* 20. *p.* 11. *recent.* ubi tamen de caſu converſo, quod ſcilicèt cum juſpatronatus paſſivum ibi reſtrictum eſſet ad ſolos agnatos, ità præſumendum eſſet activum; Verùm in ſenſu etiam veritatis dicebam, quod quidquid ſit in dicto caſu, in quo qualitas paſſivi, non quidem neceſſariam probationem, ſed adminiculum efficax inducere videtur, non benè argumentum procedit è converſo, cum paſſim detur juſpatronatus activum hæreditarium ac ad extraneos tranſitorium, firmo remanente paſſivo in gene-
12 re vocato per fundatorem, ut *diſc. ſeq.* & in aliis frequenter.

Quia verò Andreas, pro quo ſcribebam, habebat etiam jura præſentati per Blancam ſororem ac hæredem dicti

Octa-

Octavii ultimi de agnatione, undè propterea posita nullitate donationis, juris patronatus, & præsentandi penès eam jure hæreditario residebat; Hinc proindè assumpsi alterum punctum invaliditatis dictæ donationis ob defectum consensus Ordinarii, sine quo extrà controversiam est, quod donationis vel legati, aut alterius particularis dispositionis titulo transferri non potest præterquam in compatronum, adeòut dictus consensus regulariter præstari non valeat per Vicarium Generalem, sub cujus mandato seù facultate sine speciali mentione id non venit, Ferrett. *consi.* 325. *n.* 6. &
13 7. Cavaler. *decis.* 638. *n.* 3. Rota *decis.* 576. *num.* 1. *par.* 1. *recent.* *dec.* 224. *n.* 10. *p.* 8. *dec.* 430. *n.* 3. & 4. *par.* 9. *cum aliis collectis* per *Add. ad dec.* 46. *n.* 73. & 74. *par* 9. *rec.*

Non negabant scribentes in contrarium regulam prædictam, dicebant verò adesse mandatum sufficiens, licèt non explicitè, implicitè tamen deductum ex pluribus, quæ simul juncta concludere videbantur.

Primò sc. ex illa clausula, *generaliter ad omnia alia etiam majora expressis*, quæ æquipollere mandato speciali firma-
14 tur per Rotam *in Valentina impress.* apud Garz. *par.* 5. *cap.* 8. *num.* 72. Secundò quod in litteris Vicarii contineretur facultas collationis beneficiorum tam simplicium quàm curatorum, unde si Episcopus dedit plus, censendum est dare voluisse quod minus, ut advertit in specie Sbrozz. de Vicario *lib.* 1. *c.* 65. *num.* 9. & 10. Et tertiò quia Episcopus quando dedit mandatum, erat discessurus cum longa absentia pro exercendo munere Nuncii Apostolici apud Regem Galliarum, ut advertitur per eundem Sbrozz. *lib* 2. *cap.* 30. *num.* 13. *cum seqq.*

Singulis dictis argumentis respondebam, quod clausula generalis vel concessio aliquarum rerum requirentium mentionem specialem ad id non sufficit, ut in specie *decis.* 576. *p.* 1. *diversi.* & *in aliis relatis* per Adden. *ad d. decis.* 46. *nu.* 74. & 75. *par.* 9. *recent.*

Ad tertium absentiæ, dicebam regulam esse in contrarium, quod absentia Episcopi non ampliat facultates Vicarii, ut *decis.* 337. *num.* 5. *par.* 2. *recent. decis.* 430. *num.* 4. *par.* 9. *cum aliis* per Adden. *ad d. decis.* 46. *num.* 77. *eadem par.* 9.

Et ad secundum concessionis facultatis conferendi beneficia, dicebam, neque argumentum concludere, ob rationis diversitatem, Tum quia Ecclesiæ vacantes non debent pati præjudicium diuturnæ vacationis ob collationem non factam in tempore, & sic videtur actus necessarius, donatio verò juris patronatus est actus voluntarius.

Quamvis autem dictæ responsiones aliquam habere viderentur probabilitatem, quodque propterea singula dicta argumenta, singulariter ac distinctè considerata non concluderent; Adhuc tamen simul juncta mihi non levem inferebant difficultatem, ex eo præsertim, quod moræ periculum etiam isto casu, (quinimò magis) concurrere videtur, cum donator mori possit; Ut in proposito novæ fundationis beneficii cum reservatione juris patronatus, quod fundator interim moriatur vel pœniteat, habetur *decis.* 113. & 114. post Vivian. & *in aliis* per Add. *ad d. decis.* 46. *nu.* 78. & 79. *par.* 9. *rec.* Cumque ista non sit quæstio juris sed potiùs facti & voluntatis, idcircò certam ac determi-
15 natam regulam generalem recipere non videtur, sed pro facti qualitate decidenda est, juxtà ea quæ habentur apud Dunozett. *decis.* 786. & in aliis pluries in materia mandati præsumpti ex conjecturis & adminiculis desumendi ut *sub tit. de credito*, & sub altero *de judiciis*; Et in termi-
16 nis advertitur per Rotam *dec.* 298. *par.* 11. *rec. per tot.*

3 *Quod valeat argumentum à jurepatronatus activo ad passivum, & è contrà.*
4 *De argumentis ut ad patronatum passivum censeantur etiam vocati habentes activum.*
5 *Declaratur conclusio de qua num.* 3. *& respondetur auctoritatibus.*
6 *Argumentum absurdorum & inverisimilitudinis, quando & quomodo attendatur.*
7 *Quod non sit incongruum, ut patronus cogatur neglectis suis præsentare extraneos.*
8 *Vocatis descendentibus masculis veniunt omnes etiam per cognationem.*
9 *Jus patronatus activum etiam ubi adsit passivum, adhuc est proficuum, & utile.*
10 *Quando sit deferendum observantiæ, & quando non.*
11 *Qualitas sanguinis non dato patronatu passivo, est considerabilis circa prælationem data æqualitate vocum, vel accumulatione.*
12 *Ad effectum necessitatis resultantis à jurepatronatus passivo, de quo num.* 2. *non requiritur prohibitio negativa, quod alii non possint præsentari, sed sufficit præceptum affirmativum.*

MEDIOLANEN. PRÆPOSITURÆ PRO N. SORMANNO, CUM N. GHERINGHELLIO.

Casus disputatus coram Prælato, & resolutus pro Sormanno.

An in jurepatronatus passivo reservato aliquibus familiis, veniat illa familia cui reservatum est jus patronatus activum, quamvis non fiat mentio: Vel potiùs patronus teneatur præsentare unum ex aliis familiis vocatis-

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *De necessitate quæ resultat à jurepat passivo, & n.* 12.

QUedam pia Matrona Mediolanensis, viro, ac prole, & proximis conjunctis destituta, Deo piisque usibus ejus asse destinato, in testamento de anno 1587. erigi mandavit Collegium cujus Præpositus & Canonici esse deberet 1 de jurepatronatus ac præsentandi Hieronymi Gheringhellii, ejusque filiorum, ac descendentium masculorum in infinitum, aliquibus Canonicatibus relictis ad liberam dispositionem Ordinarii, cujus assensus accessit ipsamet die conditi testamenti, in quo, & in sequentibus codicillis dispositum est, quod existentibus idoneis de quibusdam expressis familiis, (quarum una est illa de Sormannis), omninò præsentari, ac aliis præferri deberent; Sequuta igitur vacatione Præposituræ, cum descendens dicti Hieronymi præsentasset germanum, vel alterum conjunctum de eadem familia Gheringhellia, Sormannus autem jam ejusdem Ecclesiæ Canonicus se opposuisset, petendo sibi Præposituram debitam esse ex judicio fundatricis, prodiit sententia Ordinarii pro institutione præsentati, commissaque appellationis causa Prælato in Curia sententiatum fuit pro appellante, atque in hoc statu causa pendet in gradu appellationis.

In disputationibus autem coram dicto Prælato habitis; Scribentes pro Gheringellio præsentato, non negabant 2 hodie certam, ac absolutam conclusionem, in præcedentibus pluries insinuatam, quod quando fundator adiicit in præsentandis certam qualitatem; seu quod mandat ut personæ de certo genere præsentari debeant, refrænatum sit patroni arbitrium, atque non possit præsentare nisi personas de illo genere, quibus jus aliàs competit petendi institutionem, rejecta præsentatione facta de extraneo, cum vocati ad jus patronatus passivum habere dicantur præsentationem ab ipso fundatore.

Dicebant tamen, quod sub dicto patronatu passivo comprehensa quoque esset ipsa familia de Gheringhellis possidens jus patronatus activum, & consequenter quod inter 3 personas de generibus, vel familiis vocatis, electio esset habentis jus præsentandi unum, vel alterum gratificandi, quod Ego non negabam posita comprehensione, super qua cadebat quæstio.

Ad dictam autem comprehensionem probandam, iidem scribentes adducebant auctoritatem Rotæ *dec.* 49. & 84. *p.* 4. *recent. tom.* 2. in quibus ducitur argumentum à jurepatronatus activo ad passivum, vel è contra, ac etiam *dec.* 374. *p.* 11. *n.* 20. ubi pariter de eodem argumento, cujus 4 ratione iidem scribentes inferebant, quod cum familia Gheringhellia vocata esset ad fideicommissum activum, quod est magis, vocata etiam censeretur ad passivum, quod est minus.

Ratione etiam verisimilis intentionis resultantis à prædilectione erga istam familiam, aliquam sanguinis, vel affinitatis attinentiam, ut supponebatur, cum fundatrice habentem, quodque absurdum esset, ut patronus habens proprios filios vel fratres, seu conjunctos de familia, cogatur istos deferere, ut extraneos præsentaret, cum ità jus patronatus inutile remaneret, ac potiùs serviret de vento, deducendo super his eas generalitates quas rationes absurdi, seu prædilectionis, aut inutilis

lis dispositionis habemus in materia fideicommissaria.

His tamen non obstantibus, contrarium dicebam verius, ideòque ista posterior sententia probabilior, meliusque fundata visa est; Retento siquidem eodem themate in 5 respondendo, advertebam auctoritates extraneas esse à casu; Siquidem in dictis *decis.* 49. & 84. *part.* 4. *tom.* 2. ut patet ex facti serie enarrata *in decis.* 571. & 616. *eadem p.* 4. *tom.* 1. editis in eadem causa, vocatio passiva utpotè generalis de conjunctis, vel consanguineis conveniebat omnibus contendentibus, inter quos sola quæstio erat prælationis ratione legitimatis, quod scilicèt legitimi essent præferendi illegitimis ex pluribus argumentis voluntatis fundatoris abhorrendi illegitimos, vel quod concursum cum legirimis prætendere non possent, ex eo præsertim, quod ad jus patronatus activum vocasset solos legitimos, illegitimis exclusis. Ideoque, Aliud est regulare ambiguam voluntatem super una specie jurispatronatus à dispositis super altera, cum regula, ut una dispositio alteram declaret viam conjecturæ, seu interpretationis ejus, quod in ipsa ambigua disputatione interpretanda inesse potest; Aliud verò inducere voluntatem nullatenùs explicatam; Aliàs enim sequeretur, duas faceret substitutiones ad favorem diversorum generum super diversis bonis ac juribus, vel super eisdem, diversis respectibus, tunc unum genus ratione vocationis in una parte, prætendere posset alteram vocationem, quod nullatenus de jure subsistit, dum in hujusmodi quæstionibus voluntatis proceditur, cum vulgari dicterio *Joannis Andreæ in addit. ad Speculator*, quod frequenter volitat per ora forensium in fideicommissaria materia, *fideicommissum de te non loquitur*, seu, *tu non es de vocatis*.

Idemque est casus *dictæ decisionis* 374. *part.* 11. *recent.* quod cum disputaretur de natura jurispatronatus activi, an esset hæreditarium, vel familiare, seu mixtum, plura ponderantur argumenta pro qualitate familiari seu mixta, inter quæ illud recensetur, quod jus patronatus passivum pro illis de familia tantùm ordinatum esset, & sic tanquàm unum ex adminiculis, cum aliis conjungendum.

6 Argumenta verò pariter non concludebant, illud enim absurdorum seu inverisimilitudinis, ut sæpè advertitur *sub tit. de testamentis*, præsertim *disc.* 30. ex Honded. *cons.* 70. *num.* 86. & 87. *lib.* 1. Cyriac. *controv.* 281. *numer.* 34. *cum sequen. & communiter*, hujusmodi argumenta de per se levia & vaga, sunt quidem alicujus considerationis, ut conjungatur cum aliis adminiculis, & conjecturis pro interpretatione ambiguæ voluntatis, non autem, ut inducatur voluntas ubi non adest, quoniam non quæritur, quare, sed quid disponens voluerit.

7 Clarius verò quia, non exorbitans, neque inverisimile, sed potiùs quotidianum, atque connaturale est hac materia, ut ordinato duplici jurepatronatus activo, & passivo, cogatur patronus proprios filios, vel coniunctos deferere, ut præsentet personas de genere volito per fundatorem ob diversam hujusmodi patronatuum naturam, quoniam activum, (ut pluries in præcedentibus advertitur, ac etiam infra *disc. generali* 60.) est de sui natura hæreditarium, ac transitorium ad quoscumque extraneos hæredes, adeòut, cum aliquo temporis intervallo transire valeat de uno in alterum ad decem, & viginti, & ultrà diversa personarum genera, passivum verò ordinari solet pro genere, neque illi congruit dicta regularis natura, seu qualitas activi; Et consequenter in dies contingit, quod possessor jurispatronatus activi habens proprios filios, vel attinentes, cogitur præsentare vocatos ad passivum.

8 Clarius verò, quia ad activum vocata non erat sola familia, vel agnatio effectiva dicti Hieronymi, sed vocata erat universa ejus descendentia masculina, sub cujus nomine, non constito de præcisa contemplatione agnationis, venit universus sexus habens qualitatem descensivam, non curato medio agnationis, vel cognationis juxta celebre *cons.* 85. Fulgos. quod reputatur in materia magistrale, receptum pro regula, de qua plenè Bellon. jun. *cons.* 72. & 73. & alii relati *sub tit. de fideicommiss. disc.* 24. & 25. ac alibi pluries, & insinuatur etiam *disc. præced.* Undè propterea dari posset casus talis multiplicationis dictæ descendentiæ per utrumque sexum, ut honos quem fundatrix plerisque familiis facere voluit, omninò inanis remaneret.

Hinc argumentum ineptiæ, vel fatuitatis ita potiùs retorqueretur, cùm revera non intret in casu converso, quod scilicèt aliàs jus patronatus activum inutile remaneret, cum in pluribus utile ac proficuum remanent; Primò scilicèt in ipso jure honorifico, quod est pretio inæstimabile; Secundò in facultate præeligendi & gratificandi inter plures personas æquè idoneas de undecim familiis, ad quarum favorem hoc jus patronatus passivum ordinatum est; Et tertiò liberè præsentandi quemlibet sibi placitum, quando in familiis non adessent personæ capaces, vel existentes non curarent; Atque si hoc argumentum esset verum, nunquam verificaretur dicta necessitas, quam possessor jurispatronatus activi habet erga vocatos ad passivum; Ideòque revera videbatur prorsus inanis prætensio, dum ita constabat, testatricem habentem in animo honorandi 9 plures benevolas familias, istam Gheringhellorum magis quàm aliàs solùm honorasse in jurepatronatus activo, Alias verò undecim in passivo, ità distribuendo honores.

Deducebatur in contrarium observantia, ex eo quod aliqui de hac familia Gheringhellia hujusmodi Præposituram, 10 vel Canonicatus obtinuerint; Sed meritò istud motivum, omninò neglectum fuit, Tum quia juxta quotidianam receptam distinctionem, observantia est optima interpres casus dubii, sed non intrat in casu claro, nisi cum suis requisitis formalem inducat præscriptionem; Tum etiam quia sequi potuit ob non existentiam personarum capacium in dictis familiis, undè propterea potuerunt patroni pro tempore, non solùm præsentare illos de familia propria, sed etiam his neglectis, extraneos, cum qualitas essendi de sanguine, vel de familia dicatur solùm considerabilis cessante præcisa necessitate resultante à jurepatronatus passivo, ut in paritate vocum, vel in paritate juris resultante ab accumulatione eis potiùs quam extraneis gratificatio congruat, exnu deductis apud Buratt. *decis.* 316. *num.* 12. *cum seq. decis.* 647. *num.* 16. & *dec.* 679. *num.* 12. *cum similibus*.

Motivabatur etiam, quod jus patronatus passivum ad favorem dictarum familiarum esset solum consultivum seù invitativum, non autem coactivum, ac præcisè necessarium, dum præceptum non erat negativum, quod scilicèt non possent alii præsentari; Sed verè motivum erat contemptibile, quoniam ubi non constat processum fuisse 11 per solam viam consilii non obligatorii, quamvis discretus testator processisset per verba urbana denotantia desiderium fortiùs verò, ut in præsenti, per verba denotantia formale præceptum, tunc istud sufficit affirmativum, quoniam ità perneceſſe includit negativum, ut generaliter habemus in fideicommissis, in quibus attenditur sola pars affirmativa restituendi, non curato, an adsit negativa, quod in alios disponi non possit; Et in his terminis jurispatronatus passivi concepti, cum verbis affirmativis tantùm, habetur apud Seraph. *decis.* 774. Carill. *decis.* 117. Merlin. *decis.* 897. 12 *dec.* 122. & 372. *p.* 11. *rec.* & frequenter; Ad quod concurrunt, ea quæ habentur pluries *sub tit. de servitut.* & sub altero *de Regalib.* in materia coactivi accessus ad furnos & molendina, cum similibus, quod jus affirmativum complicat jus negativum, & è converso, ideòque istud motivum videbatur disputatione indignum.

FLORENTINA JURISPATRONATUS, DE LUCARDENSIBUS

PRO SIMEONE SILVATICO.

Discursus pro veritate extrà Curiam.

An fœminæ, vel masculi per ipsos descendentes veniant sub concessione jurispatronatus facta descendentibus masculis, seu lineæ masculinæ: Et de jurepatronatus mixto requirente in successore utramque qualitatem hæreditariam, Sanguinis, & rei familiaris, quando scilicèt utraque præcisè necessaria sit, vel prima potiùs sufficiat.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *Jus patronatus mixtum exigit utramque qualitatem hæreditariam sanguinis, & rei familiaris.*
3 *Inspecta tamen persona fundatoris.*
4 *Ac sufficit, ut per eum non stet.*
5 *Masculinum regulariter concipit fœmininum.*
6 *Fallit si vocata sit linea masculina.*
7 *Quod quandoque fœminæ veniant sub vocabulo lineæ, vel generationis masculinæ.*
8 *Contrarium verius.*
9 *Donatio est strictè intelligenda.*

10 *De conclusione, de qua num. 5. ut non procedat in contractibus, & quando secus.*

DISC. XXX.

1 FRatres de Lucardensibus possessores juris patronatus ac præsentandi ad Ecclesiam S. Michaelis in Pulvereto, illud de consensu Ordinar. concesserunt Laurentio Uximbardo pro se & suis hæredibus, & successoribus descendentibus, à Francisco ipsius Laurentii patre, durante linea masculina legitima & naturali ejusdem Francisci, quà extincta hujusmodi concessio resoluta remaneret, ac jus patronatus liberè ad ipsos donatores eorumque successores reverteretur, Defuncto Laurentio succesit Claudius filius, quò adhuc vivente, in ætate tamen gravi verisimiliter ad aliorum filiorum procreationem inhabili, cum Lucretia unica fœmina; Dicti Lucardenses opinantes dicti juris patronatus devolutionem esse imminentem, illud pro prima tantùm vocatione concesserunt Simeoni Silvatio, undè sequuta morte Claudii, qui instituta filia in sola legitima, quosdam transversales scripsit hæredes, ac sequuta vacatione beneficii; Simeon donatarius suam fecit præsentationem, cui etiam Lucardenses donatores adhæserunt; Dicta verò
2 fœmina ex Claudio superstes filium præsentavit, undè propterea orta est quæstio, cui potiùs institutio deberetur.

Hujus autem quæstionis decisio pendebat a puncto, an dicta fœmina comprehensa esset, necnè, in hujusmodi concessione, itaut dici posset de illis descendentibus, ac de linea Francisci, quibus illa facta erat; In casu enim affirmativo, indubitata resultabat consequentia, ut institutio deberetur præsentato per ipsam tanquam patronam, cum concessio adhuc duraret, undè propterea concedentes, vel habentes causam ab eis, utpotè adhuc non facto casu pacti reversivi, se ingerere non poterant, secùs autem è contrà.

Super hoc autem ex parte dict. Simeonis pro veritate consultus fui cum transmissione aliquarum informationum scribentium de partibus, qui ea duobus fundamentis dictam fœminam excludere conabantur; Primò, quod cum concessio facta esset Laurentio pro se, suisque hæredibus & successoribus à Francisco ejus patre descendentibus, dicebatur mixta exigens in successore utramque hæreditariam qualitatem, sanguinis scilicèt, & rei familiaris,
3 quarum secunda in dicta fœmina cessabat, dum Octavius ejus pater, ei relicta sola legitima, transversales hæredes scripserat; Et secundò, quod concessio restricta esset ad lineam masculinam, sub qua fœminæ comprehensionem prætendere non posent.

Respondi quod ex dictis duobus fundamentis primum videretur periculosum ac minùs tutum; Licèt enim verùm sit de jure in hujusmodi mixtis concessionibus factis pro hæredibus de sanguine, vel certo genere, utramque qualitatem copulativè necessariam esse, itaut una sine altera non sufficiat; Ut ultrà generalia, quæ frequent. habemus in concessionibus feudalibus, vel emphyteuticis ex deductis in utraque materia *sub tit. de feudis*, & sub altero *de emphyteusi*, ac etiam in materia fideicommissaria *sub tit. de fideicomm.*

In specialibus terminis juris patronatus, & præsentandi Lambertin. *de jurepatron. lib. 1. p. 2. art. 8. q. 2. n. 1. & sequ.*
4 Roccus *eodem verbo ipse, vel is q. 33. n. 73.* Gabr. *conf. 296. n. 2. lib. 2.* Merlin. *decis. 639. n. final. repetit. decis. 96. p. 6. rec. decis. 208. n. 1. & 307. n. 7. p. 7. rec. dec. 136. n. 3.* post Vivian. *eodem tract.* aliàs apud Otthob. *decis. 3. n. 9.* & in aliis frequenter.

Attamen, quidquid teneant ac servent Regnicolæ in feudis Regni Siciliæ citrà Pharum, in quibus recepta est opinio, ut utraque qualitas requiratur, etiam respectu ultimi morientis, ut pluries in sua materia *sub dict. tit. de feudis*; In puncto juris, magis communis est opinio, in Rota & Curia, recepta, ut in his specialibus terminis juris patronatus mixti, utraque qualitas requiratur, specta ta persona primi acquirentis, secùs autem ultimi morientis, *ut dec. 217. n. 20. & 267. n. 8. p. 6. rec.* plenè *in Mul. Decanat. 27. Maii 1652.* Verosp io impress. *dec. 254. p. 11. recent.* ubi concordantes; Immò etiam respectu primi acquirentis sufficit, quod per hæredem sanguinis non staret quominùs sit etiam hæres rei familiaris, ut generaliter in terminis feudalibus *dec. 482. in fin. & 499. num. 5. part. 5. rec.* Et in his specialibus terminis juris patronatus *in Florentina juris patronatus de Ricasolis 10. Martii 1603. & 11. Februarii 1604. coram Lancellotto* impress. apud Vivian. *lib. 4. cap. 1. post numer. 71.* quæ in Curia reputantur in materia magistrales.

Potissimè verò, quia neque dici poterat fœminam carere qualitate hæreditaria etiam ultimi morientis, dum honorabili titulo institutionis sibi fuerat relicta legitima consistens in quota, sub qua venit etiam juspatronatus, quod utpotè individuum, ob cessationem seù incapacitatem aliorum, ex beneficio juris non decrescendi totum esse dicitur penès cohæredem capacem; Et hic erat casus, dum cohæredes utpotè non existentes de linea descensiva Francisci carebant altera qualitate, quæ est potissima & primaria, hæredum sanguinis.

Magis autem solidum, atque majoris probabilitatis dicebam alterum fundamentum, non quidem ex illis verbis, 5
pro se suisque hæredibus & successoribus à Francisco legitimè descendentibus, quoniam, ut satis frequenter habetur *sub tit. de fideicommissis*, receptum est in materia præsertim indifferenti, etiam ad extraneos hæredes de sui natura transitoria, ut est juspatronatus, quod masculinum concipit fœmininum, atque sub nomine filiorum, & descendentium etiam fœminæ veniunt; Sed ex aliis verbis subsequentibus, *durante tamen linea masculina dicti Francisci*, 6
Ista enim verba qualificant, seù restringunt dicta verba magis generalia, ut nonnisi de descendentibus per lineam masculinam intelligi debeant, ex plenè congestis per Fusar. *q. 325. n. 7. & q. 346. n. 12. cum seq. in Bonon. fideicomm. de Barberiis 5. Decembris 1650.* Corrado *decis. 95. p. 11. recent.* repetit. *decis. 17.* post Censal. in addit. ad Peregr. ac nimis frequenter in *dicto tit. de fideicommissis*, ac etiam *in tit. de emphyteusi*, præsertim *in Roman. Casalis Veteris disc. 13. & 14.* & in *decis.* desuper edita *5. Maii 1653.* Albergato impress. *dec. 312. part. 21. recent.* ubi sequens adjectio talis verbi operatur qualificationem, seu restrictionem præcedentis verbi magis ampli, & apti comprehendere diversum genus personarum, quando dictum subsequens verbum qualificatum adjectum non esset.

Unica igitur dubitandi ratio consistere videbatur in eis- 7
dem motivis *in dicta Romana Casalis Veteris sub tit. de emphyteusi disc. 14.* ex Castr. *conf. 91. n. 4. lib. 2.* & aliis ibidem, quod scilicèt quælibet personas duas lineas, seu generationes constituit, unam masculinam ab ejus filiis masculis constitutam, & alteram femininam à filiabus; Dictæque lineæ adeò inter se objectæ sunt, ut rectè in eis procedat argumentum à contrario sensu affirmativè & negativè, nempè non potest quis dici descendens per lineam femininam, ergò sequitur necessariò, quod dicatur descendere per masculinam, ut sunt verba præcisa Castr. *loc. cit.* Ideoque cum ista fœmina superstes ex Claudio filio Laurentii dici non posset de Francisci linea fœminina, cum non sit filia, neque ab aliqua dicti Francisci filia descendat, perneceśse dicenda erat de linea masculina initiata in dicto Laurentio, ut ità distinguendo inter filias primi gradus ac neptes, vel ulteriores descendentes fœminas ex primo filio masculo constitutivo lineæ masculinæ illius, qui pro stipite designatus est, firmant glos. *in l. gallus §. nunc da lege de liber. & posthum.* vers. *tàm etsi ubi*, Alex *num. 3.* Castrens. *num. 4.* Jas. *num. 10. & 15.* Alex. *conf. 53. n. 9. lib. 6.* Cæphal. *conf. 413. num. 23. cum seq.* Paris. *conf. 40. ex num. 38. lib. 2.* Menoch. *conf. 379. num. 26. & 625. n. 8.* Berous *conf. 77 num. 10. & seq. lib. 2.* Peregr. *conf. 50. n. 1. lib. 3. & decis. 4. num. 2.* Capra *conf. 82. n. 7. cum seq.* Mantic. *de tacit. lib. 2. tit. 15. num. 16.* Fulgin. *de emphyt. tit. de succes. q. 11. num. 1.* Mantic. *decis. 227. n. 10.* Rot. *decis. 737. numer. 10. & 11. eadem p. 4. tom. 3.* & benè *in Bononien. bonorum 14. Januarii 1607. coram Justo*, ubi de hac distinctione inter filiam stipulatoris & nep- 8
tem ex filio masculo ejusdem, & alii per Fusar. *quæst. 346. n. 19. & seq.*

Verùm contrarium ex doctrina ejusdem Castrensis *in l. maritus sub num. 5. Cod. de procurat.* ut procedat, sivè agatur de filia primi gradus, sivè de nepte ex filio, eò quia linea masculina inchoatur à masculis, & per eos continuando in eorum ultimo definere dicitur, quoniam ubi pervenit ad fœminam, deflectitur, seu corrumpitur, firmant benè Menoch. *conf. 205. sub num. 18. cum seq. & sub n. 38.* Peregr. *de fideic. art. 26. sub num. 29.* Ruin. *conf. 149. n. 11. in fin. verbis lib. 2.* & alii latissimè congesti per Fusar. *de substit. quæst. 346. n. 12.* Adden. *ad decis. 199. num. 163. & seq. part. 8. rec.* plenè Rota *in dicta Bonon. fideicommissi de Barberiis coram Corrado dec. 95. part. 11. recent.* & repetit. *decis. 17.* post Censal. ad Peregr. Et magis proximè, non obstantibus omnibus auctoritatibus superius pro

pro fœmina allegatis, dictaque distinctione rejecta, clarius tenuit *in Romana Casalis Veteris 5. Maii 1653. coram Albergato decis. 312. part. 11. recent.* ubi in puncto disputabatur, an sub concessione ad generationem masculinam veniret neptis ex filio masculo acquirentis, & decidit negativè, ut in dicta causa *sub tit. de emphyteusi disc. 13. & 14.* licèt enim ille casus esset in terminis generationis, attamen isti termini videntur synonimi; Quinimò terminus *generationis masculinæ*, magis convenire potest fœminis, quàm terminus *lineæ masculinæ*, cum generatio possit verificari in parte activa, considerata scilicèt persona generante.

Et hanc opinionem, quæ in foro, præsertim in Rota, & generaliter magis recepta videtur, ex communi usu, præsertim in feudalibus, vel emphyteuticis concessionibus, in quibus hujusmodi quæstionem frequenter disputari contingit, multò magis recipiendam esse dicebam in hac
9 donatione; Tùm quia donatio est strictè intelligenda, ut scilicèt censeatur donatum quid minùs fieri potest, Magon. *decis. Lucen. 84. num. 31.* Cavaler. *decis. 603. num. 5. & 6.* Tùm etiam quia illa dictio taxativa *tantùm*, quæ in dicta donatione continetur, totusque illius contextus ac simplicitas, cum qua concepta fuit, satis ostendere videbantur hanc fuisse partium intentionem, intelligendi scilicet lineam masculinam pro solis masculis, prout communis vulgi opinio intelligit, non autem juxtà Juristarum subtilitates ac interpretationes; Cumque in casu appellationis causa tanquam ecclesiastica ad Curiam devoluenda esset, sivè juxtà opinionem Rotæ & Curiæ Romanæ, tanquam Metropolis in partibus decidenda esset, idcircò stante quod Rota sequuta est hanc posteriorem opinionem, pro exclusione fœminæ probabilius respondendum censui.

Ac etiam, quia, ut pluries habetur in dicta sua materia *sub tit. de fideicomm.* ille benignus intellectus, qui datur in ultimis voluntatibus pro conceptione fœminini sub mascu-
10 lino, regulariter non intrat in dispositionibus per contractus, quoties præsertim isti sunt correspectivi, adeò ut urgeat ratio, quod concedentis, seù contrahentis interfit ità verba restringi, atque in eorum stricta & propria significatione accipi, ut censeatur concessum quid minùs, ut ità res concessa citius ad suam priorem causam redeat, ut in feudalibus, vel emphyteuticis, ac similibus concessionibus habetur, secùs autem ubi concedentis nihil interfit, ut ità distinguendo, ibi advertitur, cum sit vera, & germana distinctio.

PISTORIEN. JURISPATRONATUS DE MICHELUCCIS,

PRO

VINCENTIO DE ROSSIS,

CUM

FRANCISCO MICHELUCCIO,

Casus decisus per Rotam pro Vincentio, postea concordatus.

Posito patronatu familiari, quando dicatur constare de identitate familiæ, ad effectum illius pertinentiæ; Et quatenùs data identitate, aliqua pars familiæ, seu aliquis colunnellus diversam inferiorem assumat fortunam, atque longo tempore negligat suum jus exercere, an id præjudicet successoribus.

Et incidenter, an & quando patronus possit præsentare seipsum, seu pro seipso supplicare, vel quod ejus vox veniat in computatione ad sui favorem.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Juspatronatus est individuum & residet penes quemlibet patronum insolidum, ideoque aliis non præsentantibus, vel malè, totum residet in eo qui validè præsentet.*
4 *Quod prohibitio præsentandi seipsum procedat in beneficiis curatis, vel habentibus annexam dignitatem seu administrationem, non in simplicibus.*
5 *Quæ sint rationes dictæ prohibitionis præsentandi se ipsum.*
6 *Reprobatur concluso, de qua num. 4. quodque etiam in simplicibus procedat prohibitio.*
7 *Expenduntur rationes ob quas dicta prohibitio cadit etiam in simplicibus.*
8 *Superior tenetur instituere præsentatum, & an præsentatio tribuat jus formatum.*
9 *Patronus potest supplicare pro se ipso.*
10 *Procedit de plano ubi est unicus.*
11 *Item ubi alii ipsum præsentant, potest adhærere, & auget numerum.*
12 *Quid ubi adsunt duo patroni, quorum unus porrigit preces.*
13 *Quarè in casu precum non intret prohibito.*
14 *In antiquis probationes descendentiæ sufficiunt leviores.*
15 *In una & eadem familia possunt adesse nobiles, & ignobiles.*
16 *An prædecessorum negligentia præjudicet successoribus in jureputronatus familiari.*
17 *Præsentatio facta per procuratorem non valet nisi exhibeatur mandatum infrà tempus præscriptum, quod declaratur.*

DISC. XXXI.

1 MIchael de Michelucciis aliàs del Nero, erecto beneficio in Ecclesia Cathedrali sub reservatione juris patronatus, istud reliquit Papero, Joanni, Baldo, & Andreæ ex fratre nepotibus, eorumque descendentibus, & pro quinta parte Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Cumque linea Joannis & Baldi defecissent, seu non incœpissent, juspatronatus consolidatum fuit in lineis Andreæ, & Paperi, quarū prima, derelicto domicilio Civitatis, illud transtulit, (incertum est ex qua causa) ad Castrum seu parvum locum Momigni, unde propterea in his lineis contingit illa notabilis fortunarum diversitas, quam frequenter experimur inter ejusdem familiæ ramos, seu colunellos etiam in eadem Civitate, fortiùs verò in diversis locis, quod scilicèt unus in magna vel conspicua Civitate, alter verò in obscuro loco domicilium habuerit, quoniam dicta linea Paperi, quæ remansit in Civitate, in statu nobili & qualificato continuavit, altera verò longè inferiorem fortunam fortita est, unde etiam contigit, quod in casu vacationum, isti depressioris fortunæ, suum jus fortè ignorantes, per notabile tempus non præsentarunt; Sequuta verò controversia vacatione de tempore quo ex dicta linea Paperi, quæ erat in possessione præsentandi, erat solum superstes Franciscus, hic præsentavit seipsum, Capitulum autem præsentavit Vincentium de Rossis, quem etiam præsentarunt descendentes Andreæ, domicilium, ut supra habentes in loco Momigni; Introductaque desuper causa in Rota *coram Vicecomite sub die 15. Februarii 1664.* prodiit reso- 2
lutio Vincentio favorabilis; Repropositа verò causa *coram Otthalorø subrogato*, nulla capta fuit resolutio ob aliquas excitatas difficultates, quæ dederunt ansam concordiæ, controversiæ finem danti.

In pluribus autem disputationibus desuper habitis, de tribus principaliter actum fuit; Primò scilicèt, an constaret de indentitate personarum in dictis de Momigno, qui præsentarunt Vincentium, quod legitimè descenderent ab Andrea; Secundò posito quod de hoc constaret, an eis obstaret dicta contraria observantia, quod eorum majores diuturno tempore non præsentarunt; Et tertiò, an habenda esset ratio præsentationis quam Franciscus fecit de seipso.

Iste ultimus punctus pro meo judicio merebatur priorem discussionem, quoniam, ut habetur pluries in præcedentibus, ac etiam *sub tit. feud. disc. 8.*, absolutum est juspatronatus esse de sui natura individuum, ideoque habitualiter totum competere insolidum singulis patronis, non curata divisione portionum seù vocum, cum, id percutiat solum exercitium; Et consequenter quando alii patroni, licèt majorem partem vocum habentes, non præsentant, vel malè, ità & taliter quod eorum præsentationis ratio habenda non sit, tunc per jus non decrescendi totum consolidatur in eo qui validè presentat, quamvis minorem vocem seù partem habeat; Ad instar eorum quæ habentur de jure habentium jus eligendi, quod aliis non curantibus eligere seù indignè eligentibus, totum jus devolvitur ad alios quamvis pauciores dignè seù validè eligentes, seù quod jus Capituli quod residere potest in duobus, vel uno Canonico aliis impeditis, ut *sub tit. de Capitulo & Canonicis*, ac etiam *in Cæsaraugustana Canonicatus sub tit. de beneficiis disc. 23.* Atque ità nil referebat inspicere de jure dictorum de Micheluccis

Momigni, cum sola præsentatio Capituli sufficeret, data infectione præsentationis ipsius Francisci compatroni majorem partem vocum habentis.

Hic autem punctus duas habebat partes, unam scilicèt, an dispositio tex. *in cap. per nostras de jurepatronatus*, unde provenit hæc prohibitio præsentandi se ipsum, procedat etiam in beneficiis simplicibus; Et alteram, posito quod procedat, quid dicendum sit, ubi processum non est per viam præsentationis, sed per viam precum supplicando pro seipso.

Quoad primam; Scribentes pro Francisco dicebant, juxta verum intellectum dictæ Decretalis, illam procedere solùm in beneficiis curatis, aut in illis quæ dignitatem vel administrationem annexam habeant, in quibus cadat ratio ambitionis, non autem in beneficiis simplicibus, quæ concernunt solùm emolumentum bursale pro ejus substentatione, ut plenè per plura fundamenta, & contrariis
4 respondendo substinet Lambertin. *lib. 2. par. 1. quæst. 8. art. 2. & 3. num. 3. cum sequ.*, & sequuntur Joseph. Ludovic. *conf. 42. vers. ampliatur quinto*, Peregr. *conf. 18. num. 15. libro 5.* Aldovin. *conf. 8. numero 15.* Sanchez. *conf. moral. lib. 2. capit. 3. dubit. 74. num. 16.*; atque asserebant ità fuisse quoque tentum per Rotam *in Rheg. jurispatronatus 16. Januarii 1624. coram Pirovano.*

Atque ratiocinando subjungebant hujusmodi prohibitionem duplicem habere rationem, Unam jam dictam ambitionis, eligendo seipsum, cui innititur *d. textus in cap. per nostras*, Et alteram derivantem *ex cap. finali de institutionibus*, nè scilicet dicatur capere beneficium à seipso, neque detur actio & passio in eodem subjecto, quarum neutra cadit in beneficiis simplicibus, non quidem prima ambitus ut supra, neque altera incompatibilitatis, quoniam præsentans non confert, cum actum collationis facit Superior qui institutionem concedit, ut ratiocinatur Lambertini, & sequitur Sanchez *locis citatis*.

In hoc autem, etiam cum sensu veritatis, ubi procedatur per viam formalis præsentationis, non autem precum ut infrà, dicebam dictam opinionem Lambertin. & sequacium, deservire quidem posse pro scholis ad juvenum ingenia exercenda, in foro autem prorsus vanum esse eam substinere; Tum quia magis communis sententia Canonistarum est in contrarium, præsertim *glos. seu Joannis Andreæ & Abb. in d. capitolo per nostras*, & aliorum quos referunt Campanil. *diversor. jur. Roman. rubr. 11. cap. 13. num. 398. in fine*, Ciarlin. *controv. 69. d. numero 8. ad finem*, Barbos. *de Episcopo allegat. 72. num. 85.* & videtur adhærere Castropalao *in opera morale tract. 13. de benef. disput. 2. puncto 7. in principio*; Tum quia semper Rota eam tenuit ex relatis per Adden. ad Buratt. *decis. 316.* & *712.* ubi de decisionibus antiquis, & recentiori tempore *decis. 29. num. 23 part. 7. & decis. 363. num. 7. parte 9. recent.* atque fuit habitum pro absoluto in istius causæ disputationibus, in quibus dubitandi ratio cadebat solùm in altera parte de qua infrà, quod scil. processum esset per viam precum, in dicta verò Rhegien. *coram Pirovano* dicitur incidenter, cum verè Rota & Curia hanc sequantur sententiam.

Et quoad rationes, Advertebam utramque pariter cadere posse in simplicibus; Quatenùs enim pertinet ad primam ambitus, illa quidem intrat magis in beneficiis
7 curatis, vel dignitatem, seù administrationem annexam habentibus, non tamen omninò exulat à simplicibus, in quibus adesse quoque dicitur jus spirituale, cui inesse potest ambitus, & consequenter non benè procedit assumptum contrariæ sententiæ, quod in simplicibus cadat sola ratio temporalitatis sive interesse bursalis pro substentatione, quoniam si ità esset, resultaret quod in eis non caderet simonia, sed quæcumque pactiones desuper fieri possent, cujus contrarium est absolutum ac extrà controversiam.

Et quoad alteram rationem, quod non est ipse præsentans qui confert, sed Superior, pariter continet fallaciam claram, quoniam etiam in electivis non conferunt eligentes, sed confert Superior qui confirmat, & tamen extrà controversiam est, eligenrem non posse eligere seipsum, ex iis quæ in materia electionis habentur pluries deducta *sub tit. de Capitulo, & Canonicis*, quoniam licèt ubi non agitur de electione per scrutinium secretum, juxtà formam text. *in cap. quia propter de electione*, non improbabiliter dici valeat quod eligens citrà ambitum possit dare votum sibi ipsi ex ibi deductis, attamen illa urget alia ratio, quod debet esse differentia inter eligentem & electum, & consequenter pari ratione debet esse differentia inter præsentantem & præsentatum, ut advertitur *decis. 185. num. 1. par. 2. divers.* ac habetur apud *Campanil. Barbos. Castropalao, & alios supra allegatos*.

Ac etiam quia in electivis, vel in istis de jurepatronatus quamvis conferre dicatur Superior; qui instituit vel respectivè confirmat, adeout electio vel præsentatio non tribuat jus formatum in re, cadente disputatione, an illud 8
tribuat ad rem, ex iis quæ in proposito distinctionis inter privationem jus quæsiti, ac exclusionem ab acquirendo ratione delicti vel diffamationis habentur *in Calaguritana beneficii de Bilbao sub tit. de beneficiis disc. 70.* Attamen Superior non habet omnimodam libertatem, quoniam ubi electio, vel respectivè præsentatio alicujus nullitatis vitio non subjaceat, neque electus vel præsentatus dici potest indignus seu incapax, Superior tenetur confirmationem vel respectivè institutionem concedere, illamque denegare non potest, ac aliàs per viam appellanis vel recursus adici potest Superior, ut in praxi quotidianum habemus in Rota, & patet ex tam copioso numero decisionum Rotalium, quas in hac materia habemus, igitur spectato effectu seu substantia, magis quàm formalitate, præsentatus à seipso obtinere diceretur, ac propterea quoad istam primam partem, quatenùs scilicèt processum fuisset per viam formalis præsentationis, casus erat extrà controversiam, ut præsentatio habenda esset invalida, ac pro infecta.

Difficultas autem residebat in secunda parte supra distincta, quod scil. processum non fuerat per viam formalis præsentationis, sed per viam precum, quod licitum esse 9
admittit Abb. *in d. cap. per vestras*, & sequuntur cæteri, de quibus plenè Lambertin. *eodem supra citato art. 3. lib. 2. part. 1. quæst. 8.* & alii relati *per* Pirr. Corrad. *in praxi beneficial. lib 4. cap. 2. num. 21.* Ventrigl. *in praxi adnotat. 1. §. 3. nu. 67.* & pluries firmavit Rota *ex relatis per* Buratt. & Adden. *d. dec. 316. dec. 599. num. 10. p. r. 4. recent. tom. 3.* quæ est eadem *apud* Rojas *decis. 293. dec. 363. nu. 10. & decis. 430. nu. 39. par. 9. rec.* Cels. *dec. 20. num. 3. & in aliis*.

Quamvis autem Ego scribens in contrarium, admitterem dictam conclusionem generaliter ac in abstracto veram; Dicebam tamen fallaciam consistere in applicatione 10
non cadente in casu præsentis controversiæ, atque super hoc puncto fuerunt omnes disputationes & difficultates, ob quas ex concordi sensu scribentium hincindè, ac etiam Rotæ, causa reputata fuit digna concordia; Siquidem de stricto rigore juris, dicta conclusio in præsenti admittenda non videbatur. E' conversò autem pro illius admissione nimium urgebant, æquitas, ac humana ratio.

Pro congrua igitur dictæ conclusionis applicatione, ac doctrinarum declaratione, advertebam tres casus desuper dictinguendos esse; Primus autem est, ubi patronus esset unicus, de quo casu proprie agit Lambertin. ac agitur *in d. decis. 20.* Celsi & 293. Rojas *repetit. dicta decis. 599. par. 4. tom. 3.* atque in isto admittebam conclusionem rectè procedere per rationem de quà infrà.

Alter casus est, ubi sint plures patroni, qui inter se scindantur, quoniam aliqui præsentent compatronum, & alii extraneum, unde cadat quæstio enumerationis vocum, & tunc rectè quoque intrat eadem conclusio, ut idem præsentatus vel per viam adhæsionis & consensus, vel per viam 11
precum sibi ipsi votum dare valeat, illudque veniat in calculo ad majorem partem constituendam ex ratione ponderata in proposito electionis *d. tit. de Canonicis, & Capitulo disc. 26.* quod scilicet motus non incipit à seipso, unde arguatur ambitus, sed incipit ab aliis quibus ipse adhæret, ut ponderatur *d. decis. 185 par. 2. divers.* & in his terminis loquuntur Ventrigli. *ubi supra*, Ciarlin. *d. controv. 69. nu. 9.* Peregr. *dec. 100. num. 1.* & 2. Ubald. *decis. 289. num. 9.* Buratt. *decis. 316. num. 4.* Rot. *dicta decis. 363. par. 9. recent. num. 8. & seaq.*

Tertius est demum casus, in quo patronus non sit unicus, quia alter adsit compatronus, quamvis minorem habens partem vocum, qui alium præsentet, ipse verò nullum alterum habeat præsentantem, unde totum ejus jus pendeat ab 12
ejus precibus, Atque isto casu, per scribentes Hincindè, nulla dabatur decisio vel auctoritas, quæ ad illum descenderet, dictamque distinctionem examinaret.

De stricto autem juris rigore dicebã, verius esse ut dicta conclusione non intraret; Tum quia omnes auctoritates desuper deductæ procedunt cum dicto præsuppositio, quod unicus esset compatronus, qui preces porrexerit, uude Superior illas admittendo, nemini injuriam vel præjudicium facit, & consequenter quod per argumentum à contrario, sivè à cessante ratione, dictæ auctoritates potius isto casu in quo consideretur præjudicium compatroni, vel alterius præsentati, contrarium sentire videantur.

Tum clariùs, attenta ratione, cui dicta conclusio innititur, ad quam advertunt Ciarlin. & alii ex allegatis, quod scil. ubi unicus patronus non curat facere illam formalem præsentationem, quæ in Superiore, non concurrente in dignitate præsentati, inducit necessitatem instituendi, sed procedit solùm per viam precum, ità pro ea vice cedere dicitur juri suo, atque constituere Superiorem in libertate conferendi beneficium tanquam liberum, quod si conferri posset cuicumque extraneo, justum & rationabile est, ut conferri valeat eidem patrono, qui isto casu habetur pro non patrono.

Ista verò ratio non cadit, quando alter compatronus adsit, qui alterum præsentet, cum ità adesse dicatur tertii præjudicium, ac fortiùs urgeat altera ratio superiùs considerata, quod scil. compatrono non curante præsentare, suoque juri cedente, totum jus consolidatur in altero, qui illud formiter exercet; Ideoque in puncto juris, istam credebam genuinam veritatem, quamvis spectata æquitate, seu humana ratione videretur quidam leguleicus rigor indiscretus, ut patronus habens majorem partem vocum, adeout in ejus libito positum sit, neglecto compatrono habente minorem partem, providere quemcumque extraneum, prohibendus veniat providere seipsum; Potissimè verò ubi non urgeat ratio ambitus vel avaritiæ, sed justa causa, cum qua ex facti qualitate pro judicis prudenti arbitrio procedendum videtur.

Quo verò ad alios duos punctos ut supra distinctos, Primus probationis identitatis personarum ac legitimæ descendentiæ à dicto Andrea, totus erat facti, in quo sufficientes justificationes per gradus distinctos dari videbantur, potissimè quia versabamur in antiquis, unde propterea leviores admittuntur probationes, ut habetur in materia fideicommissaria, & in his terminis specialibus jurispatro-
14 natus, Vivian. *libr. 11. capit. 5. numer. 99.* Buratt. *decis.* 709. Et quamvis per alteram partem objiceretur de istorum descendentium ignobilitate, ac longè diverso statu ab illo dictæ familiæ quæ remanserat in Civitate, attamen probata descendentia, id verè nullum præbebat obstaculum, quoniam rectè possunt in una familia, quæ verè probetur identifica, descendentiam trahens ab uno stipite, adesse plures rami, seu colunnelli diversas fortunas sortiti, unde unus fit nobilis, alter ignobilis, ex deductis per Fab.
15 de Ann. *conf. 88.* Capyc. Latr. *conf. 12. num. 32.* Rot. *decis. 555. nu. 2. & 3. p. 4. rec.* & advertitur *in Melevitana habitus sub tit. de Præeminentiis disc. 32.* potissimè ubi adest congrua ratio, quæ hanc fortunæ vel status diversitatem causet ob diversitatem nobilioris, vel ignobilioris domicilii.

Et quoad prædecessorum negligentiam in præsentando, facilis erat responsio, ut ea præjudicare quidem potuerit successoribus jus ab eis metientibus, ac venientibus jure hæ-
16 reditario, non autem iis qui in jurepatronatus familiari vel gentilitio veniant jure proprio, quoniam sicuti actus expressus alienationis per eos factus illi præjudicare non potest, ità minus tacitus negligentiæ, ut in specie Gratian. *discept. 557. n. 44.* Ciarlin. *controv. 107. n. 61. & 62. & admittitur decis. 220. n. 26. p. 11. rec.* edita, de qua infrà in Bonon. *disc. 35.* ac habetur in materia fideicommissaria vel feudali, ut negligentia unius possessoris non præjudicet successori independenter venienti jure proprio.

Excitata etiam fuit difficultas contrà præsentationem factam per Capitulum mediante ejus procuratore, qui infrà terminum juris mandatum procuræ non exhibuerat, ut est necessarium Lap. *alleg. 22.* Rocch. *verbo honorificum num. 26.* Lambertin *lib 2. p. 2. quæst. 1. art. 21.* Merlin. *decis. 733. n. 9. & 10.* Cels. *dec. 256. & 296.* Adden. ad Greg. *decis. 177. n. 7.* Verùm facilè fuit objectum tollere, cum id procedat in præsentatione facta per procuratorem privati patroni absentis, vel etiam præsentis, ità & taliter quod de ejus voluntate dubitari valeat, secùs autem ubi agitur de hujusmodi corporibus universalibus, in quibus dari non potest explicatio actus per se ipsum, sed pernecessè id faciendum est per ministrum, ipso corpore in loco existente à quo actus explicetur publicè & palam, adeout tanquam in actu habente speciem notorii cadere non valeat incertitudo voluntatis principalis, cujus rationi dicta conclusio innixa est, adinstar eorum quę habemus de necessitate incumbente delegato exhibendi suam delegationem, ut validè procedat, quod cessat in actibus qui fiant ipso delegante præsente cum similibus.

PISTORIEN. JURISPATRONATUS, PRO TAVIANIS. CUM FRANCHINIS TAVIANIS.

Responsum pro veritate.

De jurepatronatus competente pluribus familiis, quomodo istæ inter se concurrant, ac respectivè personæ singularum familiarum ad effectum enumerationis vocum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ubi jurispatronatus competit duabus familiis, quomodo computentur voces, an in stirpes vel in capita.*
3 *Quod eadem antiqua familia ob diversitatem adiecti reputetur duplex, & distincta.*
4 *Quomodo concurrant descendentes plurium personarum pro quibus ab initio nomine proprio reservatum est jurispatronatus.*
5 *Quomodo plura corpora uno respectu considerentur tanquam unum, sed inter se sint distincta.*
6 *Major pars attrahit & suffocat minorem & totum corpus constituit.*
7 *Et minor non habetur in consideratione, neque jungetur cum altera voce.*

DISC. XXXII.

POssidentibus pro communi, nobilibus familiis Pistorien. de Panciaticis, de Tavianis, Franchinisque Tavianis, 1
de Forensibus Baldassinis, & de Gualfreducciis, jurispatronatus quatuor Ecclesiarum pro quatuor ex quinque partibus, alia quinta parte possessa per ejusdem Civitatis Hospitale; Ad removendas controversias, quæ frequenter in vacationibus oriri solebant inter dictas familias, de anno 1602. cum Ordinarii assensu, deventum est ad divisionem, per quam unicuique assignatum fuit integrum jurispatronatus pro dictis quatuor ex quinque partibus in singulis Ecclesiis distributivè, atque in illos de Tavianis, & de Franchinis Tavianis, (quæ pro una respectivè ad alias familias reputabantur) obvenit illud Plebaniæ Sanctæ Mariæ de Quarrata; Quia verò dictæ familiæ in dicta divisione pro una reputatæ, ob dicti adiuncti diversitatem, quoad alios effectus, pro duabus omninò distinctis reputabantur, orta est proindè controversia, quomodò illarum personæ in præsentando concurrere ac numerari deberent, atque an unum vel duo corpora constituere dicerentur, atque de super pro veritate consultus fui.

Effectus disputationis erat, quod si unum solum corpus constituerent, tunc solus personarum major numerus in ca- 2
pita attendi deberet ad idem corpus repræsentandum, non curando an essent potiùs de una quàm de altera; Si verò constituerent duo corpora separata, tunc personę cujuslibet familiæ concurrerent inter se in capita, quælibet verũ familia in stirpes, itaut æqualis ac tanta esset vox unius familiæ quamvis à paucis constitutæ, quanta alterius quantumvis numerosæ, ut ponderatur in his terminis *decis. 82. sub n. 7. & seq. p. 7. rec.* & plenius *in Aquilana coram Corrado decis. 148. n. 15.* post Vivian. ubi concordantes, & infrà *disc. generali 61.* Retento tamen facti præsupposito, quod præsentationes, tàm ab istis, quàm ab aliis familiis, non collegialiter, & per viam congregationis in certo loco, sed singulariter, ac privatim, & distinctè fieri soleant, numeratis ab Ordinario capitibus ad majorem partem dignoscendam.

Pro duplicitate autem, probabilius respondendum censui; 3
Licèt enim attenta antiqua origine, utraque familia ab eodem stipite fortè derivet; Attamen stante dicti adjuncti diversitate, fortius verò etiam aliqua stemmatum, illas reputandas esse dixi pro duabus distinctis, ut in puncto familiæ Fontanæ Placentinæ, cum diversis adjunctis Soccin. inter consilia Curtii senior. *conf. 40.*, quod reputatur in hac materia magistrale, cum quo per transeunt Paris. *conf. 51. nu. 10. lib. 2.* Menoch. *conf. 233. num. 16. & 17 conf. 1171. num. 24. & sequen.* Rovit. *conf. 27. lib. 1.*, ubi de familia Capycia, & habetur ex professo actum *in Romana primogenituræ de Capizucchis sub tit. de fideicommissis disc. 50. & in Romana legati de Caraffis disc. 51.*

Ista verò diversitate posita resultat, ut quelibet ex dictis familiis censeatur vocata tanquàm diversum corpus, itaut personæ cujuslibet inter se ad quodlibet corpus respectivè efformandum veniant in capita, comparativè tamen ad alterum in stirpes, ad instar vocationis plurium personarum ab initio, quoniam omnibus primò vocatis, æqualiter & in capita, jusPatronatus competere dicitur, ita ut tot sint voces, quot sunt personæ Uniuscujusque verò descendentes, quoad se veniunt in capita ad constituendum suam stirpem, & sic respectu successorum dicitur successio in stirpes; Istis attentis, non autem inæqualitate personarum quamlibet stirpem constituentium *ad text. clar. in Clementina plures de jurepatronatus*, ubi omnes, & in specie plurium Universitatum Rocch. *verb. competens alicui num.* 17, Menoch. *cons.* 316. *num.* 16. & 17. Campan. *divers. juris canonici rubr.* 11 *cap.* 13. *num.* 387. & admittitur in allegatis *decis.* 82. *part.* 7. *recent.* & 148. post Vivian.

Neque obstare credebam, quod comparativè ad tres alias familias, utraque haberetur pro una, quoniam stant simul, ut quoad tertium, plures personæ habeantur pro unica, & tamen quod inter se circa divisionem, seu exercitium illius unicæ vocis seu juris, considerentur tanquàm diversa capita seu corpora, ideoque successores veniant in stirpes discretivè, repræsentando suum stipitem.

Utputà relinquit fundator jusPatronatus pro una voce Titio, pro alia verò Mevio, Cajo, & Sempronio; Isti tres in ordine ad Titium habentur pro una persona, atque unicam vocem constituunt, sed inter seipsos, eorumque successores, ad effectum concursus ad constituendam majorem partem illius unicæ vocis, quæ his competit, considerantur tanquàm diversæ, ut uniuscujusque descendentes concurrant discretivè ad efformandam personam sui stipitis juxtà terminos *dictæ Clementinæ* ex deductis per Buratt. & Adden. *decis.* 481. *Comen. beneficii* 12. *Maji* 1656. Dunozetto inter suas *decis.* 983. & admittitur *dicta dec.* 82. *num.* 9. *part.* 7. *recent.* quoties concursus non est collegialis, tanquàm ad efformandam unicam universitatem.

Dabam in hoc exemplum practicum plateæ, seù sedilis Nobilium Capuanæ Civitatis Neapolis constitutæ ex tribus corporibus, quorum unum constituitur per Caraccios, alterum per Capycios, & tertium per quamplures familias venientes sub unico vocabulo adjunctorum, vulgò *Ajenti*; Quodlibet enim ex dictis corporibus habetur pro uno in ordine ad turnariam competentiam officiorum, aliorumque munerum, sivè fortè ad efformandas voces, sed inter se & in singulis adsunt quamplures familiæ distinctæ, quarum quælibet suum corpus discretivè efformat; Quod etiam ad plures effectus practicatur in Civitate Janven. circà unionem plurium diversarum familiarum venientium sub nomine, seù ut ibi dicitur sub *albergo* unius, quæ comparativè ad alias habentur pro unica, sed inter se sunt diversæ, atque hic videbatur casus.

Eoque libentiùs in hanc sententiam descendendum censui, quoniam ità evitantur plura inconvenientia, rationi ac verisimili fundatoris voluntati contraria; Primò scil. ut ità alicujus utilitatis ac operationis remaneat quinta portio competens Hospitali, quæ aliàs prorsùs inanis & fatua esset, si utraque familia unum tantùm corpus constitueret indistinctè ab utriusque capitibus efformandum, quoniam cum habeat quatuor voces, semper constitueret majorem partem unde jus Hospitalis remaneret de vento, quamvis minor pars personarum dictarum familiarum Hospitali adhæreret, dum non per hoc veniret in calculo, sed tanquàm suffocata a majori parte, quę ad se attrahit minorem, haberetur pro non existente in rerum natura, neque augeret vocem alterius corporis Vivian. *libro* 12 *cap.* 8. *numero* 4. *cum sequen.* Lotther. *libro* 2. *quæstio* 11. *numero* 136. Cavaler. *dec.* 21. 436. & 519. Gregor. & Adden. *decis.* 452. Adden. ad Buratt. *decis.* 942. *Nullius seù Montis alti jurispatronatus* 15. *Junii* 1654. Dunozetto inter suas *decis.* 956. & in aliis; E' conversò autem si essent duo corpora, tunc dictum jus Hospitalis remaneret operativum ad inducendam præponderantiam, quoniam in casu discordiæ inter dicta corpora, quia unum præsentaret unam personam, & alterum aliam, adhæsio Hospitalis constitueret majorem partem.

Secundò, quia moraliter impossibile videtur, quod tractu temporis utraque familia ab eodem capitum seù personarum numero constitueretur, cumque unà probabilius, altera magis copiosa seù numerosa esset, hinc si utriusque personæ indistinctè, & per capita concurrere deberent ad unicum corpus efformandum, sequeretur quod de facto, torum jus, seù exercitium præsentationis resideret penès familiam magis numerosam, alterius verò minus numerosæ, jus esset omninò fatuum, absque eo quod adhæsio Hospitalis suffragari posset, stante supradicta vera & recepta conclusione, quod ubi agitur de constituendo uno corpore, major pars personarum seu membrorum, ex quibus illud constituitur, suffocat minorem, illamque ad se attrahit, itavt adhærendo alteri corpori, illud nullatenùs augeat, neque majus jus tribuat, ut habetur *in Majoricen. canonicatus sub tit. de benefic. disc.* 30. *& infrà dicto disc.* 61. *generali*.

Cumque hujusmodi consilium peteretur, non occasione controversiæ super actuali vacatione, sed occasione dubitationis, quæ habebatur super validitate cujusdam provisionis Apostolicæ, ac reservationis pensionis de consensu medietatis patronorum, cum derogatione alterius medietatis, ideoque peteretur consilium, an obtinenda esset nova gratia revalidatoria, ex eo, quod consensus præstitus esset à Tavianis non constituentibus medietatem vocum, quando omnes personæ de utraque in capita numerandæ essent pro unica voce, hinc respondi id non esse necessarium, ut sequutum fuit.

ADNOT. AD DISC. XXXII. & seqq.

DE concursu cumulativo plurium patronorum, & modo computandi voces habetur *infra disc. generali* 61. *& in hoc eodem tit. disc.* 78. *& 81.*

PRATEN. JURISPATRONATUS, PRO JOANNE, ET ALIIS, CUM ANTONIO DE INGHIRAMIS

Responsum pro veritate.

De jurepatronatus familiari, an jus præsentandi competat omnibus de familia, vel potius proximioribus gradu; Et de computatione vocum, an in stirpes, vel in capita.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De concursu in stirpes inter plures lineas in patronatu familiari.*
3 *De distinctione, an sit unica, vel duplex linea, & an totum sit effectivum unica portio.*
4 *De alia distinctione, an ab initio sit unica linea divisa in ramos.*
5 *In gentilitio, vel familiari concursus est in capita.*
6 *De articulo, an ultima de una linea transmittat ad heredem suam portionem jurispatronatus familiaris remissivè.*
7 *An juspatronatus cadat sub fideicommisso remissivè.*
8 *Quod in jure patronatus familiari succedant omnes nulla data discretione gradus, etiam pater & filii.*
9 *Contrarium quod attendatur proximitas gradus juxta successionem fideicommissariam.*
10 *Quod deferatur observantiæ, qua cessante verior sit opinio, de qua num.* 8.
11 *Quod in fideicommissaria successione attendatur proximitas gradus.*

DISC. XXXIII.

PHilippus de Inghiramis, in controverso Beneficio per eum erecto, reservavit juspatronatus, Mariotto, & Matthæo filiis Nicolai ejus consobrini, eorumque descendentibus masculis, quibus defectis, illud reliquit Gubernatoribus Hospitalis; Alexander autem pronepos dicti Matthæi, ac ultimus masculus de ista linea, suum jus donavit Valerio pronepoti dicti Mariotti, cujus linea divisa fuit in duos ramos, Unum scil. dicti Valerii, & alterum Philippi ejus fratris; Cum autem ex primo essent superstites Joannes Valerii filius habens pluries filios masculos, ac etiam tres alii filii masculi Francisci ejusdem Valerii filii; E' conversò autè in colannello Philippi esset superstes solùm Antonius; Hinc sequuta vacatione beneficii, orta est controversia super dicti jurispatronatus pertinentia, seu vocum computatione, prætendente Antonio istam faciendam esse in stirpes, itaut tanta esset vox ipsius repræsentantis lineã, seu colannellum Philippi avi, quanta esset illæ dictorum septem, & ultrà descendentium Valerii; Quare desuper ex parte istorum requisitus ad scribendum in causa vertente in partibus coram Ordinario, visis aliquibus informationibus, in qui-

in quibus cum aliquo æquivoco confundebantur, duæ quæstiones inter se diversæ, Una scilicet circa modum enumerandi voces, an in stirpes vel in capita, & altera circa ordinem succedendi, quem habemus in fideicommissis, an ille attendi debeat in jurepatronatus familiari vel gentilitio.

Circa primam, advertebam, extraneos esse à casu terminos quæstionis tractatæ per scribentes ad materiam *Clementinæ plures de jurepatronatus*, ut etiam in jurepatronatus familiari, vel gentilitio detur ordo succedendi, seu enumerandi in stirpes inter plures lineas constitutas à personis, quibus ab initio jusPatronatus reservatum est; Id enim cadit, quando sunt plures lineæ ab initio in earum stipitibus diversæ, quia nempè jusPatronatus reservatum esset pro Titio & Sempronio, eorumque descendentibus vel familia; Ut in præsenti contingeret, quando adhuc existeret linea Matthæi primo vocati per fundatorem, quę considerantur duæ universitates, seù duo diversa corpora æqualia, non curata diversitate membrorum, seù personarum in quolibet existentium, quarum concursus in capita fit in quolibet corpore ad illud efformandum, sed in stirpes comparativè ad alterum, juxtà ea quæ habentur *decis.* 2. *part.* 7. *rec. decis.* 134. *num.* 9. post Vivian. & in aliis de quibus supra *disc. præced.* ac infra *discurs.* 61. *generali*.

Verùm quia dicta altera linea jam extincta erat, atque in vim reciprocæ per fundatorem ordinatæ in universa hæreditate eisdem Matthæo & Mariotto eorumque descendentibus relicta, totum jusPatronatus; Sive in vim dictæ reciprocæ; Sive juxta unam opinionem ex jure non decrescendi, consolidatum erat in altera linea, seu colunnello Mariotti complexivo omnium contendentium, perindè ac si ab initio solus Mariotus, cum ejus descendentibus vocatus esset, cum totum penes eum effectum dicatur unica portio, juxtà ea quæ frequentèr habentur *sub tit. de fideicommissis* præsertim *disc.* 88. *& seq.* in quæstione vocationis filiorum in conditione positorum intelligendæ ad solam portionem proprii parentis non autem patrui, quoniam intelligitur si patruus parenti supervixit, secus autem si prædeceſſit, undè parens in vim reciprocæ illi succeſſit, quoniam tunc reputatur unica portio, perindè, ac si ipse parens solus ab initio succeſſisset; Atque in his specialibus terminis jurispatronatus firmatur apud Pæniam *decis.* 71. & 94. *juxta Lugdun. impressionem*.

Neque obstare dicebam, quod tractu temporis, ista superstes linea Mariotti, divisa esset in duas constitutas à dictis Valerio, & Philippo filiis Theodaldi nepotis Mariotti, quoniam in hac materia spectatur primus stipes, qui si est unicus, unicam constituit lineam, non curata sub distinctione, quæ tractu temporis sequatur in plures ramos, seù colunnellos, quoniam omnes dicuntur de una linea inspecto stipite, seu trunco non curatis ramis, juxta distinctionem desumptam ex text. *in cap.* 1. *de eo, qui sibi & hæredibus suis in usibus feudorum*, ubi communiter feudistæ relati per Altograd. *cons.* 25. *lib.* 1. undè desumpserunt tractantes materiam emphyteuticam, frequentius verò tractantes fideicommissariam in proposito reciprocæ linearis, vel ad effectum regulandi proximitatem seù repræsentationem, ut habetur præsertim *sub dicto tit. de fideicommissis disc.* 17. & 18. & 104. & in aliis frequenter.

Posita verò unicitate lineæ, de plano resultat regula, ut non refragante diversa lege præscripta per fundatorem, vel inducta per observantiam, concursus vocum debeat esse in capita, cum omnes tanquam ejusdem corporis membra æquè concurrant ad unum corpus efformandum, ac unicam vocem constituendam Alex: de Nevo *cons.* 63. *n.* 2. & 3 & *cæteri*, *de quibus* Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 11. *n.* 123. Buratt. *decis.* 183. *n.* 16. *decis.* 288. *n.* 4. *part.* 5. *recent. decis.* 82. *nu.* 8. *part.* 7. & habetur pluries in aliis supra & infra *hoc eodem tit.* Et consequenter (cum sensu etiam veritatis) concludebam quod concursus deberet esse omnium in capita, rejecta dicti Antonii prætensione.

Quinimò subtilizando more Advocati dicebam, quod distinctio linearum Valerii, & Philippi dictum Antonium, Philippi nepotem prætensa, ubi etiam admitteretur adhuc prodesset huic parti, ut in ea majorem partem constitueret, stante quod in Valerio, ejusque descendentibus ità concurreret una vox cum dimidio ex duabus; Concurrebat enim juxtà sensum collitigantis medietas vocis competentis Mariotto proprio stipiti, ubi etiam in stirpes computatio fieret, ac etiam concurrebat integra vox alterius lineæ Matthæi, stante quod Alexander ultimus de hac linea suum jus donaverat Valerio tantùm, ex conclusione, de qua infra *in Bonon. discurs.* 35. ut etiam in jurepatronatus familiari ultimus de una linea transmittat ejus portionem ad hæredes extraneos, vel alios in quos disposuerit, deducendo eadem, quæ ibi super negatione juris accrescendi, vel non descrescendi in his terminis deducta habentur; Negando etiam consolidationem in vim reciprocæ, de qua supra, ex regula, de qua *infrà disc.* 36. *& seq.* super non comprehensione jurispatronatus sub fideicommisso. Verùm hæc deducebam more Advocati ad superabundantiam, atque ad ostendendum, quod procedendo etiam cum discretione linearum, potiores essent istæ partes, non tamen efformando desuper judicium, præsertim in eo, an reciproca substitutio linearis in universa hæreditate ordinata, comprehenderet necnè hoc jusPatronatus, sive circa primævam reservationem, an contineret necnè jus accrescendi vel non decrescendi, cum non vidissem testamentum, ac tenorem fundationis.

Quo verò ad alteram quæstionem, an scil. in jurepatronatus familiari, vel gentilitio attendendus esset ordo successionis fideicommissariæ regulandus eo modo quo ille successionis ab intestato; Ut patet ex deductis *dicto disc.* 17. & 18. *de fideicommissis*, ac in aliis pluries, Rota varias videtur; Quandoque fiquidem tenuit opinionem, ut sine discretione gradus vel proximitatis, solus numerus personarum attendi debeat, ità admittendo simultaneum concursum patris, & filii, ac proximorum & remotiorum juxta *cons.* 111. Fed. de Senius *num.* 9. ut plenè firmatur *in Florentina jurispatronatus de Ricasolis* 11. *Februarii* 1604. *coram Lancellotto* impress. post Vivian. *lib.* 4. *cap.* 1. *post num.* 71. & prius *in Rhegien. Priorat.* 16. *Novembris* 1601. *coram Pænia* inter suas *dec.* 934. Et de concursu patris & filiorum Buratt. *dec.* 183. *nu.* 18. *decis.* 166. *n.* 14. *part.* 6. *recent. decis.* 82. *num.* 10. *part.* 7. & in aliis.

Contrariam autem opinionem, ut juxta ordinem substitutionis fideicommissariæ attendi debeat proximitas, tenuit *in Pientina jurispatronatus* 10. *Junii* 1602. *coram Litta post Vivian. dicto cap.* 9. *nu.* 55. ac etiam (licèt incidenter & ex sensu extensoris potius) *dec.* 288. *par.* 5. *rec. n.* 9. & *coram Merlino decis.* 798. repetit. *dec.* 120. *n.* 22. post Vivian. atque hanc tenent Covar. *practicar. qu. cap.* 38. Gabr. *cons.* 196. *n.* 3 & 4. & alii de quibus Vivian. *dicto lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 14. & 37. qui etiam hanc tenet, & Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 11. *num.* 124.

In ista verò quæstione, decisio principaliter pendere solet ab observantia, cui quando adsit, omninò ac principaliter deferendum est, ut advertitur per Lotther. *ubi sup. n.* 125. & per Rotam *in dict. Florentina de Ricasolis*, quę in hac materia jurispatronatus familiaris reputari solet magistra; Cessante verò observantia, tenenda videtur prima opinio, quam ultimo loco firmavit Rota *in dicta Florentina de Ricasolis* in qua respondetur in specie *ad decisionem in Pientina coram Litta*, quasi quod fundatores vocando familiam respexerint ad totum dictum corpus in genere, non distinguendo gradus vel personas; Stante præsertim ipsius subjectæ materiæ individuitate, adeout non intrent termini successorii, ut advertitur occasione feudi individui *sub tit. de feudis disc.* 8. & occasione rei individuæ ad quam illi de familia tanquam unum corpus vocati sint, ut non intrent termini reciprocæ linearis advertitur *in Romana palatii de Capranica sub dicto tit. de fideicommissis disc.* 106.

Verùm neq; suberat necessitas assumendi hanc inspectionem, dum retenta quoque opinione contraria, ut attendi deberet ordo successionis fideicommissariæ juxta proximitatem gradus, adhuc fortiores remanebant istæ partes, quoniam posito etiam, ut intraret inter dictas lineas ab initio constituta eadem reciproca ordinata in reliqua hæreditate, unde propterea Alexander ultimus de linea Matthæi suam portionem donare non potuisset Valerio, adhuc tamen iste solus succedere debebat tanquam gradu proximior eidem Alexandro, de cujus mortis tempore, prædefunctis præfati Antonii collitigantis patre & avo, ipse erat in longè remotiori gradu, & consequenter concursum prætendere non poterat, juxta ea quæ habentur in supra allegatis *disc.* 17. & 18. *de fideicommissis*, ac propterea quomodocumque diceretur; semper huic parti justitia assistebat, atque ita credo judicatum esse.

COMEN. BENEFICII,

Conſilium pro veritate,

Reſervato jurepatronatus ad favorem alicujus Univerſitatis, vel Collegii, ac etiam perſonæ particularis, ejuſque deſcendentium, vel de familia, quomodo iſta perſona particularis concurrat, an collegiativè, cum dicta Univerſitate ad unam vocem conſtituendam, vel potiùs conſtituat coæqualem vocem propriam diſtinctam; Et vocatis illis de familia, qui veniant, an illi de effectiva tantùm, vel etiam de contentiva, & quomodo.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De effectu reſultante, an uno, vel altero modo plures vocati ſint.*
3 *Relicto jurepatronatus parochianis, & parocho, tanta eſt vox ſolius parochi, quanta omnium parochianorum cum ſimilibus.*
4 *Quod iſta ſit quæſtio voluntatis, an plures vocati ſint diſjunctivè, vel potius collegialiter, & conjunctivè, & quomodo iſta quæſtio decidenda ſit.*
5 *De argumentis, vel adminiculis ex quibus cenſeatur conſtitutum unum corpus collegiativum.*
6 *Verbum* eligere, *an congruat præſentationi, & quid in hoc operetur.*
7 *Obſervantiæ in hac materia eſt ſatis deferendum.*
8 *Sed illa debet eſſe clara, & univoca.*
9 *Pluribus eligentibus indignum totum jus devolvitur ad eligentes dignum, quamvis ſint pauciores.*
10 *Obſervantia debet eſſe proxima non autem remota.*
11 *Item debet eſſe uniformis.*
12 *In actibus collegialibus geſta per ſingulos extra Collegium non habentur in conſideratione.*
13 *Vocata familia intelligitur de effectiva non de contentiva.*
14 *Ubi juſpatronatus competit perſonis de familia, vel alio nomine collectivo veniunt omnes in capita.*
15 *Quod ſub nomine familiæ veniant etiam illi de collectiva, & quod non omnes, ſed antiquior, ſeu major domus venire debeat.*

DISC. XXXIV.

1 GAbriel Curte, inſtitutis hæredibus Fabriceriis Eccleſiæ Cathedralis Comen, mandavit erigi ſex cappellanias quæ eſſent de jure patronatus, & præſentandi eorumdem Fabriceriorum, ità tamen quod eligendi eſſent de familiis Odeſchalchis, de Luraghis, & de Ciceris, quas dixit eſſe de ejus agnatis ſeù conjunctis; Deindè verò in ſecundis codicillis diſpoſuit, quod Fabricerii prædicti in electione ſeu nominatione ad præfatas cappellanias habere deberent concurrentem Petrũ Paulum Odeſcalcum, donec vixerit, eoque defuncto ejus familiam, iſtaque ceſſata, proximiorem ipſius teſtatoris agnatum vel cognatum.

Sequuta morte teſtatoris per Fabricerios inſimul in loco congregatos, dicto Petro Paulo etiam concurrente, electi, ſeù deputati fuerunt primi ſex cappellani prævia dd. cappellaniarum erectione ab Ordinario factam; Succeſſivè verò in earum vacationibus, inter dd. Fabricerios & Petrum Paulum, aliquæ fuernnt diſcordiæ. Cumque mortuo dicto Petro Paulo, ſuperſtitibus pluribus ejus filiis, ac etiam duobus germanis fratribus, ad unam ex dictis cappellaniis vacatam Fabricerii unum, dicti verò filii, ac fratres Petri Pauli, alterum ex præfatis familiis præſentaſſent; Hinc orta eſt controverſia, cui deberetur inſtitutio, ejuſque deciſione amicabiliter ac extrajudicialiter remiſſa in adeò qualificatum Cardinalem Odeſcalcum, huic placuit meum deſuper pro veritate expetere votum; ſeù conſilium.

Reſpondi deciſionem pendere à puncto, an electio facienda eſſet collegialiter ac per ſimultaneum concurſum, tàm Fabriceriorum, quàm dicti Petri, vel alterius de familia æquè concurrentium ad conſtituendam eamdem vocem, ſeù idem corpus efformandum; Vel potiùs è converſò, dicendæ eſſent duæ voces ſeparatæ, quarum una reſideat in Fabriceriis, altera verò in dicto Petro Paulo, vel ejus familia; Ac etiam poſito quod concurſus eſſet juxtà primum modum ſimultaneum, quot, & quales perſonæ de dicta familia, cum Fabriceriis concurrere deberent.

Si enim concurſus eſſet juxtà dictum primum modum, Reſpondendum veniebat pro præſentato à Fabriceriis majorem partem corporis abſque dubio conſtituentibus, & ſucceſſivè pro Carolo Cicero prius Vtriuſque Signaturæ Referendario, poſtmodùm Epiſcopo Alexandrino ab eis præſentato; Si verò altero modo, tunc caſus habuiſſet ſuas difficultates, ac potiùs ſtante paritate vocum fuiſſet locus gratificationi fortè debitæ alteri præſentato, qui magis fundatori attinebat, ac magis indigebat.

Ubi autem juxtà ſecundum modum reſpondendum eſſet, itaut dictus Petrus Paulus, vel ejus ſucceſſores conſtituant unam vocem diſtinctam, & coæqualem; Ponderabam facere *dec.4.Creſcentii de jurep.* ubi firmatur quod relicto jurepatronatus quatuor ſenioribus antianis, & Præpoſito, ſeù eo relicto parochianis, & Rectori, tanta ſit vox ſolius Præpoſiti, ſeù Rectoris, quanta illa quatuor Antianorum, ſeù omnium parochianorum, itaut concurrant tanquàm corpora diverſa, quorum quodlibet ſuam vocem æqualem ac diſtinctam conſtituit; Idque prius in terminis firmatur per Decium *conſ.122.num.2.ex Romano* multa ſimilia deducente *conſ.99.*& ſequuntur Cavaler. *deciſ. 551. num.* 4. Barboſ. *de Epiſcopo alleg.72.poſt n.*198. Campanil. *diverſ.jur. Canon. rubr.11. cap. 13. num.* 385. apud quos cæteri, & conferunt quæ habentur ſupra in materia ſimultaneę inter Epiſcopum & Capitulum *ſub tit. de beneficiis*, præſertim *in diſc.* 30.

Verùm his non obſtantibus, Contrarium dixi verius, non quidem ex defectu concluſionis, ſed ex defectu applicationis ad caſum ob particulares facti circumſtantias, ob quas intrare videbatur potiùs limitatio, cum receptum ſit dictam 4
concluſionem regulariter veram, plures pati limitationes, atque de facili ab ea recedi, ut ex eodem Decio ubi ſupra, in his terminis obſervat Burſatt. qui alios cumulat *conſ.324.n.* 17.*& ſeq.* Eſt enim quæſtio facti & voluntatis potiùs quam juris, ideoque juxtà generalem naturam ultimarum voluntatum non recipit uniformem certam determinationem, quæ tota pendet à ſingulorum caſuum individuis circumſtantiis & conjecturis, veriſimilem fundatoris voluntatem præferentibus, itaùt rari ſint caſus, in quibus deciſio pendeat à ſola theorica juris in genere.

Plures autem facti circumſtantiæ me impellebant ad ſentiendum quod talis fuerit fundatoris voluntas; Primò ſcil. quia teſtator non vocavit eodem tempore ac æquæ principaliter Fabricerios & Petrum Paulum, juxta caſum dictæ deciſionis Creſcentii, quoniam in teſtamento & primis codicillis ſoli Fabricerii vocati ſunt, explicando id, quod de jure inerat, dum ipſi quoque fuerant hæredes inſtituti; 5
In ſecundis verò codicillis, Petrus Paulus per additionem vocatus eſt acceſſoriè tanquam adjunctus & concurrens cum aliis, ut denotant illa dictorum codicillorum verba, *Che aſſieme con gli Fabricieri il Sig. Pietro Paolo ſia concorrente à detta elettione*, ideoque unica per teſtatorem reputatur electio, ut benè in his terminis ponderatur apud Buratt. *deciſ.48.num.1.& 3.*

Secundò quia illud verbum, ſimul, denotat unionem ſeù connexitatem ad text. *cap. 1. de conſuetud. in ſexto*, Barboſ. *diction.* 369. *num.*2. Tertiò quia conſiderat electionem tanquàm actum unicum, & ſimultaneum, ut apud Buratt. ubi 6
ſupra; Ac etiam quia hic terminus non videtur præſentationi adaptabilis, ut ponderat Vivian. *lib. 1. cap.1. num.*3. *cum ſequen. ubi ex num.* 7. plures ponderat differentias inter electionem, & præſentationem, ac etiam advertit Rota *in Camerinen. Canonicatus 19.Junii* 1654.*Dunozetto*, inter ſuas *deciſ.*957. *num.* 11. Licèt enim iſti termini ſæpiùs confundi ſoleant, atque pro ſynonimis haberi, nihilominus id junctum cum aliis videtur conſiderabile; Potiſſimè quia Petro Paulo relictum non fuit juſpatronatus, ſed ſolùm actui electionis adjunctus fuit, quaſi quod quatuor Fabriceriis variabilibus per Epiſcopum, vel alium Superiorem deputari ſolitis, fundator quintum fixum invariabilem in honorem ſuæ parentelæ adjungere voluerit ad idem Collegium conſtituendum.

Ac demum iſtam veritatem mirificè comprobabat obſervantia, quæ in hac materia, quoties lex fundationis deficit, vel illa eſt dubia, ſatis attendi debet, in terminis Burſatt. *d.con.324.num.*19. Rot. *deciſ.*147.*num.*8.& 148. *ſub num.* 10. 7
poſt Vivian. & ſæpius, dum primi actus procuratæ erectionis cappellaniarum ab Ordinario, ac electionis ſex primorum cappellanorum per Fabricerios, ac dictum Petrum Paulum tunc viventem inſimul congregatos, & collegialiter de anno 1636. geſti fuerunt, idemque ſervatum fuit in duabus deputationibus cappellanorum in vacationibus ſequutis de annis 1654. & 1655.

Iſtud obſervantiæ motivum, nè dum acriter impugnabatur, ſed retorquebatur, maximum, ac penè totum in eo fun-

fundamentum conſtituendo ſcribentes pro illis de familia, ſeù præſentato ab eis, contrariam obſervantiam deducentes Primò ex narrativa facta per Fabricerios in ſupplici libello porrecto pro obtinenda ab Ordinario erectione cappellaniarum, quod reſervatum eſſet juſpatronatus ipſis ac etiam Petro Paulo, Secundò, ex eo quod de anno 1639. inſtitutus eſſet nominatus à Petro Paulo rejecto altero nominato à Fabricerius; Et tertiò, quod idem Petrus Paulus in proteſtatione ſe enunciaſſet compatronum æquè principaliter ac Fabricerios; Verùm credit eſſe leve fundamentum, quoniam ad hoc, ut obſervantia dicatur conſiderabilis, vel ad effectum interpretandi, vel etiam reſpectivè inducendi aut firmandi ſtatum, primarium ac potiſſimum requiſitum eſt, 8
ut ſit omninò clara & univoca, conſiſtens in actibus certis & claris, quia interpretandum non eſt obſcurum ex obſcuro, neque fictio ex fictione, ſeù præſumptio ex præſumptione deducenda eſt, *deciſ. 294.num.6.par.2.diverſ.dec.*18.*nu.* 28. *par.* 9. Buratt. *dec* 464.*num.*4.& 6. Duran. *dec.*173. *num.*5.

Nullus verò ex dictis actibus dici poterat certus, & clarè inductivus dicti prætenſi diverſi & coæqualis juris, quoniam enunciativa continet competentiam juriſpatronatus ac præſentandi in genere, ſed nil explicat circà modum ſeù ſpeciem, undè eſt ſupponere pro certo id quod eſt in quæſtione; Eodemque morbo laborabat aſſertio ipſiuſmet Petri Pauli, quæ etiam nullius erat momenti, quia nullibi caucum eſt confeſſionem emiſſam in proteſtatione contrà collitigantem probare ad favorem confitentis ſeù proteſtantis; Actus verò ſequutus de anno 1639. omninò æquivocus erat, quinimò in propoſito nullius conſiderationis, quia cum Fabricerii nominaſſent extraneum à tribus familiis à fundatore præſcriptis, atque nominatus à Petro Paulo eſſet de habentibus dictam qualitatem, huic debita erat inſtitutio tanquam habenti præſentationem fundatoris, juxtà deducta pluries in præcedentibus.

Ac etiam quia in actibus collegialibus, majori parte eligente indignum, totum jus pro ea vacatione conſolidatur in minori quinimò in uno eligente dignum ad text. *in ca.dudum il primo de elect. & cap. cum Vinton &c. eodem tit.* utro- 9
bique ſcribentes, de quibus Merlin. *lib. 1. controv.*50.*num.* 18.*& ſequen.* Rot. *deciſ.*219. *par.* 9. *rec.* & habetur ſæpiùs *ſub tit. de Canonicis & Capitulo*, & ſupra *diſc.* 31.

Item obſervantia debet eſſe proxima fundationi, & hæc 10
magis attenditur quàm remota, ut in his terminis Otthob. *deciſ.*26.*num.*14.*& ſequen.* undè cum habeantur dictis actus proximi & magis certi & clari, iſti debent prævalere, vel ſufficiunt ad impediendam dictam contrariam obſervantiam, quæ inter alia requiſita exit illud, ut ſit uniformis *deciſ.*432.*nu.*35.*&* 439.*nu.*53.*par.* 9. *rec.* & in terminis juriſ- 11
patronatus *dec.*336.*num.*5.*& ſeq.par.* 5. potiſſimè quia ferè clarum videbatur ut vocatio Petri Pauli, vel ſucceſſoris eſſet tanquam de adjuncto idem corpori, ideoque obſervantia contraria ſapere videbatur magis de præſcriptiva, ſeù immutativa ſtatus, quàm de ſimplici interpretativa, undè propterea magis rigoroſè probanda eſt, atque majora exigit requiſita.

Poſito verò dicto ſimultaneo, ſeù collegiali concurſu ad unum corpus efformandum, exindè reſultabat quod nulla habenda eſſet ratio de præſentatione, ſeù nominatione facta per dicti Petri Pauli fratres & filios ſingulariter, ac extrà Collegium, dum tunc nullum jus dicuntur habere 12
tanquàm ſingulis, ſed tanquam univerſi Lapus *alleg.* 78. *num.*2. Vivian. *lib.*8.*cap.*2.*num.*2.*deciſ.*295.*part.*6.82.*&* 302. *par.*7.*rec. Bonon. juriſpatronatus de Granaglion.*7.*Junii* 1658 *Priolo*, & infrà *diſcurſ.* 61 *generali* ſuper modo computandi voces; Niſi præſentes in loco, vocati non eſſent, quia tunc juxtà naturam electionum aliorumque actuum collegialium, dicere poſſunt de nullitate ratione ſpretus, Vivian. *d.cap.*2.*num.*5.*& ſeq.* Mantic. *dec.*268.*dec.*9.*num.*5. *cum ſequ.p.*10.*rec.& in d.Majoricen.ſub tit.de benef.diſc.*30.*& ſub tit.de Capitulo & Canonicis pluries.*

Hinc ſuperflua remanebat pro hujus controverſiæ deciſione altera inſpectio ſupra inſinuata, qui ſc. de familia dicti Petri Pauli cum Fabriceriis concurrere deberent, dum, ſivè aliqui, ſive omnes, effectus erat idem, quia moniti non intervenerant, neque curaverant ſe congregare in loco ſolito. Uerùm quando de hoc agendum eſſet, omninò certum dicebam, quod fratres ſub dicta vocatione non veniebant, cum illa cantet, *de ſua familia*, ex quo pronomine ſua, reſultat teſtatorem intellexiſſe de ſola effectiva, ut in 13
his terminis Vivian. *lib.4.cap.9.num.*10. *dec.* 362. *num.* 6.& *ſequen.par.5.recen.* cum aliis ſupra, ac etiam infrà *d.diſc.generali* 61. potiſſimè quia dicti fratres teſtatori eodem gradu conjuncti, ac benè cogniti erant & tamen ſpreti, ideoque ſola difficultas reſtringebatur quoad filios, & deſcedentes de familia effectiva; In hoc autem regula omnibus aſſiſtere videbatur, quia pluribus de certo corpore per nomen collectivum vocatis, omnes veniunt in capita Alex. *de Nevo conſ.* 14
63.*n.*2.& 2. Lotther *lib.2.qu.11.num.* 125. Buratt. *dec.* 183. *dec.* 82.*p.7.rec. Comen. beneficii* 12. *Maji* 1659. *Priolo*, & in aliis frequenter.

Quamvis autem dicta concluſio ſit regulariter vera, In hac tamen facti ſpecie adhuc probabilius contrarium dixi verius, ut ſcilicèt non niſi unus, puta proximior, vel ſenior intervenire deberet ex veriſimili teſtatoris voluntate, aliiſq; circumſtantiis & congruentiis id ſuadentibus; Primò quia teſtator in verbis conſideravit concurrentem in numero ſingulari; Secundò quia idem factis quoniam cum plures haberet conjunctos eodem gradu, unum tantùm vocavit ut ſupra; Tertiò quia deficiente familia Petri Pauli, voluit ſubintrare proximiorem agnatum vel cognatum, & ſic unum tantùm; Quartò, quia ſi procedendum eſſet cum rigore dictæ regulæ, venire deberent etiam fœminæ, vel pueri juxta unam opinionem; idque ſtante concurſu collegiali cum Fabriceriis ut ſupra eſt omninò incongruum, ac veriſimili 2
voluntati contrarium; Et quintò quia cum tractu temporis hæc familia poſſet ſatis multiplicari ac numeroſa fieri, incongruus eſſet omnium concurſus; Neque eſt novum in jure, ut toto genere vocato, penès totum ſit jus in habitu, actu verò & in exercitio ſit penès ſeniorem Vivian. *l.2.c.9.n.*14. & 37. Lotther. *lib.2.qu.11.n.*124.*dec.*288.*num.*9.*par.*5.*rec.*

BONON. BENEFICII,
PRO BERNARDO A'PINU
CUM CAROLO ANTONIO FIBULO.

Caſus deciſus per Rotam pro Carolo Antonio.

Præſuppoſito, quod juſpatronatus ſit familiare pro duabus lineis, ſeù familiis; An una defecta, totum accreſcat lineæ ſeù familiæ ſuperſtiti. Vel potiùs ultimus lineæ deficientis, ſuam portionem tranſmittat ad hæredem extraneum, itaut efficiatur, partim hæreditarium, & partim familiare. Et quando vocatio alicujus ad juſpatronatus ſit perſonalis, itaut non tranſmittatur ad ſucceſſores, vel è contra; Et an executores teſtamentarii, quibus beneficii erectio demandata eſt, alterare poſſit leges à teſtatore præſcriptas.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutiones cauſæ.*
3 *Juſpatronatus familiare non ceſſat finita familia, ſed tranſit ad hæredes.*
4 *Ex quibus probetur juſpatronatus eſſe gentilitium ſeù familiare.*
5 *Quod juſpatronatus poſſit eſſe partim familiare, & partim hæreditarium, & num.* 10.
6 *An & quomodo vocatio alicujus cenſeatur perſonalis, & non tranſitoria ad ſucceſſores.*
7 *Qualis debeat eſſe obſervantia ut præjudicet.*
8 *Negligentia prædeceſſorem in juriſpatronatus familiari non præjudicat ſucceſſoribus.*
9 *Vocata familia, qui veniant, & an etiam illi de contentiva.*
10 *De eadem concluſione de qua num.* 5. *& an defecta una linea portio conſolidetur in altera ſuperſtite, vel tranſeat ad hæredes.*

DISC. XXXV.

1 HIeronymus de Podiis Donnini filius, ac pronepos Nannini ſtipitis univerſæ familiæ de Podiis de anno 1457. in ejus teſtamento inſtitutis hæredibus Alexandro & Nicolao fratribus, aliquos executores deputavit, per quos infrà annum ex quibuſdam bonis ac effectibus ad id aſſignatis, fieri voluit id, quod ipſe eidem commiſſariis oretenus commiſit, illique coram Ordinario declararunt teſtatoris voluntatem eſſe erigendi quamdam cappellaniam ſeu beneficium prout erigi obtinuerunt ſub diverſis conditionibus, illa præſertim ad rem facientes, quod (ſunt verba præciſa) *Rectoris præſentatio ſpectet*

dictis hæredibus teſtatoris, & eorum ſucceſſoribus; & ad Antonium q. Jacobi de Podiis, & de familia nullo modo
2 *poſſit exire ſeù alienari, & caſu quo alienaretur licentia ab Epiſcopo &c.* Vacantem autem dicto beneficio de anno 1649 per obitum Eliſei Matuliani præſentati per Joannem Carolum ultimum de linea Baptiſtæ avi teſtatoris, Hieronymus Roſſius, qui à dicto Joanne Carolo in teſtamento hæres inſtitutus fuerat, preſentavit Bernardum de Pinu, illi verò de Montecucolis hæredes etiam teſtamentarii Joannis ultimi de altera linea, de qua erat Antonius per executores ut ſupra ad dictum juſpatronatus & præſentandi vocatus, præſentarunt Carolum Antonium de Fibulis; Cardinalis verò indultarius habens collationem in menſibus reſervatis, illud tanquam liberum alteri contulit, unde orta inter dictos tres controverſia, & introducta cauſa in Rota *coram Albergato*, datoque dubio, cui nam ex contendentibus controverſum beneficium adjudicandum eſſet *ſub die 26. Februarii 1652.* pro Carolo Antonio reſponſum fuit, ut patet ex *deciſ. 220. part. 11. recent.*

Facilis n reputata fuit excluſio proviſi tanquam de libe-
3 ro, dum ex inſtrumento fundationis & dotationis clarè conſtabat de juſpatronatus, non obſtante quod extincta eſſet familia de Podiis, pro qua cõtendebatur, ac etiam Rota firmavit dicti juſpatronatus reſervationem factam eſſe.

Licèt enim *Geminianus* aliquos habens ſequaces credat, ut facta reſervatione juſpatronatus ad favorem familiæ, poſt eam extinctam, illud ceſſet, atque Eccleſia efficiatur libera, Attamen hæc opinio magis communiter rejecta eſt, atque hodie abſolutè recepta contraria, quæ anteſignanos habet Anchar. *conſ. 81.* & Calderin. *conſ. 4. de juſpatronatus*, ut ab ultimo de familia tranſeat ad eius hæredes quamvis extraneos, & ſic de gentilitio fiat hæreditarium, niſi dictio taxativa, ſeù alia verba, vel circumſtantiæ diverſam denotent voluntatem fundatoris, vel Ordinarii qui cum hac lege approbaverit fundationem, Seraph. *dec. 364. n. 3. deciſ. 385. nu. 1. part. 1. diverſ. 166. nu. 16. & ſequen. par. 6. rec. Cluſina beneficii 5. Junii 1649.* Bichio, cum aliis in hujus cauſæ deciſione, & deindè in modernioribus frequenter, cum ſit concluſio recepta pro regula, limitanda ſolùm ex taxativa voluntate ut ſupra.

Quare major ac tota diſputatio fuit inter præſentatos à contendentibus de pertinentia dicti juſpatronatus; Atque primus diſputationis punctus fuit circa illius qualitatem, an ſcilicèt eſſet hæreditarium vel familiare, atque juxtà hanc ſecundam partem prodiit reſolutio, quæ mihi, quamvis more Advocati contrarium ſubſtinenti, in hac parte (reflectendo ad veritatem) probabilis viſa eſt; Licèt enim in erectione diceretur juſpatronatus ſpectare debere dictis hæredibus teſtatoris, unde expreſſa mentio hæredum magis de plano aperiebat locum regulæ, juxtà quam juſpatronatus potiùs hæreditarium quàm gentilitium reputandum eſt, & ſuper qua regula more Advocatorum, egò & cæteri copioſas retexebamus allegationes.

4 Attamen plura probabiliùs dictam gentilitiam qualitatem ſuadebant, Primò ſc., mixtura dicti Antonii, qui non erat hæres fundatoris; atque remotus agnatus de diverſa linea ſeu colunnello; Id enim arguit fundatorem reſpexiſſe ad familiam, non autem ad qualitatem hæreditariam, dum agnatum remotum tranſverſalem vocavit, Secundò ex illis verbis, quod de familia nullo modo poſſit exire, quod inducit prohibitionem realem, & conſequenter fideicommiſſum in univerſa familia, ex iis, quæ in ſua materia fideicommiſſaria ſatis frequenter habentur, cumulata etiam in hac deciſione, & his terminis ponderatur *in Maceraten. juriſpatronatus 26. Novembris 1628.* Ubaldo; Tertiò ex ſubſequuta obſervantia, pluribuſque enunciativis, in quibus dicitur hoc juſpatronatus eſſe illorum de Podio, & ſic cum ſola qualitate familiari, juxtà firmam *deciſ. 166. n. 9. cum ſequen. par. 6. rec. in Piſcien. beneficii 26. Novembris 1650. coram Celſo* inter ſuas *deciſ. 106. & eadem 21. Aprilis 1651.* Royas inter ſuas *deciſ. 446.* & ſæpiùs habetur in præcedentibus; Ac etiam quia longo ſpatio annorum 200. & ultrà nunquàm adfuit mixtura cognatorum, vel aliorum, qui non exiſtentes de familia fuerint hæredes contrà omnem probabilitatem, ſi juſpatronatus fuiſſet hæreditarium juxtà *conſ. Calderin. 15. de juſpatronatus* cum aliis apud Buratt. *dec. 183.* & in allegatis Piſcien. *coram Celſo*, & *Royas*. Ideoque quod iſtum punctum deciſio videtur fundata, non obſtante dicta mentionem hæredum, dum illa non eſt indefinita pro omnibus, ſed tantùm pro primis, & ſic ad demonſtrandas perſonas ſupra enunciatas quæ per teſtatorem hæredes inſtitutæ fuerant, abſque ſucceſſiva vocatione ſucceſſorum ſtante replicatione hæreditariæ qualitatis.

Difficultas autem videbatur eſſe circà pertinentiam ad lineam Antonii, de qua erat Carolus ultimus de univerſa familia, auctor illorum de Podiis, & per cujus obitum orta fuit celeber controverſia, de qua *in Bonon. primogenituræ de Podiis ſub tit. de fideicommiſſis diſcur. 15.* Ego enim & cæteri ſcribentes pro Pinu præſentato per Hieronymum hæredem Joannis Caroli ultimi de altera linea teſtatoris, dicebamus quod in iſto terminaverat ſtanquam ultimo de linea vocata, ideoque immutata natura de familiari effectum funerat hæreditarium non curato, quod vocatus etiam eſſet dictus Antonius remotus agnatus quoniam ejus vocatio erat perſonalis, cum ejus perſona terminata.

Quodque in omnem eventum, ubi etiam ſubintelligerentur vocati omnes dicti Antonii ſucceſſores, & ſic utraque linea, adhuc tamen cùm ab initio duæ familiæ, ſeu lineæ conſtitutæ eſſent, non intrabat reciproca linearis, ſed cujuslibet portio reſpectivè poſt ultimum deficientem ad ejus hæredes tranſitum fecerat; Ut in puncto juriſpatronatus diviſi in duas familias ſeu lineas, ut terminata una, 5
ejus portio non tranſeat ad aliam, ſed tranſmittatur ad hæredem ultimi de ea deficientis habetur apud Merlin. *deciſ. 798. num. 24.* ubi conſideratur ſimile de reciproca intelligenda diſcretivè in ſingulis lineis non autem de linea ad lineam, dictaque deciſio eſt repetita poſt Vivian. *deciſ. 120. num. 22.*

Hinc proindè duo fuerunt puncti, ſeu inſpectiones Primò ſcilicet, an vocatio dicti Antonii fuiſſet perſonalis ad ejus ſucceſſores non tranſitoria, vel è converſò; Et ſecundò, poſito quod utraque linea vocata eſſet, an inter eas intrat reciproca, ſeu jus accreſcendi, itaut portio lineæ deficientis conſolidata eſſet cum ſuperſtite, vel potiùs tranſmiſſa ad hæredes extraneos ultimo deficienti.

Quatenùs igitur pertinet ad primum punctum, plura ſuadere videbantur perſonalitatem vocationis dicti Antonii, itaùt in hac parte deciſio non omninò ſatisfacere videretur, omnia ſimul ac unitim, non autem ſingulariter conſiderando, cum regula, ut *ſingula quæ non proſunt &c.* Primò ſc. 6
diſcretiva inter hæredes fundatoris, & Antonium prædictum, dum quando de eis habitus eſt ſermo, expreſsè dictum quoque fuit pro eorum ſucceſſoribus, quod in Antonio neglectum eſt, Licet n. regulariter ſucceſſorum expreſſa vocatio, utpotè à jure ſubintellecta neceſſaria non ſit, Attamen quotiès illorum expreſſio in una parte habetur, & in alia negligitur, tunc reſultat, juxtà regularem diſcretivæ naturam, probatio diverſe voluntatis, ſi enim ubi voluit, dixit, ergò noluit, ubi non dixit; Ut ultrà generalia; in ſpecie juriſpatronatus reſervati pluribus fratribus cum mentione ſucceſſorum, reſpectu unius, & non alterius, ut vocatio ejus, cujus ſucceſſores omiſſi fuerunt, ſit perſonalis, ſupponitur abſolutum *dec. 112. num. 12. par. 6. rec.*

Secundò corollarie ex qualitate dicti Antonii remoti tranſverſalis ſexto gradu conjuncti & ad hæreditatem non vocati, necne aliàs in teſtamento honorati, undè probabiliter executores ex mente teſtatoris illum ex aliquo merito perſonali, aut alia circumſtantia ejus perſonam tantùm concernente honorare voluerunt, dum neglexerunt vocationem ſucceſſorum, de qua in aliis proximioribus de familia hæreditariam etiam qualitatem habentibus ſolliciti fuerunt; Tertio fortiter ex longiſſima obſervantia, quoniam excepta quadam præſentatione facta de anno 1505. in reliquis, alii ſucceſſores, non autem illi dicti Antonii præſentarunt; In hac enim materia multum deferendum eſt obſervantiæ, tanquàm optimæ interpreti, ut habetur pluries ſupra & infrà ad totam materiam.

Et quamvis in hujus cauſæ deciſione adversùs hoc obſervantiæ motivum duo replicentur, Primò ſcil. ut attendi potiùs debeat obſervantia proxima quàm remota, Et ſecundò, quod non poſſit ex longa negligentia in præſentando deduci præſcriptio, non probata ſcientia & patientia 7
compatronorum, quodque privativè ad eos præſentationes eſſent factæ, undè propterea conſtare debeat alios voluiſſe præſentare, ac reiectos eſſe, Ferrett. *conſ. 132. num. 3. lib. 1. deciſ. 30. num 7. & 8.* poſt Vivian. & in aliis, de quibus in deciſione; Potiſſimè verò in patronatu gentilitio, in quo cum ſucceſſores veniant ex perſona propria, prædeceſſorum negligentia eis non præjudicat, ideoque non intrat præſcriptio, ut per Gratian. *diſcept. 577. num. 44.* Ciarlin. *controv. 107. nu. 61. & ſequen.* & habetur deductum *in Piſtorien. diſc.* 31. Attamen non videbatur relevantes reſponſiones, quoniam tunc rectè id procedit quando pertinentia eſſet clara, itaut ageretur de obſervantia præſcriptiva tollente jus certum, & clarum; Secùs autem ubi caſus eſt ambiguus, cum 8
tunc non intrent termini præſcriptionis, ſed potiùs obſervantiæ interpretativæ his rigoribus non ſubjectæ; Potiſſimè dum obſervantia affirmativa conſiſtebat in unico actu, negativa verò in multiplicitatis, ſpatio annor. circiter 150. & ſic adeſt centenaria completa, cujus vigore quicumq; titulus de mundo melior allegari poteſt, multòmagis dum ex præmiſſis etiam ex integro ſatis probabiliter prætendi poterat, dictam Antonii vocationem eſſe perſonalem.

Ponderatur in deciſione, quod ubi etiam ex appellativa vocatione Antonii inferri non poſſet ad ejus deſcenden-
9 tiam, adhuc tamen iſta vocata cenſeretur ſub generali vocatione familiæ, à qua in fundatione dictum fuit juſpatronatum exire non poſſe, ex generaliter deductis per Fuſar. *q. 381. n. 59.* & in ſpecie Ciarlin. *d. controv. 107. n. 53. & ſeq.*

Verùm neq; videbatur tutum fundamentum, quoniam in fideicommiſſis regulariter, vocata familia intelligitur de effectiva & propria ipſius teſtatoris ex deductis per Fuſar. *quæſt. 351.* & ſatis frequenter in ſua materia *ſub tit. de fideicomm.* In his autem terminis juſpatronatus eſt controverſum, quoniam licèt in *Pientina juriſpatronatus coram Litta* & aliis apud Vivian. *lib. 4. cap. 9.* veniat univerſa, attamen *dec. 362. n. 6. p. 5. rec.* aliàs apud Merlin. *dec. 450.* relinquitur ſub dubio, ut etiam patet *ex dec. 71. & 73.* poſt Vivian. *dec. 309. n. 9. p. 7. Placentina Canonicatus 16. Mart. 1648.* Rojas inter ſuas *dec. 361. n. 7. cum ſeq.* & aliis, cum ſit quæſtio ambiguæ voluntatis, ideòque intrat abſque dubio interpretatio, & conſequenter obſervantiæ deferendum eſt juxtà receptam, & veram, ſæpiuſque inſinuatam diſtinctionem inter obſervantiam interpretativam, & præſcriptivam.

Quò verò ad alterum punctum, an ſcilicet defecta una ex duabus lineis, ejus portio conſolideturin altera ſuperſtite, vel potiùs ultimus lineæ defectæ ejus portionem tranſmittat ad hæredes; Pro tranſmiſſione ſtat *d. dec. 798.* Merlini repetit. *deciſ. 20.* poſt Vivian. *numer. 13. & ſeq.* ubi ut ſupra, conſiderantur, ea quæ habemus in materia fideicommiſſaria, ſuper reciproca intelligenda diſcretivè, non autem de linea ad lineam.

In contrarium quod, vel ex conjunctione verbali, vel reali, vel mixta, vel fortiùs ab individuitate ipſius juriſpatronatus, ſit locus juri accreſcendi, vel non decreſcendi, quaſi quod implicet idem juſpatronatus eſſe partim gentilitium, & partim hæreditarium, quodque eadem res diverſam habeat naturam ut firmatur *deciſ. 336. num. 4. p. 5. rec. & deciſ. n. 6.* poſt Vivian. repetit. poſt Dian. *p. 8.* ex quibus idem firmatur *dec. 474. n. 4. & ſeqq. p. 11. rec.* cum qua proceditur in hujus cauſæ deciſione *impreſſ. ut ſupra ead. p. 11. dec. 220. n. 14.* Ideoque ſpectatis auctoritatibus iſta recipienda videtur, potiſſimè quia *d. dec. 798.* Merlin. alias 120. poſt Vivian. non continet deciſionem Tribunalis; ſed potiùs id aſſeritur ex mente alicujus ex Auditoribus, quod non facit deciſionem; Accedentibus etiam iis, quæ plenè collecta habentur apud Bellon. junior. *de jure accreſcen. cap. 6. q. 48.* ſuper juſpatronatus individuitate, cujus ratione intrat jus non decreſcendi, dùm totum jus reſidere dicitur penès omnes, & quemlibet eorùm inſolidum, ut alibi *hoc eod. tit.* pluries advertitur, ac habetur actum ſub *tit. de feudis diſc. 8.* undè propterea in hac parte dicta reſolutio potiùs probabilis dicenda eſt; Ea tamen intellectum non captivante circa dictum alium punctum, quod vocatio Antonii eſſet perſonalis ut ſuprà.

Quamvis autem adhuc occaſio non præbuerit iſtum articulum formiter diſputare, undè propterea maturum judicium efformari potuerit, (cum in iſta cauſa unica tantùm habita fuerit diſputatio;) Attamen cogitabam diſtinguendos eſſe caſus, cum diverſa tamen diſtinctione ab ea, quàm potiùs in altero jurepatronatus libertorum emanato à jure civili præbet Bellon. jun. *d. q. 48.*

Aut enim agitur ad effectum computandi voces, ut ſcilicèt aliquibus non præſentantibus in tempore, vel malè præſentatus, ille qui habet præſentationem à minori parte, dici valeat ità præſentatus, quod debeatur inſtitutio, atque ad hunc effectum rectè intrat dicta individuitas productiva juris non decreſcendi, ut totum jus in ea vacatione conſolidatur, in eo qui benè illud exercet, ut in Piſtorien. *diſcurſ. 31.* & in aliis.

Aut verò agitur ad effectum omnimodæ expirationis juriſpatronatus in portione defecta, quia nempè vel juxta opinionem Geminiani in foro tamen rejectam, vel ob taxativam ſeu aliàs conjecturatam voluntatem fundatoris in jurepatronatus familiari, non detur ab ultimo tranſmiſſio ad hæredes, ſed illud deſinat, atque Eccleſia acquirat libertatem; Et tunc pariter idem dicendum ſit, quoniam implicare videtur ut eadem Eccleſia ſit libera & ſerva eodem tempora, quodque una res individua diverſam imò oppoſitam habeat naturam.

Aut ad effectum præciſum noſtrum, quod ſcilicet ex duabus lineis verè ab initio diſcretis, una deficiat, & al- 10
tera duret, & tunc non videtur adeſſe implicantia in dictis deciſionibus deducta; Aut enim jus accreſcendi deducitur ex verbali vel reali conjunctione, & iſtud non intrat poſt quæſitum emolumentum, ac effectuatam portionum diſcretionem; Aut deducitur jus non decreſcendi ratione individuitatis, ſeu incompatibilitatis, & tunc non videtur, ubi iſta incompatibilitas fundetur; Quemadmodum enim nulla datur implicantia, quod idem juſpatronatus ſit partim laicale, & partim eccleſiaſticum, quod eſt quid magis; Sive quod idem familiare, in una linea poſſideatur pro integra medietate ab una tantùm perſona, quæ ſit in illa linea, in alia verò ſit penès centum; Aut quod in una linea exercitium præſentationis ſit penès omnes in capita non data gradus, vel ætatis diſcretione, in altera verò ex obſervantia ſit penès natu majorem, cum ſimilibus; Ità non videtur, quæ implicantia adſit, ut firma remanente individua ſubſtantia juriſpatronatus, ejus exercitium penes unam lineam ſit uno modo, ac altero penes alteram.

Aliàs duobus æqualiter poſſidentibus juriſpatronatus, quod origine, juxtà ejus regularem naturam ſit hæreditarium, non poſſet unus ex compatronis in ſua portione ornare fideicommiſſum, ex eo quod illud non ſit in altera portione, ſivè non poſſet in ea imprimere qualitatem familiarem quod non eſt dicendum.

Individuitas verò ſubjectæ materiæ benè attendenda venit tanquam conjectura, ſeu adminiculum voluntatis fundatoris, vel ordinatoris familiaris qualitatis, quia univerſa familia, quoad eum conſiderata fuerit, tanquam unicum corpus abſque formali diſcretione linearum ac portionum, niſi ad ſolum effectum diviſionis exercitii, vel fructuum juxta caſum, de quo *in Roman. palatii de Capranica ſub tit. de fideicommiſſ. diſc. 106.* Sed ubi conſtat de vera diſcretione linearum ac portionum; tunc nulla videtur ſubeſſe implicantia, vel ratio, quæ id impediat.

CAPUANA ABBATIÆ

PRO DUCE S. LAURENTII, ET JOSEPHO ab eo præſentato.

CUM DUCE SERMONETÆ, ET FRANCISCO ab eo præſentato, omnibus de familia Ceatana.

Caſus deciſus per Rotam pro primis.

An & quando juſpatronatus cadat ſub fideicommiſſo univerſali ordinato in tota hæreditate, Et incidenter ad materiam textus in *cap. conſultationibus de jurepatronatus*: An ſcilicèt, & quando illius diſpoſitio ad favorem poſſeſſoris attendi debeat, non curato bono jure petitoris.

SUMMARIUM.

1 *Acti ſeries.*
2 *Reſolutiones cauſæ.*
3 *Quod regulariter juſpatronatus non veniat ſub fideicommiſſo.*
4 *Non reputatur vera hæc regula, ſed adhuc admittitur.*
5 *Fallit ex conjecturis etiam levibus.*
6 *De ratione ob quam de facili eſt recedendum à regula, & quod juſpatronatus conſervat magis familiarium honorificentiam.*
7 *De adminiculis inducentibus limitationem, & quæ via tenenda ſit.*
8 *Patronus admittens non patronum ad præſentandum, eum conſtituit in quaſi poſſeſſione præſentandi.*
9 *Intellige in præjudicium admittentis & ejus hæredum non autem ſucceſſoris venientis jure proprio.*
10 *Deſcendentia probanda eſt ab eo, qui eſt in poſſeſſione.*
11 *Quaſi*

11 *Quasi possessio in jure præsentandi non transit ad successorem sine apprehensione.*
12 *De materia*, Cap. consultationibus, *& quando intelligatur.*
13 *Declaratur conclusio, de qua num. 8. quod requiratur.*
14 *De alio casu, & quod data comprehensione jurispatronatus sub fideicommisso, istud non agnitum transmittitur, sed tanquam agnoscendum.*

DISC. XXXVI.

1 HONORATUS Caetanus fundorum Comes, & Dux Trajetti, de anno 1489. institutis hæredibus Honorato juniore, & Jacobo Maria nepotibus ex Petro Bernardino filio exhæredato, perpetuum reciprocum fideicommissum masculinum inter eorum descendentes ordinavit; Cumque Jacobus Maria defecisset sine prole, totum fideicommissum consolidatum fuit in Honorato, cum tractu successivo in Ludovico ejus filio, & Scipione nepote, ex quo superstites fuerunt Ludovicus promogenitus & Alphonsus secundogenitus, defectaque linea masculina primogenita in Scipione dicti Ludovici filio, Franciscus Dux Sancti Laurentii filios dicti Alphonsi secundogeniti, fideicommissariam successionem obtinnit adversus Camillam dicti Ludovici filiam, & Scipionis sororem nuptam Duci Sermonetæ de eadem familia Caetana, ut patet ex *cons.* 2. Bellon. jun. qui pro Francisco scripsit; Cum autem in dicti Honorati hæreditate, ut ultrà multa feuda, & alia bona, ad eisset jurispatronatus Ecclesiæ S. Laurentii sibi donatum ab Alphonso I. de Aragonia, quod (incertum est ex qua causa) possidetur pro medietate ab hac descendentia, & pro altera medietate per Regem Catholicum, diviso præsentationis exercitio per alternativam, Hinc sequuta dicti Beneficii vacatione per obitum Cardinalis Trivultii provisi ad Regiam præsentationem, Dux Sermonetæ prædictæ Camillę filius præsentavit Franciscum Caetanum obtinentem derogationem Apostolicam medietatis vocum; Dux verò Sancti Laurentii dicti Francisci nepos præsentavit Josephum fratremunde introducta causa in Rota *coram Priolo*, sub diebus 5. *Maji* 1659. & 16. *Januarii* 1660. prodierunt resolutiones
2 Josepho favorabiles, quarum secunda est impressa post *collectationes Bondeni dec.* 69. neque causa ulteriorem habuit disputationis progressum, atq; subsequuta mors dicti præsentati succumbentis, ut opinor, omnimodum finem causę dedit

In his autem disputationibus, duo fuerunt puncti, unus petitorii super pertinentia jurispatronatus, & alter possessorii, an scilicèt Duci Sermonetæ suffragaretur quasi possessio resultans ex præsentatione, quam de anno 1623. fecit dicta Camilla, cum subsequuta institutione, stante derogatione medietatis, itaut intrarent termini tex. *in cap. consultationibus hoc tit.*

Resolutio primi puncti pendebat à comprensione affirmativa, vel negativa hujus jurispatronatus sub dicto fideicommisso ad solum favorem masculorum ordinato: Posita enim comprehensione, certa resultabat consequentia illius pertinentiæ ad dictum Ducem Santi Laurentii privativè ad alium Sermonetæ descendentem ex fœmina, ideoque in fideicommisso nullum jus habentem.

Super hoc autem scribentes pro altera parte negante dictam inclusionem, cum copiosis allegationibus probare conabantur, quod licet apud scribentes controversum sit, an sub fideicommisso universali simpliciter ordinato in hereditate veniat jurispatronatus; Aliquibus simpliciter sequen-
3 tibus affirmativam opinionem, quæ antesignanum habet *Romanum*; Aliis verò sequentibus opinionem negativam, quæ antesignanum habet Bartol. *in l. quia perinde ff. ad Trebell.* Attamen in Rota, & Curia extrà controversiam, hæc posterior opinio recepta est pro regula, utpotè per Rotam antiquam tentam in *Aretina cappellaniæ* 1. *Junii* 1584. *Bubalo*, cum qua processit etiam Rota moderna, ut patet ex *decc.* 542. *p.* 5. *recent. dec.* 72. 170. & 206. *part.* 7. & admittitur *dec.* 24. & 121. post Vivian. *hoc tractat*, *decis.* 100. & 190 *part.* 12. *recent.* & in aliis; Eamque esse magis communem cæteris relatis testantur Peregrin. *de fideicom. art.* 6. *nu.* 37. Fusar. *quæst.* 634. *num.* 2. Vivian. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 76.

Quamvis autem hæc opinio, in disputativa, seù discursiva ratione, nullum verè probabile fundamentum habere
4 videatur, cum Bart. & alii antiquiores, non redacta forsan hac materia jurispatronatus in beneficiis ecclesiasticis ad eam formam, quam habemus, sive illa eis non benè cognita, (ut etiam hodie non versatis in Curia in materia beneficiali contingit,) processerint cum quodam legule co sensu derivante à jure civili, in iis quæ jura sepulchrorum secundum illum gentilem usum, vel juspatronatus libertorum percutiunt, ac desuper disponuntur; Attamen quia Rota antiqua, cum hoc sensu processit, modernæ verò rectè id agnoscenti in quamdam reverentiam antiquitatis visum est ab ea non recedere; Hinc proindę scribens pro possessore fideicommissi, admittebam dictam opinionem pro regula, Dicebam tamen eam quodammodò remanere videri idealem, utpotè limitari solitam ob contrariam voluntatem fideicommittentis, etiam conjecturalem & ex levibus, ac generalibus conjecturis resultantem, ut patet ex pluribus decisionibus, quas desuper habemus, quod satis leves conjecturæ desuper admissæ sunt, ut præsertim *dicta decis.* 24. & 121. post Vivian. *decis.* 240. *numer.* 10. *cum seauen. par.* 10. *recent. decis.* 271. *parte* 12. *dicta decis.* 10. & 190. *part.* 12. *recent.* editis in causa, de qua supra, *in Lunen. disc.* 19. & in aliis pluries & præsertim etiam *in Romana jurispatronatus de Manosis*, de qua *supra discurs.* 14. & *in Mediolanen.* de qua habetur mentio infra.

Quidquid enim esset in usu temporibus Bartoli, Alberic. Alex. & aliorum scribentium Perusii, ac in aliis Civitatibus extra Curiam, & qui magis fuerunt Civilistæ quàm Canonistæ; Certum est, quod erectiones beneficiorum de jurepatronatus non solùm habent motivum pietatis, sed etiam illud honorificentiæ, ac provisionis descendentium, quoniam ita frequentèr provideri solent secundo, vel ultro geniti familiarum nobilium, atque per hujusmodi jura sive honorifica, sive ob exercitium præsentationis, magis conservantur decor, ac memoria nobilium familiarum, quàm per feuda, vel castra aliaque bona temporalia de facili subjecta consumptionibus & dissipationibus, ac humanarum rerum vicissitudini; Ut ultra quamplura exempla in Orbe Catholico satis frequentia, agendo de illis partibus, in quibus ego versatus eram, deducebam illud antiquæ, ac nobilis familiæ Oriliæ Neapolitanæ, quod licèt plura feuda, & conspicua bona antiquitus possederit, non-abilesque divitias habuerit, attamen hodiè alia non cernuntur vestigia, quæ ejus memoriam conservent, quàm jus honorificum, de quo mentionem habet Franch. *decis.* 85. ut scilicèt in die Palmarum, vel forsan etiam in die Purificationis in Ecclesia Congregationis Montis Oliveti, post Regem, vel eo absente post Proregem, prima candela seu palma detur majori, seù capiti istius domus, tanquam patrono & fundatori supra tot Proceres & Magnates; Atque priusquam illarum regionum adeo magnum & deplorabile contingeret infortunium sub Ruggerio I. vel II. Normanno, & Anacleto Antipapa Civitas Salerni faciebat figurâ Metropolis provincię, seù Principatus independentis, eo modo quo plerique alię illarum provinciarum Civitates faciebant, illa erat in statu satis conspicuo, pluresque habebat nobilissimas, & ditissimas familias possidentes feuda & Castra, ac facientes figuram Procerum & Magnatum apud proprium Principem, inter quas erant duæ familiæ, quarum una nuncupatur *de S. Mango*, & altera *de Ruggertis*, quæ possidentes palatia in nobiliori parte Civitatis, 800. & ultrà elapsis annis occasione translationis corporis S. Matthei Apostoli, illę elargitę sunt pro illius insignis Ecclesiæ Metropolitanæ construction, quod beneficium recognosci consuevit, cum quodam jure honorifico mediante traditione cujusdam instrumenti floribus ornati, quod singulis annis in die translationis dicti Sancti per singulos parochos Archiepiscopo offertur atque hoc solum jus honorificum decorem, ac memoriam harum familiarum conservat, deperdita memoria Castrorum & feudorum aliorumque bonorum, cum similibus; Ideoque prorsum improbabile est dicere, quod ille qui domorum, & vinearum, ac prædiorum, quinimo, (ut in casu præsenti) etiam aliquorum mobilium perpetuam conservationem in sua posteritate seù familia desideravit, negligere voluerit conservationem hujusmodi jurium, ex quibus magis, quàm ex aliis absque dubio obtinetur finis, vel intentum providi, vel ambitiosi testatoris.

Atque ista est vera ratio in proposito attendenda ad limi- 7
tationem dictæ regulæ pro facti qualitate, magis quàm illa verborum formalitas, quæ desuper leguleico more attendi solet, & quod magis à Notarii stylo pendet; An scilicèt fideicommissum ordinetur etiam juribus & actionibus; Sive an adsint verba denotantia hæreditatis restituendæ integritatem, Vel accedat prohibitio alienationis, cum similibus verborum formalitatibus, attendendis quidem, sed accessorię & pro comprobatione, non autem principalitèr.

Et tamen hæc omnia in ista facti specie concurrebant, quod scilicèt fideicommissum, cum strictissima prohibitione

ne alienationis ordinatum esset nedum in feudis & bonis, etiam ut dictum est mobilibus conservationi aptis, sed etiam in juribus & actionibus, & cum verbis denotantibus totius hæreditatis universitatem; Et quod magis accedebant nedum conspicua qualitas beneficii ratione tituli Abbatialis, ac reddituum & opportunitatis situs, sed etiam quia idem juspatronatus testatori in ea formula, sub qua ibi concipiuntur investiturę feudales, concessum fuit per Regem Alphonsum, atque testator, deficiente ejus linea masculina exclusis fœminis congruè dotandis subsituit Regem Ferdinandum I dicti Alphonsi filium ex motivo gratitudinis erga patrem ejus benefactorem, ideoque prorsus improbabile dicebam, quod testator volens defecta linea masculina, reverti debere ad Regem ejus bona propria non cogitaverit ad reversionem hujus jurispatronatus ex Regia munificentia obtenti.

Quodque per hujusmodi jura magis conserventur decor, & memoria familiarum ac ipsorum testatorum, ultra superius insinuata exempla, ac alterum, de quo infrà *in Pamplonen. Cappellæ discurs.*... ponderabam individuam praxim hujus descendentię; Dictus enim testator, qui penè Regulus erat, ultra magnam quantitatem conspicuorum prædiorum urbanorum & rusticorum allodialium, ac etiam pretiosissimam supellectilem habebat Comitatum Fundi, & Ducatum Trajetti complectentes multa feuda, & tamen hodiè in fideicommisso non remanet nisi solùm Oppidum Pedemontis, quod etiam tractu temporis subjacere potest illis infortuniis, & contingentiis quibus tot alia feuda, & bona jam subjecerunt, ideoque credendum est quod magis certitudinaliter istud jus testatoris memoriam, ac familiæ decorem conservaturum esset.

Quoverò ad alterum punctum, in quo magis insistebant scribentes pro altera parte, majorque fuit disputationis cardo, quod scilicèt dictus Dux S. Laurentii tunc temporis passus fuerit, ut dicta Camilla in vacatione anni 1623. cum seipso præsentasset ejusdem Camillæ filium, dictique Ducis Sermonetæ germanum fratrem, undè propterea eam constituerit in quasi possessione præsentandi, ex conclusione, de qua Ripa *in cap. cum Ecclesia Sutrina de causa possessionis & proprietatis num.* 93. & alii relati apud Gregor. & Adden. *decis.* 349. & 417. & *per* Post. *de manut. observ.* 32. *numer.* 13. & *infrà discurs. generali* 63. ubi de materia possessionis, quod patronus admittens non patronum ad præsentandum, sibi præjudicat, eumq; constituit in quasi possessione præsentandi; Qua posita inferebant ad vulgarem regulam pluries enunciatam, & de qua *dicto discurs. generali* 63. deductum *ex c. consultationibus hoc tit.* ut bonum jus petitoris attendatur pro futuris vacationibus non autem pro illa, in qua existens in quasi possessione jam præsentavit.

Facilis tamen fuit solutio hujus objecti ex tribus responsionibus, quarum singulæ sufficerent, multò magis junctæ, Primò scilicet, quod ut advertitur ad hanc materiam possessionis eodem *discurs. generali* 63. dicta conclusio procedit in præjudicium ipsius patroni admittentis non patronum ad præsentandum, vel ejus hæredum, seu aliàs ab eo causam habentium, qui non possunt sui auctoris factum impugnare, sed tenentur habere ratum, non autem in præjudicium successorum venientium independenter ex persona propria, ut *decis.* 284. *numer.* 8. *par.* 1. *recent.* cum aliis per Adden. ad Gregor. *dicta decis.* 417. *num.* 13. & in hujus causæ decisionibus; Qui enim non potest expressè alienare, ac successoribus præjudicare, neque potest tacitè, nè quod directè prohibitum est, indirectè sequatur, cum lex, rebus non autem verbis imposita sit; Et ex qua ratione, ut advertitur *discur. præced.* & in aliis, ex negligentia prædecessorum non resultat præscriptio præjudicialis successoribus independenter, ac jure proprio venientibus.

Secundò, quia quasi possessio prædecessoris suffragatur quidem successori in ordine ad probationem descendentiæ,
10 ut scilicèt non teneatur illam probare à fundatore, sed sufficiat probare ab eo, qui existit in quasi possessione præsentandi ad *notat. in eodem cap. consultationibus*, cum aliis per Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 11. *num.* 118. *decis.* 139. *numer.* 3. *decis.* 146. *num.* 4. & *decis. ultim. num.* 9. post Vivian. Adden. ad Gregor. *dec.* 349. & Adden. ad Burat. *decis.* 832. Secùs autem ad effectus facti, ipsum præfertim, quod ille qui præsentat dicatur verus possessor, quoniam conclusio, quàm generaliter hodiè in bonis indifferentibus receptam, ac planam habemus, ut cessante Statuto continuativo, possessio defuncti non transeat ipso jure ad hæredem, sine actuali ap-
11 prehensione, quamvis de juribus incorporalibus agatur, procedit etiam in jurepatronatus, & quamvis hæres esset Filius Achill. *dec.* 5. *de caus. possess. & propriet.* Gregor. & Adden. *decis.* 222. & 417. Dunozett. *dec.* 798. *num.* 5. *decis.* 166. *num.* 2. *par.* 6. *recent.* cum aliis in hujus causæ decisionibus.

Et tertiò, quia, ut aliàs in præcedentibus etiam habetur regula desumpta ex *dicto cap. consultationibus*, procedit re non integra, quando scilicet existens in quasi possessione præsentandi jam præsentavit, cum subsequuto institutionis effectu, adeout agatur de repellendo jam institutum ac possessorem ratione boni juris, quod alter habeat in jure repatronatus & præsentandi, cum tunc jam in statu bonæ fidei perceptus fuerit possessionis fructus; Secus autem ubi 12
res est in fieri, ut apud Peniam *decis.* 1630. repetit. *decis.* 374. *par.* 11. *rec.* apud Dunozett. *decis.* 798. *num.* 6. *decis.* 180. *nu.* 2. & 3. *par.* 3. *rec. dec.* 83. *nu.* 1. & 6. *par.* 5. *decis.* 254. *nu.* 21. & 22. *par.* 11. *& in hujus causæ decisionibus*; Multoque magis dictæ responsiones procedebant, quia neque benè constabat præsentationem factam à dicta Camilla fuisse cum scientia & patientia dicti Ducis Alphonsi possessoris fideicommissi, quæ ad dictum effectum necessaria est ex deductis per Adden. ad Gregor. *dicta dec.* 417. *cum aliis in decisionibus*.

De eodem primo puncto comprehensionis jurispatronatus sub fideicommisso disputatum fuit in una *Mediolan. jurispatron.* pro Julio & Nicolao Montio, in qua plures prodierunt decisiones, quarum aliquæ habentur impræsse *par.* 12. *rec. dec.* 25. 104. 271. & 400. Atque in dicta causa admissum fuit idem, quod scilicet de facili à prædicta regu- 13
la receditur, & pro comprehensione respondendum est; Observatum tamen fuit, (& bene) quod data comprehensione, ac etiam illa regulari transmissione, quæ datur de fideicommisso jam purificato ac delato, transmissio fiat, tanquam de agnoscendo non autem tanquam de agnito, adeout ad effectum substinendi præsentationem, non sufficiat sola delatio vel transmissio, nisi transmissarius agnoscat ex regulis tamen generalibus in fideicommissaria materia cadentibus super quibuscumque bonis, ac juribus indifferentibus, non autem ex peculiari natura jurispatronatus.

ADNOT. AD DISC. XXXVI.

AD materiam *Text. in cap. Consultationibus* adnotatum est *ad disc.* 3.

Decisiones autem enunciatæ *in præsenti disc. sunt impress. par.* 13. *rec. decis.* 64. & 152.

MEDIOLANEN. JURISPATRONATUS PRO BENEDICTO MONTEMERLIO CUM PROMOTORE FISCALI CURIÆ EPISCOPALIS.

Consilium pro veritate.

An juspatronatus transmittatur ad illegitimos, tam de jure, quam attenta Constitutione Pii V.. Et quid de legitimis ex illegitimis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De legitimatione cum clausula*, sine præjud. venientium ab intestato, *an sit vera legitimatio, & an facta per Principem. sæcularem suffragetur in hæreditate clerici.*
3 *Constitutio Pii non alteravit facultatem competentem de jure communi.*
4 *Quod eadem non procedat in filiis, verè legitimis illegitimorum.*
5 *In specie quod legitimi illegitimorum succedant in jurepatronatus.*
6 *De licentia quæ tribuitur Militibus Hierosolymitanis testandi, an differat ab illis testandi quæ conceduntur clericis de bonis Ecclesiæ.*
7 *Quare naturales tantùm non succedant in jurepatronatus.*
8 *Quod in bonis ecclesiasticis non succedant illegitimi.*
9 *De differentia dispositionis particularis ipsius jurispatronatus principaliter, vel Universitatis cui ipsum annexum sit, ac veniat accessorię.*

DISC. XXXVII.

CUm Alexander de Balbis miles Hierosolymitanus possessor jurispatronatus parochialis Ecclesię Sanctę Mariæ

riæ Jin Septimo, ex indulto Magistralis testandi, hæredes instituisset Isabellam, & Corneliam filias legitimas & naturales Antoniæ ejus filiæ naturalis, plenariè tamen legitimatæ per rescriptum, dictisque Isabellæ & Corneliæ mediatè vel immediatè successisset Benedictus, iste sequuta vacatione Ecclesiæ, præsentavit personam idoneam coram Ordinario, qui rejecta præsentatione, declaravit beneficium effectum esse liberum, unde propterea commissa fuit causa appellationis in Rota *coram Cerro*, Sed antequam ad ejus prosequutionem deveniretur, ex parte dicti Benedicti, cum præsuppositio, quod non dubitaretur de jurepatronatus ex reædificatione & dotatione per majores dicti Alexandri cum subsequuta possessione annorum 100. & ultra, consultus fui super solo puncto, cui supponebatur inimixam esse dictam sententiam Ordinarii, quod scilicet cum dictus Alexander aliàs intestabilis testatus fuerit ex Indulto speciali, intraret Bulla Pii V. rigorosè prohibens hujusmodi facultates exerci cum illegitimis; Incertum autem est, an causa ulteriorem progressum habuerit, dum de illa amplius actum non audivi.

Occasione autem petendi dictum consilium, communicata fuerunt aliqua responsa de partibus, in quibus ex professo per quamdam speciem tractationis, disputabatur quæstio, an legitimatio dictæ Antoniæ, utpotè continens clausulam, *sine præjudicio venientium ab intestato*, contineret veram legitimationem, vel potius simplicem dispensationem, & de quo plenè agitur per Rotam *decis. 35. part. 8. recent.* ubi concluditur esse veram legitimationem, eo tantùm casu limitandam, quoad effectus ex illa resultantes.

Ac etiam examinabatur altera quæstio, de qua plenè Giovagn. *cons. 16. lib. 2.* cum aliis *sub tit. de Regal. disc. 148.* ubi occasione agendi de potestate Principis tollendi jus tertii agitur de hac materia legitimationis, & de utraque habetur actum *sub tit. de fideicommissis*, & sub altero *de successionibus ab intestato*, ac alibi, an scilicet legitimatio obtenta à Principe sæculari suffragaretur in hæreditatibus & successionibus clericorum, sive in hujusmodi juribus spiritualibus sub legitimantis potestate non cadentibus, in quo cæteris relatis in specie jurispatronatus, ut sufficiat, habetur apud Vivian. *lib. 1. cap. 2. nu. 70.* ubi allegatur Riccius *dec. 203. in princ.*

Reassumendo etiam quasi ex integro tractatum *Lucidori de illegitimis clericorum*, editum principaliter super interpretatione dictæ Constitutionis *Pii V.* circa conclusionem, quæ hodie in Rota & Curia est recepta, ut in dictis
3 suis sedibus & alibi, quod eadem Bulla non alteravit dispositionem juris communis in iis casibus, in quibus illa attenta cum illegitimis disponi potest, ut etiam advertitur *sub tit. de dote disc. 142.* occasione agendi de obligatione dotandi filias naturales tantùm, ut non obstante dicta Bulla militet etiam in clericis, quamvis bona ecclesiastica tantùm possidentibus.

Respondi autem extraneam videri hujusmodi quæstionem cum inani superfluo labore, juxtà nostrum frequentiorem stylum tractatam, cum ageretur de testamento condito, non ad favorem illegitimi quamvis legitimati, sed ad favorem verè legitimorum & naturalium in constantia matrimonii procreatorum, in quibus etiam dictam Bullam
4 Pii locum non habere cæteris relatis plenè probat Lucidor. *d. tract. cap. 30. numer. 13. cum sequent.* ubi in specie confutatur contraria opinio *Lupi* procedentis cum præsupposito minus vero, ac hodie extra controversiam rejecto, ut dicta Bulla in clericis & ecclesiasticis auferat etiam illis testandi facultates, quæ de jure communi competerent; Et de facultate testandi seu alias disponendi cum nepotibus legitimis & naturalibus ex filio illegitimo etiam in casu quo per legem municipalem, seu aliàs cum ipsis filiis in toto, vel in parte disponi prohibitum esset, occasione prohibitionis resultantis à Statuto Urbis habetur actum *sub titulo de testamentis in Romana successionis*, ita decisa in Rota.

In specialibus autem terminis jurispatronatus, ut in illo sint successibiles nepotes legitimi & naturales ex
5 filio illegitimo ex Ancharano *consil. 355.* & Butr. *consil. 29.* habetur apud Vivian. *hoc tract. libro 4. cap. 2. numer. 74.*

Adhuc tamen remanebat aliqua difficultas, quod dicta conclusio non esset applicabilis ad casum, utpote procedens cum præsuppositio, quod de jure communi competeret dispònendi facultas non sublata per dictam Bullam Pianam, disponentem solum cum iis, qui aliàs intestabiles, ex indulto speciali testandi vel disponendi facultatem habeant, quam restringit, ut cum illegitimis quamvis legitimatis exerceri non possit, ideoque cum non dubitetur Milites Hierosolymitanos professos, utpote verò Religiosos esse intestabiles de jure, atque hoc testamentum proveniret ab indulto speciali, idcirco ita videbamur esse in casu Constitutionis.

Considerabam tamen, quod ut advertitur in sua materia *sub tit. de testam.* & alibi pluries, eadem Constitutio disponere videtur de illis specialibus ac merè gratiosis facultatibus, quæ per Sedem Apostolicam Ecclesiasticis præ- 6
fertim in Dignitate Ecclesiastica constitutis concedi solent, testandi de bonis quæsitis ex beneficiis ac redditibus ecclesiasticis, in quibus alias ipsa Ecclesia succedere deberet, unde propterea strictius procedendum est, secus autem in hac specie licentiæ; Licèt enim verè isti Milites tanquam veri professi regulares sint intestabiles, eisque Religio succedat, eo modo quo generaliter in jure dispositum est in quacumque Religione capaci in communi obtinente bona Religiosi, ob incapacitatem in particulari resultantem à statu religioso; Attamen ex istius Religionis consuetudine, ea curare non solet Militum bona patrimonialia, quorum respectu de facto eos reputat testabiles, unde passim cuicumque petenti, M. Magister facultatem seu licentiam tribuit, ut in dicta sua materia *sub tit. de testamentis* advertitur, atque docet notoria praxis, & consequenter, quod non intraret dictæ Constitutionis rigor, dum agebatur de bonis antiquis patrimonialibus non autem ecclesiasticis.

Posita vero facultate disponendi, vel transmittendi reliqua bona laicalia, seu indifferentia in illegitimos, ad quamdam superabundantiam ac præter causæ necessitatem ut supra, ut requirentibus satisfacerem; Dicebam quod licet ex collectis per Vivian. *d. cap. 2. lib. 4. ex cap. 65. cum plnribus* 7
sequ. in his specialibus terminis jurispatronatus præsupponi videatur illegitimorum exclusio, attamen illa provenit, Vel quia ubi agitur de jurepatronatus familiari, seu gentilitio, illegitimi non veniant, utpote non habentes agnationem, nisi essent cum pura & non limitata legitimatione plenariè natalibus restituti, adeout pro verè legitimis in omnibus habendi essent, ut ibidem advertitur, atque occasione successionis feudorum & similium bonorum differentium insinuatur *d. disc. 148. de Regal. & sub tit. de feud.* Vel quod in hæreditario non detur successio, quia non sunt de jure successibiles ab intestato, sed posita successione non videtur quod in jurepatronatus, habeatur aliquid in jure specialiter provisum, ut data capacitate succedendi in aliis bonis, in hoc prohibitum sit, sed potius habemus contrarium, ut scilicet etiam illegitimi sint capaces jurispatronatus, quoties habeant illam qualitatem ob quam illud obtineretur, puta hæreditariam, vel rem cui est annexum, ut cæteris relatis habetur *dec. 262. part. 8. recent.* ubi latè Adden. *circa fin.* cumulant concordantes, nisi obstet verisimilis intentio fundatoris.

Ponderabam, an ratione subjectæ materiæ, adaptari possent ea quæ habentur *sub tit. de emphyteusi in Hostien. disc. 57.* & alibi super investitura feudali vel emphyteutica bonorum ecclesiasticorum ex verisimili intentione Ecclesiæ 8
concedentis, non suffragante illegitimis; Verum advertebam quod difficultas cadere posset, ubi ageretur de concessione gentilitia seu restricta ad solos successores, quasi quod sub istorum genere cogitatum non sit comprehendere illegitimos Ecclesiæ exosos, Secus autem ubi de concessione merè hæreditaria ad quoscumque extraneos transmissibili, ut regulariter & de sui natura est jus patronatus, ex. deductis *locis proximè citatis*, unde id considerari potest tanquam una ex conjecturis ad regulandam voluntatem.

Clariùs verò ad rem, ut hæc difficultas cadere possit ubi ageretur de dispositione particulari ipsius jurispatronatus, de quo principaliter dispositum esset ad favorem personæ incapacis, super quo puncto adhuc occasio non dedit formiter disputare ac maturum judicium efformare, secus autem, ubi dispositio est de bonorum universitate, cui accessoriè & consequutivè insit jus patronatus tanquam ipsius hæreditatis pars, sive tanquam annexum castro vel prædio indifferenti, in quo licita sit dispositio, juxta ea quæ in proposito bonorum jurisdictionalium aliàs in commercio non existentium habentur *sub tit. de feudis disc. 68.* Et in his specialibus terminis jurispatronatus habetur pluries in præcedentibus, quod illud sine consensu Ordinarii non cadit sub donatione, vel altera particu-

lari

lari dispositione, & tamen venit sub dispositione generali; Prout non potest cadere in contractu emptionis & venditionis vel altero correspectivo, in quo intercedat pecunia, vel alia res temporalis, & tamen accessoriè ad hæreditatem, vel castrum venditum venit, dummodò illius valoris ratio non habeatur cum similibus.

ADNOT. AD DISC. XXXVII.

DE Materia Pianæ Constitutionis adversus illegitimos habetur, actum *sub tit. de Testam. disc. 54. & est adnotatum ad disc. 52. & seqq. eod. tit.*

In hot eod. tit. agitur solùm, an & quando adoptati succedant in Jurepatronatus *disc. 68.*

LUNEN. SARZANEN. JURISPATRONATUS.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

An & quando juspatronatus transeat in fiscum succedentem patrono delinquenti, vel decedenti sine hærede.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De distinctione inter fiscum pœnalem succedentem delinquentem ex publicationem bonorum, & fiscum hæredem succedentem in defectum hæredis.*
3 *Fiscus pœnalis non succedit in jurepatronatus.*
4 *In gentilitio non solùm non cadit sub confiscatione, sed neque Ecclesia prætendere potest libertatem, cum quæstio cadat in hæreditario.*
5 *In hæreditario Ecclesia non acquirit libertatem nisi ubi agatur de delicto in ipsam Ecclesiam, sed transit ad legitimos hæredes.*
6 *Transit in fiscum juspatronatus annexum Castro vel prædio confiscato.*
7 *Quid in fisco succedente in defectu legitimi hæredis, quod neque succedat, sed si patronus est unicus, Ecclesia fiat libera.*
8 *De fisco non succedente in bonis vacantibus clericorum.*
9 *Sed quid si sunt plures patroni, an juspatronatus accrescat aliis.*
10 *De abusu deferendi doctrinis in sola littera.*
11 *De ratione ob quam fiscus hæres, neque succedat in jurepatronatus, sed illud accrescat compatronis.*
12 *In jurepatronatus quilibet succedit etiam turpis, vel illegitimus.*
13 *De ratione ob quam fiscus excluditur etiamsi alii compatroni sint manus mortuæ, unde cesset spes libertatis.*

DISC. XXXVIII.

1 REServato jurepatronatus pro tertia parte ad favorem Communitatis loci, pro alia tertia ad favorem Capituli Cathedralis, & pro alia ad favorem personæ privatæ, cum ista vel ejus successor decessisset sine hærede, unde propterea factus fuit casus successionis fisci, hinc orta est dubitatio super dicta portione jurispatronatus, an cum reliquis bonis ad fiscum sæcularem transiisset, atque desuper suppressis nominibus pro veritate consultus.

Respondi in hoc puncto transitu jurispatronatus ad fiscum, distinguendum esse, inter fiscum occupantem bona delinquentis ratione publicationis bonorum quæ propriè
2 confiscatio dicitur, juxta eam confiscationis speciem de qua habetur *sub tit. de Regal. disc. 160.* & fiscum legitimum hæredem decedentis absque testato, vel intestato legitimo successore, tanquam in bonis vacantibus, juxta ea quę habentur *eodem tit. de Regal. discurs. 149.*

Quatenus pertinet ad primam speciem fisci pœnalis succedentis, potius per annihilationem patroni possessoris qui ratione delicti bonorum publicationem patiatur; Licet apud antiquiores non levis fuerit alteratio, ut patet ex relatis pro utraque opinione post Gigan. *de crimin. læsæ majest.* Clar. *ac alios per* Peregrin. *de jure fisci lib. 5. tit. 1.*
3 *nu. 72.* Farinac. *quæst. 25. num. 151.* Vivian. *lib. 15. cap 2. nu. 17. & seqq.* Attamen hodie in foro extra controversiam est opinio negativa quam veram ac receptam firmant Farinac. & Vivian. ubi supra, & agnoscit etiam idem fiscalis Peregrinus, atque veram & absolutam dicit Lotther. *lib. 2. qu. 14. nu. 29.* ex auctoritate Rotæ apud Coccin. *dec. 232. 298. & 351.* Unde propterea id quod cum magno antiquarum doctrinarum apparatu, gerendo partes transcribentis ex dictis modernis, leguleico currenti stylo hinc inde deduci posset, superfluum ostentantium laborem extra propositum contineret.

Cadente solum quæstione inter ipsam Ecclesiam ac delinquentis legitimos successores, an scilicet durante ad- 4
huc jurepatronatus, istud transeat ad dictos successores, vel potius extinguatur Ecclesia acquirat libertatem, Quoties tamen agatur de hæreditario in quo quæstio cadit, non autem de gentilitio seu familiari, in quo extra controversiam est transitus ad gentiles, vel agnatos, quibus delictum possessoris pro tempore præjudicare non potest, 11
ut advertitur mox allegati, & præsertim Lotther. *d. qu. 14. nu. 22. & seq.*

Verum in hæreditario etiam distinctio est, quod, Aut delictum est in ipsam Ecclesiam, & tunc ista acquirat libertatem per jurispatronatus extinctionem ac patroni annihilationem, Aut est delictum indifferens, & secus, ita ut transeat ad successores, istaque tanquam æquior est recepta, non solum ob æquitatem assistentem successoribus, sed etiam favore ipsiusmet patroni, ob spem quæ in casu præsertim confiscationis resultantis à banno sibi supereset, 5
illud utpotè fisco non incorporatum in casu restitutionis recuperandi, ex iis quæ in proposito fideicommissi capientis etiam legitima habentur *d. disc. 160. de Regal. & sub tit. de fideicomm. disc. 150.* nisi agatur de jurepatronatus annexo alicui castro vel prædio, cum quo accessoriè transeat in possessorem, eum tunc transeat cum ipsa re in fiscum 12
ut per Lotther. *d. q. 14. nu. 26. & seqq.*

Quo verò ad alteram speciem fisci successoris, ob aliorum successorum deficientiam, ejus favore respondendum videretur, quia cessat utraque ratio ob quam in casu præcedenti contra illum respondetur, ea scilicet æquitatis favore proximiorum legitimè aliàs succedentium, & altera quod spiritualia non cadunt sub sententia, ac potestate ju- 6
dicis laici, cum ita veniat tanquam hæres, ac successor favorabilis non autem odiosus ab ipso jure communi vocatus, unde propterea pro eo respondendum veniret.

Adhuc tamen distinguendum est, an agatur de patrono unico totum juspatronatus possidente, vel de illo, qui 7
partem cum aliis compatronis possideat; Primo enim casu, quamvis Lambertin. *lib. 1. part. 2. quæst. 2. art. ultim.* plerasque adducat rationes ad favorem fisci contra doctrinam Abbatis *in capit. 1. num. 10. de elect.* tenentis partes Ecclesiæ, ut acquirat libertatem, Attamen concurrit etiam in sententiam Abbatis, quæ apud moderniores est magis communiter recepta, adeout non videatur de illa amplius dubitandum, ex deductis per Vivian. *lib. 4. cap. 2. nu. 80.* Sanch. *consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 93. num. 14.* Barbos. *de jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. nu. 258.* ex ea clara ratione, quod alias esset dare servitutem perpetuam absque eo, quod unquam Ecclesia sperare posset libertatem, dum fiscus nunquam moritur.

Atque huic rationi Ego addebam omnes alias, quæ- 8
ponderatæ habentur *in Sancti Donnini bonorum vacantium sub tit. de Regal. dicto discurs. 149.* ut fiscus sæcularis non obtineat hanc successionem in laicalibus bonis vacantibus clerici; Extra quæstionem siquidem est, ubi agatur de bonis ecclesiasticis, sive Ecclesiæ intuitu quæsitis, 9
cum sola quæstio cadat in patrimonialibus, & prophanis, in quibus etiam ibidem probatur probabiliorem esse opinionem in exclusionem fisci sæcularis, atque ita in eo casu cum modica difficultate decisum fuit per Sac. Congregationem Immunitatis *sub die 26. Augusti 1669.* ideoque idem dicendum est in hujusmodi juribus spiritualibus.

Ubi verò moriens possideat solùm partem cum aliis compatronis, quorum jus adhuc duret, & tunc duas constituebam partes, unam doctrinalem, spectatis scilicet auctoritatibus quas desuper habemus, & alteram ra- 9
tiocinativam.

Attentis etenim auctoritatibus; Antiquiores (quantum tunc videre licuit) non descendunt ad hanc speciem, sed benè id firmant moderni, præsertim Bellon. jun. *de jure accrescen. cap. 6. quæst. 48. num. 12.* cujus hæc sunt verba precisa, *Nam si ex duobus Ecclesiæ patronis, unus renunciet juri suo, vel moriatur sine hærede capaci jurispatronatus, alteri ejus jus accrescet;* Idemque dicunt Vivian. *lib. 5. cap. 2. n. 9.* & Ciarlin. *controv. 144.* ubi indefinitè fisci exclusionem pro absoluto supponit.

Istæ auctoritates, quando ratio eis non assisteret, apud me nullius videbantur momenti, cum obiter potius,

tius, ac aliud agendo, id asserant, non examinato particulariter articulo; Adhuc tamen stante currenti abusu attendendi doctrinas in sola littera, investigando solum, an dicant vel non dicant, non autem quomodo, advertebam, quod ubi aliæ auctoritates in specie non adessent in contrarium, durum esset substinere, ut eis deferendum non sit.

Magis verò me stringebant rationes; Siquidem, Aut contentio est inter alios compatronos, & Ecclesiam contendentem de libertate, absque eo quod fiscus successor in causa, & tunc planum est jus compatronorum superstitum ratione individuitatis juris patronatus, quod proinde dicitur penes omnes & quemlibet insolidum, diviso solum exercitio, ut pluries in præcedentibus advertitur ex deductis per Bellon. jun. *dict. quæst.* 48. Rot. *decis.* 96. & 217. *part.* 6. & 374. *part.* 11. *recent. cum aliis sub titulo de feudis disc.* 8. ideoque per jus non decrescendi, uno de facto, totum jus consolidatur penes superstites, atque intrat implicantia, de qua in Bonon. *disc.* 35. ut eadem Ecclesia non possit eodem tempore habere diversam naturam, eodemque tempore esse serva & libera.

Ubi autem contentio esset inter fiscum & compatronos, absque eo quod Ecclesia sit in causa, & tunc cessante dicta ratione odibilitatis, quæ consideratur in fisco penali, sive altera defectus potestatis laicalis, publicandi, seu confiscandi jura spiritualia, ac etiam alteræ æquitatis, quæ ibi consideratur pro conjunctis, ac etiam pro ipsomet patrono bannito; Pro ratione dubitandi dici posse videtur nil prohibere, cur illud jus quod est ad quemcumque extraneum hæredem transmissibile, transire non debeat ad fiscum, gerentem isto casu personam hæredis veri non autem improprii & anomali, ut in casu præcedenti, quoniam ubi non agitur de patronatu qualificato, in quo non datur successio, nisi certi generis personarum, tunc quilibet quamvis turpis in eo succedit, quoniam sufficit capacitas succedendi in reliqua hæreditate, quæ illud secum trahit tanquam accessorium, ut *decis.* 262. *numer.* 10. *part.* 8. *recent.* atque occasione successionis etiam naturalium tantum, quoties non obstet in clericis Constitutio Pii V. supponitur absolutum in Mediolanen. *disc. præced.*

Quando autem compatroni essent personæ privatæ, adhuc certum videri dicebam ut pro eis contra fiscum respondendum esset ob favorem Ecclesiæ, cui remaneat spes libertatis, ut supra in casu unici patroni advertitur; Ista verò ratio in hac facti specie cessabat, cum compatroni essent etiam manus mortuæ ac perpetuæ; Verum adhuc pro compatronis ad exclusionem fisci, non obstante ista circumstantia respondendum esse censui, quoniam si non intrat dicta ratio, intrat altera favoris, seu interesse Ecclesiæ dupliciter; Primò scilicet, quia Ecclesiæ interest patronorum numerum diminui, ut alibi advertitur occasione immutandi naturam juris patronatus, illudque de hæreditario efficiendi agnatitium, sive illud reducendi ad formam majoratus vel primogenituræ; Et secundo quia Ecclesiæ interest non habere patronum fiscum, frequentiùs habentem jus Regium, cujus ratione multa specialia prærenduntur, ob quæ corporibus universalibus privatis denegatur successio, præsertim difficilioris præscriptionis libertatis, ac etiam devolutionis ob presentationem in tempore non factam, sive magis coangustatæ libertatis Superiorum derogandi, cum similibus; Ideoque cum habeamus regulam generalem exclusivam fisci, ab illa recedendum non videtur, accedente etiam ratione supra considerata, quod jura spiritualia subjacere non debent juris civilis dispositioni in bonis vacantibus.

ADNOT. AD DISC. XXXVIII.

DE materia confiscationis, & Fisci pœnalis habetur late actum *sub titulo de Regal. disc.* 160. & 161. neque super casu in præsenti disc. enunciato suppetit occasio disputandi.

SABINEN. JURIS NOMINANDI PRO FRANCISCO PETRUCCIO CUM HÆREDIBUS FRANCISCI FAVETÆ

Casus decisus per Rotam pro Francisco.

An jus nominandi vel præsentandi ad beneficium erigendum, relictum ei, qui deputatus est executor dictæ erectionis, sit transmissibile ad hæredes, vel potius sit personale.

SUMMARIUM.

1 FACTI *species.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *An legatum factum tutori, vel executori testamentario censeatur factum intuitu personæ, vel officii.*
4 *De legato juris nominandi an sit transitorium ad hæredes, casus aliàs decisus.*
5 *Quid dicendum sit in dubio.*
6 *Declaratur sensus Rotæ.*
7 *Attestationes privatæ cum adminiculis probant.*
8 *Recensentur adminicula probantia, quod legatum juris patronatus sit intuitu personæ, ideoque transmissibile.*

DISC. XXXIX.

MAndante Francisco Favetta, ut in cappella per eum constructa erigerentur ex ejus bonis ad id destinatis tres cappellaniæ, cum facultate concessa Francisco Petruccio, (quem dictæ ac aliarum dispositionum executorem intestamento deputavit,) nominandi ac ad nutum amovendi cappellanos toties quoties &c. hinc orta est controversia cum testatoris hæredibus, an dictum jus nominandi esset personale, adeout extincta persona, spectaret ad fundatoris hæredes, vel potius esset transitorium ad illos dicti Francisci, Et introducta causa *in Rota coram Carpeneo*, hæredibus informare negligentibus, *sub die* 15. *Maij* 1665. pro Francisco informante prodiit resolutio, quod scilicet jus esset ad ejus hæredes ac successores transmissibile.

Non potuit autem desuper maturum judicium pro veritate efformari ob deficientem notitiam jurium alterius partis; Ex iis tamen, quæ deducta fuerunt, mihi pro Francisco scribenti, probabilis potius visa est resolutio, Dicebam siquidem, istam videri quæstionem potius facti quam juris, cujus decisio pendet ab illa circumstantia, an legatum factum esset executori intuitu officii potiùs quàm intuitu personæ, vel è converso, ut in primo casu extinguatur cum persona, seu cessante officio, tanquam ex cessante causa, secus autem in secundo ad communiter notata *in l. Nesennius ff. de excusat. tutor.* de quibus in proposito legati relicti tutori plenè aliis relatis Capyc. Latr. *consult.* 106. cum aliis deductis *sub tit. de servit. ad mat. usufruct. disc.* 50. & plenius *sub tit. de legatis*, & in terminis executoris testamentarii, Graff. *de successor. §. executores q.* 14. *Carpius & alii de quibus dd. locis;* In terminis autem individualibus consimilis legati juris nominandi Rota apud Royas *dec.* 93. *repetit. dec.* 196. *p.* 8. *rec. & dec.* 124. post Vivian. *& reassumpta* per Adden. *ad dec.* 25. *nu.* 3. *cum seq. par.* 3. *rec.*

Juris autem quæstio in his terminis cadit, quando facti circumstantiæ clarè non suadent, an in una vel altera distinctionis parte versemur, quomodo scilicet in ambiguo præsumendum, seu respondendum sit quamvis in terminis tutoris probabilius videatur legatum censeri potiùs relictum intuitu officii, ut advertitur *sub dicto titulo de legatis;* In his tamen specialibus terminis Rota *in d. decis. coram Rojas* fuit in sensu, quod in dubio magis præsumendum sit contemplatam esse personam quam officium; Non tamen in hac facti specie fuit opus istam quæstionem assumere, cum facti circumstantiæ illam dirigerent, utpotè sufficienter probantes contemplationem magis personæ, quam officii; Præsertim verò deducebatur attestatio Patris Guardiani Cappuccinorum, qui testatori tam in ordinatione testamenti, quam in tota infirmitate usque ad obitum assistentiam præstitit, ejusdemque testamenti scriptor fuit, cui proinde tanquam verisimiliter informato pro interpretatione ambiguæ voluntatis nimium deferendum est, Mant. *de conject. lib.* 3. *tit.* 1. *n.* 83. Menoch. *cons.* 843. *n.* 12. Rovit. *prag.* 2. *de Notariis n.* 20. Rot. *in Romana annuæ præstationis* 4. *Junii* 1663. *cor. Bevilacqua, impress. dec.* 104. post Zuff. *de legit. process.* in qua in specie advertitur etiam ad qualitatem personæ, quod scilicet esset sacerdos probatæ Religionis. Et

Et quamvis ista esset privata attestatio; attamen accedebat mors testantis, quæ vim juramenti habere videtur, atque pleraque accedebant adminicula, quibus concurrentibus, etiam privatis attestationibus pro judicis prudenti arbitrio defertur, ex deductis per Gregor. & adden. *decis.* 175. & *decis.* 214. Buratt. & adden. *decis.* 113. 117. & 199. & frequenter.

Adminicula verò plura concurrebant; Primò scilicet, quod officium executoris adjectum non erat huic erectioni tantùm, seu universæ dispositioni; Et quod magis, non continebatur in eadem oratione perficiente utrumque, sed post perfectum istud legatum accedebat deputatio executoris, ut in causæ decisione cum generalitatibus tamen advertitur.

Secundò quia dicto Francisco testator dedit facultatem substituendi alios in ipso jure nominandi, si enim moriendo poterat subrogare & substituere quoscumque extraneos, ita magis dicendum est, ut ex testatoris judicio deputare possent hæredes proprios, ut in simili habetur *dec.* 125. *par.* 2. *recent.* & conferunt deducta per Oleam *de cessione tit.* 3. *quæst.* 1. *num.* 42.

Tertiò quia diligenter testator descripsit omnia ejus bona & jura, illorumque divisionem fecit inter hæredes, specificando quid unus vel alter, etiam cum minutiis habere deberet, unde probabile est, quod id expressisset, præscribendo modum tenendum inter hæredes in jure nominandi post obitum Francisci.

Et quartò demum, quia eisdem heredibus morientibus absque prole forte eorum filiis substituit eandem cappellam ad effectum augendi numerum cappellanorum, repetita eadem facultate dicto Francisco nominandi & amovendi, unde probabile argumentum resultat, quod testator in animo habuerit hujusmodi transmissibilitatem, cum verisimiliter speranda non esset Francisci superventia, juxta ea quæ frequenter habentur *sub titul. de fideicomm.* ut in dispositionibus respicientibus tempus remotum, sub nomine filiorum, veniant nepotes ac ulteriores descendentes, cum similibus; Hæc autem omnia ubi singulariter considerata dici possent inefficacia, considerabilia tamen videbantur simul juncta, cum vulgari regula, *ut singula quæ non prosunt unita juvent. &c.* in quæstionibus voluntatis nimium attendenda.

ADNOT. AD DISC. XXXIX.

QUando legatum factum Tutori, vel executori, censeatur factum intuitu personæ, vel officii habetur etiam *sub tit. de Servit. disc.* 50. *& sub tit. de Legat. disc.* 22. & 46. Decisio quæ prodiit in isto casu *est impress. part.* 14. *rec. decis.* 301.

AVERSANA JURISPATRONATUS, AD PETITIONEM EPISCOPI.

Responsum pro veritate.

An jus patronatus laicale ad quod defectis personis, vel generibus prius vocatis, ipse Episcopus vocatus est, duret, vel potius in Episcopo cesset; Et quatenus duret, an sit ecclesiasticum, vel laicale ad effectum reservationum, & alios.

SUMMARIUM.

1 FACTI *species.*
2 *Jus patronatus fundatum ab Ecclesiastico, & pro persona Ecclesiastica adhuc potest esse laicale.*
3 *De errore assumentium quæstiones in abstracto, & numer.* 9.
4 *Conclusio, de qua n.* 2. *procedit, ubi talis lex adjicitur, & alias laicale efficitur Ecclesiasticum.*
5 *De quæstione, an in Episcopo dari possit possessio juris patronatus.*
6 *Quod id nil referat, contingente vacatione de reservato, vel affecto.*
7 *Datur intellectus dispositioni per quam fundator mandet, ut defecto genere vocato succedat Episcopus.*
8 *An jus patronatus pro certo genere, isto defecto cesset, vel potius transeat ad hæredes.*
9 *De eodem, de quo num.* 3.

DISC. XL.

POstquam deficerent omnes descendentes masculi duorum ex fratre nepotum fundatoris, voluit ipse quod jus patronatus beneficii per ipsum erecti in Ecclesia parochiali S. Blasii sub Invocatione S. Mariæ de Misericordia esse deberet Episcopi, qui vacante beneficio prædicto in mense Januarii, cum præsupposito extinctionis dictæ lineæ, præsentavit coram ejus Vicario Generali Josephum; Julius autem idem beneficium tanquam liberum, ac vacatum in mense reservato impetravit à Datatia; Quare ex parte Episcopi, seu ejus absentis agentium, pro veritate consultus fui, an solidè dicta provisio Apostolica impugnari posset necne, atque ad hunc effectum transmissum fuit copiosum, ac elaboratissimum responsum cujusdam docti J. C. scholastici tamen potiùs quam forensis, in quo tanquam per speciem integri tractatus, reassumebatur tota materia, naturæ seu qualitatis juris patronatus, quando scilicet esset laicale, vel ecclesiasticum, seu mixtum, exactè distinguendo omnes terminos, exindeque inferendo adeffectus ex una, vel altera qualitate resultantes, illum præsertim comprehensionis, vel non comprehensionis sub regulis Cancellariæ, ab derogationibus Apostolicis; Eodemque retento stylo formalis tractationis, curando probare, ut rectè dari possit jus patronatus, quod licèt personam ecclesiasticam fundatum, sive ad favorem personæ ecclesiasticæ reservatum, vel utroque simul concurrente, ut in præsenti, adhuc ex lege fundationis possit retinere naturam juris patronatus laicalis ad omnes effectus, præsertim prædictum non comprehensionis sub regulis & reservationibus.

Respondi optimè dictum laborem deservire posse in scholis ad juventutem instruendam de hac materia, conclusiones enim, cum copiosis allegationibus plenè comprobatæ, erant veræ præsertim istæ posteriores, ut penes Ecclesiam vel personam ecclesiasticam jus patronatus retinere possit primævam naturam laicalis in fundatione impressam, ut habetur deductum infrà *disc.* 59. *generali*, ubi de hac materia naturæ, seu qualitatis ecclesiasticæ vel laicalis, & habetur etiam *in Romana Capellæ Innocentianæ sub titulo de beneficiis discurs.* 6.

Difficultatem verò consistere dicebam in applicatione, in qua tota consistit vis, ac doctrina consulentis vel judicantis, ideoque experimur quotidie plura responsa, in abstracto docta, erudita & elaborata, inanem laborem continere extraneum à casu quæstionis, Adinstar illorum medicorum, qui consulti super morbo, quo infirmus laborat, cum magna eruditionis, ac doctrinæ ostentatione, tractant quæstiones medicas super morbis in abstracto, eorumque natura, signis, effectibus, ac modo curandi, nihil tamen tangunt super illius infirmi curatione, ac necessitate.

Est siquidem vera conclusio, quoties vel in limine fundationis, vel etiam de tempore quo jus patronatus hæreditarium, ac liberæ dispositionis in quemcumque extraneum transferri potest per laicum possessorem, transferatur in personam ecclesiasticam cum hac lege, adeout iste effectus proveniat, non ex eo quod natura semel impressa in laico fundatore perpetuo duret ex juris dispositione, sed ex ipsius fundatoris voluntate, qua non concurrente, ut in præsenti, extra controversiam est ratione personæ ecclesiasticæ fixè, & substantialiter talis, non autem accidentaliter, jus patronatus mutare naturam, atque laico effici Ecclesiasticum ex authoritatibus, de quibus *dicto disc. generali* 59. & consequenter, cum ista lex, vel dispositio non haberetur, planum pro meo sensu remanere videbatur, quod jus patronatus reservatum ad favorem Episcopi in genere, & sic ratione dignitatis magis quam personæ, censendum esset ecclesiasticum.

Et quamvis in hac facti specie, alia caderet difficultas incompatibilitatis, dum agebatur de eodem Episcopo diœcesano, ad quem pertinet beneficium conferre, seu præsentatum à patrono instituere, an scilicet iste concursus patroni præsentantis, an Episcopi conferentis, seu instituentis dari valeat ad intellectum, ac materiam textus *in c. significasti de jurepatronatus*, super cujus textus intelligentia Canonistæ nimium laborant, pluresque adhibent intellectus, quos cum solito prolixo stylo refert, ac expendit Lambertin. *lib.* 2. *p.* 1. *q.* 7. *art.* 24. *per totum;* Attamen inhærendo verè commendabili, atque ab omnibus insequendo Curiæ stylo, (quem tamen etiam in eadem Curia aliqui nimium damnabiliter corrumpunt,) resecandi scilicet, ac abhorrendi superfluas evagationes, ac strictè insistendi super puncto præ-

præciso, eo modo quo doctus ac practicus medicus totus insistit super curatione illius infirmi, assumere neglexit hujusmodi quæstionem, utpotè inanem, nullumque effectum producentem; Aut enim vacatio contingit in mense ordinario absque alio Apostolicæ reservationis, vel affectionis obstaculo, & tunc nil refert, an jusPatronatus dari possit, necne in Episcopo, cum data etiam incompatibilitate, ac beneficii libertate, ad ipsum quoque pertineat collatio, ideoque de illo providere potest eum quem vellet præsentare; Aut verò intrat aliqua reservatio, vel affectio Apostolica ratione personæ possessoris, vel mensis, seu aliàs &c. & pariter effectus est idem, quoniam data etiam compatibilitate, adhuc intrant Apostolicæ reservationes vel affectiones, Ideoque Episcopis Agentibus à ministris consului, ut omnino neglectis iis, quæ in dicto quamvis elaborato, ac docto responso deducebantur, honestam concordiam cum proviso Apostolico curarent.

7 Credebam tamen in hac facti specie neque cadere dictam quæstionem derivantem ex intellectu textus *in dicto capit. significasti de jurepatron.* an scilicet in Episcopo ratione Episcopatus, ac dignitatis, dari possit necne jusPatronatus Ecclesiarum, ac beneficiorum propriæ diœcesis, quorum institutio ad ipsummet pertineat; Vel potiùs idem textus intelligi debeat de Ecclesiis, & beneficiis existentibus in diœcesi aliena, sive in diœcesi propria, quorum tamen institutio ad alium Prælatum pertineat; Sive ubi detur reduplicatio personarum diversis respectibus, quia nempè jusPatronatus pertineat ad Episcopum non tanquam Episcopum, sed jure suo personali tanquam ad privatum; in præsenti verò ita fundator dicendo, ut defecta linea, ad cujus favorem taxativè jurispatronatus reservatio facta est, esse deberet Episcopi, explicare solum voluit, id quod credebat esse de jure.

8 Licèt enim hodie rejecta opinione *Geminiani cons.* 45. recepta sit opinio *Ancharani cons.* 81. & sequacium, ut facta reservatione jurispatronatus ad favorem familiæ, vel certi generis personarum, defecto genere, jusPatronatus non extinguatur, neque Ecclesia fiat libera, sed illud transmittatur ad hæredes ultimò deficientis, ut habetur pluries in præcedentibus; ac etiam infra *disc.* 60. *generali*; Attamen ista conclusio hodie ita procedit, quia per tot Rotæ decisiones jam explanata est; Id autem non procedebat de tempore hujusmodi fundationis præsertim extra Curiam, ac extra magna Tribunalia, cùm neque de facili hæc juris professoribus etiam innotescant, ideoque ipse fundator, vel ejus consultor, ita veriorem opinando opinionem *Geminiani*, explicare voluit id quod credebat esse de jure.

Ac etiam, quia retenta præfata opinione *Ancharani* & sequacium, adhuc illa limitatur ex diversa fundatoris voluntate, quamvis implicita & conjecturalis deducta ex dictione taxativa *tantùm*, seu ex aliis adminiculis & conjecturis, ut eodem *disc. generali* 60. advertitur; Et consequenter quod ista dispositio, verè non contineat novam dispositionem, tanquam per speciem legati, sed solum probationem, seu adminiculum dictæ limitatæ voluntatis fundatoris, ut defecta linea per ipsum vocata, jusPatronatus cessaret, atque Ecclesia efficeretur libera, unde de consequenti resultaret iste effectus, quod pertineat ad Episcopum, ideſt ad ejus liberam dispositionem seu collationem, non autem quod jusPatronatus illi legare voluerit.

Atque hinc Respondentes de jure edoceri debent; erroneum esse, cum improbo labore assumere longas superfluas quæstiones, seu magnos inanes conclusionum ac allegationum cumulos facere extra opportunitatem causæ vel puncti, de quo strictè, ac præcisè agitur.

ADNOT. AD DISC. XL.

AD punctum, de quo *n.* 8. videri poterunt deducta *in hoc tit. disc.* 42.

ASCULANA JURISPATRONATUS PRO JOSEPHO DE MUCCIARELLIS, CUM MAGDALENA SORORE.

Responsum pro veritate.

Reservato jurepatronatus plurium beneficiorum ad favorem diversarum personarum, cum turno seu alternativa inter eas per prius & per posterius, An prælatio uni data, intelligatur de prima vacatione unius beneficii, itaut in illa alterius veniat ille, qui præposterè vocatus est, vel potius eadem prælatio intelligatur in omnibus beneficiis, in quibus turnus ad favorem primò vocati consumi debeat; Et incidenter de validitate hujusmodi turnariæ divisionis inter compatronos.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *Quod divisio per turnum in jure præsentandi de jure subsistat, & sit laudabilis, & de ratione.*
3 *Idem in jure conferendi.*
4 *An & quando turnus consumatur, per actum nullum, vel non effectuatum remissivè.*
5 *Consumptio turni in uno beneficio non operatur in alio beneficio, & quando secus.*
6 *Datur simile de usufructu aliquorum prædiorum alternis annis pluribus relicto.*
7 *Isti termini intrant in hac materia, & quod jus præsentandi dicatur fructus jurispatronatus.*

DISC. XLI.

CUm Julia possideret jusPatronatus, ac præsentandi plurium beneficiorum, de illo disposuit ad favorem Josephi & Magdalenæ filiorum, sub ea lege, quod jus præsentandi alternatim, seu per turnum competere deberet prius Josepho masculo, deinde Magdalenæ, & sic successivè eorum respectivè hæredibus; Cumque sequuta unius beneficii vacatione, Joseph præsentasset, hinc sequuta vacatione alterius, orta est dubitatio, an consumpto Iosephi turno, factus esset locus alternativæ ad favorem Magdalenæ, vel potius in omnibus beneficiis turnus consumi deberet ad favorem dicti Josephi, ex cujus parte desuper pro veritate consultus.

Respondi eidem Josepho pro meo judicio probabilitatem assistere, ut prælationem à matre demandatam in omnibus beneficiis pro prima eorum vacatione obtinere deberet, præsuppositа tanquam absoluta dictæ dispositionis validitate, quoniam licet, ut sæpius habetur, jusPatronatus quoad substantiam fit individuum, atque penes omnes insolidum æquè resideat, attamen, quia exercitium rectè dividi potest, plurium verò simultaneus concursus, ob scissuram in diversas personas, inconvenientia, & lites causet, cum successivo etiam perpetuo præjudicio ipsius jurispatronatus, quoniam ob reservationem resultantem à lite, contingente morte unius ex litigantibus, provisiones fiunt in personis Curialium ob quorum mortem in Curia, solet jusPatronatus derogari, atque ita de facto qualitas patronalis evanescit; Hinc proinde laudatur potius in jure hujusmodi turnaria divisio, per quam unus nomine, ac vice omnium præsentare dicitur, ad text. *in Clementin. plures §. & ut facilius de jurepatron.* ubi *glos. Imol. Cardinal. Bonifac. & cæteri* apud Lambert. *lib. 1. p. 2. qu. 2. art. 36.* Gonzal. *ad regul. 8. glos. 45. §. 1. nu. 58. cum seq.* Rot. *dec 216. n. 1. & seq. par. 10. recent.* & frequenter; Quod etiam habetur *sub tit. de benef.* circa turnariam collationem per menses, seu hebdomadas, vel dies inter Catholicos ejusdem Capituli collatoris, sive per menses, aut vacationes inter Episcopum & Capitulum, ita dividendo simultaneam, cum similibus; Si enim id fieri potest per conventionem, non dubitatur in jurepatronatus hæreditario fieri posse per ultimam voluntatem cum hæredibus, vel aliàs à disponente causam habentibus.

Hoc igitur ita prænotato, Dicebam quod, ubi de unico beneficio ageretur, tunc intraret quæstio deducta ex text. *in leg. boves §. hoc sermone ff. de verb. signif.* de qua Gonzal. *dicta gl. 45. §. 3. per tot. & in Romana Vallis Umbrosæ turni sub tit. de Regular.* quomodo scilicet, & quando per actum invalidum, vel ineffectuatum, seu modico tempore effectum sortitum, turnus dicatur consumptus necnè.

Ista

Ista verò quæstio extranea erat à casu controversiæ, quoniam in eo beneficio, in quo masculus jam præsentaverat, cum subsequuto effectu, cedebat locum sorori pro nova vacatione, quando ejus casus detur, Verum prætendebat potiri eadem prælatione in alio beneficio, in quo nunquam præsentaverat, ideoque illam adhuc non obtinuerat, un- 5
de propterea istius respectu casus erat novus, & integer, non quidem ex eodem jurepatronatus complectente plura beneficia tanquam universitatem, juxta ea, quæ habentur supra, *disc.* 3. sed ratione diversorum patronatuum ex diversis titulis competentium, ideoque quodlibèt considerandum erat discretè, ac de per se.

Ad quod probandum, ponderabam text. *in l. quoties ff.* 6
de usufruct. ubi agitur de usufructu legato duobus, ut alternis annis fructus percipiant, si enim istud esset legatum duorum diversorum prædiorum diverso tempore fructuum, producentium, quia nempe unum juxta consuetum solarem cursum duodecim mensium fructum produceret, alterum verò non nisi quolibet triennio, vel decennio, aut majori tempore, ut sunt sylvæ cæduæ cum similibus, non ex eo quod ille cui prælatio relicta est, unius prædii fructus primo anno perceperit, sequitur, ut fructus alterius prædii debeant esse alterius per posterius vocati, sed utriusque prima fruitio debet esse ejus, cui prælatio tributa est.

Isti autem termini ad rem benè adaptantur, ideòque 7
meritò illis utuntur Lambertin. & Gonzalez, *ubi supra*, quoniam ut advertunt Vivian. *lib. 4. c. 7.* in fin. Garz. *p. 5. c. 9. n. 2. & seq.* Rot. apud Mantic. *decis. 140.* & habetur *infra disc. 63. generali* de effectibus possessionis, ut jus præsentandi aliud non sit nisi fructus jurispatronatus, quod considerator tanquam prædium, seu causa productiva fructuum, unde propterea habemus, quod sicuti rei proprietas esse potest penes unum, sine usufructu, qui sit penes alterum, ita dari potest, ut jusPatronatus spectet ad unum, ad alterum verò jus præsentandi, cujus possessio, vel pertinentia non facit patronum, ut eodem *disc. 63.*

ANNOT. AD DISC. XLI.

DE hujusmodi divisione Turnaria, & quando Turnus dicatur consumatus, & de aliis ad materiam habetur quoque actum *sub tit. de Canon. disc. 3. & sub tit. de Regular. disc. 4. 6. & 10.*

PISTORIEN. BENEFICII PRO GHERARDIS. CUM BRACCIOLINIS.

Responsum pro veritate.

Derogatio Apostolica medietatis vocum, cum præsuppositо præsentationis ab altera medietate; an suffragetur, si de tempore gratiæ non aderat dicta præsentatio, quæ postea supervenerit.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *Gratia anterior prevalet posteriori, ubi est valida.*
3 *Derogatio medietatis vocum non suffragatur si gratiatus non habet medietatem.*
4 *Non curatur, quod de tempore gratiæ non adesset medietas si in tempore habili supervenit ex stylo Dataria.*
5 *Et de ratione istius styli.*
6 *Sufficit habere præsentationem unius habentis aliquam partem in media voce si alii compatroni neminem præsentant.*
7 *JusPatronatus est individuum, & residet penes omnes insolidum, ideoque unus præsentat nomine omnium.*

DISC. XLII.

DIviso usque ab anno 1505. jurepatronatus beneficii S. Ambrosii in Ecclesia parochialis S. Anastasii, in duas voces quarum una de tempore præsentis vacationis residebat in Gherardis & Soziphantis, qui cumulativè præsentarunt Robertum & Julianum, Alterius verò duæ partes pertinebant ad Franchinos, Tavianos, & tertia ad Bracciolinos; Cum isti præsentassent Davidem de eadem familia, hic prævenit in impetratione derogationis Apostolicæ super derogatione medietatis, quam deinde obtinuit etiam unus ex dictis præsentatis à Gherardis; Quare orta controversia quænam ex dictis derogationibus prævaleret; Non dubitabatur, quod ubi prima esset valida & perfecta, prævalere deberet, dum etiam in gratiis intrat regula *qui prior*, ut anterior prævaleat posteriori, ut generaliter, Gonzal. *ad regul. 8. §. 3. proœm. n. 2.* Garz. *p. 5. c. 2. nu. 4.* Burat. *dec. 421. n. 1.* & passim; Et in specie hujus gratiæ super derogatione medietatis vocum, Dunozzett. *decis. 983. numer. 4.* 2 1

Prætendebatur autem per habentem gratiam posteriorem invaliditas primæ, ob falsam narrativam, quod tunc esset præsentatus à medietate patronorum, atque medietatem vocum haberet, quod falsum detegebatur dum habebat solùm præsentationem illorum de Bracciolinis sextam partem totius sive tertiam dictæ medietatis possidentium; undè propterea inferebatur ad veram, ac irrefragabilem conclusionem, quod hujusmodi gratiæ obtentæ sub falsa narrativa medietatis vocum, non suffragantur, ac habentur pro 3
non existentibus in rerum natura, ut *dec. 142. in fine & 148. num. 14.* post Vivian. Dunozett. *dicta decis. 983. nu. 5. Capuanæ Abbatiæ 5. Maii 1659. coram Priolo*, & sepius, ac habetur *infra disc. 65. & 66. generali* ad meteriam hujusmodi derogationum.

Super hoc autem puncto ex parte obtinentis gratiam posteriorem consultus, contra ipsum requirentem respondi pro validitate primæ gratiæ; Licèt enim Rota *dec. 443. nu. 1. p. 2. rec.* dubitare videatur, an verificatio narrativæ prædictæ requiratur precisè de tempore impetrationis, itaut tunc debeat orator habere aliquod jus jam quæsitum ex præsentatione validè facta à medietate patronorum, vel id sufficiat verificari de tempore executionis per supervenientas præsentationes; Attamen rejecta dicta dubitatione, semper 4
Rota sequuta est *decisionem 1165.* Seraphini *n. 11.* ut de stylo Datariæ spectetur solus effectus non curato tempore, ideoque sufficit, ut ille qui priorem gratiam obtinuit, de tempore executionis verè habeat validam præsentationem à medietate patronorum, quamvis illa in totò, vel in parte superveniat ut præfertim firmatur *in Firmana jurispatronatus 28. Novembris 1630. coram Ghislerio, in Burgi S. Sepulchri jurispatronatus 19. Decembris 1639. coram Coccino, in Clusina beneficii 5. Julii 1649. & 29. Aprilis 1650. coram Bicchio, Rhegien. beneficii 6. Martii 1651.* Peutingerio *impress. decis. 119. nu. 9. p. 11. rec. Ariminen. Beneficii 8. April. 1658. coram Albergato*, & in aliis frequenter, adeòut videatur conclusio, de qua hodie amplius non dubitetur.

Cum enim diviso exercitio juris præsentandi inter plures personas, juxta quotidianam praxim, magnæ difficultates, ac dissensiones desuper oriri soleant, præsertim quia sæpius contingit, quod aliqui ex patronis reperiantur absentes, adeoutaliquæ præsentationes vix obtineantur in limine termini à jure præfiniti ad præsentandum, quando 5
recurri amplius non potest; præsertim à remotis regionibus ad Sedem Apostolicam pro huiusmodi gratiis obtinendis; Hinc proindè rationabiliter inolevit Datariæ, & Cancellariæ stylus; ut licitum sit huiusmodi diligentiam nemini præjudicialem adhibere, nisi ipsimet prævenienti; qui se exponit periculo ac incertæ aleæ faciendi inutiles expensas pro huiusmodi gratia; quæ sibi inanis remaneat, quatenus contingat medietatem vocum non obtinere, unde propterea in hac materia, diligenter in Dataria ad effectum præventionis adnotatur tempus præcisum, in quo comparent petentes hujusmodi gratias pro anterioritate regulanda.

Procedunt hæc, quamvis, (ut dictum est) de tempore obtentæ gratiæ, vel nullam vocem, vel minorem partem gratiatus haberet, adeo ut reliquas voces de facto post obtentam gratiam obtineret; multò verò magis in hac facti 1
specie, in qua reverà ista quæstio non cadebat, quoniam gratiatus habebat integram narratam medietatem de ipso 6
tempore impetrationis, unde propterea suum jus non metiebatur à supervenientia aliarum vocum, quæ narratam medietatem constituerent, & consequenter neque intrabat quæstio; Licèt enim Bracciolini, qui eum præsentaverant, possiderent solam tertiam partem medietatis, seu unius ex duabus vocibus, attamen quia compatroni alias duas tertias possidentes, in ea vacatione infra legitima tempora, nec postea præsentaverant unde propterea pro hac vice se fecerunt ab hoc jure extraneos. Hinc proinde cum ex pluries in præcedentibus deductis, jusPatronatus sit individuum, quod totum ac insolidum residet 7
penes omnes & singulos, adeòut reliquis negligentibus seu indignè præsentantibus, totum jus consolidetur in eo

qui validè ac legitimè suum jus exercet ; adinstar electionis vel alterius, actus capitularis ut aliis negligentibus vel impeditis, seu malè agentibus, totum jus Capituli , vel comitiorum consolidetur in minori parte, etiam in uno, exinde sequitur quod iste gratiatus habitualiter de tempore impetrationis cum dicta jam sequuta præsentatione habebat integram medietatem,eventuali resolutioni, seu diminutioni subjectam, quatenus alii compatroni ejus jus validè exercent, quo non sequuto, per non jus decrescendi, seu per cessationem dictæ futuræ & contingibilis diminutionis, integra vox penes eum resedisse dicitur, cum unus nomine ac vice omnium præsentare dicatur tanquam per modum unius, ut in specialibus, terminis substinendi gratia derogationis Apostolicæ medietatis advertitur *d. dec.119. nu.7. & 8. p.11. recent.*

ANNOT. AD DISC. XLII.

DE materia derogationis Apostolicæ medietatis vocum habetur *hoc eod. tit. disc.65. 66. & 71.*

COMPOSTELLANA PAROCHIALIS
PRO PETRO DE SAN MILAN,
CUM HYACINTHO DE PAZZIS

Casus decisus per Rotam pro Hyacintho.

De accumulatione competente patronis in præsentando, quibus, quando, & quommodo competat; Et an illa fieri possit de jam præsentato incapaci post superventam capacitatem ; Et incidenter de materia textus *in c.1. & 2. ut lite pendente in sexto*, an scilicet & quando in beneficiis de jurepatronatus intrent attentata,quorum vitio præsentationes factæ laborent.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Puncti cadentes sub disputatione.*
4 *Patronis laicis competit facultas accumulandi.*
5 *An detur in jurepatronatus ecclesiastico remissivè.*
6 *An detur tertia accumulatio, referuntur opiniones hinc inde.*
7 *Expenduntur rationes ob quas non detur tertia accumulatio.*
8 *Quod prohibitio accumulationis percutit interesse primo præsentatorum.*
9 *Si præsentatus cedit præsentationi, potest patronus in termino denuo præsentare.*
10 *Non datur accumulatio si prima præsentatio facta est cum juramento, quod declaratur.*
11 *Præsentans indignum vel incapacem, quando privetur jure suo.*
12 *Ratificatio actus invalidi imputat actum novum.*
13 *Confirmatio, actus invalidi, an & quando importet novam concessionem.*
14 *An faciendum beneficium litigiosum requiritur lis inter præsentatos.*
15 *Non sufficit illa inter patronos.*
16 *Data lite intrat vitium litigiosi etiam in beneficiis de jurepatronatus.*
17 *An per oppositionem præsentatorum inducatur lis.*

DISC. XLIII.

1 VAcante parochiali Ecclesia S. Michaelis de Marcon jurispatronatus laicorum , parochiani prætendentes habere jus præsentandi, in magno numero, sed singulariter , præsentarunt Petrum & Hyacinthum de Pazzis; Agnes verò & Catharina filiæ, ac hæredes Andræ, qui per tres ultimas successivas præsentationes effectum sortitas, erant in possessione præsentandi, obtenta termini prorogatione Apostolica, præsentarunt Alverum, & Albertum, ac die sequenti ratificantes dictam præsentationem, per viam accumulationis præsentarunt Petrum de S.Milan, tunc ex defectu ætatis & clericatus incapacem ; Superventa vero , (adhuc durante termino ut supra prorogato ad aliquos menses) utraque capacitate , Petrus qui cum aliis duobus dictam præsentationem ex tunc acceptaverat , obtinuit denuo dictam accumulativam præsentationem per dictas mulieres ratificari seu ex integro fieri ; Ordinarius autem , declarando jus patronatus ac præsentandi ad dictas mulieres , non autem ad parochianos pertinere, rejecta præsentatione Petri , decrevit Albertum & Alverum alios præsentatos ad examen admitti ; In gradu verò appellationis , Nuncius Hispaniarum , confirmando rejectionem dicti Petri, pronunciavit Hyacinthum quoque vocandum esse ad examen , atque detecta ejus idoneitate, tanquam præsentatum à majori parte institui debere ; Introductaque causa appellationis in Curia coram Prælato, prodiit sententia confirmatoria. Unde commissa causa appellationis in Rota *coram Celso* , cum clausula , *Constito de tribus* , & dato dubio ex ipsius rescripti ventre resultante, An constaret de tribus excludentibus dictum Petrum, 2 adeout habendus non esse pro legitimo contradictore, sub diebus 9. *Decembris* 1661. *& 6. Februarii* 1662. affirmativè resolutum fuit , ut patet ex decisionibus desuper editis inter impressa *ejusdem Celsi dec.264. & 269.*

In unica verò disputatione habita occasione revisionis primæ resolutionis prodiræ,Hyacintho solùm informante, inhærendo dictæ primæ resolutionis fundamentis, tres fuerunt puncti ; Primò scilicet , an dictæ mul.eres, postquam jam præsentaverant Petrum & Albertum de Pazzis,potuerint die sequenti dictam aliam accumulativam præsentationem facere de dicto altero Petro de S. Milan ; Secundò quatenus potuerint , an dicta accumulandi facultas consumpta fuerit per dictam primam præsentationem factam de eodem Petro tunc incapaci , adeout fieri non potuerit secunda præsentatio ejusdem post superventam capacitatem; Et tertio , ubi etiam hæc secunda præsentatio (nulla existente lite) fieri potuisset , an stante lite , dicenda esset attentata juxta terminos textus *in cap.1. & 2. ut lite pend. in sexto* .

Quatenus pertineret ad primum ; Non negabatur per scribentes in patronis laicis potestas regulariter accumulandi, aliamque cumulativam præsentationem faciendi in- 4 fra tempus à lege statutum,cum sola difficultas cadat in patronis ecclesiasticis , in quibus cum præsentatio quantam speciem electionis sapere videatur,ista facultas deneg tur, juxta unam opinionem latè expensam per Vivian. *l.10.c.1. nu.1.* & presuppositam apud Dunozett. *dec.956. n.5.* sed in 5 patronis laicis omnes admittuntur, ut patet ex iis qui hinc inde habentur proximè deducti .

Dicebant vero, (atque Rota eis adhæsit) duplicem dictæ regulæ limitationem intrare , secluso etiam motivo attentatorum , ac altero incapacitatis accumulati , de quibus infra quarum prima est , ut id concedatur pro una vice tantum , & sic secunda non autem tertia accumulatio , juxta 6 opinionem Calderin. *cons.16. de jurepatronatus* quam sequuntur Rocch. *hoc tract verbo honorificum* qui hanc dicit veriorem , Lambertin. *lib 2.p 2.qu.7.art 23.num.1. & seqq.* Garf. *p.5.c.9.n 214.* Barbos. *de jure Eccl. lib.3. c. nu.177.* & hanc sequitur Rota *ex collect.* per Add. ad Buratt. *dec.924. num.6.* in Bonon *parochialis de Granaglion. 8. Maii* 1660. *Meltio* , cum aliis in hujus causæ decisionibus .

Quamvis autem Ego scribens pro Petro ultimo accumulato, more Advocati dicerem, dictam Calderini opinionem esse adeo tutam ac receptam , cum contrarium teneat gloss. Abb. Berous,Decius,& alii relati per Vivian. *lib.10. c.4.n.3. in fin.* & Castropal. *oper. moral. tom.2. tract. 15. de benef. disp.2. puncto sexto n.2. vers. Nihilominus;* Attamen , cum Rota sequatur dictam aliam opinionem , hinc pragmatico more illam admittebam , negligendo in disputativa ratione examinare, ultra illarum esset in pũcto juris verior; Verum dicebam fallaciam esse in applicatione ad casum .

Duæ siquidem ratione expenduntur per sequaces dictæ opinionis Calderini præsertim per Lambertin. qui omnium latius quæstionem tractat , Una scilicet præjudicii eorum qui præcedenter fuerunt præsentati , Et altera 7 gravaminis Episcopi , vel alterius Superioris ad quem pertinet institutio , ob hujusmodi præsentationum multiplicitatem .

Ista secunda ratio omnino inepta videtur , quoniam cum odibilitas quæ in jurepatronatus consideratur , consistat in ea servitute seu necessitate qua Superior premitur instituendi præsentatum à patrono quoties deficientis idoneitatis causa non concurrat ; Hinc proinde quo magis patronus cumulat præsentatos , inter quos Superior exercere potest prælectionem , seu gratificationem , eo magis cessat servitus , ac necessitas , atque naturalis libertas saltem , in parte restituitur , juxta ea quæ habemus in materia electionis cujus restrictio potius prohibetur , igitur dicta ratio omino insulsa videtur .

Al-

Altera verò ratio , ubi etiam admittenda sit , eatenus procedit quatenus illa urgeat , quod scilicet de invaliditate accumulationis opponant illi qui primò fuerunt præsentati , & quibus ita præjudicari dicitur , ut est præsertim sensus Lambertin. *d. art.2.3.p.2.lib.2. q. 7. n.10.* ibi , *Ut si nullus ex pluribus præsentatis per Episcopum eligeretur , & malitiosè instituereturaliquis ex pluribus secundò loco præsentatis , possent agere primi spreti &c.* Atque cum hoc sensu procedit Rota apud Merlin. *dec. 424. n. 16. & 17.* ut scilicet prohibita accumulationum multiplicatio percutiat in- 8 teresse primo præsentatorum .

Ideòque cum in hac facti specie, præfati Alverus, & Albertus primò præsentati juri suo cessissent , atque non essent in causa , non videbatur subesse ratio cur ista accumulatio dicenda esset invalida , dum nemini causabat præjudicium ; atque in effectu hic remanebat primus .

Quemadmodùm etiam patrono aliquem præsentanti , qui non curet præsentationem acceptare , seu explicitè , vel implicitè, suo juri cedat , competit facultas, adhuc durante termino juris alium præsentare , quoties fraus, vel collusio non accedat , ut cæteris relatis Vivian. *lib.7.c.4. n.* 30. *& lib. 5. cap. 2. num. 27.* Barbos. *de Episcopo allegat. 72. n. 165.* Rot. apud Merlin. *d. dec. 443. num.17.* ita non videtur cui dictis primò præsentatis juri suo cedentibus non potuerit , termino adhuc durante , accumulari alter qui spectato effectu , potius primo præsentatus , quam tertio accumulatus dicendus est .

Eodemque modo tolli dicebam alteram limitationem 9 quæ per scribentes in contrarium dabatur dictæ facultati accumulandi, ut scilicet non procedat quando prima præsentatio facta est cum juramento , ut rejecta contraria sententia Alexand. & sequacium firmat Lambertin.*d.q.7.lib. 2 p.2. art. 16.* & sequuntur cæteri, de quibus Barbos. de jure Eccl. *lib. 4. c. 12. n. 177.* ad Buratt. *decis. 942. num.* 8. Rot. apud Merlin. *d. decis. 443. n.* 4. & apud Dunozett. *dec.956. num. 5. & 6.* quoniam id disponitur in gratiam 10 ejus cujus favore adjectum est juramentum , unde ipso non curante vel relaxante non videtur quid prohibeat , ut est etiam sensus Rotæ apud Merlin. *d. decis. 443. num. 16.*Et propterea cum decisiones his non satisfaciant intellectus eis non acquiescebat .

Quo verò ad secundum punctum incapacitati dicti Petri de tempore primæ præsentationis ; Scribentes in contrarium , cum longo allegationum apparatu deducebant ea quæ de præsentante indignum vel incapacem habetur in 11 fra *disc. 45. & seq.* Verùm observabam quoque fallaciam consistere in applicatione , id enim rectè procedit ubi præsentatio scienter fieret de indigno , vel incapaci , ut pro ea vice privetur jure suo, secus autem si ignoranter , cum tunc agnita veritate non prohibeatur patronos intra terminum juris aliam facere validam præsentationem , ut *d. disc. 45. & seq.* cumque in his mulieribus non probaretur dictæ incapacitatis scientia , hinc proindè quemadmodùm poterant adhuc durante termino alium præsentare , ita non videbatur , cur id facere non potuerint per secundum actum in eodem Petro jam effecto capaci ; Quamvis enim secundus actus explicatus esset per viam ratificatio- 12 nis primi , attamen ultra juris propositionem quod ratificatio actus invalidi habet vim actus novi , atque operatur ut nunc , non autem, ut tunc , ex deductis apud Surd. *decis. 69. & 245.* Gratian. *discept 509.n.25.& seqq.* Salgad. *in labyrint. p.2.c.21.n. 53. & seqq.* Rota *dreis.35.n 10.& 11.* post Merlin. *de pignor. & frequenter .*

Cessabat omnis difficultas ex facto , dum expressè dicebatur , quod etiam de novo atque ex integro fiebat præsentatio , juxtà ea quæ de confirmatione actus inutilis 13 habente vim novæ concessionis, quando adiiciuntur illa verba, *Et quatenus opus sit de novo concedimus* habentur *sub tit. de feudis disc.4.& 5. & alibi pluries .*

Demum quoad tertium punctum dictæ novæ præsentationis factæ lite pendente , disputatio fuit potius in facto quam in jure , dum ex hac parte negabatur adesse aliquam litem inter ipsos præsentatos , qui judicialiter invicem se 14 provocaverint super institutione uni magis quam alteri concedenda , ut ad hunc effectum requiri habetur apud Lancellot. *de attentatis par. 2. cap. 4. in præfat. n.6.* Buratt. *decis. 927.n.3.decis. 167.n.13.p. 4. rec.tom.2.decis.187.n. 12. p. 6.* & pluries ut advertitur *infrà disc. 67. generali, & sub tit. de Beneficiis ad materiam beneficii litigiosi disc. 92.* Ex actis etenim constabat de aliquibus citationibus, ac protestationibus inter ipsos compatronos super executione litterarum Apostolicarum circa prorogationem termini, quod non facit litigiosum, Lotther. *lib.2.q.20.nu.5. cum* 15 *seq.* Buratt. *dec.559.n.12.* Rota *dec.559.nu.17.p.4.rec. tom.3.* cum ad hunc effectum lis debeat esse , ut supra inter ipsos instituendos contendentes de pertinentia, vel adjudicatione beneficii ; Et qua lite accedente non negabam conclusionem , de qua *in dictis discursibus generalibus 67. hoc tit. &* 16 *disc.92. sub altero de Beneficiis* , ut dispositio textus *in c.1. & 2. ut lite penden. in sexto*, locum habeat quoque in præsentationibus ad beneficia jurispatronatus laicorum ; Cadente aliqua controversia in illis quę essent de jurepatronatus Regio ; ex deductis supra *in Cæsaraugustana disc.1.*

Et quamvis in contrarium , ad hujusmodi litis inductionem ponderarentur aliqua acta , in quibus enunciabatur , quod præsentati se opposuerint , unde propterea inferebatur quod ita adesset oppositio præsentatorum invicem con- 17 tendentium de institutione ; Attamen id continere videbatur aliquod æquivocum, quoniam ista non erat oppositio objectiva , per quam unus prætendens institui , se opponeret alteri ut rejiceretur , juxta terminos generales , quos in jure in hac materia habemus, sed ex more illius regionis oppositio , vel se opponere , significat idem , quod comparere , & se exponere concursui vel examini , quamvis esset unicus , non autem per viam citationis collitigantis in illius exclusionem; Et tamen his ac aliis de quibus supra decisiones non respondent , unde propterea ut dictum est, intellectus non acquievit .

ANNOT. AD DISC. XLIII.

DE materia accumulationis habetur actum alibi *hoc eodem tit.* præsertim *disc.17. 59. 61. & 67.*

S. AGATHÆ GOTHORUM BENEFICII,
PRO PHILIPPO RAINONE.
CUM JOSEPHO DE DAMIANIS.

Casus disputatus coram Prælato judice commissario sub incerto exitu .

An & quando permutatio beneficii de jurepatronatus facta sine consensu parentis, subsistat necnè; Et quatenus sit invalida , an permutanti concedatur regressus , vel potius fiat locus novæ præsentationi.

SUMMARIUM.

1 *Facti series .*
2 *De distinctione quando permutatio coram Ordinario causæ nullitatem , quod inducat vacationem ac aperiat locum novæ præsentationi .*
3 *Si patronus sine justa causa negat consensum , Superior , illum supplet .*
4 *Quod ad effectum vocationis requiratur culpa positiva vedolens delictum .*
5 *Ignorantia juris dubii sufficit ad excusationem .*
6 *Quando resignatio nulla abdicet jus à resignante .*
7 *Ubi permutatio non continet spretum , tunc accedente dissensu resolvitur , atque intrat regressus .*
8 *De distinctione inter dolum verum , & dolum præsumptum .*
9 *Non potest esse locus novæ præsentationi ob vacationem resultantem ob invalida permutatione , nisi id prius canonizetur per rem judicatam .*
10 *Quod quælibet causa ab hac vacatione excuset .*

DISC. XLIV.

1 JOannes , & Philippus de Rainonibus, coram Ordinario invicem, ex justis causis narratis , permutarunt beneficia de jurepatronatus ejusdem familiæ , Quarè aliqui patroni , prætendentes exindè inductam esse vacationem , præsentarunt ad beneficium possessum à Philippo, Josephum , atque Ordinarius , admissa præsentatione , mandavit affigi edicta , undè interposita per Philippum appellatione , & commissa causa in Curia coram Prælato , Josephus præsentatus , in contumaciam , sive , ut in Curia dicitur , per contradictas , stante morte procuratoris constituti per Phillippum , sine oppositore reportavit sententiam, in judicatum transactam , super ejus institutione, adversus quam obtenta commissione per Philippum alteri Prælato, cum clausula, *Constito de re judicata*, assumptaque

desuper disputatione, duo erant puncti; Primò circa ordinem judiciarium, an scilicet adessent aliquæ nullitates quæ ex hac parte deducebantur ad impediendam rem judicatam, & de hoc, juxta Curiæ stylum, inter causas Patronos magis quam inter Advocatos disputatum fuit; Et secundò circa justitiam, an scilicet dicta permutatio esset invalida, Et quatenùs esset talis, an factus esset locus novæ præsentationi, vel potius regressui permutantium ad propria beneficia.

Quatenus igitur ad hunc punctum justitiæ pertinet; Dicebam etiam in sensu veritatis, quod licèt scribentes in hoc satis variaverint, attamen hodiè videtur quæstio jam sopi-
2 ta per plures decisiones Rotales, præsertim *decis.* 152. & 190. *part.* 5. *recent.* quæ videntur in materia magistrales, dum in eis ex professo ac plenius quam alibi articulus discutitur, ac deciditur cum distinctione, quod.

Aut intervenit spretus positivus, & culposus patroni, quia nempè fuerit requisitus pro assensu, quem denegaverit, ac expressè se opposuerit, atque hoc non obstante, ad permutationem processum sit, & tunc si concurrit justa causa utilitatis Ecclesiæ, ob quam Ordinarius dictum consensum injustè denegatum suppleverit ut de jure fieri
3 posse, firmant Abb. *in cap. cum dilectus de jurepatron.* Cardin. *in Clement. unica de rerum permutatione quæst.* 4. Covar. *practic. quæst. cap.* 36. *nu.* 9. Lambert. *lib.* 2. *quæst.* 6. *p.* 1. *art.* 6. *num.* 58. *cum seqq.* Et tunc non intrat nullitas talis quæ impediat regressum, ac aperiat locum novæ præsentationi, quoniam ad hunc effectum requiritur talis spretus positivus, qui dolum, ac temeritatem redoleat, atque positivam ingratitudinem erga patronum importet, dum textus *in cap. decernimus* 17. *qu.* 7. à quo hujusmodi nullitas de-
4 rivat, utitur verbo *præsumpserit*, atque vacationem inducit in pœnam, quæ propterea non datur sine delicto positivo, ut advertit Lotther. *lib.* 2. *q.* 14. *n.* 54. 55. & *n.* 85. & per Rot. *dec.* 249. *par.* 10. *recent.* ubi de jurepatronatus passivo.

Et consequenter ubi etiam causa ex qua motus fuit Ordinarius ad supplendum dictum consensum patroni Superioribus non videretur sufficiens, (cum juxta unam opinionem non sufficiat quælibet utilitas, sed illa debeat esse magna) adhuc tamen id excusare videtur, cum sit igno-
5 rantia juris dubii, quæ assimilatur ignorantiæ facti ad excusandum à pœna; Ut ultrà nota generali, quæ frequenter habemus in materia fideicommissaria, vel emphyteutica in proposito excusationis à caducitate, in his terminis advertitur *d. dec.* 249. *nu.* 3. & 4. *par.* 10. *recent.*

Si verò dicta suppletio, vel alia legitima excusatio non adsit, adeout concurrere dicatur dictus spretus positivus redolens ingratitudinem, ac temeritatem, & tunc planum est, nullitatem actus causare vacationem abdicantem omne jus à permutante, unde propterea aperiatur locus novæ
6 præsentationi, juxta eam distinctionem, de qua pluries habetur *sub tit. de Beneficiis* in genere, in materia resignationis ad favorem, an & quando resignatio nulla abdicet necnè jus à resignante, quoniam attenditur, an nullitas sit positivè culposa necnè.

Aut verò dictus spretus positivus non adest, quia nempè patronus non fuerit requisitus neque constet de dissen-
7 su, quo non obstante ad actum processum esset; Et tunc actus dicitur esse in pendulo, ac habere implicitum statum validitatis, ob spem, seu credulitatem habitam à permutantibus, quod patroni præstaturi essent consensum, quo denegato, tanquam ex cessante præsupposito, actus potius resolvitur quàm annullatur, ideòque non intrat pœna inductiva privationis, seu vacationis, sed intrat regressus, ut cæteris relatis advertitur *d. decis.* 152. & 190. *par.* 5. *recent.* cum quibus proceditur in eisdem terminis permutationis ob præjudicium habentis jus patronatus passivum, *dec.* 249. *par.* 10. *recent.* Et in terminis resignationis ad favorem, *dec.* 186. & 213. *par.* 6. & *dec.* 208. *par.* 11. *rec.*

Quamvis enim Garz. *par.* 11. *cap.* 3. *nu.* 29. sentire videatur, ut ad effectum culpæ redolentis delictum dictæ pœnæ productivum, sufficiat scientia juris patronatus, quam in-
8 stitutus ad præsentationem negare non potest, atque cum hoc sensu processerit Rota *decis.* 68. *par.* 10. *recent.* & in altera ejus confirmatoria non impressa; Attamen meritò ab eis recessum fuit *in d. decis.* 249. *eadem parr.* 10. quoniam, Aliud est dolus præsumptus, qui ex sola scientia resultat ad aliquos effectus civiles non graviter præjudiciales, Aliud verò est dolus vetus ad effectum formalis pœnæ ordinariæ, & gravis, qualis dicitur illa privationis beneficii, ut ita distinguendo inter dolum verum, ac dolum præsumptum habetur in *Ferrarien. decupli sub tit. de Regul. disc.* 119. & pluries *sub tit. de fideicommissis*, ubi quod dolus præsumptus, qui ex sola scientia resultat, benè sufficit ad effectum inducendi in bonis gravati alienantis hypothecam legalem, aliàs non competentem juxta opinionem, quam sequitur Rota, sed ille non sufficit ad effectum pœnalis caducitatis.

Atque hinc, ut benè advertitur in allegatis *decis.* 152. & 190. *par.* 5. *recent.* admittenda non est nova præsentatio, 9
nisi præcedat res judicata super culposa nullitate inductiva vacationis, cum ex parte permutantis, vel resignantis, in progressu causæ adhuc pendentis, etiam in ulterioribus instantiis deduci possint justæ causæ dictam culpam positivam excusantes, ideòque ex hoc inferebam ad claram injustitiam dictæ sententiæ, quæ proindè in judicatum non transierit, atque ita credo fuisse resolutum, nisi concordia litem terminaverit, dum de illa amplius actum non audivi.

Multò magis, quia in facto dabantur aliquæ epistolæ familiares patronorum, ex quibus eorum consensus, & li- 10
centia desumi videbantur; Licèt enim scribentes in contrarium nimium insisterent in dictarum epistolarum verbis urbanis ac generalibus, aulico more dictis, consensum positivum verè non importantibus, Attamen dicebam (etiam pro veritate) sufficere, quod essent verba æquivoca, & talia, ut permutantes probabiliter credere potuerint, ut illa id importarent, ex vulgari propositione quam in foro quotidianam habemus, præsertim in dicta emphyteutica, & fideicommissaria materia ad effectum evitandi caducitatem, ut quælibet causa quamvis verè injusta, non tamen omninò injustè opinata, atque, ut nostri dicere solent, etiam fatua, & bestialis, excusat à delicto, & pœna positiva.

ANNOT. AD DISC. XLIV.

De articulo in hoc disc. principaliter contento non adfuit occasio postmodum disputandi, sed solùm conferunt deducta *in hoc tit. disc* 89. & *infrà disc.* 66. Circa autem ea, quæ respiciunt materiam resignationis invalidæ, an abdicetur Jus à resignante, videri poterunt adnotata ad *disc.* 34. *cum seqq. de Benefic.*

VERCELLEN. JURISPATRONATUS PRO JOANNE ANTONIO VINEA.

Consilium pro directione.

An, & quando possit præsentari laicus pro quando erit clericus. Et an in jurepatronatus passivo, ille de genere vocato qui sit incapax validè se opponat, nè patronus alium præsentet, sed expectet suam capacitatem; Vel è converso possit expectare capacitatem alterius, atque negligere eum, qui est capax de genere.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ubi jus patronatus regulatur cum ordine primogenituræ, linea occupat primum locum.*
3 *Patronus quamvis legatus à jurepatronatus passivo potest præsentare remotiorem neglecto proximiore.*
4 *A jurepatronatus activo infertur ad passivum, & è contrà.*
5 *Quando id non admittatur.*
6 *Ubi proximior est præsentandus, intelligitur de capaci, atque capacitas superveniens non suffragatur.*
7 *Patronus potest præsentare laicum sub conditione clericatus, quatenùs iste superveniat durante termino ad præsentandum.*
8 *Potest differre præsentationem usque ad ultimum diem termini, & expectare capacitatem, sed ad id non tenetur.*
9 *An patronus possit preces porrigere pro seipso si adest jus patronatus passivum.*
10 *Quando possit præsentari etiam laicus, & an in clerico desiderentur requisita Concilii Tridentini.*

DISC. XLV.

Cum controversum beneficium erectum esset sub reser- 1
vatione utriusque jurispatronatus, activi, & passivi, in descendentia fundatoris, cum ea lege, ut activum regulari deberet cum ordine primogenituræ, in passivo autem, ut sufficiat in conjunctis ætas septem annorum, in extraneis autem sacerdotium requiratur; Sequuta vacatione, superstitibus ex dicta descendentia, Jo: Laurentio remotiore præsentante Carolum filium clericum, & Jo: Antonio proximiore laico, & in pupillari ætate, qui preces Ordinario porrexit pro clericatu, ac provisione in sui persona; Cum dictis precibus se opposuissent præfati Jo: Laurentius, & Carolus, Hinc ex parte dicti Jo: Antonii consultus fui de ejus juribus, ac etiam pro directione.

Respondi resolutionem principaliter pendere à pertinentia jurispatronatus activi, quod utpotè regulandum jure
2 primogenituræ excludit plurium personarum simultaneum concursum, ideòque penès unum tantùm residere debet juxta casum de quo suprà *in Pisana disc.* 20. Si enim illud pertinebat ad dictum Jo: Laurentium, qui proprium filium capacem præsentavit, quod dependebat à prærogativa lineæ quæ in primogenituris occupat primum locum, ac prævalet gradui, ex deductis *sub tit. de fideicommissis disc.* 15. *cum pluribus ibi proximis*, ac etiam *sub tit. de feudis disc.* 13. & *in decis. Siciliæ ibidem annexa;* Tunc dixi prorsus vanam esse dicti Jo: Antonii prætensionem, quamvis esset capax, ac proximior, quoniam ubi lex fundationis in jurepatronatus passivo non vocat gradum proximiorem, sed solum mandat præsentari aliquem de parentela, vel de certo genere, tunc habens facultatem præsentandi,
3 fundationis legem rectè implere dicitur, præsentando unum de genere quamvis remotiorem, dum sufficit non egredi genus præfinitum, juxta dispositionem textus *in l. unum ex familia, ff. de legatis secundo*, cum concordantibus frequenter deductis ad hujus textus materiam *sub tit. de fideicomm. præsertim disc.* 33. ac etiam *disc.* 55. *cum plur. seq.*

Potissimè verò, quia dato in hac linea jurepatronatus activo ratione prærogativæ lineæ, rationabiliter inferri potest ad eandem prærogativam hujus lineæ prædilectæ in jurepatronatus passivo, cum ab uno ad alterum regulariter intret argumentum ex supra deductis *in Mediolanen.*
4 *Præposituræ disc.* 37. Improbabile liquidem videtur, nimiumque absurdum, ut patronus cogi debeat negligere proprium filium, vel fratrem, ut filium sibi remotiorem
5 de eodem genere præsentet; Et quamvis in proximè allegato *disc.* 37. hujus absurdi argumentum in specie rejiciatur, attamen id provenit ex eo quod, familia, seu linea habentis jus patronatus activum non est de genere comprehenso sub jurepatronatus passivo, unde propterea non intrat dicta regula textus *in l. unum ex fam.* ideòque est egredi genus.

Et nihilominus, ubi etiam lex fundationis haberet rationem gradus, seu proximitatis, quia nempè disponeretur, ad instar fideicommissariæ vocationis, ut clericus in parentela, seu descendentia proximior præsentari deberet, Adhuc tamen, posito jurepatronatus activo, ac præsentandi in dicto Joanne Laurentio, sequeretur idem, stante incapacitate Joannis Antonii quamvis gradu proximioris; Ideòque sive (juxta unam opinionem) habilitas requiratur de tempore sequutæ vacationis, sive juxta alteram, suffi-
6 ciat de tempore præsentationis, ex iis, quæ desuper habentur deducta apud Burat. *decis.* 680. cum aliis, quæ habentur *d. tit. de fideicommiss. in Ferrarien. disc.* 8. semper proximior intelligitur ille, qui est habilis de eo tempore, quamvis attenta numeratione graduum remotior, atque superveniens habilitas proximioris, quoties agitur de iis, quæ stare non possunt in suspenso, non tollit jus quæsitum remotiori ex plenè deductis in his terminis *decis.* 206. *par.* 3. *recent.* quæ reputatur in hac materia magistralis, cum aliis *d. tit. de fideicomm. disc.* 7. & 8.

Et quamvis, ut infrà, quoties non agitur de directa vocatione clerici de genere ad beneficium, vel cappellaniam juxta casum, de quo apud Otthob. *decis.* 270. & Celsum *decis.* 159. & 183. sed de præsentatione, vel nominatione
7 ab alio facienda ad sui libitum, cum sola restrictione ad certum genus, juxta dictam regulam textus *in l. unum ex familia*, non prohibeatur patronus præsentare unum de genere, quamvis laicum, vel incapacem sub conditione capacitatis, quoties ista superveniat durante tempore dato ad præsentandum ex deductis per Pirr. Conrad. *in praxi benef. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 31. & 32. Rot. apud Pœniam *decis.* 4. & *decis.* 147. *num.* 20. post Vivian. & in aliis; Seu (&
8 melius) possit differre præsentationem, usque ad ultimam diem, vel horam termini à lege præfiniti ad præsentandum, atque ita expectare capacitatem personæ sibi placitæ, quæ ob superventam capacitatem possit validè præsentari, cum non reperiatur in jure cautum, ut illicò sequuta vacatione teneatur præsentare, vel nominare eum, qui tunc habilis, & capax reperiatur, quoniam licèt in beneficiis Ecclesiasticis non detur illa suspensio, quæ datur in fideicommissis, ex deductis *dicto disc.* 7. & 8. *sub tit. de fideicommissis*, intelligitur tamen ultrà terminum

à Jure præfinitum, ac pro magis diuturna vacatione, non autem ipso termino durante; Attamen id intelligitur, quatenùs velit, non autem, ut ad id cogi valeat, ut patet ex allegatis.

Ubi verò è converso ipse Joannes Antonius haberet prærogativam lineæ, & consequenter ad ipsum spectaret jus-
patronatus activum, ac præsentandi; Tunc ex ejsdem mox deductis planum esse dixi, quod indebita erat oppositio prædictorum Joannis Laurentii præsentantis, & Caroli præsentati; Primus enim à jure activo ita extraneus erat; Alter verò habebat quidem jus, vel interesse considerabile tanquam de genere vocato ad passivum, sed quia non agebatur de vocatione directa fundatoris, unde attendendum esset tempus vacationis, seu purificatæ conditionis, hinc rectè poterat patronus uti jure suo, atque præsentationem differre usque ad ultimum diem termini, ut interim capacitatem obtineret, potissimè quia illa imminebat, dum Ordinarius mandaverat ut ad tonsuram admittendus esset, cum tamen isto casu, ubi etiam denegaret, videretur, cessante justa causa denegationis, licitè appellari posse, sive recursum haberi ad Superiorem, cum protestatione, ut interim terminus juris currere non deberet ob injustum impedimentum, ut advertitur *in diverf. rerum Ecclesiasticarum.*

Difficultas autem apud me cadebat circa difficultatem præsentandi seipsum; Licèt enim id fieri valeat, non per viam formalis, & coactivæ præsentationis, sed 9
per viam precum, ut advertitur supra *in Pistorien. disc.* 9. Attamen, ut ibi advertitur, id rectè procedit, quando alterius præjudicium non concurrat, adeout intret ratio ibi ponderata, quod scilicet patrono se faciente extraneum pro illa vice à jure suo, Ordinarius habeat conferendi libertatem, quam exercibilem cum quocumque extraneo, prorsus irrationabile esset exerceri non posse cum ipsomet patrono; Hæc autem ratio cessat, non solùm stantibus aliis compatronis habentibus jus activum, sed etiam, ubi adsunt alii habentes jus passivum, cum in omnibus eadem sit ratio: Verùm quamvis de stricto juris rigore id ita procedere videatur, nimium tamen in contrarium urget æquitas, ac humana ratio, ob quam, ut ibidem advertitur, probabiliùs videtur hujusmodi preces admittendas esse.

Motivabatur etiam in notula transmissa per Consulentes de partibus, quod cum fundator in illis de propria descendentia, discretivè ad extraneos, contentus fuisset ætate septem annorum, ac gestatione habitus clericalis nulla facta
mentione tonsuræ, ut id sufficeret ad habilitatem; Credebam tamen hoc motivum esse irrelevans, Tum quia supponebatur istud beneficium constitutum esse in statu beneficii formalis; saltem ob implicitam approbationem Ordinarii juxta casum, de quo suprà *in Civitatis Plebis Cappellaniæ disc.* 27. Et quo casu extra controversiam est, necessarium esse clericatum, qui non desideratur in illis simplicibus cappellaniis manualibus, quę nullam habent beneficii formam; sed potiùs redolent pium legatum juxta *dec.* 101. Dunozet repetit. *decis.* 238. *p.* 5. *rec.* cum aliis *sub tit. de beneficiis*, ac etiam supra, & quorum manualium sunt etiam capaces infantes, & mulieres, ut apud Buratt. *decis.* 1. *num.* 7. *cum seq.* & pluries *dicto tit. de beneficiis;* Tum etiam, quia ex tenore fundationis clarè constabat, testatorem sentisse de persona Ecclesiastica, cum sola discretiva, seu privilegiò descendentium, ut in eis non requireretur qualitas sacerdotalis in extraneis desiderata; Ac etiam ad dispensandum super ætate 14. annorum, quàm in beneficiis simplicibus à Sac. Concil. Trident. prescriptam, non dubitatur necessariam esse in beneficiis etiam de jurepatronatus erectis, præsertim post Concilium, quoties explicita, vel implicita fundationis lex aliter non disponat, ex deductis *eodem tit. de beneficiis disc.* 95. *generali* in materia ætatis, quæ in beneficiis necessaria est; Voluit tamen injungere onus gestationis habitus clericalis ad dirimendam quæstionem, de qua *dec.* 592. *par.* 4. *recent.* an scilicet ad validitatem præsentationis sufficiat clericatus, sine requisitis per idem Concil. Trid. super gestatione habitus, & tonsuræ, ac servitio Ecclesiæ, dum Conciliare decretum dicta requisita desiderat in iis, qui nullum habent Ecclesiasticum beneficium; Ubi verò testatoris, vel fundatoris intentio directa est ad clericos, tunc ista qualitas requiritur, quamvis ageretur de simplici legato non habente formam beneficii juxta casum, de quo in Licien. apud Otthob. *dicta decis.* 270. & in eadem apud Celsum *dicta decis.* 159. & 183. cum similibus enunciatis *d. disc.* 8. *de fideicommiss.* in proposito certæ qualitatis à testatore desideratæ.

ANNOT. AD DISC. XLV. & XLVI.

AN Clericatus, vel alia dignitas requiratur de tempore vacationis, vel sufficiat, ut abfit de tempore præsentationis habetur *in hoc tit. disc.*82.

CUSENTINA BENEFICII PRO SERAPHINO DE MARCO, CUM HORATIO PIGNATELLO.

Casus disputatus coram Prælato, & in possessorio tantùm resolutus pro Horatio.

An quemadmodum per patronum præsentari non potest laicus, cujus præsentatio invalida est, ita præsentari non possit clericus malè promotus, seu aliàs incapax beneficiorum; Et incidenter de incapacitate, ac irregularitate resultante à susceptione ordinum sine litteris propri Ordinarii; Et quid prima tonsura susceptа sede Episcopali vacante in vim Brevis Apostolici ad ordines absque tonsuræ mentione.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *Impetratio certo modo de beneficio viventis exigit processum ordinarium, & executor est merus.*
3 *An patronus possit mutare naturam beneficii, & de perpetuò facere manuale remissivè.*
4 *Non potest præsentari laicus, & quando possit.*
5 *Idem est de clerico, sed inhabili, seu incapaci.*
6 *De irregularitate, seu incapacitate resultante à mala susceptione Ordinum.*
7 *Et an exindè resultet privatio obtentorum.*
8 *De differentia inter obtenta, & obtinenda.*
9 *Non dantur brevia ad ordines, Sede vacante laicis.*
10 *Obtinens dispensationem, eaque utens fatetur impedimentum.*
11 *Dispensatio irregularitatis ad Ordines, non suffragatur ad beneficia.*

DISC. XLVI.

1 FUndavit Franciscus Maria de Licentia Ordinarii, cum reservatione juspatronatus, beneficium, quod prima vice sibi collatum, permutavit cum Jo: Dominico, per cujus obitum sequuta vacatione, idem Franciscus Maria, facto quodam dotis augmento, declaravit immutare, illudque facere manuale, atque tanquam tale ad ejus præsentationem collatum fuit Horatio promoto ad minores, ac etiam aliquos sacros ordines Sede Archiepiscopali vacante, in vim Brevis Apostolici nuncupati *extra tempora*, quod Ordinarius declaravit subreptitium ob non factam mentionem, quod ipse esset laicus, & consequenter ipse Horatius declaratus fuit irregularis ob susceptos dictos alios ordines in quibus ministravit, ipseque acquiescendo impetravit dispensationem Apostolicam super hujusmodi irregularitate; Seraphinus autem à Data impetravit dictum beneficium tanquam devolutum, ob non præsentationem factam in tempore, expeditisque litteris obtinuit ab Ordinario tanquam executore immitti in possessionem, expulso Horatio, qui interposita appellatione, obtinuit à Prælato judice commissario, prævia revocatione omnium ab Ordinario gestorum, mandatum de manutenendo, à Signatura Justitiæ etiam canonizatum, unde Seraphinus acquievit.

In disputationibus autem desuper habitis coram Prælato, tres fuerunt puncti. Primò attentatorum, & successivè manutentionis prioris possessoris nulliter, ac attentatè expulsi, atque de hoc principaliter actum fuit, incidenter autem agendo de bono jure; Secundò, an fundator potuerit mutare naturam beneficii, atque de perpetuò facere manuale; Et tertiò super dicti Horatii inhabilitate.

Quamvis autem ego scriberem pro Seraphino succumbente; Attamen in primo puncto possessorii, de quo, ut dictum est principaliter actum fuit, atque super eo prodiit
2 solùm resolutio, ista visa fuit probabilis, quoniam cum ageretur de impetratione certo modo facta de beneficio viventis, certum est quod executor erat mixtus, atque possessor erat legitimus contradictor, unde propterea judicium erat ordinarium, terminandum per tres conformes, ac successivè nullum, & attentatum fuit, quidquid gestum est post appellationem, vel durante ejus tempore ex iis, quæ pluries habentur *sub tit. de benefic.* præsertim *disc.*73. ad materiam legitimi contradictoris, ac etiam infrà *hoc tit. disc.*51.

Super secundo puncto potestatis immutandi naturam beneficii, atque de perpetuò faciendi manuale, deducta 3
fuerunt hinc inde eadem, quæ habentur suprà *hoc tit. disc.*15. *& seqq.*

Quatenùs igitur pertinet ad tertium; Scribens pro Seraphino impetrante, dicebam (etiam cum aliquo sensu veritatis,) quod de stricto jure adesset dicti Horatii inhabilitas, & consequenter quod habita dicta præsentatione personæ incapacis pro non facta, locus factus esset devolutioni, licèt quædam non scripta æquitas, quæ ex facti circumstantiis resultabat, contrarium suadere videretur.

Quemadmodum enim certum est de jure, quod laicus non potest in beneficio Ecclesiastico præsentari ex collectis per Vivian. *lib.6. cap.*3. *num.*12. atque tanquam absolutum supponitur, per admittentes hujusmodi præsenta- 4
tionem sub conditione clericatus supervenientis durante termino juris ad præsentandum ex deductis *disc. præced.* ita id quod dicitur in laico, procedit in clerico incapaci, 5
puta quia irregularis, sive clericus regularis incapax ad obtinendum beneficia sæcularia, vel sæcularis incapax ad obtinendum Regularia, ab eodem Vivian. *d.lib.6. cap.*2.4. *&* 5. & passim.

Et in individuo irregularitatis, vel incapacitatis resultantis à mala promotione ad sacros ordines, ob defectum ætatis, sive ob inferiores malè susceptos, cum similibus, 6
firmatur in Rotæ decis. impress. apud Garz. *part.* 2. *cap.* 5. *num.*12. *& par.* 7. *cap.*14. *num.*3. apud Marches. *part.*1. *fol.*141. & meliùs *dec.* 89. post 1. *vol. cons.* Farinac. Ex ea clara ratione, quod malè promoti incurrunt incapacitatem, quinimò etiam privationem beneficiorum obtentorum juxta Constitutionem Pii II. registratam per Pyrrhum Corrad. *in praxi dispensat. lib.*4. *cap.*8. ubi reprobando dicentes eam non esse usu receptam, probat innovatam esse per plures Pontifices, ac etiam per Regulas Cancellariæ, ideòque aliquæ ex dictis decisionibus in ea fundantur, ac 7
etiam in alia ratione, quod tam de jure, quàm ex S.C.T. malè promotus incurrit suspensionem illius ordinis, ideòque in illo ministrando, saltem per illam ministrationem, quæ perneccsse dicitur in esse in susceptione ordinis majoris, incurrit irregularitatem, potissimè stante magis rigorosa Constitut. Urb. VIII. registrata per eundem Pyrr. Corrad. *d. lib.*4. *cap.*10. Et propterea quidquid esset ad effectum privationis beneficii jam validè, ac perfectè assequuti certum videtur, id causare incapacitatem ad assequendum, juxta distinctionem, de qua inter assequutum, 8
& assequendum habetur *in Calaguritana beneficii de Bilbao sub tit. de benef. disc.*70.

De mala susceptione primæ tonsuræ, & consequenter de mala susceptione aliorum ordinum, non videbatur dubitandum, quoniam juxta modernum stylum Secretariæ Brevium, ac Datariæ, qui est regulator voluntatis Papæ, 9
ac normam subreptionis, juxta *decis.*214. Mantic. *n.*4. cum aliis per Add. ad Gregor. *decis.*150. hujusmodi Brevia pro suscipiendis ordinibus, quæ præsertim Sede vacante diriguntur Episcopo viciniori, & non conceduntur nisi ex gratia speciali, & cum speciali mentione laicis, qui prima tonsura legitimè initiati non sint, sed cum istius præsupposito, pro reliquis ordinibus suscipiendis, per eum, qui à proprio Episcopo clericali militiæ jam adscriptus fuit, ut agnovit ipsemet promotus, qui Apostolicam dispensa- 10
tionem obtinuit, eaque usus est, unde propterea agnovit impedimentum, ut benè *dicta decis.* 89. *post* 1. *volum. cons. Farinac.* & in ejus confirmatoria apud Marches. *fol.* 141. *part.*1.

Dispensatio autem prædicta, utpotè concessa super irregularitate quoad ordines, non suffragatur quoad beneficia, pro quibus requiritur mentio specialis, cum nova provisione ex integro, cum diversa solutione emolumentorum, 11
juxta certam praxim Cancellariæ, de qua idem Corrad. *in praxi dispens. lib.*4. *cap.*9. *num.*5. & est absolutum ob claram Regulam Cancellariæ, ut dispensationes pro uno impedimento non suffragentur pro altero, neque earum extensio detur.

FE-

FESULANA, SEU MELEVITANA COMMENDÆ, PRO JOANNE MANNELLO.

Responsum pro veritate.

De præsentatione facta de indigno, an, & quando causet amissionem juris præsentandi pro ea vice: Et an detur restitutio in integrum ob pupillarem ætatem, vel aliam justam causam: Et incidenter, quando incipiat currere terminus ad præsentandum: Et an pueri admittantur in jurepatronatus gentilitio.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *Præsentantes indignum pro ea vice privantur jure suo etiam in patronatu laicali.*
3 *Decisiones una parte informante, non multum attendendæ.*
4 *Declaratur conclusio, de qua num.*2.
5 *Fortiùs procedit conclusio, de qua dicto num.*2. *ubi defectus provenit à lege fundationis.*
6 *An pueri veniant in jurepatronatus gentilitio, seu familiari remissivè.*
7 *Quando non veniat etiam in casu, ex quo regulariter venirent.*
8 *De rationibus ob quas etiam si adsint pueri, & veniant, procedat conclusio, de qua num.*2.
9 *Quando incipiat currere terminus ad præsentandum, & an impedimenta suffragentur.*

DISC. XLVII.

1 CUm familia de Caniggiatis, ex lege adjecta per fundatorem, possideret juspatronatus beneficii, seu commendæ S. Euphrosii ad institutionem commendatarii Hospitalis S. Sepulchri Florentiæ Hierosolymitanæ Religionis, vacante dicto beneficio de tempore, quo vacabat etiam commenda, Patroni præsentarunt coram Priore Pisarum primo loco puerum octo annorum, secundò alterum annorum 11. & tertiò in istorum defectum alterum majorem, sed omnes laicos, unde M. Magister jure devoluto, illud contulit Joanni Mannello ejusdem Religionis militi, deindè verò iidem Patroni elapso jam termino coram novo Commendatario præsentarunt Cosmum pariter militem, quare ex parte Joannis ego, & cæteri in congressu consulti fuimus pro veritate, an & quale jus ipse desuper foveret.

In discursu autem desuper edito in facto, ad subsinendam dictam collationem jure devoluta, plura fundamenta deducebantur; Primò autem ac principaliter, quod patroni scienter præsentassent indignos nempè pueros absque dubio incapaces; Tum quia lex fundationis præsentari debere milites, vel sacerdotes; Tum ex dispositione Sac. Conc. Trident. inhabilitantis minores 14. annorum ad beneficia obtinenda, ideòque duplex concurrebat incapacitas, Una quod præsentati non haberent ætatem, Et altera, quod essent laici, atque utraque qualitas erat notoria, utpotè naturalis, & consequenter inexcusabilis, cum non agatur de illa
3 indignitate, quæ provenit ab illitteratura, seu aliis animi moribus, undè patronus excusari valeat de contraria credulitate, ut infrà.

2 Et hoc stante inferebatur ad conclusionem derivantem, ex textu *in cap. cum in cunctis, §. ultimo de electione*, ut præsentantes scienter indignum, pro ea vice priventur jure, seu facultate præsentandi, atque jus providendi devolvatur ad Superiorem.

Istud fundamentum, (præsuppositа majori ætate, ac perfectione judicii præsentantium,) videbatur solidum, quoniam licèt glos. *in cap. cum vos de off. Ordinarii*, velit id procedere in patronis Ecclesiasticis, in quibus præsentatio sapere dicitur speciem electionis, ejusque jure metienda est, secus autem in patronis laicis, quibus integrum sit novam præsentationem personæ capacis facere, atque dicta glos. opinionem sequuntur Imol. Archid. & alii relati apud Crescent. *decis.*11. *de jurepatron.* in principio, ac sequi videatur Rota *in Bonon. de Granalion.* 7. *Junii* 1658. *coram Priolo*; Contrarium tamen est magis communiter receptum, ut firmant Rocch. *hoc tract. verb. honorificum quæst.* 4. Lambertin. *eodem tract. part.*1. *lib.* 2. *quæst.* 10. *art.* 4. & alii plenè relati *in dicta decis.*11. Crescent. *de jurepatronatus*, quam Rota sequitur, ut *decis.* 216. *num.* 6. *part.*2. *recent.* cum aliis collect. per Barbos. *de Episcopo alleg.*72. *nu.*105. adeout videatur conclusio recepta; Nil obstantibus deductis *in dicta Bononien. coram Priolo*; Tum quia est decisio edita sine oppositione, ac una tantùm parte informante, 3
in qua decisionum specie sæpè contingit, ut obiter plura deducantur minus subsistentia, (unde propterea judices, quando allegantur decisiones ad id potissimum advertere debent;) Tum etiam, quia in eo casu præsentatio de indigno erat excusabilis, ac dici poterat ignoranter facta, cum incapacitas proveniret à defectu illitteraturæ, qui poterat ignotus esse præsentantibus opinantibus illum esse idoneum, ac litteratum, undè propterea cum difficultas cessaret ex facto, non benè facta est hæc digressio ad ea, quæ 4
juris sunt, secus autem ubi incapacitas provenit ex defectu naturali, ac notorio, ut erat in præsenti.

Multòque magis advertebam procedere dictam regulam, seu conclusionem præsentantis scienter indignum, quando indignitas provenit, non solùm à dispositione juris communis, sed etiam à lege fundationis, cujus ignorantia allegari non potest à præsentante, qui ex illa suum jus metitur, cum tunc id complicare videatur abusum facultatis sibi competentis, & consequenter delictum positivum minus excusabile, ut apud Barbos. *d. alleg.* 72. *num.*105. 5
Vivian. *lib.*6 *cap.*7. *num.*69. Rota *decis.* 135. post eundem Vivian. *nu.*5. ubi quod præsentantes in vim facultatis sibi competentis ex fundatione, istius legum ignorantiam allegare non possunt.

Quia verò in hac familia plures aderant pueri infra ætatem pupillarem, quorum vice parentes præsentaverant, 6
hinc proindè excitata fuit difficultas, an ratione ignorantiæ, etiam eorum quæ facti sunt, quæ in istis militat, intraret justa excusatio à dicta devolutione, Super hoc autem, neglecta formali inspectione articuli, de quo infrà *disc. generali* 60. *vel* 61. an scilicet in jurepatronatus, vel familiari habenda esset ratio puerorum; Ubi etiam recipienda veniret affirmativa, quam tenet Vivian. *lib.*4. *c.*9. *num.*24. adhuc duo ponderabam, ex quibus ista difficultas evitari posset; Primò scilicet, quod non agebatur de jurepatronatus fundato per aliquem de familia ad favorem 7
ejus descendentiæ, vel agnationis, undè dici valeat, quod omnes de familia, vel genere, utpotè per fundatorem æquè dilecti, ab instanti nativitatis, censerentur vocati, ac habere jus quæsitum, ob quam rationem, aliqui sequuntur affirmativam, sed agebatur de fundatione facta per extraneum, qui hoc juspatronatus præservare voluit ad favorem istius, tunc potentis atque conspicuæ familiæ, potiùs ex motivo cujusdam protectionis, atque ut beneficium rectè provisum remaneret, undè propterea electa fuisse videtur industria personarum; Idque comprobare videbantur quædam verba fundationis, ac etiam restrictio ad solos masculos, & consequenter, quod ita planum esset, ut pueri admittendi non essent, juxta ea quæ in præsentationibus collegialiter faciendis per aliquam universitatem, seu aliud corpus, ut non admittantur pueri ex dicta ratione derivata ex text. *in cap. ex eo de electione in* 6. habentur apud Garz. *par.*5. *cap.*9. *nu.*190.

Et secundò, quia in hac materia admittenda non videntur ea, quæ in jure civili statuta sunt favore pupillorum, seu minorum, sub aliena administratione viven- 8
tium, ex pluribus rationibus; Primò, quia ob hujusmodi devolutionem, nihil de juribus, ac patrimonio pupilli, vel minoris minuitur, cum jus remaneat salvum pro tempore futuro, atque pro ea vice, Superior eorum partes suppleat, unde propterea non dicitur adesse læsio, juxta regulam text. *in l. cum minores, & l. ultima, Cod. adversus rem judicatam*; Secundò, quia in hujusmodi juribus universalibus, in quibus admixti sunt majores, ac minores, non intrant illæ rationes ex quibus in juribus particularibus, pupillis, ac minoribus, ob intellectus imbecillitatem subvenitur, ut habemus receptum ad materiam text. *in l. unica, Cod. ubi Imperator inter viduas, & pupill. &c.* in materia electionis fori, quoniàm licèt viduis, ac pupillis singulariter illud privilegium competat, non tamen id procedit in viduis, & pupillis alicujus universitatis, dum ita habent defensores alios majores, ac idoneos, Et multò magis, ubi actus geritur per eorundem puerorum, vel minorum patres, ut in præsenti, cum major sit auctoritas patris, quàm tutoris; Et tertiò fortiùs, 9
quia ita exigit subjecta materia, ob diuturnam vacatio-

nem, quam, aliàs Eccleſia pati cogeretur in hujuſmodi patronatibus familiaribus, vel gentilitiis, in quibus, ob mixturam puerorum, ſive aliorum, quibus ratione juſti impedimenti, ſeu aliàs in integrum reſtitutio competit, nunquam fieret locus devolutioni; Ideòque ubi etiam in hac ſpecie patronatus admittenda ſit opinio pueris favorabilis, quodque eorum vice, parentes, vel alii legitimi adminiſtratores admittendi eſſent ad dandum votum, id percutere videtur ſolùm concurſum ipſorum patronorum, ac ad effectum metiendi majorem, vel minorem partem vocum inter ſe, non autem ad iſtum effectum.

Actum quoque fuit de aliis punctis, in facto magis, quàm in jure conſiſtentibus præſertim ſuper ignorantia vacationis, ſtante opinione, quam Rota ſequitur ex pluries deductis in præcedentibus, ac etiam infrà *diſc. generali* 64. ut terminus non currat, niſi à die ſcientiæ veræ; Ac etiam an ſuffragaretur juſtum impedimentum reſultans ex vacatione dictæ commendæ, quia non adeſſet Superior, coram quo præſentatio fieri potuerit, dum facta coram Priore Piſarum non erat ab omnibus, ſed ab aliquibus; Incertum eſt autem, quid in cauſa ſequutum ſit, dum excepto dicto diſcurſu habito in congreſſu, de illa ampliùs actum non audivi.

ANNOT. AD DISC. XLVII.

De hoc articulo inſinuantur aliqua *diſc.* 43. *num.* 11. Et de Jurepatronatus gentilitio, ſeu familiari fuit adnotatum ſupra ad *diſc.* 20. *cum ſeqq.*

PARMEN. BENEFICII PRO ANTONIO LEONIO, CUM JACOBO MENTALI.

Reſponſum pro veritate.

An præſentatio facta ſub conditione penſionis reſervandæ ad favorem præſentantis, dicatur ſimoniaca, & invalida, itaut cauſet devolutionem: Et quid ubi ſunt plures patroni, quorum aliqui ſub dicta reſervatione, aliqui autem purè præſentarunt, An iſtis purè præſentantibus id præjudicet.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Pactiones aliàs ſimoniacæ quæ factæ ſint ſub expreſſa reſervatione approbationis Apoſtolicæ non ſapiunt ſimoniam.*
3 *Ad ſimoniam requiritur pactum.*
4 *Si ex pluribus patronis aliqui præſentant purè, & aliqui ſub illicita conditione, an præſentatio ſubſtineatur.*
5 *Quando mandatum ad conſentiendum reſervationi penſionis ad favorem patroni non importet ſimoniam.*
6 *Quando dicatur proceſſum eſſe per viam conditionis, vel per viam modi.*
7 *Quod ad favorem impetrantis certo modo non intret via executiva.*

DISC. XLVIII.

1 COmpetente jurepatronatus, ac præſentandi ad quinque perſonas, omnes convenerunt in præſentatione Antonii, cum hac differentia, quod tres purè præſentarunt, alii verò duo adiecerunt conditionem reſervationis cujuſdam penſionis, ſub Apoſtolico tamen beneplacito, & non aliàs; Atque ſequta inſtitutione, & poſſeſſione, dictus Antonius dedit mandatum ad conſentiendum in Dataria dictæ penſioni; Jacobus autem idem beneficium tanquam devolutum, ab eadem Dataria impetravit; unde propterea ex parte Antonii poſſeſſoris, ita expulſionem timentis, deſuper pro veritate conſultus.

Reſpondi, de dicta impetratione probabiliter timendum non eſſe ex pluribus fundamentis, quorum unum ſufficeret, multò magis ſimul junctis; Primò ſcilicet, quod ubi etiam ex mutua conventione inter præſentantem, & præſentatum ita ſtatutum eſſet, adhuc tamen ubi id conventum eſſet ſub expreſſa reſervatione beneplaciti Papæ, & non aliàs, (ut in præſenti ſequutum erat,) tunc nulla dicitur eſſe ſimoniaca conventio, quoties ad illius conſumationem de facto proceſſum non ſit, quoniam ubi pactio ſit ſub expreſſa
2 reſervatione beneplaciti Apoſtolici, & quatenùs Papa illam approbet, & non aliàs, tunc habetur pro non facta ſi Papa non approbat, & conſequenter ſimonia non intrat, ut cæteris relatis firmatur *deciſ.* 313. *numer.* 12. *par.* 11. *recent. & dec.* 357. *n.* 12. *& ſeqq. par.* 12. edita in cauſa *Toletana Archipresbyteratus*, de qua habetur actum *ſub tit. de Benefic. diſc.* 36. ubi de materia.

Secundò, quia non conſtabat de aliqua præcedenti pactione, quæ eſt eſſentiale ſimoniæ requiſitum aliàs non intrantis, ut habetur *ſub tit. de Benefic. allegato diſc.* 36. & in aliis, ac etiam advertitur in ſua materia *ſub tit. de Penſionibus*, occaſione agendi de proximo articulo, an ſcilicet, & quando collatio parochialis facta per Ordinarium ſub reſervatione penſionis vitiet ipſam collationem, vel potius vitiata remaneat.

Et tertiò clariùs, quia ubi etiam iſta reſervatio dici poſſit talis, quod tanquam per viam conditionis adimentis conſenſum ab actu vitiaret actum, juxta diſtinctionem de qua in *ead. Vintimilien.* adhuc tamen difficultas cadere poſſet quando ageretur de unico patrono ſub iſta conditione præſentante, ſive quod pluribus exiſtentibus, omnes illam adjicerent; Secùs autem ubi ex pluribus aliqui purè, & aliqui ſub conditione præſentarent, quoniam (ut pluries in præcedentibus advertitur,) ob individuitatem juriſpatronatus, ob quam totum habitualiter penès ſingulos reſidere dicitur, ſi aliqui invalidè præſentant, totum jus devolvitur ad præſentantes validè, quamvis minorem partem conſtituant; Unde propterea cum non poſſit plus operari nullum quàm nihil, quemadmodum ſi dicti qui ita conditionaliter præſentarunt nullo pacto præſentaſſent, præſentatio pura aliorum quamvis pro minori parte ſufficiens fuiſſet, & multò magis, quoniam illa erat majoris partis ſuffocantis alteram minorem, etiam ubi eſſet validè facta, fortiùs dum invalida; Unde quando conſtaret de tali præcedenti pactione, quæ formalem ſimoniam redoleret, tunc advertebam id inficere poſſe quidem actum, non ex defectu invalidæ præſentationis, qua habita pro non facta intraret devolutio, ſed potius intraret nullitas actus ob inhabilitatem præſentati reſultantem ab actu ſimoniaco, tanquam per ſpeciem pœnæ, ſed quia de iſta conventione non conſtabat, idcircò intrare non poterat hæc nullitas.

Et licèt aliquod dictæ conventionis argumentum reſultaret à ſubſequenti mandato, quod inſtitutus dedit ad conſentiendum reſervationi; Attamen (ultrà jam dictam primam reſponſionem, quod totum geſtum ſit ſub Apoſtolico beneplacito,) non exindè inferri poteſt ad perfectam probationem, cum id adjici potuerit per præſentantes pro ſola indicatione deſiderii, ſeu manifeſtationis indigentiæ, ſed bona fide ac ſincerè, ut oſtendit ipſa publicitas actus, juxta eam diſtinctionem quæ ad arguendam bonam, vel malam fidem inter actus publicè, & palam, & è converſò occultè initos, habetur præſertim *ſub tit. de Uſur. diſc.* 12. ac etiam *ſub tit. de Credito*, in propoſito emptionis factæ per creditorem, ideòque præſentatus ex motivo gratitudinis, ac antidotalis obligationis potuit ex mera voluntate id agere, præſertim poſt jam perfectam inſtitutionem, quando proviſus conſtitutus erat in plena libertate faciendi, vel non faciendi, imò jam datum mandatum quandocumque re integra revocandi.

Præterea obſervabam, quod neque dicta præſentatio dici poterat conditionalis, quoniam ut advertitur *ſub tit. de Penſion.* tunc dicitur actus geſtus per viam conditionis, quando adiicitur à parte antea, adeò ut ſe opponat principio acquiſitionis, ſeu perfectionis actus, qui aliàs remaneat imperfectus, unde propterea qui vult jus conſequi, cogatur conditionem adimplere; Secùs autem ubi adiiciatur à parte poſtea per viam modi, adeò ut non implementum tanquam per quamdam ſpeciem pœnæ importet reſolutionem actus ac privationem juris quæſiti, juxtà diſtinctionem de qua cæteris relatis *deciſ.* 39. *part.* 1. *diverſ.* Gregor. & adden. *dec.* 117. cum aliis deductis *ſub tit. de fideicommiſſis, diſc.* 154. & habetur etiam pluries *ſub tit. de Matrim. inter Miſcellanea rerum Eccleſiaſticarum*, & ex quo pendet reſolutio, an conditio vitiet, vel vitietur.

In præſenti autem certum eſt, quod dicta reſervatio penſionis adiecta erat juxtà ſecundam ſpeciem, dum patroni fecerunt præſentationem coram Ordinario, ut tunc ſequeretur inſtitutio, quam ſequi cum effectuatione poſſeſſionis paſſi ſunt; Reſervatio autem facienda erat in Dataria poſt beneficium jam aſſequutum, ac jus quæſitum, & conſequenter juxta dictam diſtinctionem nullatenus dici poterat, ut id adjectum eſſet per viam conditionis adimentis aliàs conſenſum ab actu, ſed potius quod id adiectum ſit per viam inſinuationis deſiderii, & gratitudinis voluntariè adhibendæ.

Actum etiam fuit in eodem Reſponſo de puncto ordinis, an ſcilicèt litteræ Apoſtolicæ per dictum impetrantem obtentæ exequendæ eſſent cum proceſſu executivo, atque
7 dictum fuit indubitatum videri, ut dicta via executiva non intraret, ſed procedendum eſſet in judicio ordinario, & appellabili, ex iis quæ habentur infra *diſcurſ.* 51. ac etiam *ſub titul. de Beneficiis diſcurſ.* 73. ad materiam legitimi contradictoris.

ADNOT. AD DISC. XLVIII.

De pactis Simoniacis habetur ſæpius actum *ſub titulo de Beneficiis*, ut videre eſt in adnotat. ad *diſcurſ.* 70. *& 71. eodem tit.*

VALENTINA BENEFICII PRO JACOBO FORT.

Reſponſum pro veritate.

An Epiſcopus poſſit abbreviare terminum de jure conceſſum Patrono ad præſentandum, & quando inſtitutio conceſſa poſt terminum præfinitum in edicto ſubſiſtat.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Elapſo termino præfinito in edicto rectè proceditur ad inſtitutionem.*
3 *Declaratur quando id procedat.*
4 *Sed terminus debet eſſe congruus, ac edictum benè exequutum ut concurrat bona fides.*
5 *Ordinarius non poteſt abbreviare terminum juris.*
6 *Si edicta appoſita ſint, & comparet Patronus petendo prorogationem durante termino juris, debet ei concedi.*
7 *Et de ratione.*
8 *Lapſus termini præfixi in edicto non præjudicat habenti juſpatronatus paſſivum.*
9 *Quod habens juſpatronatus paſſivum debeat inſtitui non obſtante negligentia, vel alio facto patroni.*

DISC. XLIX.

VAcante beneficio quod ſub reſervatione utriuſque juris patronatus activi, & paſſivi, fundatum fuit per Ber-
1 nardinum Fort ad favorem deſcendentium ex Dominico Fratre, ordinarius appoſuit ſolita edicta, cum præfinitione brevis termini, intra quem, aliis non comparentibus, excepto Jacobo ſupplicante pro ſe ipſo, Ordinarius illud tanquam devolutum, alteri contulit, unde interpoſita appellatione, commiſſaque cauſa in Rota coram Celſo, antequam diſputatio aſſumeretur, deſuper ex parte Jacobi pro veritate conſultus fui, incertumque remanet, qui deinde in cauſa actum ſit, cum de illa amplius actum non audierim.

Præſuppoſito autem jurepatronatus pro certo, (ut ipſamet collatio facta per Ordinarium ex capite devolutionis ſupponebat;) Reſtringebatur difficultas ad punctum, an dictæ devolutioni locus factus eſſet, ob ſolum lapſum termini in edicto præfiniti, quamvis adhuc duraret terminus juris; Et pro affirmativa, ut elapſo termino præfixo in edicto, validè Ordinarius ad collationem procedat, ſtare
1 videtur magis communis, ac recepta opinio deducta ex *conſ.* 3. Oldrad. ut per Lambertin. *lib.* 2. *part.* 2. *quæſt.* 6. *art.* 26. cum concord. Lotther. *lib.* 2. *quæſt.* 13. *num.* 50. Rota apud Peniam *deciſion.* 1314. *deciſion.* 295. *numer.* 10. *parte* 6. *& deciſion.* 302. *numer.* 11. *parte* 7. *recentior.*, & aliis.

Verùm dixi, contrarium probabilius videri, dictamque concluſionem eſſe veram in caſu ſuo, malè autem applicari ad illum præſentis controverſiæ; Procedit enim quando patronis comparentibus ac præſentantibus, Ordinarius affigit edicta cum præfinitione competentis termini,
3 quo elapſo, alio non comparente, procedat ad inſtitutionem præſentati à majori parte, in quibus termini loquuntur dictæ auctoritates ac aliæ, quoniam tunc Ordinarius, incertus, an adſint necne alii, non tenetur ulterius expectare, ſed conſulendo Eccleſiæ, vel beneficio, nè diuturnam vacationem patiatur, valde, & cum bona fide, ad inſtitutionem procedere dicitur.

Quod tamen intelligendum quoque eſt, dummodò edictum ſervatis ſervandis expeditum ac affixum fuerit, ita & taliter quod ad omnium patronorum notitiam devenire potuerit, atque contineat terminum congruum, non autem nimium brevem, & incongruum, ut cæteris relatis Lotther. *dict. qu.* 13. *num.* 46. *& ſeq.* Rota *deciſ.* 139. *num.* 29. poſt Vivian., & in aliis, itaut, cum terminis generalibus, quos habemus in materia citationis per edictum excepto requiſito prævio diligentiæ pro citatione ſpeciali, actus dici valeat legitimè geſtus, atque aptus ad conſtituendum non comparentes in contumacia ſaltem ficta in hoc propoſito operativa, quando tamen alii comparent, atque actus geritur ſincerè, & bona fide, tam ex parte Ordinarii inſtituentis, quàm ex parte patronorum præſentantium; Et in quibus (ut quandoque expertus ſum) mala fides ac affectatio dari ſolet, quia nempè ſcientes compatronorum abſentiam à loco, vel aliud impedimentum, affectatè ſolicitant præſentationem, ac affixionem edictorum, cum brevi termino, intra quem verìſimiliter vacationem ſcire non valeant alii compatroni abſentes, vel impediti, ita iſtos ſupplantando, ut cum eorum minoribus vocibus inſtitutio ſequatur; Ideòque dicta concluſio diſcretè intelligenda venit pro facti qualitate, & quatenus ſincerè ac bona fide actus ſequatur; Tunc enim, ubi etiam adhuc pendente termino juris, alter compatronus compareat, diverſam faciendo præſentationem, ob quam prætendat retractari debere inſtitutionem jam in ſtatu bonæ fidei ac ſervatis ſervandis ſequutam, exaudiendus non venit, dictaque concluſio procedit, juxta præmiſſas auctoritates, quæ iſtos terminos nos percutiunt, atque cum hoc præſuppoſito procedunt.

Secus autem ubi in termino præfinito, nemo compareat quia nempè edictum affixum ſit ex officio, cum poſitum ſit in facultate ordinarii in ſui præjudicium prorogare ter-
5 minum juris, non autem ut effectum obtinendi libertatem conferendi beneficium tanquam liberum, abbreviare valeat dictum terminum à jure ſtatutum ex deductis per Barboſ. *de Epiſcopo allegat.* 72. *numer.* 143. ubi allegantur Vivian. Caſtropal. Riccius, & aliis, ac etiam Rota *in Salamantina Beneficii* 4. *Februarii* 1630. *coram Ghiſlerio*; Eſſet enim ita derogare ſacrorum canonum diſpoſitioni, ac tollere jus tertii, quod in hac materia ſoli Papæ conceditur.

Quinimò, ubi etiam edicta cum in præfinitione termini expedita, & affixa eſſent occaſione preſentationis factæ per aliquem ex compatronis, ſi alter in termino comparet, ac inſtat expectari debere terminum juris, ad hoc ut vacatio ad aliorum notitiam devenire valeat, ſive ut ipſemet comparens maturius deliberare poſſit ſuper electione perſonæ præſentandæ, tunc terminus juris expectandus eſt, at-
6 que ad inſtitutionem deveniri non poteſt, ut apud Buratt. *deciſ.* 727. *numer.* 7. Et compareret etiam elapſo termino edicti, ſed re integra, adhuc exaudiendus eſſet, ut in ſpecie advertit Vivian. *lib.* 7. *cap.* 7. *cum ſeqq.*

Sæpiùs enim contingere ſolet, quod de tempore vacationis, filii vel conjuncti habentis juſpatronatus, ratione deficientis clericatus, vel ætatis, aut alterius qualitatis, non ſunt præſentabiles, benè tamen durante termino juris effici poſſunt tales, ſeu aliàs idem terminus aliud commodum patroni, vel meliorem beneficii proviſionem cauſare poteſt, & conſequenter permittenda non eſt Ordinatio, etiam ad inſtantiam compatroni, dicti termini abbreviatio, niſi quando, ut dictum eſt, totum geratur ſincerè ac bona fide, adeòut dici valeat quod compatroni ita in contumacia conſtituti cenſendi ſint pro ea vice non curantes ſuum jus, cum aliàs de facili hujuſmodi fraudibus abſentium, vel impeditorum compatronorum ſupplantationem locus fieri poſſet.

Præterea in hac facti ſpecie, (niſi aliæ ignotæ alterativæ facti circumſtantiæ concurrerent,) mihi videbatur caſus omninò planus pro dicto Iacobo contra proviſum ab
7 Ordinario ex jure devoluto, ratione juriſpatronatus paſſivi, quoniam ubi etiam nemo ex patronis curaſſet præſentare in toto termino juris, adhuc tamen violari non poterat juſpatronatus paſſivum, ſi illi de genere vocato comparent ac provideri petunt, cum habere dicantur præſentationem ipſiuſmet fundatoris, cujus ratione inſtitutio ipſis debita eſt, quamvis habentes juſpatronatus activum negligerent aliquem præſentare infra terminum juris, ſive alium extraneum præſentarent, ut pluries in præcedentibus ad ma-

materiam juriſpatronatus paſſivi, de quo etiam *diſc. proximè ſequen.*

Si ergò patronorum negligentia in toto termino juris, vel aliud eorum factum poſitivum non poteſt tollere jus eo-
8 rum, qui ex lege fundationis de neceſſitate ſunt præſentandi, multò minus id operari poterit brevior terminus per Ordinario in edicto præfinitus.

Et conſequenter advertebam, quod corruebat ex defectu applicationis propoſitio, cujus proviſus ab Ordinario inniti videbatur, & de qua ſupra in *Piſtorien. diſc.* 31. & in *aliis*, quod ſcilicet patronus non poteſt ſe ipſum præſen-
9 tare, quodque licèt poſſit pro ſe ipſo ſupplicare, non tamen tales preces arctant Ordinarium ad conferendum, eo modo quo arctat valida præſentatio, quoniam ita beneficium acquirere dicitur libertatem, atque patronus qui pro ſe ipſo ſupplicat, habetur jure cujuslibet extranei, cui Ordinarius conferre poteſt, ſed non tenetur; Siquidem id procedere dicebam, quando ageretur de ſolo patronatu activo, ſecus autem ad tollendum jus paſſivum, quoniam plus operari non poteſt nullum, quam nihil, undè propterea, quemadmodum habenti juſpatronatus paſſivum; nullatenus autem habenti activum, quod exiſteret penès alios, adhuc ſuum jus tolli non poſſet, ſi alii non preſentarent, vel præſentarent extraneum, ita multò minus dicendum eſt in præſenti, dum habens patronatum paſſivum, habet quoque activum, quod deductum ad exercitium, non per viam formalis præſentationis arctativæ, ſed per viam precum, aliquod majus jus dare dicitur, quam habeat alter de genere vocato, qui nullam in jure activo participationem habeat; Et propterea, ubi alter proviſus per concordiam ſuo juri non ceſſerit, ſed cauſa diſputationis progreſſum habuerit coram altero ſubrogato in locum Celſi ad purpuram evecti, credendum eſt quod ita judicatum fuerit.

ANNOT. AD DISC. XLIX.

TErminus ad præſentandum, quando poſſit abbreviari habetur infrà *diſc.* 64.

URBINATEN. CANONICATUS PRO JOANNE PAULO CORVINO CUM GABRIELE ROCCIOLO,

& Capitulo illi adhærente.

Reſponſum pro veritate, juxta quod deciſum fuit per Rotam.

De jurepatronatus paſſivo, an induci dicatur per verba *deprecativa*, ſeu aliàs *urbana*, ex quibus id remitti videatur voluntati, vel arbitrio poſſeſſoris juriſpatronatus.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutio cauſæ.*
3 *Quod patronus non poſſit violare ordinem juriſpatronatus paſſivi.*
4 *Idem in fideicommiſſis ſit gravato nominandi, vel præeligendi facultas datur.*
5 *Argumentum procedit à fideicommiſſis ad juſpatronatus pro interpretatione voluntatis.*
6 *Verba denotantia præces, vel deſiderium ſunt obligatoria.*
7 *Quid de verbo* placet, *& de diſtinctione inter diſpoſitionem collatam in liberam voluntatem, vel in arbitrium.*
8 *De differentia inter diſpoſitionem per ultimam voluntatem, vel contractum.*

DISC. L.

1 JOannes Baptiſta Urbinellus, ſervatis ſervandis erexit Metropolitanam Canonicatum ſub reſervatione juriſpatronatus ad favorem Capituli, illud rogando, ut in vacationibus pro tempore, placeret præferre deſcendentes Amotorii, & Corvini ejus conjunctorum uſque ad quartum gradum; Cumque ſequta vacatione, Capitulum rejectis precibus Joannis Pauli Corvini per fundatorem vocati præſentaſſet Gabrielem Ricciolum extraneum, Hinc ex parte dicti Joannis Pauli deſuper pro veritate conſultus fui, ad effectum deliberandi, an proſequi debe-
ret necnè litem, atque me reſpondente, quod videretur ſibi bonum jus aſſiſtere, ſequendo conſilium commiti curavit cauſam in Rota coram Meltio, & cum ſola defenſione cauſæ Patroni abſque interventu Advocati, dando loco informationis in jure idem meum reſponſum, ſub die 25. Junii 1655. conformis prodiit reſolutio, cui, tam Capitu- 2
lum, quam ab eo præſentatus acquieverunt, dictaque reſolutio habetur impreſſa apud Tondut. *de penſion. dec.* 78. repetit. *deciſ.* 68. *p.* 12. *recent.*

In hoc igitur reſponſo, præſuppoſita concluſione, de qua pluries in precedentibus, ut patronus ſpernere non poſſit legem à fundatore adjectam circa genus perſonarum, quas extraneis preferri voluit, adeout eo præſentante ex- 3
traneum, ille de genere adhuc inſtitui debeat, utpotè præſentatus à fundatore, ex deductis ſupra *diſc.* 18. *cum pluribus ibi proximis*, & in hujus cauſæ deciſione.

Quod etiam habemus in materia fideicommiſſaria *diſc.* 33. *& 55. cum ſeqq.* ut gravatus habens facultatem nominandi, ſeu præeligendi, egredi non poſſit genus, vel preterire ordinem à teſtatore præfinitum.

Difficultas reſtringebatur ad punctum, quod fundator 4
voluiſſet ad id præcisè arctare Capitulum, non ſolùm quia loquutus eſt per verba deprecativa, ſeu rogativa, ſed etiam quia adhibuit verbum *placet*, quod ſcilicet dicto Capitulo placeret dictos præferre, quod verbum libertatem potius denotare videtur, quam neceſſitatem.

His tamen non obſtantibus, contrarium dixi verius videri, ſ ut etiam deindè Rotæ viſum eſt,) quoniam receptum habemus, quod ubi aliter diſpoſitum non reperitur, licitè argui poteſt à fideicommiſſo ad juſpatronatus, cum tam Rota, quàm DD. paſim hoc argumento utantur, ut habetur in hujus cauſæ *deciſ.* 68. *par.* 12. *nu.* 7. ubi concordantes; In ultimis autem voluntatibus receptum eſt, di- 5
ſponentis voluntatem facere legem, ac ſervari debere quomodocumque illa explicata ſit, ſive verba ſint preceptiva, ſive deprecativa, aut alias deſiderium denotantia, ut de verbo, *rogo, in l. rogo, ff. de fideicom. libert. l. cum pater, §. rogo, ff. de legatis ſecundo, & l. ubi pure, §. te rogo, ff.* 6
ad trebell. cum concord. per Peregrin. *de fideicommiſ. art.* 1. *num.* 46. Fuſar. *de ſubſtit. qu.* 243. *num.* 3. Et de verbis denotantibus ſolum deſiderium, *in l. hoc modo, & l. eo modo, ff. de legat. primo* cum concord. per Menoch. *conſ.* 369. *num.* 4. *cum ſeqq.* & habetur *deciſ.* 640. *num.* 1. *& 27. part.* 1. *diverſ.* & in cauſæ deciſione, & in dicta ſua materia *ſub tit. de fideicommiſſis*, cum aliis in hujus cauſæ deciſione.

Et quoad verbum *placet*, dicebam juxta ea quæ habentur *in Romana de Jordanis ſub tit. de fideicommiſſis diſc.* 62. cum ibi allegatis, ut quando verba ſunt talia, quod oſtendant teſtatorem, omninò liberæ voluntati hæredis, vel alterius conferre voluiſſe, tunc non intret obligatio, ſecus autem ubi denotant potius arbitrium, ſeu aliàs conſtat de enixa voluntate, ita cum verbis urbanis modeſtiæ cauſa explicata; Et hic videbatur caſus, ut contextus fundationis clarè oſtendebat; Et quod verbum *placet*, importet potius arbitrium, Barboſ. *diction.* 259. Potiſimè verò ubi talis voluntas ſe conformat diſpoſitioni juris laudantis illos de ſanguine præferri debere, data æquali idoneitate, ex deductis ſupra *diſc.* 18. & in aliis. 7

Et quamvis in contrarium ponderaretur, quod premiſſa procederent in ultimis voluntatibus, ſecus autem in diſpoſitionibus ordinatis per actus inter vivos, in quibus 8
ſtrictiùs proceditur, neque admittitur illa magis benigna interpretatio, quæ intrat in ultimis voluntatibus, Attamen, ut pluries advertitur *in eod. tit. de fideicom.* id rectè procedit in illa diſpoſitionis ſpecie, quæ ſequatur per viam contractus merè correſpectivi, & in gratiam alterius contrahentis, cujus interfit contractum ſtrictè intelligi debere, ut latius non pateat, quam ipſius contrahentis voluntas fuerit, ut frequenter contingere ſolet in conceſſionibus feudalibus, vel emphyteuticis, ſive in aliis actibus merè correſpectivis, ut non detur eorum extenſio, ſed facilius ac celerius bona redeant ad ſuam primævam cauſam, Quod etiam in privilegiativis, & gratioſis admitti ſolet, quando privilegium continet exorbitantiam ac præjudicium tertii, ut ſunt præſertim exemptiones à publicis muneribus, cum ſimilibus; Secus autem ubi agitur de nuda interpretatione voluntatis diſponentis, qui pro libito poterat uno, vel altero modo diſponere, cum tunc nulla videatur ſubeſſe probabilis ratio, ob quàm hæc reſtrictio intrare debeat, ideoque licèt aliquæ habeantur auctoritates ac deciſiones, quæ non deſcendendo ad hanc diſtinctionem, id firment etiam ubi agatur de fideicommiſsis, vel ſimilibus diſpo-

poſitionibus ordinatis per donationem, ſeu alium actum inter vivos, attamen id nullum fundamentum, nullamque probabilem rationem habere videtur, ut *ſub tit. de fideicom. diſc.* 141. & in aliis.

ANNOT. AD DISC. L.

DE materia Juriſpatronatus paſſivi habetur pluries hoc *eodem tit. præſertim diſc.* 20. 27. 28. & 70. & *in diſc.* 88. 89. & 90.

NULLIUS BAREN. BENEFICIORUM PRO DOMINICO SANDOLO CUM DOMINICO DE MURA, ET JOSEPHO DE LANCEA.

Caſus diſputatus coram Prælato, & in Signatura reſolutus pro Sandolo.

An, & quando inſtitutio in beneficio juriſpatronatus ad præſentationem dicatur actus judicialis, vel extrajudicialis, ex quo pendet; an ſententia deſuper lata ſit appellabilis necnè; & ſucceſſivè, an executio poſt appellationem, vel intra tempus ad appellandum ſit attentata: Et quid ubi adſint litteræ Apoſtolicæ ad favorem præſentati cum derogatione medietatis vocum. Et aliqua de ſequeſtro.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Quod expediat curare ſequeſtrum beneficii, & de ratione.*
3 *Poſſeſſio vacua, vel attentata eſt ſequeſtranda.*
4 *Sententia ſuper inſtitutione juripatronatus dicitur extrajudicialis, & non intrant attentata.*
5 *Declaratur quando hæc concluſio procedat cum diſtinctione an ſententia ſit lata cum contradictore, necne.*
6 *An id procedat, ubi agitur de executione litterarum Apoſtolicarum cum derogatione partis vocum.*
7 *De materia legitimi contradictoris in beneficiis liberæ collationis, & quid differant ab illis de jurepatronatus.*
8 *Quid autem ubi agatur de beneficiis de jurepatronatus habentibus curam animarum.*

DISC. LI.

SCiſſis votis plurium patronorum in præſentatione ad duo controveſa beneficia vacantia in oppido Terlitii, Præ-
1 latus inferior, qui de facto eſt in ſtatu Ordinarii, ac in poſſeſſione Territorii ſeparati, ſententiam protulit ad favorem Muræ, & Lanceæ, excluſo Sandolo, quo appellante, & commiſſa cauſa in Curia coram Prælato, cum idem Ordinarius illicò, atque intra terminum datum ad appellandum, in quo etiam appellatum fuit, inſtitutos immiſiſſet in poſſeſſionem, requiſitus ego ad ſcribendum pro appelante ſuper negotio principali, quamvis agnoſcerem, quod facta computatione vocum, quæ enumerari mererentur, reſecatis aliis malè admiſſis, illi bonum jus aſſiſteret, ut etiam eventus docuit, (quod tamen totum conſiſtebat in facto,) videns tamen, quod qualitas perſonarum, & beneficiorum ante omnia exigeret remedium ſequeſtri, quod nimis proficuum ad hujuſmodi lites terminandas, vel componendas pluries expertus fui, hinc ſuper illo principali-
2 ter inſteti; Cum enim frequentius in Italia hæc beneficia de jurepatronatus ſint modici redditus pro pauperibus Clericis, neque perſonarum, vel beneficiorum qualitas patiatur judicium ordinarium per tres conformes, & frequentius etiam per quartum executorialem in Curia tractandum, quod tamen poſſeſſor facilius ſubſtinet cum ejuſdem beneficii fructibus, hinc proinde fructibus ſub ſequeſtro poſitis, atque ita litis fomento ſublato, unica inſtantia frequentius cauſas terminare ſolet, dum appellationis proſecutio negligi ſolet.

Aſſumpta igitur ſuper hoc incidenti diſputatione, in qua pro ſequeſtri appoſitione prodiit reſolutio, per Signaturam Juſtitiæ quoque canonizata; Pendebat deciſio à punto, an inſtitutio, quæ præſentato proceditur dicatur actus extrajudicialis ſtatim exequibilis, ac appellationi ſuſpenſivæ non ſubjectus, vel potius è converſò ſit judicialis, ac appellabilis.

Iſta enim ſecunda qualitate poſita, de plano dicebam, etiam cum ſenſu veritatis, intrare ſequeſtrum ex dilemmate pluries in hac materia adhiberi ſolito, de quo *deciſ.* 3
155. *nu.* 10. *&* 11. *par.* 10. *rec.* cum aliis in ſua materia ſub *tit. de benef.* præſertim *diſc.* 98. ubi de materia ſequeſtri, quod ſcilicet, aut ille, contra quem ſequeſtrum petitum, dicit ſe non eſſe poſſeſſorem, & tunc exaudiendus non eſt in oppoſitione, quam adverſus illud faciat; Tum quia de jure poſſeſsio vacua eſt ſequeſtranda; Tum etiam, quia ita id ſibi non nocet, ſed potius prodeſt pro ſperata victoria, ut ſequeſtrum apponatur; Aut è converſò ſe dicit poſſeſſorem, atque ita fatetur, & incontinenti conſtat poſſeſſionem eſſe attentatam, & conſequenter intrat ſequeſtrum.

Ad evitandum autem dictum attentatorum defectum; Dicebant ſcribentes pro poſſeſſoribus regulam juris eſſe, quod ſententia lata ſuper inſtitutione in beneficio juriſpa-
4 tronatus contineat potius actum extrajudicialem, & conſequenter, quod in ejus executione non cadant attentata, ex generaliter deductis per Gonzal. *ad reg. in admot. contra nullit. n.* 14. *& ſeqq.* Adden. ad Buratt. *dec.* 13. *in princ.* Rot. in Cracovien. prepoſit. S. Floriani 27. Maii 1650. coram Bichio, & admittitur per alios, de quibus infra.

Contrarium tamen in hac facti ſpecie veriùs dicebam, ob fallaciam applicationis dictæ regulæ, ſeu concluſionis, 5
quæ in ſuo caſu eſt vera, ad illum præſentis controverſiæ; Procedit enim quando agitur de unico præſentato nullam alterius præſentati collitigantis formalem oppoſitionem habente, unde ſolùm habeat illam oppoſitionem, quam ratione officii faciat promotor fiſcalis Epiſcopi pro libertate beneficii, & ad effectum juſtificationis ipſius juriſpatronatus tunc enim ſententia Ordinarii ſuper inſtitutione, quamvis implicitam, vel etiam explicitam contineat juriſpatronatus canonizationem, dicitur potius extrajudicialis, ac illicò exequutioni citrà vitium attentatorum demandatur de communi ſtylo, laudabiliter inducto, ob vehementem præſumptionem aſsiſtentem ſententiæ Ordinarii contra pro-
prium intereſſe, ſibi præcludendo illam conferendi liber- 7
tatem, quam aliàs haberet, ac etiam, quod iſta ſententia dicitur ſolùm diffinitiva ad effectum, ut non poſſit ab eodem revocari, ut reliquis autem habet potiùs naturam interlocutoriæ, ut advertitur in dicta Cracovien. Prepoſitura S. Floriani coram Bichio, & in his terminis procedunt ſuperius allegati, ac alii; Secus autem ubi pluribus præſentatis, atque de pertinentia beneficii contendentibus ratione majoris partis vocum, ſive ratione pertinentiæ patronalis, vel juris præſentandi, magis ad unum, quam alterum ex præſentantibus, cum proceſſu, ac mera forma judicii emanat ſententia decernens inſtitutionem magis uni, quam alteri; Tunc enim extra controverſiam eſt, actum eſſe judicialem, & conſequenter judicium eſſe ordinarium ac appellabile, terminandum per tres conformes, vel per rem judicatam, ob claram complicantiam, ſeu mixturam petitorii, atque ob concurſum duorum venientium ex eodem titulo, unde propterea unus dicitur alteri legitimus contradictor, ex deductis per Gonzal. *in dictis admot. contra nullit. nu.* 38. *& ſeqq.* Garz. *par.* 9. *cap.* 4. *nu.* 16. *cum ſeqq.* Adden. ad Buratt. *dicta deciſ.* 13. Rot. apud Gregor. *deciſ.* 251. *dec.* 197. *par.* 5. *recent. dec.* 284. *par.* 11. Cracovien. Præpoſiturę 30. Januarii 1645. cor. Veroſpio. in Monopolitana beneficii, me quoque ſcribente edita de anno 1666: coram Emerix, & paſsim, atque de plano intrant, ea quæ habentur ad materiam legitimi contradictoris *ſub tit. de beneficiis*, præſertim *diſc.* 73.

Procedunt hæc abſque dubio, ubi agatur de ſententia Ordinarii inter plures coram eo præſentatos; Difficul- 6
tas autem haberi quandoque conſuevit (licet malè;) ubi agatur de ſententia executoris litterarum Apoſtolicarum ſuper proviſione conceſſa præſentato, cum derogatione medietatis, vel alterius partis vocum, dictæque dubitationi anſam dare conſueverunt, tam regula generalis, de qua pluries *ſub tit. de benefic.* ſuper proceſſu exequutivo litteris Apoſtolicis competente, quàm etiam ex clauſulis ac verbis in ipſis litteris contineri ſolitis, denotantibus, quod, omni appellatione poſtpoſita procedendum ſit.

Verùm, in pluribus, ac pluribus diſputationibus, tam in Rota, quàm coram aliis judicibus deſuper habitis, ſemper dixi prorſus improbabilem eſſe hujuſmodi dubitandi rationem; Tum quia hujuſmodi litteræ continent clauſulas facientes exequutorem mixtum; illas præſertim, *vocatis vocandis, & amoto, &c. & dummodo &c.* ac etiam alteram clauſulam, *verificato jurepatronatus, &c.* ut

ex

ex deductis *dicto disc. 73. de benef.* Tum etiam, quia ut pluries habetur supra, ac etiam infra *disc. 65. & seqq generali* huiusmodi provisiones Apostolicæ, cum derogatione medietatis, vel alterius partis vocum non suffragantur, atque nullius roboris remanent, nisi per provisum justificetur se esse legitimè præsentatum ab illa vocum parte, quam Papa præsupponit; Et consequenter hujusmodi exequutor perneceſse est mixtus, assumere debens partes formales judicis, super inspectione tam numeri, quam qualitatis vocum, seu juris præsentantium, unde ejus sententia perneceſse complicat mixturam petitorii, & canonizationem pertinentiæ patronalis, seu juris, ac possessionis præsentandi, aut modi computationis vocum, quod pariter continet complicationem judicii super natura, seu qualitate juris patronatus, à qua pendet unus, vel alter computandi modus in capita, vel stirpes, urgetque eadem ratio legitimi contradictoris inter duos, vel plures pari titulo venientes.

Et quamvis in beneficiis liberæ collationis, ista regula legitimi contradictoris in ordine ad judicium ordinarium, & appellabile, nimium restricta sit, & quasi annihilata pro-
7 pter subrogationes gratiosas, stante assumpto, quod paritas juris in omnibus, etiam circa istam qualitatem subrogationis, concurrere debeat, ut in dicta sua materia *de benef. d. disc. 73.* & in aliis, attamen impossibile videtur, id verificari posse in hujusmodi gratiis continentibus derogationem vocum; ex dicta ratione, quod oportet jus præsentantium, atque juris patronatus naturam canonizare, cum ab hoc pendeat justificatio gratiæ aliàs inutilis, & an gratiatus habeat necnè illam vocum partem, quæ est ipsius gratiæ fundamentum, ideoque processus exequutivus data oppositione aliorum præsentantium, ac prætendentium habere majorem partem vocum, nullo pacto practicabilis videtur.

De hoc autem vidi quandoque dubitandum, ac disputavi in Signatura Justitiæ, præsertim in una Aretina Plebæ,
6 nave, quando ageretur de Ecclesia Parochiali, in qua scribentes pro possessore, seu contendente de exclusione appellationis suspensivę, dicebant præmissa non procedere ex decreto Conc. Trid., & Const. Pii V. super denegatione suspensivæ appellationis à judicio Ordinarii præligentis in concursu; Verùm improbabilem dicebam hujusmodi prætensionem, quæ à Signatura de plano rejecta fuit, quoniam ea, quæ desuper disponuntur, procedunt in Parochialibus liberæ collationis, in quibus dicta forma concursus adhibenda est, non autem in illis de jurepatronatus laicali, in quibus dicta forma non cadit; Et quatenus inter plures, cum paritate vocum presentatos, concursus intraret, non tamen exindè infertur intrare decretum conciliare, vel Pianam Constitutionem super exclusione appellationis suspensive, Burat. *dec. 625. n. 5.* Duran. *dec. 160. n. 3.* in dicta Cracovien. Parochialis coram Verospio 30. Januarii 1645. ubi in specie respondetur huic objecto.

ADNOT. AD DISC. LII.

DE legitimo contradictore in beneficialibus habetur *sub titulo de beneficiis discurs. 73. & 113. & sub titulo de jud. discur. 43.*

PAMPILONEN. CAPELLÆ DE ESTELLA PRO MARCHIONE DE CORTES, CUM BENEFICIATIS, ET OECONOMIS Ecclesiæ Parochialis S. Petri de la Rua.

Casus decisus per Rotam pro utraque parte respectivè.

De juribus honorificis, aliis que præeminentiis competentibus Patrono in Ecclesia, vel Capella præsertim circa jus ordinandi, seu mutandi iconem, cum similibus; Ac etiam de jurepatronatus circa sepulturas, an & quomodo detur; Et de illius pertinentia, vel successione; Et de differentia juris patronatus, ad effectum præsentandi Rectorem, vel ad effectus juris honorifici.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Distinguuntur puncti causæ.*
4 *Circa modum scribendi.*
5 *Quando dicantur personæ potentes pro rigorosa forma Concilii.*
6 *Etiam in potentibus eadem rigorosa forma non procedit jurepatronatus honorifico.*
7 *Stant simul Ecclesiæ libertas, & jus honorificum.*
8 *De probatione juris patronatus ad formam generalem juris communis.*
9 *Ex possessione sepulturæ non infertur ad jus patronatus.*
10 *Sepulchra sunt in hæreditate, & transeunt ad hæredes, & quando secus.*
11 *Declaratur, an disposita de jure civili procedant de Jure Canonico.*
12 *Quod in Ecclesia, vel Capella de jurepatronatus, non possint alii admitti ad ornandum, & de ratione.*
13 *De jure honorifico patroni.*
14 *An patronus impediat, ne alii solemnitates peragant in Ecclesia, vel Capella.*

DISC. LII.

VOlentibus Beneficiatis, & Oeconomis Parochialis Ecclesiæ Sancti Petri de la Rua Mayor immutare iconem existentem in quadam ibi existente conspicua Cap- 1
pella, aliaqua peragere dictæ Cappellæ ornatum, ac statum concernentia; Se opposuit Marchio de Cortes Regni Navarræ Maresciallus tanquam dictæ Capellę patronus; Et introducta causa coram Ordinario, prodiit sententia eidem Marchioni favorabilis; Devolutaque per appellationem causa in Rota coram Cerro, sub diebus 25. Junii 1600. & 27. ejusdem mensis anni sequentis, prodierunt resolutiones eidem Marchioni favorabiles super usuali dominio, sive jurepatronatus honorifico Cappellæ, ad plures effectus illum præsertim mutationis iconis non faciendæ, sine ejus placito, ac juris ornandi Cappellam, nec non, circa jus privativum sepulturæ, ac jus Marchionissæ sedendi in eadem Cappella, privativè ad alias mulieres, tum præeminentia patronali, respondendo in reliquis pro Beneficiatis, & Oeconomis quoad jus celebrandi, aliasque Ecclesiasticas functiones faciendi in Cappella.

In hujusmodi autem disputationibus quinque fuerunt puncti; Primò, super justificatione jurispatronatus Cappellę per Marchionem præsuppositi; Secundò, super priva- 3
tivo jure sepulturæ; Tertiò, super mutatione iconis, aliisque ornamentis; Quartò, super jure sedendi, aliisq; præeminentiis; Quintò, super jure celebraudi Missas, aliaque divina peragendi in Cappella.

Quatenus ergo pertinet ad primum; Scribentes pro Beneficiatis, & Oeconomis negantibus patronatum, cum nimia prolixitate, copiosisque allegationibus insistebant superiis, quæ pluries in præcedentibus, ac etiam infra *disc. 58. generalis*, habentur super probatione jurispatronatus juxtà rigorosam formam præscriptam à Sac. Conc. Trid. in Baronibus, & Potentibus, qualis erat iste Marchio; Atque informationes desuper editæ, cum non modico la- 4
bore quamdam speciem formalis tractationis materiæ continebant, unde apud vulgus ignarum, ac eos, qui non benè forensem stylum calent videbantur doctissimæ, ac elaboratissimæ, nimiaque commendatione dignæ, & tamen apud doctos, ac peritos erant contemptibiles, judicii imperfectionem indicantes, improbumque superfluum laborem continentes circa ea, quæ utpotè hodie penè notoria, & incontrovertibilia, possunt sine auctoritatibus apud Litteratos præsupponi, sed extranea erant à casu, sive incongrua ad effectum quæstionis, atque in hoc versatur differentia inter judicium litteratorum, ac illud ignari vulgi, ut quod huic placet, an illis contemptibile, ac damnabile reputetur è contrà.

Ea etenim, quę habemus circa dictam rigorosam formam Conciliarem in potentibus, extranea erant à quæstio- 5
ne; Tum quia potentes dicuntur illi, qui jurisdictionem habent in loco beneficii, cujus sint Barones, vel Domini temporales, non autem si baroniam, vel dominium, cum jurisdictione alibi habentes, ibi privatorum civium figuram faciant, ut habetur infrà *dicto disc. 58. generali*, ubi agitur de hac rigorosa forma Conciliari; Tum etiam, quia eadem rigorosa forma procedit in illo jurepatronatus, quod importat veram, ac formalem servitutem Eccle- 6
siæ, & Episcopi perneceſsè instituere debentis illum, quem patronus presentet, cum id presumatur à potentia, & usurpatione processisse, quoties de explicito titulo

tulo Canonico non constet; Secus autem in hoc jurepatronatus merè honorifico ad solos effectus sepulturæ, ac aliquarum præeminentiarum, cum in hoc, nihil per Concilium Tridentinum innovatum sit, ideòque proceditur cum eadem generali juris communis dispositione, quam in quolibet privato habemus, ut in specie cæteris relatis habetur firmatum per Rot. apud Martin. Andr. *decis. 5. num. 5. repetit. decis. 548. par. 2. recent.* Ex ea ratione, quod ita Ecclesia in formalem servitutem reduci non dicitur, quoniam stant benè simul, Ecclesiam esse liberam, & tamen in ea alicui competere hujusmodi jus honorificum, seu illud dominium quod usuale, vel subalterum dicitur, ut in Calaguritana Cappellæ coram Seraph. *inter suas decis. 652.* confirmata 28. Maii 1586. coram Pamphilio.

Posito autem, quod non intrante dicta rigorosa forma, versaremur in terminis juris communis, pleraque adminicula in hac facti specie concurrebant, probationem hujus jurispatronatus concludentia; Tum quia in 8
antiquis minora sufficiunt; Tum etiam, quia si hæc reputantur sufficientia ad probationem jurispatronatus redolentis formalem servitutem, ut supra ex deductis in Neapolitana beneficii *disc. 9.* & infrà *disc. 57. generali*, multò magis ad hunc minorem effectum.

Primò, siquidem concurrebat adminiculum resultans ex armis, seu insignis in parietibus, ac in solo, aliisque partibus, ita & taliter, quod constructionem Cappellæ denotarent; Secundò, ex denominatione Cappellæ, sub hoc nomine Marchionum de Cortes; Tertiò, ex fama publica; Quartò, ex pluribus enunciativis Ordinariorum; Quintò, ex sententia Ordinarii prohibente mulieribus ingressum Cappellæ, excepta Marchionissa pro tempore; Sextò, ex pluribus Cappellæ ornamentis; Et septimò, ex deputatione aliquorum Cappellanorum pro ejusdem Cappellæ cultu, ideòque in hoc primo puncto, nulla videbatur subesse probabilis difficultas.

Quo verò ad secundum punctum super jure privativo sepulturæ; Scribentes in contrarium dicebant, quod in sepulturis non datur dominium, vel jus in proprietate, neque Ecclesiæ, vel Cappellæ jusPatronatus causat jus prohibendi sepulturam aliorum in aliis ejusdem Ecclesiæ, vel Cappellæ partibus, cum solùm in ipsomet individuo se-
9 pulchro proprio, detur quoddam dominium, quod dicitur usuale, cujus ratione competit jus prohibendi, ne alii in eo, invito domino, tumulentur, non autem exindè resultat jusPatronatus, adnotat. per DD. *in cap. abolendæ de sepulturis cum concordantib. collectis*, per Barbos. *de jur. Eccles. lib. 2. cap. 10. num. 12.* Gregor. & Adden. *decis. 145.* Rota *decis. 208. num. 4. par. 4. recent.* & in aliis; Potissimè verò, quia in eadem Capella adest conspicuum antiquum sepulchrum cujusdam Regis Navarræ, unde propterèa inferebatur ad exclusionem juris privativi.

Verùm (in sensu etiam veritatis;) Dicebam justitiam quoque assistere hujc parti, quoniam ex iis, quæ habentur
10 *discurs. sequent.* in sepulchris datur etiam, saltem ratione materialitatis tale dominium, quod illud dicitur esse in hæreditate, unde transeat ad hæredes, ac etiam sit affectum creditoribus, ad quorum instantiam, etiam vendi potest, quoties non agatur de sepulchro constructo pro familia, seu aliàs comprehenso sub majoratu, vel fideicommisso, ita ut concurrat circumstantia, quæ limitet dictam regulam, ad text. *in leg. jus sepulchri, Cod. de relig. & sumptibus funerum, l. familiaria, ff. eod. cum concordan. collectis*, per Medices *de sepulturis par. 1. quæst. 15.* Molina *de primogenitura lib. 1. qu. 24. nu. 41.* Gratian. *discept. 210. nu. 37.* Lotther. *lib. 2. qu. 4. nu. 23. in fine*, Salgad. *in labyr. par. 3 c. 5. n. 50.* & *51.* & admittitur in Auximana sepulturæ coram Dunozett. *inter suas dec. 777.* & in eadem 28. Maii 1646. coram eodem extensa per Arguelles, ubi latè, ac eruditè de hac materia sepulchri familiaris agitur.

Et quamvis ea, quæ de jure civili disposita sunt in materia sepulchrorum, non procedant de Jure Canonico, juxtà traditionem Hostiensis *in dicto cap. abolendæ*, cum quo cæteri Canonistæ pertranseunt, ex deduct. per Lotther. *ubi supra*, Coccin. *decis. 291.* Gregor. & Adden. *dicta decis. 145.* Attamen id procedit ad effectum, ut ex jure sepulchri non inferatur ad servitutem Ecclesiæ, & ut in ea alii fideles humani possint, non autem, ut hujusmodi libertate remanente in tota Ecclesia, ejusque cœmeterio, id restringatur ad aliquam Cappellam propriam, in qua sicuti extraneis non competunt jura honorifica, & patronalia, quinimò neque onerosa, juxtà ea, quæ habentur infrà in tertio puncto proximè sequenti, ita etiam in jure sepeliendi, permittenda non ex extraneorum mixtura, nisi consuetudo legitimè inducta aliud suadeat, cum cesset ratio conclusionis, atque in contrarium urgeat altera ratio, de qua proximè infrà, super puncto ordinandi Cappellam.

Ex dicto autem antiquo conspicuo sepulchro Regio, nullatenùs inferri poterat ad dicti juris privativi exclusionem; Tum quia iste Marchio hujusmodi sepulchrum ad majorem honorificentiam retinet tanquam adminiculum descendentiæ à dicto Rege, vel de ejus sanguine; Tum etiam, quia si patronatus ad propriam honorificentiam, & Cappellæ decorem consentit, imò studet aliquem Principem, vel 11
magnum virum in ejus Cappella, vel sepulchro immitti, non inde tamen inferri potest ad aliorum libertatem, quoniam esset dare inconveniens, ut inducta ad favorem, ac majorem præeminentiam retorquerentur in odium, ac prejudicium, contra vulgaria axiomata.

Super tertio puncto non immutandi iconem, vel non faciendi alia ornamenta, invito patrono, se offerente supplere id, quod opus esset; Pariter dicebam, (etiam in sensu veritatis,) justitiam dicto Marchioni assistere, ut in secunda decisione quoque firmatur; Tum ex viva ratione assignata per Ancharan. *consil. 113.* quod reputatur in materia magistrale, & per Ananiam *cons. 86.* ubi Bolognin. *in addit.* ne scilicèt ex aliorum mixtura, in- 12
ducatur confusio, ob quam progressu temporis, resultare possit dubitatio, quisnam esset Cappellæ dominus, vel constructor; Tum etiam ex regula, *secundum naturam*, &c. ut quem sequuntur commoda, sequantur etiam incommoda; Ecclesiæ siquidem, vel Cappellæ patronus, tenetur illam ornare, ac restaurare, quoniam reputatur loco patris obligati suppeditare filiis alimenta, aliaque necessaria, ut cæteri relati advertunt Genuenti: *in praxi Archiepisc. cap. 109. num. 13.* Ventrig. *in praxi, seu adnot. Eccles. titulo de Oratoriis, & Cappellis adnotat. 19. §. nunico num. 33.* & conferunt deducta per eumdem Genuens. *cap. 92. num. 11* Lambertin. *lib. 3. par. 3. artic. 5. num. 18.* Quemadmodum enim proprietarius, invito usufructuario, vel è contrà, rei formam, etiam in melius, immutare non potest, ita idem dicendum videtur in præsenti, ut advertit Rota *decis. 550. num. 1. par. 1. diverſ.* Potissimè circa icones antiquos, quos magis decorum est conservari, quàm longè majora ornamenta moderna facere, ex illa propositione, *quod omne ignotum, pro magnifico.*

Quoad quartum punctum juris ingrediendi Cappellam, ibique sedendi privativè, seu discretivè ad reliquum populum, ad denotandam honorificentiam patronalem, pariter est jure receptum, ex collectis per Gratian. *discept.* 13
110. cum seqq. & discept. 210. num. 40. cum seqq. ubi concordantes, & dicta dec. 5. apud Martin. Andream *aliàs decis. 548. par. 2. recent.* ubi de jure sedendi, & de aliis præeminentiis.

Demùm justa etiam erat prætensio Beneficiatorum, seu Canonicorum, ac etiam Oeconomorum, ut à patrono impediri non possent, ibi divina peragere, ac re- 14
liqua omnia cultum divinum respicientia, juxtà firmata in dicta Calaguritana coram Seraph. *inter suas decis. 552.* & in ejus confirmatoria coram Pamphilio, dummodò tamen id percuteret cultus augmentum, cumulativè cum illo cultu, qui fiat per patronum, & Cappellanum, vel alios ministros particulares, non autem in istorum concursu, & impedimento, juxtà ea, quæ in proposito celebrandi solemnitates in Ecclesia Parochiali, invito Parocho, habentur in Majoricen. *sub titulo de Parochis discurs.* 30. Et conferunt in idem, ea quæ habentur in Neapolitana Cappellæ *sub titulo de præeminentiis disc. 13. super puncto*, an Episcopus, & Canonici Cathedralis, invito patrono, & fundatore Cappellæ, functiones solemnes, & jurisdictionales in ea facere valeant, cum similibus; Ideòque si ipse patronus aliquam solemnitatem suo sumptu, & pro sui juris conservatione, absque aliorum mixtura, decenter vult celebrare, rectè alios prohibere potest, non autem, si illi diversis temporibus, ad majorem cultum, vel populi devotionem, id peragere velint, dummodò non in æmulationem, seu aliud præjudicium, juxtà ea, quæ in proposito celebrationis ejusdem festi in pluribus Ecclesiis, & cum pluribus processionibus, vel aliis solemnitatibus; habentur *sub eodem titulo de præeminentiis discurs.* 10. ideòque in hoc decisio pendet ex facti qualitate, &

circum-

circumstantiis pro Episcopi, vel alterius Superioris prudenti, benèque regulato, ac discreto arbitrio.

ADNOT. AD DISC. LII.

AD materiam istius discursus conferunt deducta *in hoc eod. tit. disc.* 84. occasione agendi de puncto, an Patronatus teneatur decentius ornare Cappellam, si Ecclesiæ aliarumque Cappellarum status est ad structuram redactus & meliùs *ad disc.* 73.

ROMANA CAPPELLÆ PRO JOSEPHO COSTA CUM PROMOTORE FISCALI Visitationis, & Adhærentibus.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Visitationis, & resolutus pro Josepho.

An jusPatronatus honorificum, sive usuale dominium cappellæ, & sepulturæ alienari possit cum pretio, vel sine, absque licentia, & consensu Superioris; Et an concessio situs in Ecclesia pro construenda cappella, vel sepultura, dicatur importare alienationem, itaut intervenire debeant solemnitates; Et an concedens situm, remaneat compatronus cum constructore capellæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *Donatio juris præsentandi ad cappellanias manuales erectas sine auctoritate superioris fieri potest, sine consensu ejusdem superioris.*
3 *Dominium cappellæ, vel sepulchri est hæreditale, & est affectum creditoribus, ac vendi potest.*
4 *De beneplacito Apostolico præsumpto, ex lapsu temporis.*
5 *Concessio situs in Ecclesia pro cappella, vel sepultura, potest fieri per Prælatum, vel Rectorem etiam cum recognitione.*
6 *An Ecclesia, ratione situs, quem concedit, efficiatur compatrona cappellæ, quæ ibi construitur.*

DISC. LIII.

1 EX concessione situs facta per Capitulum, Cardinalis Santorius S. Severinæ nuncupatus, de anno 1595 cappellam, & sepulturam construxit, & dotavit in Basilica Lateranensi, aliquas Cappellanias manuales etiam in ea erigendo; Cumque jura hæreditaria dicti Cardinalis consolidara essent in Antonio ex germano fratre pronepote, hic dictam cappellam, & sepulturam, cum jure præsentandi, seu deputandi Cappellanos, donavit JosephoCostę filio Agathę ejusdem Cardinalis neptis ex fratre contra quem, Promotor Fiscalis Sacræ Visitationis Apostolicæ, cui etiam adhærebant aliqui dicti Cardinalis per cognitionem conjuncti difficultatem promovit tam super invaliditate dictæ donationis, utpotè factæ sine licentia, & consensu Ordinarii, quàm etiam super invaliditate dictæ concessionis situs factæ per Capitulum, sine solemnitatibus per Sacros Canones, & per *Extravagant. Ambitiosæ*, requisitis in alienationibus bonorum, & jurium Ecclesiæ; Quare desuper assumpta disputatione, de anno 1657. in ejusdem Visitationis Congregatione, pro Josepho prodiit in omnibus resolutio, & quidem justè, ac rationabiliter.

In disputationibus autem desuper habitis, distinguendo dictas inspectiones, unam scilicet super donatione cappellæ, cum jure præsentandi, vel deputandi Cappellanos; Et alteram super concessione situs, facta per Capitulum pro constructione ejusdem cappellæ; Quatenus pertinet ad primam, dicebam etiam cum sensu veritatis, injustam esse oppositionem, quoniam circa donationem juris præsentandi, seu deputandi Cappellanos, tunc intrarent ea,
2 quæ ex adverso deducebantur super prohibita donatione juris patronatus sine consensu Ordinarii, adeòut neque sufficiat ille Vicarii Generalis, absque speciali mandato, ex deductis in præcedentibus, quando ageretur de Beneficiis, vel Cappellaniis, cum Ordinarii auctoritate formiter erectis in titulum collativum, secus autem in hujusmodi Cappellaniis manualibus, dictam erectionem non habentibus, magisque redolentibus simplex pium legatum, habens onus annexum Celebrat. Miss., cum tunc regulæ beneficiales non intrent, adeout hujusmodi Cappellaniarum, nedum laici, sed etiam mulieres, & infantes sint capaces, ex deductis apud Buratt. *decis.* 1. & *decis.* 224. Dunozett. *decis.* 101. *repetit. decis.* 238. *par.* 5. *rec.* & *sub titulo de benefic.* ad materiam manualium; Et in specie donationis, vel alterius concessionis juris deputandi hujusmodi Cappellanos, quod non intrent regulæ beneficiales, Garz. *par.* 1. *cap.* 12. *num.* 102. & conferunt, quæ habentur infra *disc.*55. de cessante necessitate consensus Ordinarii in acquisitione juris patronatus ex fundatione vel dotatione hujusmodi manualium.

Quo verò ad concessionem ipsius Cappellæ, ac illius juris honorifici, quod ex Cappellarum usuali dominio resultat, pariter cautum non videtur in jure aliquam licentiam vel consensum Ordinarii requiri; cum nihil detur spirituale, ut contingit, quando donatur ipsum jus patronatus redolens formalem servitutem Ecclesiæ, vel beneficii 3
sed donari dicatur illud improprium, quod aliqui subalternum; alii verò meliùs; usuale dominium dicunt, competens ratione rerum materialium prætio æstimabilium, adeòut veniat in hæreditate, ac etiam affectum sit creditoribus, & cadet sub eorum concursu, vendique possit pro pretio ipsis materialibus proportionato, absque aliqua spiritualitatis mixtura, ex deductis per Barbos. *de jure Eccles. lib.* 2. *cap.* 10. *de sepulturis num.* 18. Rovit. *consil.* 75. *lib.* 2. Adden. ad Gregor. *decis.* 145. *in fine*, Salgad. *in labyrint. par.* 3. *cap.* 5. *num.* 50. & 51. atque ita docet recepta praxis; Multò magis dum agebatur de gratuita donatione facta in eum, qui dici poterat compatronus, utpotè aliquod jus habens in persona matris in hæreditate dicti Cardinalis, non obstante existentia masculorum, dum ex aliquibus circumstantiis, prætendebatur non intrare Statutum Urbis 146. sed potius successionem regulari debere ad limites juris communis novissimi, per quod agnationis, & cognationis, vel sexus differentia, (licèt malè, & contra Italiæ) sublata fuit.

Quo verò ad aliam inspectionem super prætensa invaliditate concessionis situs factæ per Capitulum, adhuc prorsus irrelevans erat oppositio, quoniam ubi etiam ageretur de formali alienatione, adeout caderet sub dispositione *Extravagan. Ambitiosæ de rebus Eccles. non alienan.* adhuc tamen stante lapsu longissimi temporis annorum 4
60. & ultrà, intrabat beneplacitum præsumptum, quod de jure resultat ex sola observantia tricennali, ut in sua materia *sub tit. de alienat disc.* 1. & alibi pluries, potissimè ubi non intrat obstaculum resultans ex Constitutione Urbani VIII. superventa de anno 1641. Tum quia dicta præsumptio jam perfecta, & completa erat; Tum etiam, quia intrare non videtur in hujusmodi materiis, eo modo quo non intrat in alienationibus, quę fiant inter Ecclesias, & Ecclesiasticos, ut *d. disc.* 1. *de alienat.*

Verùm dicebantur hæc ad superabundantiam, dum hujusmodi concessiones non important verum, ac proprium dominium, seu formalem servitutem Ecclesię, sed quod- 5
dam dominium usuale, redolens quoddam jus honorificum seu quamdam prærogativam discretam ab aliis de populo; Ideòque receptum est per solum Prælatum, seu Rectorem Ecclesiæ hujusmodi concessiones fieri posse juxta *consil.* 1. Navarr. *de sepulturis*, ut per Genuen. *in praxi Episcopal. cap.* 41. *num.* 16. Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 4. *nu.* 10. *cum seqq.* Rot. *dec.* 220. *part.* 1. *diversf.* Cavaler. *dec.* 15. *nu.* 2. & *in aliis*. Cadente solum quæstione, quatenus concesio fiat pretio mediante, an id simoniam redoleat, sed concluditur negativè, & meritò, quoties pretium est proportionatum materialitati absque spiritualitatis mixtura, Rodriq; *quæst. regular.* 58. *art.* 2. Genuen. *in praxi d. cap.* 41. Lott. *d qu.* 4. *n.* 14. atque ita docet recepta praxis.

Excitata etiam fuit difficultas, an Capitulum haberet 6
participationem juris patronatus dictæ Cappellæ, ratione dominii situs, cum rectè dari possunt duo patroni, unus ratione situs, & alter ratione fundationis, sive unus ratione constructionis, & alter ratione dotationis, ex deductis *decis.* 137. *num.* 2. *cum seqq.* post Vivian. Verùm & in hoc dicebam difficultatem non cadere; Licèt enim Abbas *in cap. ad audientiam de Eccles. ædif. num.* 11. dicat Ecclesiam concedentem situm, ratione soli effici compatronam, attamen idem Abbas asserit contrarium de facto servari, atque talem esse communem consuetudinem testantur Lambertin. *lib.* 1. *par.* 1. *quæst.* 8. *art.* 6. *num.* 4. & 6. Vivian. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 59. & *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 49. Gonzal. *ad regul.* 8. *gloss.* 10. *num.* 12. atque talis est de facto

to communis, & recepta praxis, dum reverà, id non importat formale jusPatronatus, ut supra.

ANNOT. AD DISC. LIII.

DE materia Sepulchorum in materia jurispatronatus, & quando vendi, seu alienari valeant, habetur latè actum in Miscell. Eccles. *disc.* 18.

JANUEN. JURIS DISTRIBUENDI DE DURATIIS, PRO GEORGIO MARIA, CUM VICENTIO de eadem familia Duratia.

Responsum.

De modo succedendi in jure administrandi, & distribuendi eleemosynas, & subventiones in familia, vel alia hujusmodi jura honorifica, & præeminentialia exercendi.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quando opus habet tractum perpetuum, & successivum, tunc officium executoris non est personale, sed habet tractum successivum.*
3 *De locis in quibus agitur de puncto in materia fideicommissaria, & quod intrent termini jurispatronatus.*
4 *Regulariter officium executorum est personale, & quando transmittatur.*
5 *In jurepatronatus familiari fit computatio vocum in capita, non in stirpes.*
6 *Quando intret computatio in stirpes.*
7 *Ex quibus tota familia vocata censeatur, tanquam unum corpus sine distinctione linearum.*
8 *Nominatio personarum, quod non tollat dictam unitatem.*
9 *Quod observantiæ sit deferendum, illaq; dividi non possit.*
10 *De numero pari magis congruo, & usitato, quàm impari.*
11 *Peritis non est deferendum, nisi in concernentibus peritiam.*

DISC. LIV.

1 BAptista Duratius prole carens, in testamento condito de anno 1583. institutis hæredibus sororibus, aliisque dispositis ad rem non facientibus, mandavit ex ejus effectibus investiri in redditus, vulgò *comperas*, S. Georgii libras 250. m. ad effectum, ut ejus fructus, juxtà satis laudabilem, ac frequentem Civitatis Januen. morem, singulis annis in perpetuum pro decore familiæ distribuerentur illis de eadem familia magis indigentibus, descendentibus à Vincentio patruo vivente, & Jacobo altero patruo prædefuncto, deputando tam super hoc legato, quàm super omnibus aliis in eodem testamento dispositis in executores, qui in ea Civitate vulgò *fideicommissarii* appellantur, dictum Vincentium patruum, ac Jo: Baptistam, & Jo: Antonium ejus filios, necnon Petrum, Augustinum, & Jo: alios dicti Jacobi alterius patrui prædefuncti, ac etiam Dominicum Borsonum virum unius ex dictis sororibus, & futurum virum alterius sororis innuptæ, qui fuit Michael Justinianus mandando quod quatuor ex dictis executoribus concluderent, dummodo inter eos adessent tres de familia.

Quamvis autem dicta deputatio facta esset nominibus appellativis, absque aliqua provisione pro tempore futuro, attamen observantia dedit, quod uno deficiente, subrogatus est alter de familia, frequentius verò filius in locum patris, vel frater in locum fratris, atque sequuta de anno 1664. morte Nicolai descendentis à dicto Petro, Georgius Maria ejus filius in locum patris subrogari petiit; Se opposuit autem Vincentium nepos ex filio dicti Jo: Baptistæ, prætendens istum locum supprimi debere, magisque expedire, quod exequutorum numerus esset septenarius, hoc est extranei in locum unius ex dictis sororibus, cujus linea duravit, & sex de familia, ita servando æqualitatem inter dictas duas lineas Vincentii, & Jacobi, quæ tractu temporis redditæ sunt nimium inæquales, cum de tempore presentis controversiæ in linea Vincentii senioris adessent solum ipse Vincentius junior oppositor, ac dicti duo ejus filii in altera verò Jacobi adessent 24. circiter masculi rationis compotes ex dictis tribus Jacobi filiis descendentes; Cumque ille Senatus, vel alter Magistratus, juxtà morem petiisset votum aliquorum Assessorum, seu Jurisconsultorum, ab istis prodiit responsum, oppositoris voto conforme quasi quod de congruo expediret dictum numerum esse inæqualem, non obstante, quod testator æqualem numerum octonarium deputasset, cum id casui potius referendum veniret, ob incertitudinem, an foror inupta habere deberet, necnè virum, assignata pro principali fundamento ratione æqualis concursus, inter lineas per testatorem vocatas, fundando tamen in voto desuper edito in generalitatibus, in quibus consistebant etiam informationes hinc inde editæ, aliud speciale, seu ad rem non continentibus, nisi auctoritatem Ancharani *consil.* 27. *num.* 7. super successiva, & perpetua vocatione, vel subrogatione dictorum executorum, ob perpetuitatem operis à testatore expressè 2
demandata, cumulando in idem collecta per Mandell. *cons.* 51. *num.* 1. & *per tot.* ubi Adden. & Fusa. *quæst.* 182. & 479. super successiva, & perpetua duratione fideicommissi ex conjecturis, & circumstantiis perpetuitatem, ac tractum successivum denotantibus.

In hoc autem statu ex parte dicti Georgii Mariæ actoris 1
requisitus, tam de proprio sensu pro veritate, quàm de responso ad causam, sub aliorum Assessorum remissione pendentem; Quamvis quæstio percuteret magis terminos fideicommissorum, quàm istos jurispatronatus; unde propterea *sub tit. de fideicom.* actum habetur de aliis consimilibus controversiis, præsertim in Januen. distributionum *dis-* 3
cursf. 3. & in Neapolitana distributionum *disc.* 22. Attamen ad effectum decidendi istam controversiam particularem, magis adaptati; ac proximi, mihi visi sunt isti termini jurispatronatus familiaris, super modo scilicet concursus vocum, earumque computationis in exercitio juris præsentandi, aliorumque jurium patronalium.

Præsuppositа igitur perpetua, & successiva duratione dictorum exucutorum, quamvis in verbis eorum deputatio esset personalis, (qualis de jure censetur executorum deputatio,) ex plenè deductis apud Dunoz. *dec.* 208. *repet. decis.* 4
38. *par.* 6. *rec.* stante quod operis perpetuitas, magis verò successiva observantia ferè unius sęculi id comprobabat, deducendo in id, ea quæ specialiter, ac magis ad rem in proposito habentur supra in Sabinen. juris nominandi *disc.* 39. potissimè quia id jam supponebatur tanquam absolutum.

Quatenus pertinet ad punctum controversum; Dicebam hujusmodi ispositionem continere quamdam speciem duplicis jurispatronatus activi, & passivi, quorum primum est solum honorificum super facultate, ac jure distribuendi, ad instar juris præsentandi competentis, habentibus jusPatronatus activum; Alterum verò est utilitarium illorum de familia indigentium, quibus distributio facienda est, adinstar illius necessariæ præsentationis, vel nominationis, quæ debetur personis habilibus de genere vocato, juxtà pluries deducta in precedentibus ad hanc materiam jurispatronatus passivi.

His ita prænotatis, quodque extra controversiam, utrumque jus esset meræ familiare, absque aliqua mixtura qualitatis hæreditariæ; Hinc dicebam unum de duobus pernecessè in puncto juris, & quatenus à retroacta consuetudine recedendum esse, pernecessè concludendum venire; Vel scilicet, quod nulla cadente distinctione linearum, venirent omnes pro tempore existente de familia in capita, non autem in stirpes, vel quod essent quatuor lineæ distinctæ.

Prima pars dilemmatis probata remanet ex eo, quod ordo succedendi in stirpes repugnare potius videtur naturæ, seu qualitati jurispatronatus familiaris, utpotè congruus jurispatronatus hæreditario, & consequenter ma- 5
gis repugnans qualitati familiari, vel gentilitiæ, an quo tota familia reputatur tanquam unum corpus, seu una universitas equè constituenda ab omnibus ejus membris, vel partibus, ad text. *in Clem. plures de jurepatronatus*, ubi scribentes, Bald. *in l.* 2. *Cod. de suis, & legitimis*, Alex. de Nevo *consil.* 63. *nu.* 2. & 3. Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 11. *num.* 123. Vivian. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 28. & *seqq.* Buratt. *dec.* 183. *num.* 16. Rota *decis.* 82. *num.* 8. *par.* 7. *rec.* cum aliis de quibus supra Comen. beneficii *disc.* 23. & in aliis, ac etiam infrà *disc.* 61 *generali* super modo computandi voces.

Et quamvis non implicet etiam in jurepatronatus familiari, vel gentilitio generaliter, ac in ejus substantia in individuo, dari eumdem concursum in stirpes, juxta or- 6
dinem jurispatronatus hereditarii; Attamen advertebam id procedere, quando ab initio plures lineæ æqualiter constitutæ, ac discretę essent, quia nempè jusPatronatus reservatum esset pro duobus, vel pluribus, qui propriis, ac appellativis nominibus vocati sint, eorumque descendentibus, juxtà distinctionem derivatam ex textu in *cap.* de eo.

de eo, qui sibi, & hæredibus suis in usibus feudorum. Tunc enim inter uterque computandi modus in stirpes, & in capita respectivè; In stirpes scilicet inter ipsas lineas simul concurrentes, tanquam plures distintæ Universitates, seu plura distincta corpora, adeòut nulla habita ratione capitum, tanta sis vox lineæ, in qua unus, vel duo existant, quanta sit vox alterius, in qua existant centum, & ultra; In capita verò in qualibet linea discretivè ad illam repræsentandam, seu ad constituendam majorem partem, quæ absorbendo, seu suffocando minorem, totam repræsentat, juxtà eosdem terminos *Clem. plures de jurepatronatus cum ibi notatis* de quibus *dec. 2. par. 7. recent.* & pluries in præcedentibus; præsertim *disc.* 32. cum proximis, & infrà *d. disc.* 61. *generali*.

Atque cum his terminis, istaque distinctione linearum, procedendo sequi observabam secundam partem dilemmatis, quod scilicet non duæ, sed quatuor lineæ per testatorem constitutæ fuissent; Unam scilicet Vincentii patrui viventis, sub qua accessorie vocati essent duo ejus filii; Et tres aliæ ex præfatis Petro, & Augustino, & Joanne, qui (defuncto jam eorum patre,) principaliter, propriis, ac appellativis nominibus vocati sunt, juxta dictam distinctionem; Vel ubi etiam admittendum esset, ut duo filii dicti Vincentii, utpotè propriis etiam, ac appellativis nominibus vocati proprias lineas ab initio distincta constituerent, adhuc sonaret in idem, cum confusa linea patris in filii, unoque istorum defecto sine prole, una tantùm supereset linea in concursu aliarum trium ab initio constitutarum adhuc durantium, ideoque quomodocumque diceretur, in puncto juris, ac præscindendo ab observantia, æqualitas per oppositorem prætensa nullum habere videbatur fundamentum.

Omninò autem verius videbatur, ut hæc linearum distinctio in testatoris animo non fuisset, sed considerasse istud jus merè familiare in universa familia tanquam in uno genere, seu uno corpore individuo obrinere debente utrumque jus honorificum, & utilitarium respectivè; Id
7 autem non solùm comprobari observabam ex generali regula juris, de qua supra, fundata in individuitate subjectæ materiæ, ut advertitur à simili in Romana palatii de Capranica *sub tit. de fideicommissis disc.* 106. sed etiam à vocatione contemporanea patris, & filiorum, quod repugnat ordini succedendi in stirpes, ac propriè congruit vocationi familiari, ex deductis apud Buratt. *dict. dec.* 183. *nu.* 16. *dec.* 82. *nu.* 10. *par.* 7. *rec.* & *in aliis*; Et clarius ob pluries repetitam dispositionem, quod ex dictis octo executoribus per testatorem deputatis, quatuor concluderent, dummodò inter istas adessent tres de familia; Hinc enim ternarius numerus votorum æqualium de directo adversatur dictæ distinctioni duarum linearum, seu stirpium; ut clarè ad sensum patet.

Neque vocationi totius familiæ tanquam unius corpo-
8 ris, adversari dicebam enumerationem personarum, cum hæc fieri quandoque soleat, ad denotandum, de qua familia senserit, & ne aliàs extranei eamdem nuncupationem habentes hujusmodi participationem prætendere possent, ut in proposito advertitur *d. disc.* 106. *sub tit. de fideicomm.*

Admittebam, quod in hac materia principaliter, ac omninò deferendum est observantiæ, quæ principatum obtinet, ut pluries in præcedentibus advertitur, ac etiam infrà *disc.* 61. *generali*, super exercitio juris præsentandi; Dicebam tamen istam observantiam dividi non posse, sed vel attendendam, ut de præterito penè per sæcula fuerat, quod confirmabat actoris intensum, vel quod ab ea recedendo, attendi deberet dispositio juris communis, juxta vulgarem, & quotidianam propositionem, quam habemus in casu mito, seu omisso per Statutum, vel consuetudinem.

Motivum verò congruentiæ, ob quod vota deberent esse potiùs inæqualia, quàm æqualia, nullum hubebat fundamentum, ob adversantem voluntatem testatoris non solum ob octonarium numerum ab initio constitutum, sed clariùs, quàm parem quaternarium numerum designavit sufficientem ad concludendum, ac si essent omnes; Quodquæ æqualis potius, quàm inæqualis numerus adhiberi debeat in hujusmodi collegiativis, vel universalibus juribus, infinuabam antiqua exempla Moysis, ac Romuli, dum ille æqualem numerum septuaginta, alter verò pariter æqualem numerum centum Patrum deputavit; Atque D. N. Jesus Christus in electione Apostolorum parem duodenarium, ac in illa Discipulorum pariter æqualem 72. numerum designavit; Prout Collegium Cardinalium ex pari numero 70. constitutum est, distributum in tres ordines, quorum singuli, parem non autem imparem numerum habent; nempè sex Episcopi, 50. Presbyteris, & quatuordecim Diaconi: Idemque habetur in denario, vel duodenario numero Tribunalium Rotæ, Cameræ, & Signaturæ in Urbe, & in consiliis plurium Rerumpublicarum, cum similibus, ideòque non videbatur, cui fundamento ista consideratio innixa esset.

Potissimè quia de congruentiæ rationibus, ad supremum Principem, vel Magistratum jura Principis habentem inquirere pertinet, non autem ad jurisconsultos, qui electi tanquam assessores, ac periti, suum votum proferre debent prout de jure; atque in concernentibus eorum peritiam, non autem in aliis ab illa extraneis; Ad instar eorum, quæ habemus circa peritorum rationes attendendas in iis tantùm, quę eorum artem, seu peritiam concernunt, non autem in iis, de quibus inspicere pertinet ad judicem, Cæphal. *consil.* 104. *num.* 26. Dunozet. *dec.* 826. *num. fin.* Otthobon. *decis.* 205. *num.* 12. & in aliis frequenter.

ANNOT. AD DISC. LIV.

De materia hujusmodi distributionis ultra discurs. enunciatos *sub tit. de fideicomm.* habetur *in hoc eodem tit. discurs.* 237. & de ordine succedendi in jurepatronatus habetur *in disc.* 87.

De modis, quibus acquiratur jusPatronatus in Ecclesia vel Capella, seu Beneficio.

SUMMARIUM.

1 *De introductione juris patronatus, ejusque ratione, & quod si ex gratia, & benignitate Ecclesiæ.*
2 *Per constructionem, dotationem, & fundum acquiritur jus patronatus de justitia.*
3 *Etiamsi non exprimatur.*
4 *Dummodo accedat consensus Ordinarii.*
5 *An sufficiat ille Vicarii Generalis sine mandato speciali.*
6 *Quando de facili mandatum præsumatur in Vicario.*
7 *Non requiritur autem in Capellaniis Manualibus.*
8 *Potest dictus consensus præcedere, vel subsequi.*
9 *An possit supervenire post mortem fundatoris, & quid in feudis.*
10 *Sufficit consensus implicitus, & virtualis.*
11 *Vel præsumptus, qui resultat à longa observantia.*
12 *Qui fundat ex necessitate, non acquirit jus patronatus.*
13 *An hæres, qui fundat, vel dotat ex præcepto testatoris acquirat jus patronatus.*
14 *In Ecclesia Regulari non acquiritur jus patronatus sine privilegio Apostolico in limine.*
15 *Declaratur quando id procedat, necne.*
16 *Per refectionem Ecclesiæ non acquiritur jus patronatus, & quando secus.*
17 *Ita etiam per augmentum dotis.*
18 *In casu augmenti dotis, vel refectionis, ubi etiam sit apta ad jus patronatus requiritur expressio non necessaria in casu moræ constructionis, vel dotationis.*
19 *Ordinarius non potest concedere Ecclesiam liberam in patronatum sine causa.*
20 *Et in casu constructionis, vel dotationis non acquiritur jus patronatus, si constat de diversa voluntate etiam conjecturali.*
21 *Si plures concurrant, puta unus construat, alter det solum, & alter dotet, omnes efficiuntur patroni.*
22 *De acquisitione ex privilegio Apostolico, non autem inferioris.*
23 *De aliis modis acquirendi remissivè.*

DISC. LV.

Ad excitandum fideles ad Ecclesiarum, vel Cappellarum, & Altarium, seu præbendarum constructionem, fundationem, & dotationem, ut ita divinus cultus augeatur, laudabilis in Ecclesia Catholica inolevit usus, qui deinde in legem transiit, ab ejusdem tamen Ecclesiæ gratia, & benignitate prodita, ut Ecclesiarum, vel Cappellarum constructores, fundatores, & dotatores, Patroni efficiantur, atque jus patronatus acquirant tam quoad quasdam præeminentias, ac jura honorinca, quàm etiam quoad jus nominandi, seu præsentandi Rectorem, quem Ordinarius, vel alter Superior, ubi sit aliàs capax, ac idoneus admittere, & instituere tenetur; Id tamen ex Ecclesiæ gratia, & benignitate, ad text. *in cap.* 3. 1

cap. 3. & *cap. nobis de jurepatronatus*, ubi communiter scribentes, Vivian. *de jurepatron. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 33. & *c.* 9. *n.* 8. & communiter.

Tripliciter autem, ad differentiam illius puræ gratiæ, quæ ex privilegio resultat, de justitia acquiritur jus patronatus, nempè constructione, dotatione, & datione soli, seu territorii ad Ecclesiam fundandam, neque alter habetur in jure modus, per quem jus patronatus de justi-
2 tia quæratur *cap. Monasterium*, & *c. filius, vel nepotibus* 16. *q.* 7. *c. Abbatem* 18. *q.* 2. *cum concord.* per Abb. *consil.* 54. *n.* 1. *p.* 1. & *consil.* 59. *n.* 2. *p.* 2. Gonzal. *ad reg.* 8. *gl.* 18. *n.* 33. Garz. *p.* 5. *c.* 9. *n.* 56. & *seqq.* Vivian. *hoc tract. p.* 1. *lib.* 2. *c.* 2. & *seqq.* Adden. ad Buratt. *dec.* 1. *nu.* 13. & *passim*; Acquisitio enim privilegiativa est ex gratia.

Adeòque hic effectus ab una ex dictis causis resultat, quod etiam si de illius reservatione cautum non sit, quoties expressè, vel conjecturaliter non constet de remissione, vel diversò animo, adhuc acquiratur, ad text. *in cap. significavit de testib.* ubi DD. de quibus Add. ad Bu-
3 ratt. *d. dec.* 1. *n.* 14. Rot. *dec.* 517. *n.* 1. *p.* 1. *rec. decis.* 568. *n.* 4. *p.* 4. & frequenter.

Intelligendum tamen venit, dummodò unus ex his actibus sequatur de Ordinarii consensu, sine quo ta-
4 lis effectus non resultat, ad text. *in cap. nobis de jurepatron.* ubi scribentes communiter, de quibus supra, & alii collecti apud Buratt. *decis.* 1. *num.* 6. ubi Adden. *nu.* 23. Cadente quæstione, an sufficiat ille Vicarii Generalis absque mandato speciali; Affirmativam enim
5 suadet illa non incongrua ratio, quod non est alienare, sed acquirere, atque rem utilem pro Ecclesia facere, ut sentire visa est Rota in Auximana jurispatronatus 12. Junii 1615. coram Sacrato, & in Clusina jurispatronatus 4. Julii 1636. coram Macchiavello; Verùm negativa est verior, magisque recepta, quam post Calder. *cons.* 1. *de offic. Vicar. num.* 3. & alios antiquiores tenent Garz. *p.* 5. *c.* 9. *n.* 75. Vivian. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 35. Lotther. *lib.* 2. *q.* 7. *n.* 2. 3. Adden. ad Gregor. *decis.* 420. *num.* 8. Rot. apud Royas *decis.* 99. & 111. *repetit.* post Vivian. *decis.* 127. *n.* 10. & 128. *n.* 1. & in aliis.

Est bene verum, quod faciliùs isto casu, quam in altero donationis, vel alterius alienationis ista facultas præsumptivè, seu adminiculativè admittitur, ut occasione præ-
6 sumptæ probationis resultantis à lapsu temporis advertitur apud Buratt. *decis.* 702. *n.* 3. Potissimè verò circa præsumptionem resultantem à facultatis concessione circa collationem beneficiorum, sive ab Episcopi absentia cum longa distantia, ut advertitur *sup. disc.* 28. ubi consideratur differentiæ ratio inter istum consensum præstandum novæ fundationi, & alterum præstandum alienationi jurispatronatus, quod isto secundo casu, mora non ita causare potest irreparabile præjudicium, sicuti potest in primo, quia scilicet habens bonum propositum fundandi Ecclesiam, vel beneficium potest interim mori, vel pœnitere, ideòque faciliùs in Vicario, absente præsertim Episcopo, ista facultas admittenda est.

Requiritur autem iste Ordinarii consensus, quando
7 agitur de formali erectione beneficii ecclesiastici, quod esse debeat de jurepatronatus laicorum, atque ad patroni præsentationem provideri in titulum collativum, secus autem, ubi agatur de erectione simplicis Capellaniæ manualis, quæ redolens speciem piæ dispositionis cum onere missarum, non dicitur beneficium, neque cadit sub regulis beneficialibus, ex deduct. per Buratt. *dec.* 1. ubi quod etiam infantes, & mulieres sunt capaces, ibique Add. *n.* 22. & habetur *sub tit. benef.* ad materiam manualium *disc.* 97. ac etiam pluries insinuatur supra in præcedentibus.

Non requiritur tamen, ut iste consensus præcedat, vel interveniat in ipso actu, quoniam etiam ex intervallo po-
8 test subsequi, ut *decis.* 17. *de jurepatron. in antiq.* Mantica *decis.* 86. *num.* 7. Adden. ad Gregor. *dec.* 420. *n.* 7. *in fine*, Buratt. *decis.* 702. *n.* 5. ubi Adden. *ibidem litt. B, & decis.* 1. *num.* 25. Rot. *decis.* 316. *num.* 14. *par.* 10. *recent.* Licèt plures ex allegatis, loquantur in terminis consensus super donatione jurispatronatus jam creati, sed eadem est ratio, imò facilius admittendus est consensus in isto casu erectionis, ut supra.

Et quamvis in feudis, ac aliis in commercio non exi-
9 stentibus, in quibus contractus recepit perfectionem ab assensu, debeat iste intervenire re integra viventibus contrahentibus, non autem post mortem, absque novo hæredis consensu, ex iis, quæ habentur deducta *sub tit. de feudis disc.* 109. Attamen isto casu, consensum posse subsequi, firmatur *decis. fin. de jurepatron. in antiq. num.* 4. & *decis.* 337. *n.* 7. *p.* 2. *recent.* Adden. ad Gregor. *dict. dec.* 420. *n.* 7. *in fin.* Idque comprobari videtur ab eadem ratione, ob quam favore dotis, idem habetur *d. disc.* 109. *de feudis* quod scilicet hæres cogi posset ad effectuandum pium opus fundatum ab ejus auctore, cujus factum impugnare non potest, unde propterea non intrat ratio, ob quam in feudis, & similibus non admittitur assensus revalidatorius post mortem.

Item opus non est, quod de dicto consensu expressè appareat, quoniam sufficit etiam tacitus, seu virtualis, qui 10
resultat ab institutionibus factis per Ordinarium in vim præsentationum, ex deductis per Add. ad Gregor. *d. dec.* 420. & ab Buratt. *dec.* 1. & 702. & conferunt quæ insinuatur supra in Civitatis plebis Cappellaniæ *disc.* 27. Ac etiam sufficit præsumptus, qui resultat à lapsu longi, vel 11
longissimi temporis juncto cum observantia, ut supra insinuatur, ex eisdem allegatis.

Præmissa verò circa acquisitionem ex dictis causis, fundationis, dotationis, vel soli, plures recipiunt limitationes, vel declarationes; Primò scilicet, ubi non ex voluntate, sed ex necessitate, atque in alienæ voluntatis exequutionem id fiat, quoniam non præstat beneficium, qui debitum impedit; Ac etiam, quia introductio jurispatronatus Ecclesiarum, & beneficiorum in laicis, habet rationem allectionis ad fundandas, vel dotandas Ecclesias, & beneficia, quæ ratio cessat in eo, qui coactus, vel cogendus id agit, ut cæteris relatis Gregor. *dec.* 197. *n.* 2. ubi Add. *n.* 5. Adden. ad Buratt. *dec.* 21. *n.* 6. ubi allegantur Lambertin. & alii, & habetur etiam *dec.* 220. *n.* 9. *p.* 6. *rec repet.* apud Dunozet. *dec.* 310. & in aliis.

Et quamvis habeamus magis receptum, quod hæres, 12
qui non voluntariè, sed in exequutionem voluntatis, ac præcepti sui auctoris fundat, adhuc tamen acquirit jus patronatus quoties non expectat præstam coactionem; sed spontè auctoris voluntatem implet, juxtà distinctionem, de qua *decis.* 167. *n.* 5. & 6. *p.* 2. *divers.* Seraph. *dec.* 871. *n.* 2. Buratt. *dec.* 21. *n.* 1. & dictum fuit in Romana jurispatronatus 12. Decembris 1659. coram Cerro, edita in causa, de qua *sup. disc.* 14. Attamen id non videtur adversari dictæ conclusioni, siquidem ad hæredem pertinet jus patro- 13
natus, non tanquam ad fundantem, vel dotantem jure suo, sed tanquam repræsentantem personam fundatoris, ac succedentem in eo jurepatronatus, quod ratione fundationis destinatæ per morientem, in eo habitualiter, & ex tunc, inductum videtur, Eatenùs verò in casu, quo hæres negligendo servare defuncto fidem expectet præcisam Superioris coactionem, isto jure caret, juxtà dictam distinctionem, quatenùs ita effici dicatur tali gratia, seu beneficio indignus, ut advertitur *d. disc.* 14. Multa siquidem conceduntur in jure hæredi gravato alteri restituere, qui fidem servando, hæreditatem spontè adeat, ac restituat, quæ denegantur illi, qui adire, ac restituere renuendo, ad id cogitur.

Et consequenter firma videtur dicta conclusio, ut illæ qui ratione hæreditariæ qualitatis, defuncti verè patro-
num non repræsentat, sed opus exequitur ex obligatione, quam evitare non potest, vel tanquam nudus minister non efficiatur patronus, cum actus tribuatur man- 14
danti, non autem exequenti, qui reputatur nudum organum, seu instrumentum mandantis.

Secundò, eadem principalis conclusio limitatur, ubi agatur de Ecclesia Regulari, in qua non sufficit fundatio, vel dotatio cum consensu Ordinarii, nisi etiam accedat privilegium Apostolicum in limine ad text. *in cap. nobis de jurepatron.* Mohedan. *dec.* 10. *eod. tit. n.* 5. Put. *decis.* 392. *lib.* 2. Rot. *dec.* 28. *n.* 9. *p.* 7. *recent.* Otthobon *decis.* 159. *n.* 9. cum aliis per Add. ad Buratt. *dec.* 1. & tanquam absolutum supponitur in proximè infrà allegandis auctoritatibus, super hujus limitationis declarationibus.

Intelligitur autem in ipsa Ecclesia Conventuali, non autem in aliis Ecclesiis inferioribus, quæ sint membra, 15
seu alias de pertinentiis Ecclesiæ principalis vel Monasterii, vel Cappellis, ut probat idem text. *in d.c. vobis*; Lambertin. *lib.* 1. *p.* 1. *q.* 7. *art.* 24. *n.* 3. Rot. *dec.* 224. *n.* 18. *p.* 12. *rec.* Adden. ad Buratt. *d. dec.* 1.

Item, ut procedat ad effectus juris præsentandi, vel nominandi Prælatum, vel alium Superiorem Regularem, non autem ad alios effectus, præsertim verò quoad jura honorifica *dec.* 210. *num.* 11. & 493. *num.* 6. *part.* 5. *rec.* Adden. ad Buratt. *decis.* 1. Cavaler. *dec.* 265. *numer.* 6. 7. & 321. *per tot.* 336. *in fine*, & 445. in quibus agitur de

Monasterio Monialium, ac firmatur in ultima, ut possit competere consensus in electione Abbatissæ, quodque principalis limitatio percutiat etiam jus sepulturæ, quod in Ecclesia Regulari per fundationem non acquiritur, ut *d. dec.* 445. *n.* 5. & 6. ubi videri possunt fundamenta, cum occasio nunquam tribuerit, id in foro disputare.

In casibus verò, in quibus juspatronatus etiam in Ecclesia Regulari ejusque membris, ut supra acquiratur ob constructionem, quoties concurrit consensus Ordinarij generaliter ad acquisitionem juris patronatus requisitus, non est necessarius alter consensus Superioris Regularis, ut apud Cavaler. *d. dec.* 336.

16 Tertiò limitatur dicta principalis conclusio, ut eatenùs acquiratur juspatronatus per constructionem Ecclesiæ, quatenùs ex integro construatur, secus autem si reficiatur, vel restauretur, quoniam tunc erit restaurator, ac benefactor, non autem patronus, nisi esset adeò diruta, quod oporteat eam ex integro construere, ita ut indigeat nova consecratione, juxtà Gloss. *in cap. quando hoc titulo*, ubi Rocch. *verb. construxerit num.* 12. Lambertin. *lib.* 1. *par.* 1. *quæst.* 6. *art.* 5. *n.* 13. & *seqq.* Gonzal. *ad reg.* 8. *gl.* 28. *n.* 33. Buratt. *decis.* 931. *n.* 7. ubi Adden. *litt. C.*

Idemque ex eadem ratione circa acquisitionem ex causa
17 dotationis, procedit circa dotationem, quod scilicet detur omnimoda dos congrua pro Ecclesia indotata, secus autem, ubi detur dotis augmentum, quoniam tunc pariter dicitur potiùs benefactor, quàm patronus, atque id, quod datur, potiùs refertur ad eleemosynam, quam dotem, ex deductis per Lotther. *lib.* 2. *q.* 8. *n.* 32. *cum seqq.* Rota *decis.* 568. *par.* 4. *recent. num.* 3. & 4. Cavaler. *dec.* 36. *n.* 2. & in aliis pluries, de quibus Adden. ad Buratt. *d. dec.* 931. *num.* 8.

Et licèt per dictos Adden. *num. fin.* ponderetur, an augmentum præponderet, antiquo valori, cujus mediocritatem excedat; Attamen id continet æquivocum clarum; Id enim percutit diversos terminos, quando scilicet adsit juspatronatus ex privilegio Apostolico expressè concesso ex causa augmenti dotis, ad effectum inspiciendi, an dicatur juspatronatus ex mera gratia, & privilegio, vel ex causa onerosa, pro affirmativa, vel negativa subjectione reservationibus Apostolicis, juxtà ea, quæ habentur *infrà discurs.* 65. & suprà *disc.* 10. Secus autem, ubi Ecclesia est jam congruè dotata, itaut dici non valeat depauperata, & indotata, quoniam quodcumque augmentum, quamvis præponderet antiquæ doti, importabit quidem majorem ditationem, non autem dotationem; Ad instar eorum, quæ habemus in materia unionis faciendæ de beneficiis, ob necessitatem, non autem ad majorem ditationem, ut in sua materia *sub tit. de beneficiis*, præsertim in Sorana *discurs.* 43. & in aliis ibi proximis, & sic quemadmodum refectio, vel restauratio non attenditur, nisi in casu omnimodæ ruinæ, ut supra, quoniam si Ecclesiam jam constructam, atque in suo esse perfectam, & habilem, aliquis ad moderniorem, ac magis conspicuam, sumptuosam structuram reducere velit, non per hoc efficietur patronus, ita à pari; Et propterea, vel Ecclesia debet esse omninò depauperata, vel saltem, quod ita ejus dos incongrua effecta sit, ut depauperata quoque dici valeat, Lotther. *d. q.* 8. *n.* 32. cum aliis supra allegatis, & ex iis, quæ habentur in dicta materia unionis *sub tit. de benef.*

Verùm, & isto casu, neque refectio, vel dotis aug-
18 mentum sufficit, nisi accedente etiam eodem consensu Ordinarii, (qui necessarius est pro acquisitione juspatronatus pro dotatione, vel constructione ex integro,) expressè dicatur id fieri ex causa acquirendi juspatronatus; Sive cessante declaratione expressa de tali voluntate, constet saltem conjecturaliter, ut *d. decis.* 568. *n.* 5. *p.* 4. *recent.* Atque in hoc differunt nova constructio, vel dotatio ex integro, vel restauratio, seu dotis augmentum, quod primo casu, per ipsum actum, non constito de diversa voluntate, absque alia expressione, vel declaratione acquiritur juspatronatus, secus autem in secundo, per Lotther. *d. q.* 3. *n.* 33. *& seqq.*

Cum enim Ordinarius, vel alter inferior Papa, non
19 possit Ecclesiam liberam facere servam, ex deductis supra in Rosanen. *disc.* 12. *& alibi*, atque inducere hanc servitutem, sit species alienationis non admittendæ, nisi ex causa à jure probata, hinc proindè copulativè requiritur voluntas & potestas; Ista verò pendet à causa, ne aliàs id, quod directè prohibitum est, indirectè concedatur, quod scilicet Episcopi, vel alii Prælati sub hoc pallio refectionis, seu augmenti, Ecclesias liberas concedant laicis in patronatum.

Verùm in casu etiam regulæ, quod scilicet agatur de constructione, vel dotatione ex integro, ob quam etiam sine expressione, juspatronatus acquiratur, adhuc id provenit ex quadam simplici juris præsumptione, cessante non solùm ex contraria probatione expressa animo faciendi opus ex solo motivo pietatis, ac salutis animæ sine hoc præmio, sed etiam si conjecturaliter, ac adminiculativè, ad communiter notat. *in cap. significavit de testib.* ex plenè collect. per Adden. ad Buratt. *dec.* 1. *n.* 14. & communiter; Unde propterea si quis absque dicto animo acquirendi juspatronatus opus faciat, vel faciendum præcipiat, non videtur quod hæres, vel successor id prætendere valeat; Quinimò neque ipsemet ex intervallo, postquam Ecclesia jam constructa, vel dotata in statu libertatis constituta est.

Quia verò dictæ tres causæ fundationis, & concessionis soli, non requiruntur copulativè, sed disjunctivè, 21
quod scilicet ipsarum quælibet sufficit; Hinc proindè si casus præbeat, quod unus det fundum, alter dotet, & alter construat, omnes efficiuntur compatroni, obtinentes quidem insolidum juspatronatus, quod habitualiter est unicum, ac individuum coæquali jure in exercitio, eo modo, quo de Ecclesia dante situm, & de construente Cappellam motivatur *disc.* 53. ut in specie aliis relatis, Rot. *dec.* 248. *n.* 6. *p.* 9. *rec.* quamvis in eo casu contrarium sit verius ob diversam rationem; Licèt enim multiplicitas patronorum reputetur Ecclesia onerosa, & præjudicialis eo, quia magis differtur spes libertatis, attamen est præjudicium remotum, ac leve, cum ob hæreditariam qualitatem, quæ regulariter ineft, rari sint casus, in quibus ob deficientiam hæredis, dicta libertas verificetur; Et quemadmodum prohibitum non est, ut idem fundator, vel dotator ab initio juspatronatus pro pluribus lineis, vel familiis reservet, sive quod plures personæ, vel familiæ quandam speciem societatis desuper contrahendo fundent, ac dotent, ita isto quoque modo, si eandem societatem plures in juspatronatus acquisitione ineant.

Alter acquirendi modus est per privilegium Apostolicum concessum à Papa, vel ab eo, cui Papa talem fa- 22
cultatem dederit, cum non alteri, nisi Papæ id tribuatur, tanquam absoluto Domino Ecclesiarum, & Beneficiorum; Episcopis autem, aliisque inferioribus Prælatis non conceditur hæc facultas, sine causa faciendi servam Ecclesiam liberam, ut supra advertitur.

Et quamvis istud jus competens ex privilegio, quoad effectum præsentationis videatur quodammodo inutile, ob subjectionem reservationibus, ac affectionibus Apostolicis, attamen adhuc alicujus operationis est tam quoad jus præsentandi cessantibus reservationibus, quàm quoad jura honorifica.

Alii verò tituli, seu modi, de quibus *disc. proximè seqq.* potiùs translationem de uno in alium, quàm novam acquisitionem important. 23

ADNOT. AD DISC. LV.

DE modo acquirendi juspatronatus habetur supra *disc.* 12.

De aliis modis acquisitionis juris patronatus jam constituti, seu veriùs de modis translationis de uno in alium, per successionem, donationem, vel aliam dispositionem inter vivos, vel per ultimam voluntatem, seu præscriptionem.

SUMMARIUM.

1 *DE titulis, quibus mediantibus juspatronatus, jam in esse productum transfertur de uno in alium.*
2 *Atque in hoc non intrat distinctio inter potentes, & privatos.*
3 *Juspatronatus de sui natura est regulariter hereditarium.*
4 *An juspatronatus transeat in fiscum remissivè.*
5 *Et an transeat in fideicommissarium, ac veniat sub restitutione fideicommissi remissivè.*
6 *Quia in legato, vel fideicommisso particulari distinguitur.*
7 *Idem in donatione, vel alia dispositione, ut non valeat sine consensu Ordinarii.*
8 *Et non sufficit illa Vicarii Generalis, sine speciali mandato.*
9 *De propositione, quod ubi periculum est in mora multa conteduntur.*
10 *Donatio, vel alia dispositio, sine assensu Ordinarii non abdicat jus à donante, cujus præsentatio prævalet.*
11 *Et si fiat secunda donatio alteri cum dicto consensu, hæc secunda prævalet primæ.*
12 *Declaratur quando secus, atque intret retrotractio.*
13 *Valida est donatio in compatronum, vel in Ecclesiam, seu personam Ecclesiasticam.*
14 *An valeat donatio, quam pater in vita faciat filio.*
15 *Juspatronatus annexum hæreditati, vel castro, seu prædio, an & quando licitè cadat sub contractu emptionis, & venditionis.*
16 *De quæstione comprehensionis, seu annexionis juspatronatus, sub castro, vel prædio.*
17 *De circumstantiis, ob quas feuda, & castra plus æstimantur.*
18 *Si vendatur ipsum juspatronatus, seu aliàs habeatur ratio pretio actus est nullus, & juspatronatus amittitur, & cui acquiratur.*
19 *Etiamsi accedat consensus Ordinarii, qui in hoc non relevat.*
20 *De præscriptione juris patronatus contra Ordinarium, vel contra Ecclesiam.*
21 *De altera perscriptione contra compatronos, utrum cadat in gentilitio, seu familiari, & quando secus.*
22 *Et de præscriptione juris patronatus hæreditarii, ut non sufficiat deceanalis, sed requiratur quadragenaria, etiam sine titulo.*
23 *In quo differant hæc præscriptio, & altera, de qua n.* 20.
24 *In hac materia non est differentia inter juspatronatus Ecclesiasticum, & laicale.*
25 *De requisitis ad præscriptionem scientiæ, & patientiæ, ac privativè.*
26 *An adversùs hanc præscriptionem detur restitutio in integrum.*
27 *De ratione, ob quam rarò detur præscriptio valida.*
28 *Quando de facili in hac materia detur præscriptio super jure, seu modo præsentandi.*

DISC. LVI.

1 POstquam juspatronatus, de non esse, ad esse productum est, atque alicui quæsitum, ex causis, de quibus *disc. proximè præced.* Illud aliis etiam acquiri contingit, seu verius de uno in alterum transferri ex causis, vel titulis diversis ab eis, ex quibus prima acquisitio sequitur, nempè successionis, donatione, legato, ac etiam quandoque emptione, & venditione, seu alio contractu correspectivo, ac etiam præscriptione, ut infrà.

In hac autem acquisitionis specie, cum S. C. T. nihil
2 innovaverit, sed incorrecta remaneat generalis dispositio juris communis, hinc proindè non cadit illa potestem, ac privatorum distinctio, de qua *in duob. discurs. proximè seqq.* sed idem in omnibus indistinctè procedit.

Distinguendo autem dictas acquisitionis, vel translationis species; Quatenùs pertinet ad primam, testatæ, vel intestatæ successionis universalis, præferentis jus hæreditarium, per quod successor repræsentat fundatoris personam in universo ejus jure activo, & passivo; Quoties non obstet lex fundationis, vel alia circumstantia inductiva limitationis regulæ; Ista assistit hæredi, ut in eum transeat juspatronatus, quod de sui natura est hæreditarium,
3 ut habetur infrà *disc.* 60. ubi de hac materia, quando scilicet sit potiùs hæreditarium, quam gentilitium, vel è contrà, duabus quæstionibus in hæreditario cadentibus; Una scilicet, an transeat in fiscum pœnalem, vel etiam successorem, ob defectum legitimi hæredis; & de hac habetur supra in Lunen. Sarzanen. *disc.* 38. Et altera, an tran-
4 seat in fideicommissarium, istaque ubi agatur de fideicom. universali est quæstio potiùs voluntatis, quàm potestatis, ex deductis pluries supra, præsertim *disc.* 36. & infrà *d. disc.* 60.

Quo verò ad legatum, vel fideicommissum particulare
5 (quod sonat in idem;) Aut agitur de jurepatronatus reali, seu annexo castro, vel prædio, super quo principaliter substantiatur legatum, vel fideicommissum; Et tunc, præsupposita annexione, non dubitatur de dispositionis validitate, quamvis nullus accedat Ordinarii consensus, ut in
6 fortioribus terminis emptionis, & venditionis pretio mediante, vel alterius contractus correspectivi habentur infrà; Aut verò legatum, seu fideicommissum particulare principaliter percutit ipsum juspatronatus; Et tunc, aut est ad favorem compatroni, & non dubitatur de validitate dispositionis absq; alio consensu Ordinarii eodem modo, quo in donatione, & alia dispositione, ut infrà; Aut est ad favorem extranei laici, & pariter extra dubium est invaliditas.

Idemque in omnibus cum eadem distinctione procedit in donatione, vel quocumque alio actu, vel dispositione, quamvis gratuita; Ut super his omnibus, præsertim verò in donatione, in qua, tanquam à frequentiùs contingibili, habetur major pars auctoritatum, ac decisionum, ad satietatem habentur collectæ auctoritates
7 & decisiones per Adden. *ad decis.* 46. *p.* 9. *rec. nu.* 57. *cum seqq.* Rot. *decis.* 430. *p.* 9. *dec.* 238. *p.* 10. *dec.* 130. & 298. *p.* 11. *rec.* In quibus editis in eadem causa Fesulana beneficii, seu Oratorii, plenè habetur de defectu potestatis Vicarii Generalis præstandi hujusmodi consensum, sine mandato speciali, super quo etiam plura cumulant dicti Adden. *ad dec.* 46. *p.* 9. *n.* 73. & *seqq.* ac habentur etiam *disc. præced.* in casu fortiori consensus præstandi novæ erectioni, aliquam peculiarem rationem habenti, ut in Vicario absente Episcopo, talis potestas admittenda, vel de facili præsumenda sit, quia periculum in mora subesse potest, ex ibi 8
deductis, & per Adden. *ad dictam decis.* 46. *par.* 9. *n.* 79. & *seqq.* Ubi *ex num.* 82. *cum plurib. seqq. ad finem*, idem satis elaboratus, ac probus Additionator, juxtà ejus consuetas digressiones, multa cumulat circa ea, quæ celeri- 9
tatem desiderant, atque periculum, ex mora patiuntur.

Adeòque invalida est donatio, vel alia particularis dispositio, aliàs absque dicto consensu prohibita, quod nullum jus à donatore, vel transferente abdicatur, ideò- 10
que istius potiùs, quam donatarii, vel translatarii præsentatio attendi debet, ac prævalere; Atque si deinde alteri fiat donatio, vel alia translatio cum dicto consensu, ista prævalet primæ, ex deductis in dicta Fesulana beneficii, seu Oratorii *dec.* 430. *p.* 9. *decis.* 238. *p.* 10. *dec.* 130. & 298. *p.* 11. ac etiam *decis.* 306. *eadem p.* 11. Adden. *ad dictam dec.* 46. *p.* 9. *n.* 61. & *seqq.*

Ad quod conferunt ea, quæ pluries habentur *sub tit.* 11
de feudis, & sub altero *de emphyteusi*, ac etiam frequentiùs *sub tit. de Regal.* ad materiam officiorum, & locorum montium, super potioritate illius, qui primo assensum actus revalidativum obtinuit, quamvis esset tempore posterior, ac etiam in materia resignationis beneficiorum, cum similibus.

Quod intelligendum venit, quatenus ille cui primo lo- 12
co facta est donatio, vel alia translatio neglexerit Ordinarii consensum petere, ac obtinere; secus autem, si petierit antequam fieret secunda, seu aliàs jus tertio quæreretur; Ordinario autem recusante, vel negligente, recursum habuerit ad Superiorem, qui talem consensum, utpotè indebitè denegatum, suppleverit, quoniam tunc admittitur retrotractio ad suum initium, etiam in
prædjudicium tertii, in quem medio tempore jus translatum esset, atque cum hac distinctione intelligendus est, Lambertin. *lib.* 1. *p.* 2. *q.* 1. *art.* 2. *num.* 3. *vers. casus autem*, ut explicat Rota apud Mantic. *decis.* 86. *n.* 7. & *seqq.* & *d. decis.* 306. *num.* 9. & 10. *part.* 11. *recent.* Adden. *ad dict. decis.* 45. *par.* 9. *num* 71. & *seqq.*

Procedunt hæc in donatione; vel alia particulari dis- 13
positione, ut supra, quæ fieret in laicum extraneum; ideòque utraque qualitas copulativè requiritur, quod scilicet ille, in quem dicta dispositio fit, sit extraneus, ac etiam sit laicus; Si enim esset extraneus, sed Ecclesia, vel persona Ecclesiastica, intuitu scilicet Dignitatis, vel officii Ecclesiastici, non autem, si accidentaliter illa privata persona in Statu Clericali repetiatur, tunc validè fit donatio, vel alia dispositio, etiam sine consensu, quoniam tunc cessat illa suspicio, ob quam dictus consensus est requisitus; Vel si est compatronus, quamvis laicus, qui licitè donatur, vel fit legatum, ex eadem ratione, ob quam licita est alienatio feudi, vel emphyteusis, aut alterius rei prohibitæ inter
comprehensos in investitura; Ac etiam ratione individuitatis juspatronatus, quod totum esse dicitur penès omnes, ac singulos insolidum, diviso solùm exercitio, ut pluries habetur *in præcedentibus*, ac etiam *in sequentibus*, ideòque donatio, vel alia dispositio non transfert jus de novo, neque servitutem Ecclesiæ auget, vel immutat, sed solum donatario ita suo juri cedente, atque se de medio tollente, jus compatroni, per remotionem obstaculi, seu ex beneficio juris non decrescendi, remanet plenius, juxtà opinionem Butr. & Card. rejecta contraria Archidiac. & aliorum, ex relatis per Duran-
decis.

decis. 87. Gratian. *discept.* 477. *num.* 37. Otthobon. *dec.* 230. *num.* 12. ubi de utraque favore Ecclesiæ, & compatroni, & passim.

Et quamvis Rota apud Caputaq. *decis.* 321. *part.* 2. *n.* 3. dicat, quod ubi juspatronatus est hæreditarium, requiratur consensus Ordinarii, etiam in donatione, quæ fiat per patrem filio, ex eo, quod filius vivente patre in ju-
14 repatronatus hæreditario nullum jus habet, neque compatronus dici valet, ideòque jure extranei haberi debet, atque cum hac auctoritate pertranseat (licèt incidenter) Gratian. *dict. discept.* 577. *num.* 38. ac etiam Rota *in d. decis.* 138. *num.* 8. *p.* 10. *recent.* Attamen id nullum videtur habere juris fundamentum; Siquidem Lambertin. *lib.* 1. *par.* 2. *quæst.* 2. *artic.* 12. *num.* 3. Rocch. *verbo competens num.* 19. & Vivian. *lib.* 5. *cap.* 2. *numer.* 10. dicunt (& benè,) quod filius vivente patre nullum jus habeat in jurepatronatus hæreditario, quia non datur hæreditas viventis; Ac etiam, quia pater potest si velit, illud in extraneum transferre, ad effectum, ut de præsentatione facta per filium, nulla ratio haberi debeat & hoc est, quod dicunt præfati auctores; Secus autem ad effectum, de quo agitur, quoniam licèt filius in hoc non sit successor necessarius, attamen attento ordine naturæ, filio quasi debita dicitur successio Patris, & consequenter benè dici potest proximè successurus, cujus respectu donatio, vel alia dispositio, speciem potiùs præventivæ successionis, præseferre videtur; Ad instar eorum, quæ habemus, præsertim in feudis Regni Neapolitani strictissimam habentibus prohibitionem alienandi per illam particularem Constitutionem, quæ incip. *Constitutionem Divæ memoriæ*, magis strictam, quam resultantem generaliter à lege feudali *in cap. Imperialem de prohib. feud. alien. per Federic.* quoniam dicta prohibitione non obstante, validè sit refutatio in filium, seu alium proximè successurum, etiam sine assensu, quoties non est pactionata, ex deductis *sub tit. de feudis disc.* 13. 71. & 76. & in aliis ibi annexis, & *sub titul. de dote disc.* 146. Et tamen in illis feudis, utpotè habentibus hæreditariam qualitatem, intrat eadem ratio, quod filius jus habeat vivente patre, qui potest liberè feudum extraneo alienare, cum assensu Regio, qui habenti successorem non denegatur, ut in dicta sua materia *de feudis*; Ideòque longa differentia est inter extraneum, & proximè successurum; At etiam, quia inter patrem, & filium non de facili cadit illa simoniæ, vel turpitudinis suspicio, quæ in donatione facta extraneo, regulariter inverisimili cadere potest, ideòque dicta propositio nullatenus recipienda videtur, quamvis adhuc occasio non præbuerit, id formiter disputare.

Ubi verò translatio juspatronatus de uno in alterum sequeretur per contractum emptionis, & venditionis pretio mediante, seu aliàs per actum corresPecti-
15 vum, ac onerosum, & tunc intrat superiùs insinuata distinctio; Aut enim contractus principaliter cadit super alia re, cum qua accessorie, & consequutivè veniat juspatronatus, quia nempè vendatur hæreditas, aut vendatur castrum, seu villa, vel prædium, cui annexum sit juspatronatus, & tunc, nisi illud principaliter in contractum deducatur, habita illius ratione in pretio, quod ita
16 sit majus, receptum est rectè cadere sub isto contractu, quamvis nullus accedat Ordinarii consensus, *cap. ex litteris*, & *cap. cum sæculum hoc tit.* ubi scribentes relati per Barbos. *in collectan. ad dictum cap. ex litteris*; Et de qua distinctione data per Calderin. habetur apud Geminian. Franch. & alios *in cap.* 1. *hoc eodem tit. in* 6. Lambertin. Rocch. Lotther. & alii per Rota apud Otthobon. *decis.* 234 *num.* 8. & *seqq.* cum aliis relatis per Adden. *ad dict. decis.* 46. *par.* 9. *num.* 11. *cum seqq. ad* 31. adeòne sit conclusio, quæ hodie transit sine difficultate, quamvis juspatronatus mentio fiat, quoniam censetur in gratia exprimendi, id quod inest, quoties, ut dictum est, nulla ejus
17 ratio habeatur in valutatione; Cadente solùm quæstione facti, seu voluntatis super ejus annexione, seu comprehensione sub hæreditate, vel alia universitate vendita, de qua *dec.* 207. *p.* 6. 228. *p.* 7. 164. & 266. *p.* 11. *rec.* & sepiùs.

Et quamvis praxis doceat, ut in æstimatione præsertim feudorum, seu castrorum, & locorum jurisdictionalium, aliqua de hujusmodi juribus à peritis ratio habeatur, attamen id non videtur inducere simoniam, vel aliam infectionem; Tum quia hæc non datur sine pacto, quod est ejus essentiale requisitum; Tum etiam, quia major æstimatio non pendet ab eo, quod ipsum juspatronatus veniat in pretio, ac æstimetur, sed quia hæc, & similia jura, quamvis nullam bursalem utilitatem præseferentia, qualificant cattra, seu feuda, quæ ad majorem, vel minorem rationem in genere æstimantur, ob majores, vel minores qualitates, putà ob situs amenitatem, ac Provinciæ, vel regionis opportunitatem, cum vicinitate maris, vel magnæ Civitatis, necnon populi numerum, vel nobilitatem cum similibus, ideòque major valor ita oritur accessorie, ac de natura rei, non autem, quod ipsa qualitas præcisè veniat in æstimatione, & pretio.

Si verò concurrat pretium, vel alia æquivalentia temporalis ratione ipsius juspatronatus principaliter, ac de per se considerati, & tunc non solùm intrant censuræ aliæque pœnæ contra simoniacos Sacris Canonibus inflictæ, ac nullitas actus, sed etiam amissio juspatronatus, cum 18
Ecclesiæ libertate, si patronus est unicus; Si verò partem habeat, tunc ejus pars non accrescit compatronis, sed pertinet ad Episcopum, Lambert. *lib.* 3. *q.* 8 *art. ult.* cum aliis relatis per Add. *ad dictam decis.* 46. *n.* 1. & *seqq.* & *nu.* 8. & *seqq. p.* 9. *rec.* licèt hæc unquam, vel nimiùm rarò forus audiat, ac tractet.

Neque isto casu relevat Ordinarii consensus, vel quod contractus fieret cum compatrono, quoniam neque Ordi- 19
narii auctoritas, neque condominium reddere potest licitum actum simoniacum, ut plenè Add. *ad dict. dec.* 46. *p.* 9. *recent. n.* 5. & *seqq.* ubi concordantes, qui desiderandi non sunt tanquam in principio non admittentes controversiam, quæ solùm est facti, an scilicet, ipsum juspatronatus principaliter in contractum deductum sit, ejusque ratio habita in pretio, vel alia æquivalentia, necne.

Alter demùm modus acquirendi juspatronatus jam in esse productum, est ille, qui resultat à præscriptione, quæ dupliciter in hac materia considerari solet; Primò scilicet in ordine præscribendi ipsum juspatronatus in substantia contra Ordinarium, seu Ecclesiam aliàs liberam, vel de libertate contendentem; Et secundò in ordine præscribendi pertinentiam contra alterum, itaut Ecclesia sit in causa, neque sub quæstione sint existentia, sed solùm pertinentia.

De prima specie habetur actum *disc. seqq.* ubi de probatione juspatronatus privatorum per centenariam, vel immemorabilem, seu per quadragenariam cum titulo puta- 20
tivo, vel cum fama, seu adminiculis unde immemorabili vel centenariæ æquipolleat; In præsenti verò agitur de secunda specie præscribendi pertinentiam inter compatronos.

In hoc autem distinguendum est juspatronatus gentilitium, seu familiare, ac etiam mixtum, à puro hæreditario; In prima enim specie in qua successores veniunt jure proprio independenter à possessore negligente, qui præscriptionem passus esset; nunquam vel nimiùs rarò verificabilis videtur casus, in quo valida, & perfecta præscriptio detur, quoniam qui non potest expressè alienare, minus pati potest translationem in alium negligendo, ne quod 21
expressè, seu directè prohibitum est, tacitè, seu indirectè permissum sit; At etiam ex regula vulgaris text. *in leg. fin. C. de annal. præscript.* ut non valenti agere non currat præscriptio; Ut ultrà generalia, quæ in feudali, vel fideicommissaria materia habentur; In his specialibus terminis jurispatronatus gentilitii, vel familiaris, plenè apud Grat. *discept.* 577. *n.* 44. Ciarlin. *controv.* 106. *n.* 61. & 62. Rot. *dec.* 220. *n.* 26. *p.* 11. *rec.* edita in casu, de quo *sup. disc.* 35.

Nisi concurrat benè completa centenaria, cui non obstet infectio tituli, ad quam possessor suam restringat, vel referat possessionem juxtà distinctionem, de qua *disc. præced.* Tum enim verificabilis videtur acquisitio, ac respectivè amissio etiam juspatronatus familiaris, vel gentilitii, non in ratione præscriptionis, sed in ratione tituli de mundo melioris, quem centenarius possessor, absque justificationis necessitate allegare potest, puta per derogationem Apostolicam, seu alium titulum, qui etiam in agnatitiis dari potest, sola possibilitate ad id sufficiente, puta divisionis, vel concordiæ, &c.

Sive nisi longissima possessio deducatur tanquam antiquæ veritatis probatio, vel interpretatio, juxtà insinuata supra in Pistorien. *disc.* 31. quia nempè dubitetur de identitate familiæ, vel descendentiæ, seu de legitimitate, undè propterea longæva observantia ad id deducatur, cum similibus.

Ubi verò agatur de jurepatronatus hæreditario, ita ut non obstent ea, quæ in alia specie urgent; nihil videtur in hac materia speciale, nisi id, quod omnibus materiis ecclesiasticis, vel spiritualibus congruit; ut præsuppositis aliis terminis generalibus præscriptionis illo præsertim bonæ fidei, procedendum sit cum terminis Juris Canonici potiùs, quàm Civilis circa tempus, ut non attendatur illud Juris Civilis, sed illud Juris Canonici, quod est quadraginta annorum, rejecta opinione Rocchi volentis sufficere tempus ordinarium decem, vel 20. annorum, ut *dec.* 229. *par.* 1. *divers.* & in aliis relatis per Duran. *decis.*
22 225. *num* 6. *decis.* 169. *num.* 21. & 22. & *dec.* 240. *n.* 15. *p.* 10. *rec.* & in aliis, quæ in materia habentur.

Atque *in dict. decis.* 240. *num.* 15. & *decis.* 4. *num.* 11. & 12. *eadem part.* 10. advertitur ad hanc differentiam militantem inter dictam primam speciem præscriptionis exi-
23 stentiæ juspatronatus adversus Ordinarium, seu adversus Ecclesiam contendentem de libertate, & alteram speciem præscriptionis pertinentiæ inter compatronos, sive sint laici, sive sint Ecclesiastici, cum ad hunc effectum nulla dignoscatur differentia, ut in specie advertitur *d. dec.* 4. *n.* 24. *p.* 19. ut in prima specie non sufficiat sola quadragenaria; nisi fomentum habeat à titulo putativo seu colorato, sive à fama, vel ab adminiculis, id autem non
24 requiritur in altera specie super sola pertinentia, ut *in sup. allegata decis.* 4. & 240 *p.* 10. & in aliis.

Dummodò tamen concurrat præcipuum, ac essentiale requisitum præscriptionis, quod scilicet præsentationes,
25 aliisque actus patronales facti sint privativè ad compatronos, contra quos inducta prætenditur præscriptio, cum eorum prohibitione, ac scientia, & patientia, quæ in incorporalibus est loco possessionis, sine qua non datur præscriptio, ut in specie, Gregor. *dec.* 441. *n.* 9. & *seqq. dec.* 145. *num.* 13. post Vivian. *d. dec.* 140. *n.* 16. *p.* 10. *d. decis.* 220. *n.* 24. & 25. *par.* 11. & *in aliis*.

Cadentibus etiam aliis inspectionibus generalibus su-
26 per restitutione in integrum concedenda adversus præscriptionem ex capite minoris ætatis, vel alia justa causa, præsertim illa probabilis ignorantiæ, de qua in his specialibus terminis cæteris relatis habetur *decis.* 293. *n.* 10. *cum seqq. eod. p.* 10. Sed id ex terminis generalibus cujuscumq; præscriptionis in omni indifferenti materia, absque eo, quòd in ista aliquod peculiariter statutum sit.

Rarò autem in foro, in his præsertim juribus incorporalibus ob tot requisita, præsertim scientiæ, & patientiæ, ac alterum exclusiones juris facultativi, necnon ob deductionem pupillaris ætatis, atque ob dictum beneficium restitutionis in integrum ista perfecta, ac valida præscriptio ad praxim deducatur; Benè tamen de facili ad praxim de-
27 ducibilis est ea, quæ non percutiat substantiam juspatronatus cum omnimoda privatione unius, & acquisitione alterius, sed potiùs percutiat solùm exercitium in jure præsentandi, aliisque patronalibus præeminentiis penès aliquos firma remanente substantia, seu jure habituali penès omnes; puta quia major natu domus, sive duo,
28 vel tres seniores de familia tantùm habeant jus præsentandi, cum tunc non dicatur vera, & propria præscriptio, sed potiùs quædam observantia interpretativa ejus, quod de facili lex ad tollendas confusiones, & ratione prudentiæ, ex verisimili fundatoris voluntate præsumit, ut præsertim contingit in casu, quo istud exercitium præsertim in gentilitio, seu familiari sit penès proximiores tantùm, juxtà ordinem fideicommissariæ successionis, quem una opinio credit in ista quoque materia attendendum esse, ex deductis suprà in Praten. *discurs.* 35. & conferunt, quę etiam in hac materia juspatronatus, adinstar administrationis, ex exercitii jurisdictionis in feudis, vel bonis jurisdictionalibus habentur *sub tit. de fideicommiss. disc.* 1. & 4. *cum plur. seqq.* ac etiam *sub tit. de feud. disc.* 8. & in aliis, & conferunt, quę habentur supra in Januen. *disc.* 54. cum similibus, ideòque est quæstio potius facti, quàm juris pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis ex judicis prudenti, ac juridico, benèque regulato arbitrio pensandis decidendum.

De probatione juspatronatus per indicia, & adminicula inter privatos, in quibus non intret rigorosa forma inducta per S.C.T.

SUMMARIUM.

1 *DE hac probatione quæritur, quando non est clara probatio tituli expliciti.*
2 *Distinguuntur tres casus, in quibus de hac probatione agatur.*

3 *Ubi agitur de jurepatronatus honorifico, non desideratur adeò exacta probatio, & de ratione.*
4 *Ubi agitur incidenter, tunc pariter minor probatio sufficit.*
5 *Juspatronatus non præsumitur, sed est probandum, quia Ecclesia præsumitur libera.*
6 *Etiam si agatur de jurepatronatus Imperatoris, ac Regum, & Principum.*
7 *Licèt juspatronatus non præsumatur, non tamen habet juris resistentiam.*
8 *In probatione jurispatronatus privatorum S.C.T. nihil innovavit.*
9 *Quæ regula tenenda sit in hac probatione.*
10 *In antiquis minor sufficit.*
11 *Nominatio Ecclesiæ sub vocabulo familiæ præstat adminiculum.*
12 *Inscriptiones lapideæ.*
13 *Historiæ, seu Chronicæ, & quando.*
14 *Insignia insculpta, seu depicta, & quando, & quomodo probetur antiquitas.*
15 *Liber seu Codex status Ecclesiarum diœcesis, & quando.*
16 *Fama publica.*
17 *Quod nunquam beneficium fuit provisum tanquam liberum.*
18 *Provisiones Apostolicæ cum derogatione, vel mentione juspatronatus.*
19 *Enunciativæ antiquæ, quales & quomodo.*
20 *Præsertim illæ Ordinarii.*
21 *Item sententia ejusdem licet non justificata.*
22 *Et quid de juribus honorificis, & aliis signis.*
23 *Sententia Ordinarii quando firmet statum, ac solùm probet etiam in Potentibus.*
24 *Quando sola sufficiat pro statu, & quando pro adminiculo.*
25 *Habens centenariam, vel immemorabilem allegare potest titulum fundationis, vel dotationis.*
26 *Centenaria æquivalet immemorabili, & isti termini habentur pro synonimis.*
27 *Immemorabilis ista probatur per scripturas.*
28 *Quomodo procedat concussio, ut immemorabilis non admittat principium.*
29 *Non suffragatur centenaria, vel immemorabilis, ubi constat de initio vitioso.*
30 *Titulus explicitus reputatur optima probatio, sed quandoque nocet, & melius est, quod de eo non appareat.*
31 *De concussione, & limitationibus an producens titulum, ad illum se restringat, & sibi præjudicet.*
32 *Centenaria an debeat esse omninò completa.*
33 *Quale dicatur tempus antiquum.*
34 *Non sufficit antiquitas temporis, nisi concurrat effectuatio, & qualis ista sit.*
35 *An circa effectuationem admittatur præsumptio medii temporis probatis extremis, & quid accedente interruptione.*
36 *Provisione Apostolicæ, an & quando in hoc præjudicent.*
37 *Subducitur tempus litis, & quando secus.*
38 *Non tamen obstant actus nulli, vel ineffectuati, vel suppressi.*
39 *Quadragenaria cum fama, vel adminiculis, vel titulo putativo æquivalet immemorabili.*
40 *Pro quadragenaria sufficit unica præsentatio, quæ tanto tempore effectum habuerit.*

DISC. LVII.

CAdit hæc inspectio, quando non constat per publicum instrumentum, vel aliam claram, & certam probationem de illis titulis, de quibus habetur *disc. præcedent.* fundationis scilicet; dotationis, vel soli, aut privilegii, adeò ut ad præsumptivam, seu adminiculativam probationem recurrere oportat; Ubi enim adest titulus explicitus, non intrat quæstio probationis, sed potiùs illa validitatis, vel relevantiæ, juxtà ea, quæ habentur infrà, ac etiam *disc.* 65. in materia revocationis, vel derogationis, suprà *disc.* 10. & in aliis, & consequenter neque intrat distinctio inter privatos, potentes, ut advertitur *disc. seqq.*

Quatenùs igitur pertinet ad dictam adminiculativam probationem tituli impliciti, tres casus distinguendi sunt; Primò scilicet, ubi agatur de jure merè honorifico; Secundò, ubi non agatur de jurepatronatus principaliter cum Ordinario, vel alio contendente de libertate beneficii, sed

cum alio se prætendente Patronum, seu alias incidenter ad effectum exequutionis litterarum; Et tertiò, ubi è conversò principaliter est in quæstione status beneficii, unde contentio sit, an beneficium sit liberæ collationis, vel ad alterius præsentationem.

3 Primò casu adeò exacta probatio non requiritur, sed minora adminicula sufficiunt, ut advertitur supra in Pampilonen. *disc.* 52. ubi assignatur congrua ratio, quod ista species jurispatronatus non importat grave præjudicium minusque Ecclesiæ servitutem, cum rectè compatiantur Ecclesiæ libertas, & hujusmodi jura honorifica, quæ quandoque etiam in signum gratitudinis pro accepto beneficio, vel etiam protectionis gratia tribui congruit.

Ita pariter in secundo casu, in quo agatur incidenter,
4 seu ad solum effectum pertinentiæ, admittuntur probationes leviores, ac aliàs imperfectæ, Gonzal. *ad regul.* 8. *gl.* 18. *n.* 59. *cum seqq* Mantica *decis.* 208. & 317. utrobique *n.* 1. Gregor. *decis.* 452. *n.* 3. Duran. *decis.* 415. *n.* 1. & aliàs quotidie; Quinimò inter contendentes de adjudicatione, vel pertinentia beneficii ex eodem titulo præsentationis, seu litterarum Apostolicarum pro proviso cum derogatione, nulla requiritur justificatio, cum inter partes sit in confesso, ut apud Rojas *decis.* 344. *n.* 12. & passim, cum habeamus in foro quotidianum.

Tota igitur inspectio cadere videtur super tertio casu,
5 in quo principaliter, ut supra contendatur de statu beneficii; Et tunc ob præsumptionem assistentem libertati, dum quælibet Ecclesia præsumitur libera, transfunditur onus probandi concludenter contrarium, juxtà generalem naturam presumptionis juris hunc effectum operantis, Innoc. *in cap. venerabilis de except.* Mantica *decis.* 358. *num.* 3. Cavaler. *dec.* 159. *n.* 1. & frequenter; Etiam respectu Impe-
6 ratoris, Regum, & Principum, ut *dec.* 568. *n.* 8. *p.* 4. *rec.* Licèt enim juspatronatus laicale non habeat præcisam juris resistentiam, non tamen habet assistentiam, seu præsumptionem, quæ est in contrarium, Covar. *in reg. possessor p.* 2. §. 10. *n.* 7. Lotther. *lib.* 2. *q.* 3. *n.* 20. & 21. Rota apud Marches. *p.* 1. *fol.* 387. *n.* 2.

In hac verò probatione jurispatronatus privatorum, S. Conc. Trid. nihil innovavit, cum ejus dispositio percutiat solùm personas potentes, in quibus militat suspicio, seu mala præsumptio usurpationis, & consequenter ad-
7 mittuntur omnes illæ conjecturæ, vel adminicula, quæ attentis solis terminis juris communis per DD. ad id sufficientia reputantur, perindè ac si decretum Conciliare non adesset, Gabriel. *consil.* 191. *lib.* 2. Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 19. *num.* 54. *cum seqq.* Vivian. *lib.* 11. *p.* 2. *cap.* 5. Rota apud Buratt. *decis.* 142. 338. 552. & 919. Firmana Parochialis 4. Maii 1657. cor. Bevilacqua *decis.* 224. *p.* 12. *rec.* Aurien. Parochialis 28. Aprilis 1653. & 6. Februarii
8 1654. coram Zarata, & quotidie cum sit propositio, de qua amplius non dubitetur.

His ita generaliter constitutis, quamvis pleraque adminicnla apud scribentes habeantur sub controversia, an sufficiant, necne, unde propter eà in casus occurentia super singulis, ad probandum illa fuisse approbata, vel respectivè reprobata, solent Advocati, juxta consuetas, forensium pragmaticorum insipiduras magnos allegationum cumulos facere; Reverà tamen intrare videtur, id quod frequenter in materia adminiculativæ probationis, habe-
9 tur præsertim *sub tit de fideicomm.* & alibi, ut desuper certa, & determinata regula generalis tradi non valeat, sed decisio pro facti qualitate pendeat ex singulorum casuum circumstantiis, ex quibus in uno casu aliqua adminicula sufficiant, in altero verò eadem, ac majora non, ut etiam advertitur supra in Neapolitana *disc.* 9. & *in aliis ibi proximis*, Ideòque stant benè simul, aliqua adminicula in uno casu canonizari, & in altero reprobari; Cadente solùm eadem generalitate, quæ in hac specie probationis habetur ex axiomate, *ut singula, quæ non prosunt unita*
10 *juvent*, &c. Ac etiam (& super omnia) temporis antiquitate, quæ reddit probationem difficiliorem, ideòque facilior admittitur, ut cæteris relatis, Rota *decis.* 162. *n.* 8. post Vivian. in dicta Aurien. Parochialis coram Peutingerio, & Zarata, cum generaliter collectis per Mascard. *de probat. conclus.* 959. & Vivian. *d. cap.* 5. *lib.* 11.

Adminicula verò plura desuper recenseri solent de quo-
11 rum pluribus habetur *sup. dict. disc.* 9. & *alibi*; Primò scilicet illud nominationis Ecclesiæ, vel Cappellæ sub nomine illius familiæ, quæ Ecclesiæ constructionem, dotationem, & successivè patronatum prætendit, ex deductis *d. disc.* 9.

Secundò, per inspectiones antiquas lapideas, (quatenùs tamen de antiquitate constet,) cum sæpiùs illæ de 12
recenti affectari, seu confingi soleant, ex deductis per Mascard. *dicta conclus.* 959. *num.* 21. Lotther. *lib.* 2. *c.* 13. *n.* 149. Barbos. *de Episc. allegat.* 72. *n.* 51. Cavaler. *decis.* 378. & Coccin. *decis.* 230. *utrobique numer.* 1. & alii communiter.

Tertiò, sunt chronicæ, seu historiæ, ut apud Barbos. 13
dict. allegat. 72. *n.* 53. quoties tamen sint pariter antiquæ, seu aliàs probatæ, & receptæ, adeòut fraudis, vel affectuationis suspicio absit, juxtà ea, quæ in hac materia probationis historias, seu chronicas, ac etiam per inscriptiones generaliter habentur in Cæsaraugustana Cathedralitatis, & in Sypontina Cathedralitatis *sub tit. de præeminent. disc.* 2. *cum plurib. seqq.* Et in his terminis jurispatronatus, ut deferendum non sit modernis historicis, ut plurimùm venalibus, atque ad partium opportunitatem, pecunia, vel alio præmio mediante scribentibus, omnesque ambitiosorum chymeras, & somniatas fabulas referentibus, habetur apud Otthobon. *decis.* 234. *num.* 6. & 253. *num.* 21.

Quartò, vehemens adminiculum reputatur illud insi- 14
gnium sculptorum, vel depictorum in Ecclesiæ, vel Cappellæ parietibus, Ripa *in cap. cum Ecclesia Sutrina nu.* 97. *de causa possess. & propriet.* & alii apud Lotther. *d. c.* 13. *n.* 146. Buratt. *decis.* 123. *n.* 17. ubi Adden. Coccin. *dec.* 230. Quod pariter intelligendum venit eodem modo quo dictum est de inscriptionibus, vel historiis, cum sæpiùs insignia apponi soleant benefactoris ob aliquam eleemosynam datam propter Ecclesiæ restaurationem, seu ornatum, aut aliud beneficium, unde reputatur adminiculum æquivocum, cujus relevantia pendet ex facti qualitate, an scilicet insignia & præsertim lapidea sint talia, quod ostendant cum ipsa constructione apposita esse, quia in omnibus parietibus, vel partibus frequentia sint, sive super porta, vel arcu majori, aut alia conspicua, & principali parte, cum similibus prudenti arbitrio pensandis.

Antiquitatis autem probationem opus non est fieri per testes deponentes de affixione, cum id in antiquis sit impossibile, sed benè per testes peritos rectè cognoscentes formam antiquam, quod neque sufficit, cum etiam illa per modernos benè imitari, ac affectari soleat, sed etiam per testes versatos in loco deponentes de visu ab antiquo, vel etiam de fama, ut in specie cæteris relatis habetur *dec.* 63. *n.* 6. *p.* 10. *rec.*

Quintò; per librum seu codicem, vulgò quinternum visitationum, in quo adnotatus sit status Ecclesiarum, 15
Lotther. *dict. quæst.* 13. *numer.* 150. & *seqq.* Gregor. *decis.* 82. *num.* 2. plenè cæteris relatis *dec.* 168. *num.* 24. *par.* 10. *recent.* & habetur in specie supra *dict. disc.* 9. Quod pariter intelligendum venit cum eodem præsupposito antiquitatis ideòque quinternus recens non attenditur, ut in specie *decis.* 143. *num. vigesimotertiò* post Vivian. & conferunt eadem, quæ de chronicis, & inscriptionibus supra habentur, ut absit suspicio affectionis, ac novæ suppositionis.

Sextò, fama publica, Cassad. *dec.* 2. *de probat.* cum aliis apud Duran. *dec.* 293. *in fin.* & in dicta Aurien. Parochialis cor. Peutingerio, & Zarata, & *sup. disc.* 9. Adeòque huic adminiculo deferri solet, quando agitur de fama an- 16
tiqua, & benè probata, quod aliquorum sententia sit illam sufficere ad probationem ex deductis per Menoch. *consil.* 336. *n.* 14. & 15. Ricc. *in praxi jurispatronatus resol.* Rota *dec.* 290. *n.* 12. *part.* 5. *recent.* Verum hæc opinio non est recepta in Rota, & Curia, nisi concurrat possessio quadragenaria, quæ juncta cum fama sufficit, ut infra, quando agitur de illis probationis speciebus, quæ solæ sufficiunt cum præsupposito tamen, quod probatio famæ sit cum suis generalibus requisitis necessariis.

Septimò quod nunquam appareat beneficium fuisse provisum tanquam de libero ut advertitur *d. disc.* 9. & in 17
allegatis Aurien. Parochialis.

Octavò, provisiones Apostolicæ cum derogatione jurispatronatus, seu reservatione consensus Patronorum, 18
ut *eod. disc.* 9. & *dec. ult. n.* 3. post Viviau.

Nonò per enunciativas antiquas ad minus duas, ex deductis apud Gregor. & Adden. *decis.* 408. Buratt. & Add. *dec.* 162. 178. & 919. *dict. dec.* 168. *p.* 10. & frequen- 19
ter; Et licèt super hoc nimium certent scribentes, tam super antiquitate, quam super numero, ac etiam superdiversitate personarum, vel fontium à quibus proveniant,

& an

& an habeant affectationis suspicionem, necne, attamen non exindè aliquid certum desuper statui potest, sed istę circumstantiæ ponderandę veniunt ad effectum desumendi majorem, vel minorem efficaciam, seu majus, vel minus pondus hujusmodi adminiculi, quod generaliter omnibus aliis congruit, ubi præsertim aliorum numerus non adeò concurrit, adeò ut ea, quæ adsunt, ponderosiora desideranda sint.

20 In proposito autem enunciativarum, nimiùm inspicere refert, an illæ sint Ordinarii, cui tanquam interessato, ac loquenti in re sibi præjudiciali nimium defertur, juxtà *decis.* 11. *de jurepatronatus in novis cum collectis*, per Buratt. & Adden. *decis.* 111. latè *dict. decis.* 168. *p.* 10. *rec.* in dict. Aurien. Parochialis coram Peutingerio, & Zarata, & frequenter; Idemque congruunt sententiæ ejusdem Ordinarii, vel ejus Tribunalibus super jurispatronatus canonizatione, quamvis non concurrerent illa requisita, de quibus in proposito hujusmodi sententiarum habetur infrà, quoniam illis concurrentibus hujusmodi sententiæ non computantur inter adminicula, inter illas perfectas probationes, quæ solæ sufficiunt, ac firmant
21 statum ideòque ubi non sint tales; negari tamen non potest, quin considerabile faciant adminiculum cum aliis jungendum ex dicta regula, *ut singula, quæ non prosunt*, &c.

Prout generaliter, licèt illa jura honorifica, quæ patrono competere solent, de quibus supra in dict. Pampilonen *disc.* 52. non probent juspatronatus ad effectum, de quo agitur, cum non rectè arguere liceat à jurepatronatus honorifico, ad istud verum denotans formalem servitutem, attamen aliquod præstant adminiculum, quod etiam desumi solet ex subsidio alicui præstito tanquam patrono, seu ex aliqua annua præstatione, ut in specie advertitur in dicta Aurien. Parochialis.

22 Et in summa, ut dictum est, materiæ præsumptivæ, seu adminiculativæ probationis, certam, ac determinatam regulam non recipiunt, unde decisio prudentis judicis arbitrio metienda est ex facti qualitate, ac adminiculorum numero, ob quem etiam levia, & alias de per se insufficientia in consideratione haberi solent.

Dantur autem aliquæ probationum species, quæ licèt non redolentes titulum explicitum fundationis, & dotationis, adhuc tamen ad illum justificandum sufficiunt, multò verò magis, ubi cum ejus, alia adminicula ex supra allegatis concurrant, quarum specierum prima est illa sententia Ordinarii, quæ sua habeat requisita; Pri-
23 mò scilicèt, quod validè prodierit, citato, & audito promotore fiscali, aliisque servatis de jure servandis; Secundò, quod legitimè justificetur ex actis, & processu, Tertiò, quod probetur effectuata; Et quarto, quod omnis collusionis, vel affectationis suspicio absit; Tunc enim dicitur res judicata, quæ firmat statum, ideòque attendenda venit etiam, ubi ageretur de jurepatronatus potentium, in quo intrat rigorosa probationis forma præscripta per Concil. Trid. ut advertitur suprà in Prænestina *disc.* 3. Et sic magna differentia est considerare hu-
24 jusmodi sententias tanquam firmantes statum; & illas considerare pro adminiculo, pro quo attendendæ veniunt, etiam sine justificatione actorum; cum quandoque præsertim pro justificatione litterarum Apostolicarum prodire soleant per extrajudiciales informationes, ut in specie advertitur per Rotam *d. dec.* 168. *p.* 10. *recent.* ubi de pluribus ad hanc materiam sententiarum Ordinarii.

25 Altera species probationis præsumptivæ, quæ sola sufficit, est illa, quæ resultat ex immemorabili, vel centenaria possessione præsentandi, quoniam habens immemorabilem, vel centenariam, (quæ in hoc proposito parificantur) absque alterius justificationis necessitate, allegare potest quemcumque titulum de mundo meliorem, & consequenter illum fundationis, vel dotationis, Federic. de Sen. *consil.* 234. *num.* 3. Cassador. *decis.* 2. *n.* 5. & *seqq. de probat.* Buratt. & Add. *dec.* 142. & 162. Dunozett. *decis.* 909. *num.* 3. & 4. *decis.* 29. *n.* 1. & *seqq. part.* 7. *recentior. dicta decis.* 168. *num.* 26. *par.* 10. *decis.* 224. *num.* 8. *par.* 12. & sæpiùs Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 7. *n.* 29. & *n.* 54. & *seqq.* & communiter, quoniam est propositio certa quoties limitationes non obstent.

26 Verùm licèt eadem in proposito videatur virtus, vel operatio centenariæ, ac immemorabilis unde propterea scribentes promiscuè hos terminos; quasi synonimos, adhibere videntur, Garz. *p.* 5. *cap.* 9. *num.* 107. & *seqq.* Lother. *quæst.* 7. *num.* 59. Adden. ad Gregor. *dec.* 222. *nu.* 11. *vers. & licèt*: (Quod etiam frequentius agunt Regnicolæ, præsertim Capobl. *de baron.* circa possessionem jurium Regalium, ac aliorum, quæ regulariter Baronibus non competunt!) Attamen, quia nonnullæ differentiæ concurrunt, idcircò distinctè de illis agendo.

Quatenus pertinet ad immemorabilem, illud favore probare volentis videtur, si non omninò specialis, satis tamen peculiare, quod immemorabilis de sui regulari natura non admittit probationem, per scripturas, quoniam iste denotant principium, quod se opponit immemorabili; Et tamen in hac materia rectè probatur per scripturas, per quas reputatur probatio melior, ut plenè habetur deductum *d. dec.* 148. *n.* 36. & *seqq. p.* 10. *recent.* ubi allegantur Garz. *p.* 5. *cap.* 8 *n.* 107. *cum seqq.* & *alii*.

E' conversò autem si constat de initio, sive contrario
statu libertatis, aut de alio acquisitionis modo, suffra- 27
gari non potest immemorabilis, non quia illa virtutem suam amittat, sed quia ejus substantia deficere dicitur, cum essentiale ejus requisitum sit non dari principium, sive illud non dari contrarium; Non quod necessaria sit negatio principii in genere cum illud pernecesse detur in fundationibus Ecclesiarum, & Cappellarum, sive in erectionibus beneficiorum de subjectæ materiæ natura, sed negandum est initium acquisitionis jurispatronatus, postquam Ecclesia jam constructa fuit, quod scilicet non
detur memoria status liberi, neque constet de alio jurispa- 28
tronatus titulo, quo mediante acquisitio facta sit tunc enim nulla antiquitas etiam mille annorum suffragatur, ubi constet de titulo vitioso, vel insufficienti, Genuen. *in praxi Archiepisc. cap.* 63. *num.* 5. Lotther. *dict. lib.* 2. *q.* 7. *n.* 31. & *seqq.* Gonzal. *gloss.* 18. *n.* 48. & *seqq.* Buratt. *d. dec.* 172. *n.* 2. *decis.* 197. *p.* 5. *rec n. fin.* & sæpius.

Quare licèt titulus explicitus reputetur in hac materia
optima probatio ex deductis per Gonzal. *d. glos.* 18. *num.* 33. 29
Lotther *d. quæst.* 7. Burratt. *decis.* 702. *num.* 1. *decis.* 87. *n.* 3. *p.* 7. *recent.* & sæpiùs; Attamen id quandoque nocere solet ad hunc effectum, quod illo exhibito, si constat de ejus infectione, vel alia irrelevantia, aut subjectione, ut frequenter contingit in privilegiis Apostolicis probantibus juspatronatus esse gratia, & privilegio, & consequenter subjectum Apostolicis reservationibus ideò-
que antiquitas temporis, quæ aliàs sine titulo suffraga- 30
retur ad probandum qualitatem fundationis vel dotationis, ita inutilis remanet; Ideòque magna cautela semper adhibenda est in scripturarum, ac titulorum productionibus; juxta casum, de quo habetur actum *sub tit. de Regal. disc.* 47. ubi latè de hac materia præjudicii resultantis antiquissimo possessori alicujus juris per exhibitionem tituli.

Est benè verum, quod ob plures restrictiones regulæ prædictæ, ut scilicet producens titulum explicitnm, censeatur ad illum se restringere tanquam meliorem, om-
nemque alium excludere, ex iis, quæ ultra generalia, 31
de quibus *d. disc.* 47. *de Regal.* habentur *decis.* 218. *p.* 6. *decis.* 29. *p.* 7. *recent.* apud Buratt. *decis.* 792. & 875. & apud Dunozett. *dec.* 809. cum aliis, de quibus infrà *disc.* 65. ubi de discernendo juspatronatus ex gratia ab illo ex justitia ad effectum affirmativæ, vel negativæ subjectionis reservationibus Apostolicis, rarus est casus illius verificationis.

Quo verò ad centenariam, illa non intelligitur præcisè, sed moraliter; Licèt enim *in dec.* 143. *num.* 10. apud Vivian. postmodum revocata dicatur, quod centum anni debent esse omninò completi; Veriùs tamen est quod si deficiant aliqui menses, vel etiam aliquis annus in par-
vo numero, adhuc esse dicitur centenaria, ex dedu- 32
ctis per Lotther. *dicta quæst.* 7. *num.* 62. *cum seqq.* Buratt. & Adden. *decis.* 142. & 172. *utrobique num.* 8. Et de deficientia quatuor annorum habetur *decis.* 509. *num.* 1. *part* 5. *recent.* Et de illa duorum annorum apud Dunoz. *d. decis.* 809. *cum similibus*; Quod generaliter circa fidem scripturarum, ac alios effectus ex antiquitate resultantes habemus, quod licèt tempus antiquum dicatur illud
centum annor. attamen si sit supra 99. & infrà 100. non 33
desinit esse tale, ex deductis apud Gregor. & Adden. *dec.* 3. *dec.* 78. *n.* 18. post Merlin. *de pignor.* & *in aliis*, quoniam ita adimpletur idem finis, seu verificatur eadem ratio defectæ memoriæ hominum, seu deficientis modi probandi, spectata substantia resultante à dicta ratione magis, quam illa præcisa formalitate temporis, quæ in præscriptionibus, aliisque certam metam temporis habentibus attenditur.

Non sufficit autem tempus, nisi concurrat observantia per continuatas præsentationes effectus sortitas, juxta celebre *consil. 229. Oldradi*, quod scilicet per mortem unius, præsentatus fuerit alter, ut *in dicta decis.* 809. Dunozett. & frequenter; & quatenus non constet de præsentationibus, sed solùm de institutionibus, adhuc istæ sufficiunt quatenùs tamen sint tales, quod supponant præsentationes tanquam antecedens necessarium, Cavaler. *dec. 655. n. 5.* Buratt. *d. dec. 172. n. 3.* ubi concordantes.

Non tamen circa continuationem intrat ille rigor, qui
34 juxtà unam opinionem cadit in altera specie rigorosæ probationis juris patronatus potentium, sed admittitur in parte illius probatio præsumptiva, quod scilicet probatis extremis media præsumantur, ut cæteris relatis, Buratt. *d. dec. 172. num. 10. & 875. num. 3.* Dunozett. *dicta decis.* 809. Cels. *decis. 193. num. 6.* nisi doceatur de intermedio statu libertatis, cum nunquam intret præsumptio, ubi habetur veritas, Duran. *decis. 293. n. 3. d. decis. 509. n. 3. p. 5. rec.* & admittitur tanquam absolutum in aliis proximè allegatis.

Adeòut, quamvis certam, ac receptam propositionem habeamus, quod provisiones Apostolicæ non mutant statum beneficii, neque præjudicant patrono, nisi expresè constet de diverso animo Papæ, quem in dubio non præsumitur velle præjudicare tertio, ejusque jus tollere, ut in his terminis cæteris relatis deducitur *in dicta dec. 224. p. 12. recent. n. 10.* & sæpè in præcedentibus; Adhuc tamen si constat de aliquibus Apostolicis provisionibus effectum sortitis tanquam de libero, quia scilicet Papa jurispatronatus nullam fecerit mentionem, unde propterea, nec illi de-
35 rogaverit, neque patronorum consensum desideraverit, (cum tunc potiùs profint ad probationem, & conservationem,) tunc istud tempus, in quo hujusmodi provisiones validum, ac pacificum effectum sortitæ sunt, non venit in calculo, sed potiùs est subducendum, quoniam aliud est, quod provisiones Apostolicæ non mutent statum jam probatum, ac firmatum; Aliud verò, quod impediant in statum firmandum, ut cæteris relatis habetur a-
36 pud Burratt. *d. dec. 168. n. 2. cum seqq.* & Adden. ad eum *decision. 153. nu. 5.* prout subducendum etiam est tempus litis, ex deductis apud eundem Buratt. *d. dec. 168. n. 8.* ubi Adden. *lit. A.* nisi possessor vicerit, ut infrà.

Non interrumpitur autem centenaria, vel immemorabi-
37 lis per litem in qua possessor obtinuit, cum illa potiùs jus possessoris confirmet; Minusque per actus nullos, vel suppressos seu aliàs ineffectuatos, sive diversos, aut compatibiles cum jurepatronatus, ex iis, quæ ceteris relatis habentur *decis. 29. num. 26. p. 7. rec. dec. ult. n. 4.* post Vivian plenè *d. dec. 168. p. 10. rec. & in aliis.*

38 Cessante verò centenaria, vel immemorabili, quæ ut dictum est, absque alio fomento sufficit ad probandum juspatronatus ex fundatione, vel dotatione, quamvis testes, vel scripturæ hujus qualitatis, vel circumstantiæ nullam habeant mentionem, ut in specie advertit Gonzal. *ubi suprà n. 46.* Garz. *part. 5. c. 9. n. 85. & seqq.* occasione agendi de fama; Tunc supereſt alia species probationis per quadragenariam possessionem benè probatam, cum eisdem requisitis pacificæ, ac effectuatæ univocæ, non autem æquivocæ observantiæ; Verùm sola non sufficit ab-
39 que alio fomento vel aliquorum adminiculorum, de quibus supra, cum tunc adminicula stent loco famæ, ut cæteris relatis *dec. 132. n. 7.* post Vivian. *decis. 482. nu. 5. & seqq. p. 5. recent. tom. 2.* Adden. ad Burrat. *dec. 552. litt. B, d. dec. 224. n. 3. p 12.* Vel quod adjunctum habeat aliquem titulum coloratum, quo accedente, quadragenaria habet vim immemorabilis, eique æquivalet, ut per Gonzal. *d. glos. 18. n. 57.*

Vel quod admixtam habeat famam probatam, cum suis
40 requisitis in his terminis enunciatis, apud Buratt. *dec. 168. n. 15. & 16.* quoniam quadragenaria possessio juncta cum fama æquivalet etiam immemorabili, Achill. *dec. 6. de jurepatronatus*, Cassad. *dec. 2. de probat.* Gonzal. *dict. glos. 18. n. 56.* Garz. *p. 5. cap. 9. n. 83. & seqq.* Burrat. *d. decis. 172. n. 18. & dict. dec. 552. dec. 142. n. 7.* post Vivian. *dec. 224. num. 3. part. 12.* & in supra allegata Aurien. Parochiali cor. Peutingerio, & Zarata, & sæpiùs; Absque necessitate, quod testes deponentes de fama dicant illam esse super fundatione vel dotatione, quoniam sufficit ut de illa deponant in genere, cum præsumatur dicta qualitas, Achill. *dec. 7. de juripatronatus*, benè Rota registrata apud Garz. *d. p. 5. c. 9. n. 85. & seqq.*

Atque pro dicta quadragenaria, sufficit etiam unica præsentatio, pacificum & continuatum effectum sortita, quia nempè præsentatus, ac institutus vixerit per annos 40. & ultrà, undè propterea non evenerit casus alterius vacationis, & præsentationis, Federic. de Sen. *cons. 234. n. 4.* & cæteris relatis *decis. 290. n. 8. & 548. n. 6. p. 5. recent.* cùm aliis per Adden. ad Buratt. *dec. 338.* Et de aliis apud supra allegatos, cum hæc non sit tractatio, sed adnotatio frequentius contingentium in materia.

ADNOT. AD DISC. LVII.

NOtatum suprà *ad disc. 9.*

De rigorosa forma probationis inducta per S.C.T. in jurepatronatus potentium; Et quæ dicantur personæ potentes ad hunc effectum.

SUMMARIUM.

1 *De ratione, ob quam Concilium Tridentinum in Potentibus induxit hanc formam rigorosæ probationis.*
2 *Recensetur dicta forma qualis sit.*
3 *De probatione immemorabilis remissivè.*
4 *Probatur in hac specie per scripturas.*
5 *An centenaria sufficiat, & æquivaleat immemorabili.*
6 *In immemorabilis requisitis procedant regulæ generales.*
7 *An testes cives pro universitate, vel subditi pro Barone sint idonei.*
8 *An præsentationes probentur per scripturas privatas.*
9 *An præsentationes possint probari aliàs, quàm per scripturam.*
10 *Debent esse plures præsentationes saltem duæ, & non sufficit una.*
11 *Debent esse effectuatæ, & an effectuatio probetur per testes.*
12 *Item debent esse continuæ, & an mediæ præsumantur probatis extremis.*
13 *An tempus præsentationum sit diversum ab illo immemorabilis.*
14 *An sententia Ordinarii probet in hac materia.*
15 *Ubi adest titulus explicitus, Concilium nil innovavit.*
16 *An titulus probetur alias, quam per scripturam.*
17 *Forma conciliaris in potente procedit, etiam in Episcopo an sit eadem, vel major potentia, & de ratione.*
18 *Attenditur origo, & ideò jurispatronatus potentis subjacet dictæ formæ, quamvis possideatur à privato & è contra.*
19 *Et quando in privato dicatur purgata mala remissivè.*
20 *An & quando decretum conciliare obstet in possessorio, vel potenti competat manutentio, seu institutio ad ejus præsentationem.*
21 *Non comprehenduntur in hoc decreto Reges, & jura Regni habentes.*
22 *Neque ubi potens possidet patronatum cum privato.*
23 *Vel ubi agitur incidenter.*
24 *Habentes jurisdictionem in loco sunt potentes.*
25 *Spectatur initium, etiam si posteà jurisdictio defierit.*
26 *Debet esse in loco beneficii, sed quid si absque jurisdictione adsit potentia.*
27 *Et de familiis potentibus.*
28 *Mala præsumptio viget, & potiùs in Italia, quam in Hispania.*
29 *Quæ universitates sint potentes.*
30 *Personæ Ecclesiasticæ, quamvis constituant universitatem, vel habeant jurisdictionem non cadunt sub decreto conciliari.*

D I S C. LVIII.

OB malam præsumptionem usurpationis juris præsentandi, vel nominandi in beneficiis vacantibus quam præsertim occasione absentiæ Sedis Apostolicæ ab Urbe, 1
& Italia sibi assumpserunt personæ potentes, quibus Ordinarii contradicere, vel resistere non de facili poterant, ac etiam potissimè, quia ante Concilium Tridentinum usus erat concedendi etiam Ecclesias Metropolitanas, vel Cathedrales in commendam absque onere residentiæ unde propterea erant sub regimine simplicis Vicarii, qui multò minus personis potentibus resistere poterat, seu faciliùs earum gratiam affectabat; Hinc proindè Sac. Conc. Trid. *sess. 25. de reform. cap. 9.* rigorosam novam formam probationis jusпatronatus in personis potentibus induxit, nedum per immemorabilem benè probatam, cum suis generalibus requisitis desumptis, ex vulgari Gloss. *in c. 1. de præscript. in 6.* sed etiam per præsentationes continuatas, ac effectum fortitas ad minus per spatium 50. annor. per documenta justificandas, ut patet ex contextu decreti Conciliaris, & ex communi traditione scribentium, quos ibidem recenset elaboratus collector Barbos. ac etiam Vivian. *lib. 11. p. 2. c. 5.* & habetur pluries actum in præcedentibus præsertim *disc. 3. cum duob. seq.*

Quamvis autem super primo requisito immemorabilis, 3
ejusque sufficienti, vel insufficienti probatione plures habeamus questiones, in Rotæ decisionibus præsertim recensitas, attamen id non percutit peculiarem materiam jurispatronatus, in cujus probatione circa immemorabilem aliquid speciale statutum sit, sed percutit in genere concursum dictorum requisitorum, de quibus frequentiùs in Curia agi solet in materia decimatoria *sub tit. de decimis*, & generaliter *sub tit. de judiciis*, ubi de hac specie præscriptionis, seu probationis; Illa specialitate cadente potiùs ratione subjectæ materiæ; quæ id frequentiùs causet, quam ex aliquo jure speciali, quod scilicet immemorabilis contra ejus regularem naturam etiam per scripturas justificari potest, ut habetur *disc. præced.* ubi præsertim allegatur satis copiosa *dec. 168. p. 10. recent.* ubi agitur de jurepatronatus Universitatis, quæ inter personas potentes recensetur; Quo magis enim agitur de personis potentibus, eo magis suspecta est probatio per testes, ut habetur infrà occasione alterius requisiti, & consequenter melior remanet justificatio per scripturas.

Ubi verò non probaretur immemorabilis, sed benè 4
probaretur centenaria, quæ in jurepatronatus privatotum attentis terminis generalibus juris communis æquipollet immemorabili, cadit quæstio, an per eam satisfactum dicatur huic formæ; Atque affirmativam, ut scilicet centenaria sufficiat, supponit Rota apud Celsum *dicta decis. 193. n. 7.* ubi de jurepatronatus universitatis, quæ ut infrà reputatur persona potens, & prius *decis. 143. n.* 5
8. post Vivian. & cæteris relatis explicitè habetur apud Adden. ad Gregor. *decis. 222. numer. 11. vers. Et licèt*, Seraphin. *decis. 1141. n. 9.* & 10. ac etiam per alios, de quibus *disc. præc.* super probatione resultante à centenaria.

Negativum verò, quod cum Concilium loquatur de immemorabile, nullum æquipollens admitti debeat, tenent Lotther. *lib. 2. q. 13. n. 17.* & Rot. apud Coccin. *dec. 25. n. 2.* ex eo, quod aliàs si æquipollens sufficeret, deberet quoque admitti quadragenaria, cum fama, sive cum titulo putativo vel adminiculis, cum tunc quadragenaria æquivaleat immemorabili, & tamen id non est dicendum; Cùmque adhuc occasio non dederit id in specie disputandi in foro, idcircò maturiùs cogitandum reservo; Probabilior tamen videtur prima opinio, cum attento tempore, quo conciliare decretum prodiit, isti duo termini magis promiscui essent, atque pro synonimis adhiberentur, eamdemque habeant vim circa possibilitatem allegandi titulum meliorem, eademque urgeat ratio, quæ non est in quadragenaria.

Item circa hanc immemorabilem, præsupponenda sunt 6
ejus requisita juxtà terminos generales absque eo, quod aliquid peculiare in hac materia statutum; ac propterea intrant omnia, quæ circa eam, vel respectivè centenariam in privatis habentur *disc. præced.* Particulariter verò in hac specie jurispatronatus, potentium juxtà rigorosam formam Conciliarem generalem, disputatio cadit, an cives in ordine ad Universitatem; vel subditi, seu vassal- 7
li, in ordine ad Baronem, sint idonei testes ad illius probationem; Et negativam tenent Gonzal. *ad reg. 8. glos. 18. n. 70.* Campanill. *diverf. jur. Canonici rubr. 11. cap. 13. num. 412.* Barbos. *in collectan. ad d. c. 9. Concilii*, Rota *decis. 126. p. 5. recent. num. fin.*

Contrarium tenent Genuen. *in prax. Archiep. c. 53.* & tanquam verius firmavit Rot. in Signina Jurispatr. 11. Martii 1638. cor. Peuting. in Terracin. Jurispatr. 29. Maii 1656. cor. Bevilacq. *impress. dec. 187 p. 12. rec. n. 21. & seqq.* in quibus ponderatur, ut clarius id procedat, ubi concurreret mixtura aliorum non subditorum, puta forensium quoad Universitatem, vel civium Clericor. quoad Baronem, idemque longè post hæc scripta firmatum fuit, tam in dicta Terracin. quàm recentiùs in Prænestina cor. eodem Bevilacqua, de qua habetur actum supra *disc. 3.* ideòque ut ibi advertitur, ab hac opinione recedendum non videtur, cum legi novæ, & exorbitanti; adeò rigorosi, ac exorbitantes intellectus non de facili tribui debeant.

Quo verò ad alterum requisitum probationis præsentationum effectum sortitarum spatio ad minus 50. annorum, dum decretum Conciliare hanc justificationem exigit per authentica documenta, fuit quoque alias dubitatum an precisè requirerentur instrumenta publica, adeòut non sufficerent scripturæ privatæ, quamvis essent ta- 8
les, quod abesset suspicio antidatæ, seu recentis confectionis, ad terminos textus *in leg. scripturas, C. qui potior. in pign.* Atque non desunt tenentes priorem opinionem rigorosam, quam præsertim tenent Lotther. *dicta quæst. 13.* & Vivian. *lib. 11. cap. 1.* Verùm hæc opinio rejecta est per Rotam in dicta Signina Jurispatronatus 11. Martii 1648. coram Peutingerio, quoniam etiam scripturæ privatæ benè recognitæ dicuntur documenta authentica, atque cum eodem sensu processum fuit in dicta Prænestina, de qua *disc. 3.*

Ubi verò nulla scriptura præsentationum habeatur, benè tamen adsint plures institutiones effectum sortitæ, in quibus eædem præsentationes enuncientur, cadit quæstio, an illæ justificari possint tam per dictas institutiones, quàm etiam per testes deponentes de tenore, seu casu amissionis, aliaque adminicula; Et rigorosam opi- 9
nionem negativam, quasi quod scriptura inducta sit de forma per Concilium, quod in hac materia non confidit de testibus, ideòque non admittatur probatio per æquipollens, tenent Gonzal. *dicta glos. 18. num. 79. cum seqq.* Ricc. *in praxi par. 1. resol. 136. & decis. 113. par. 6.* Adden. ad Buratt. *decis. 139. n. 16.* & sensit Rota *decis. 367. num. 3. par. 10. recent.*

Contrarium tamen tenent Genuens. *in praxi dicto cap. 63. num. 12.* Garz. *par. 5. cap. 9. num. 113. & in add.* istamque opinionem probabiliorem videri habetur suprà *dicta disc. 3. & seqq.* per rationes ibi deductas, quamvis stante majori calculo auctoritatum, nisi in foro difficultatem, (sed meo judicio malè,) id patiatur, quoniam ita in libito Ordinariorum hujusmodi scripturas in eorum Archivio retinentium repositum est hujusmodi probationem impossibilem reddere.

Pro istius autem requisiti justificatione non sufficit unica præsentatio, quamvis hæc pacificum effectum sortita 10
esset continuato spatio temporis per Conciliare decretum requisiti, quoniam cum illud loquatur in numero plurali, iste non est verificabilis in singulari, ut *decis. 577. sub. nu. 1. par. 1. diverf.* in Forsempronien. seu nullius Parochialis 17. Novembris 1625. coram Coccino, cum aliis per Adden. ad Buratt. *dicta decis. 139. num. 12.* Sufficere autem duas, cum in eis pluralitas verificetur advertit in specie, Campanil *dicta rubric. 11. cap. 13. num. 425.* & Barbos. *de Episcopo allegat. 62. num. 31. cum seqq.* neque videtur subesse probabilis ratio dubitandi de contrario, cum potiùs rigorosa, nimiùmque litteralis videatur dicta opinio, negans sufficere unicum effectum sortitam pro tempore à dicto decreto desiderato, dum ut habetur *disc. præced.* de jure ad quadragenariam sufficit unica, si illa tamdiù suum effectum sortita est; Nil obstante ponderatione, quod dictum decretum utatur numero plurali, quoniam dedecet in legalibus, præsertim forensibus procedere, cum formalitate verborum, seu cum rigoribus grammaticalibus, sed spectanda est substantia veritatis, seu finis, ac effectus, ob quem ita dispositum est, juxtà ea, quæ de resolutione numeri pluralis in singularitates, vel è conversò singularis in pluralitates habentur pluries *sub titul. de fideicommissis*, præsertim *disc. 57.* & *disc. 95. cum plurib. seqq.* Quia verò nostris majoribus ita visum est, difficilè videtur in foro contrarium substinere.

Debent autem præsentationes probari effectum fortitæ, 11
cum id generaliter procedat etiam in privatis; Admittitur autem etiam in hac specie illa effectuationis justificatio, quæ deducitur ex vulgari *consi. 229. Oldardi*; ut in dicta Signina Jurispatronatus coram Peutingerio, & *in dicta decisc. 193. coram Celso*, & non fuit dubitatum in dicta Prænestina, de qua suprà *disc. 3.* non suppetit autem necessitas probandi hanc effectuationem per scripturas, sed illa fieri potest per alias species probationis, cum Concilium desuper non statuerit, ut in specie Garz. *dicta par. 5. cap. 9. num. 104. & seqq.* & admittere videtur, Rota *decis. 477. par. 5. recent.* Licèt ad hunc effectum scripturam quoque desideret, Gonzal. *dicta glos. 18. n. 84.*

Item præsentationes esse debent continuæ; cum idem 12
decretum Conciliare de continuatis loquatur; Cadentes questione, an probatio continuationis debeat in omnibus esse vera, vel admittatur illa præsumpta, quæ in ju-

repa-

repatronatus privatorum admittitur circa præſumptionem mediorum probatis extremis; Et negativam tenent Genuenſ. *dict. cap. 63. num. 9.* Affirmativam verò tenet Barboſ. *ad Concilium dicto cap. 9.* & ſenſit Rota apud Buratt. *deciſ.182. num.10. deciſ.38. & 61.* poſt Vivian. & *in dicta deciſ.193. coram Celſo;* Iſtaque opinio placet, quoniam ut dictum eſt, cum verſemur in lege exorbitanti, multiplicandi non ſunt rigores, ac exorbitantiæ.

Dubitatur etiam in materia, an dictum ſpatium 50.
13 annorum, per quod juſtificandæ ſunt per ſcripturas præſentationes effectum ſortitæ, ſit diverſum ab altero ſpatio, quod requiritur in probatione immemorabilis; Et licèt Rota *deciſ.143. n.8. & 9. & dec.144. n.5.* poſt Vivian. ſentire videatur requiri utrumque tempus: Contrarium tamen ſentiunt Gonzal. *d. gloſſ.18. num.88.* Campanil. *dicta rubr.11. c.13. n.408. & alii*, idque omninò probabilius videtur, cum ita eſſet reddere hanc probationem impoſſibilem; In dictis autem deciſionibus id perfunctoriè potiùs dicitur, atque in poſterioribus diſputationibus habitis in hac materia in dicta Terracinen. coram Bevilaqua *dec.* 187. *par.12. recent.* & in dicta Prænestina coram eodem, de qua ſuprà *dict. diſc. 3. & in aliis*, de hoc dubitatum non fuit.

Atque ſuprà *diſc. 4.* de alia habetur quæſtione, an ſententia Ordinarii canonizatoria hujus juriſpatronatus,
14 antiqua & effectum ſortita, in hac ſpecie juriſpatronatus admittatur, ſi non reperiantur acta, ex quibus juſtificata remaneat, ut ibi.

Procedunt hæc omnia in præſumptiva, ſeu adminiculativa probatione, quam poſſeſſor juriſpatronatus, qui ſit perſona potens, deducere velit ex antiqua poſſeſſione, ſeu conſuetudine inducente fundationis, vel do-
15 tationis titulum præſumptum, ſecùs autem ubi habeatur titulus expreſſus fundationis, vel dotationis, ſeu ille privilegii Apoſtolici, cùm tunc potentes à privatis non differant, neque Concilium deſuper aliquid innovaverit, Lotter. *lib.2. quæſt.7. n.27.* Duran. *deciſ.407. nu.5.* Rota *deciſ.* 168. *part.10. recent. n.33.* & in aliis pluries.

Cadente ſolùm quæſtione, quando titulus qui allegatur fundationis, vel dotationis non poſſit incontinenti juſtificari per ſcripturas, quarum amiſſionis caſus probetur, an
16 ſcilicèt tunc admittenda ſit juſtificatio per teſtes; Et negativam tenent Adden. ad Buratt. *deciſ.832. n.10. & ſequent. & 911.* ubi teſtantur ita fuiſſe declaratum per Sac. Congregationem Concilii de anno 1633. Contrarium verò tenent Genuen. *praxi Archiep. cap.10. num.16.* Garz. *part.5. cap.9. num.113. in addit.* & videtur admittere Rota *deciſ.* 564. *num.7. part.4. diverſ.* iſtaque, (ſeclusa dicta declaratione, cui, quando ſit vera, & ſeriò edita nimium deferendum eſt,) in puncto juris verior videtur, ex fundamentis de quibus ſupra *dicto diſc.3.*

In caſibus autem in quibus intrat dicta forma Conciliaris; Ampliatur, ut procedat, quamvis in Ordinario æqua-
17 lis, vel etiam major potentia concurrat, ut cæteris relatis *deciſ.197. num.29. part.5. recent.* Adden. ad Gregor. *d. deciſ.222. num.11. verſ. & hæc forma*, Lotter. *dict. quæſt.1. num...* Quamvis autem hæc ampliatio reflectendo ad ſolam rationem potentiæ, cui innixa eſt præſumptio uſurpationis probabilem rationem habere non videatur, adhuc tamen recipienda venit, Vel quia majoribus noſtris ità viſum ſit, in quorum fide, vel auctoritate in pleriſque ambulare oportet, quamvis ratio non aſſiſtat, Vel quia intret altera ratio initio inſinuata, quod ſcilicèt ob diſceſſum Curiæ ab Urbe, & Italia, fortiùs verò etiam poſt regreſſum, ob penè dimiſſam reſidentiam, adeout Eccleſiæ Metropolitanæ, & Cathedrales, per reſidentes in Curia tenerentur in commendam eo modo quo de præſenti tenentur Monaſteria, ità operabilis non remanebat in ſimplici Vicario, vel adminiſtratore dicta ratio majoris potentiæ; Unde quando iſta ratio non adapteatur ad caſum, licèt non liceat negligere ampliationem, adhuc tamen Epiſcopi qualitas ſatis conſiderabilis videtur, ut magis benignè, & circumſpectè procedatur, ut advertitur ſuprà *diſc.3. & 4.*

Ampliatur ſecundò, quamvis juſpatronatus aliàs penès potentem exiſtens, actualiter poſſideatur per privatum, quoniam in hoc attenditur initium, tam in bonum, quàm in malum, adeout ſi juſpatronatus aliàs à privato acquiſi-
18 tum tranſeat in potentem, adhuc non intrat decretum Conciliare, ſed jure privati ad terminos juris communis regulatur, ex deductis *deciſ.191. part.3. recent. deciſ.401. & 509. part.5. & deciſ.321. part.10.* & habetur actum ſupra *in Lauden. Parochialis diſc. 6.* Ibique etiam de hujus ampliationis declaratione, de qua in proximè allegatis deciſionibus, quando ſcilicèt juſpatronatus origine potentium, tamdiu continuaverit in perſona privata, quod verìſimiliter iſta macula, ſeu mala præſumptio purgata remaneat. 19

Ampliatur tertio, ut decretum Conciliare abſque dicta rigoroſa forma inficiens jus potentium, illud inficiat etiam 20
in poſſeſſorio, Lotter. *d.q.11.* Gonz. *d. gl.18. n.23.* Buratt. *deciſ.139. n.5.* ubi Adden. *d.deciſ.197. n.4. p.5. rec.* cum aliis per Poſt. *de manut. obſerv.32. n.26. cum ſeq.*

Iſta verò ampliatio duplicem recipere ſolet, declarationem, Primò ſcilicèt quoad illum, qui ad præſentationem potentis ab Ordinario admiſſam jam inſtitutus fuerit, ac in poſſeſſionem immiſſus, quoniam pendente judicio ſuper dictæ inſtitutionis retractatione ob non jus præſentantis, inſtitutus poſſeſſor manutenendus eſt, Cavaler. *deciſ.* 609. *in fine*, cum aliis per Adden. ad Buratt. *dict. deciſ.* 139. *n.18.* quoniam aliud eſt agere de poſſeſſorio ad favorem ipſius potentis in quaſi poſſeſſione præſentandi, aliud verò de manutentione inſtituti, ac poſſeſſoris in poſſeſſione beneficii.

Et ſecundò, ubi poſt Concilium, patronus, citato promotore fiſcali, aliiſque ſer. ſer. cauſa cognita per Ordinarium admiſſus fuerit ad præſentandum, quoniam ſi deindè Ordinarius ſucceſſor, ſeu alter, impugnando juſpatronatus, cauſam petitorii reaſſumere velit, interim poſſidentis judicis auctoritate deneganda non eſt manutentio in quaſi poſſeſſione præſentandi, Gonzal. *d. gloſ.18. num.26. ſequ.* Genuen. *in praxi d. cap.63. num.3.* Seraphin. *deciſ.* 1395. *num 7. d. deciſ.197. num.43. par.5. recent.* Contrariæ enim declarationes Sacræ Congregationis relatæ per Gonzal. *ubi ſup.* procedunt ubi præſentationes, ex quibus reſultat quaſi poſſeſſio, abſque cauſæ cognitione, aliiſque ſervandis non ſervatis de facto admiſſæ fuiſſent.

E' converſò, eadem principalis concluſio, (ultrà ſuperius inſinuatam limitationem, quando ſcilicèt perſona potens cauſam habeat à privata;) Limitatur in eodem textu Concilii in illis potentibus, qui habeant jura Regni, vel ſupremi Principatus, in quibus cadit ſolùm quæſtio, quan- 21
do cauſam habeant ab illi potentibus, qui dicto Conciliari decreto ſubjaceant juxta caſum, de quo ſupra *in Meſſanen. diſc.2.*

Et ſecundò, ubi perſona potens non ſit ſolus poſſeſſor, ſed poſſideat pro communi cum privato, penès quem juſpatronatus, excluſo potente, ratione individuitatis remaneret inſolidum, unde propterea adhuc Eccleſia con- 22
tinuaret in ſervitute, & conſequenter ceſſet ratio dicti decreti principaliter editi pro reſtitutione Eccleſiarum earum priſtinæ libertati, ut cæteris relatis Garz. *par.5. cap.9. in addit. ad num.113.* Adden. ad Burat. *deciſ.142. num.14.* Cavaler. *deciſ.89. deciſ.401. num.6. part.5. & 321. num.18. part.10.* quæ ſunt proditæ *in d. Lauden. parochialis diſc.6.* ideoque intelligendæ ſunt juxtà conſiderationes, de quibus ibidem, quando ſcilicèt certum eſt, quod ſocius privatus, inſpecta etiam origine, obtineat juriſpatronatus patrem, ſecùs autem ſi hæc in origine eamdem habeat infectionem.

Item rigor dictæ formæ procedit, quando principaliter agitur de canonizatione juriſpatronatus in concurſu promotoris fiſcalis, vel alterius contendentis de beneficii libertate, ac de dicti juris infectione, ob quam præſentatio 23
reiicienda ſit, juxtà caſus, de quibus ſupra *diſc.3. & 4. cum proximis*; Secùs autem ubi incidenter, cum tunc minores probationes admittantur, ut generaliter advertitur per Garz. *d. part. 5. cap. 5. num.140. cum ſeqq.* Poſt. *de manut. obſerv. 32. num. 5.* Rota *deciſ. 82. num.19. & 302. num. 8. p. 7. recent.* Adden. ad Buratt. *d. deciſ. 139. num. 17. & dec. 147. n. 1.* poſt Vivian.

Perſonæ autem potentes, dicuntur illi qui habent juriſdictionem temporalem in loco, in quo ſitum eſt beneficium, quamvis illa non ſit plena, & abſoluta, ſed ſubordinata, ut eſt illa feudatariorum, & Baronum, Gonzal. 24
dict. gloſ. 18. num. 66. Garz. *p. 5. cap. 9. n. 99* cum concordan. *d.dec.197. p.5. rec.* Adden. ad Gregor. *d. dec. 222. d. dec. 187. p.12. rec.* & paſſim, atque tanquam abſolutum admittitur ſupra *diſc. 3. cum plur. ſeq.*

Atque in hoc ſpectatur initium, an ſcilicèt de tempore acquiſitionis juriſpatronatus, & præſentandi, haberet ju- 25
riſdictionem in loco, quamvis deindè illam habere deſierit *ut d. deciſ. 197. num. 25. & ſeq. part. 5. recent. deciſ. 219. n. 1. part. 1.* & in aliis.

Juriſdictio tamen debet eſſe in loco, ſecùs autem ſi poſ-

poſſeſſor alibi illam habeat, in loco autem privati figuram faciat, ut advertitur ſupra *in Pampilonen. diſc. 52.*
26 & comprobat recepta praxis; Niſi tamen agatur de tali Principe, ſeu Magnate primi ordinis, qui ob ſui Principatus adjacentiam, magnam in loco ibi proximo potentiam habeat, unde propterea eadem intret ratio præſumptæ uſurpationis ac potentiæ, cui dictum decretum Conciliare innixum eſt, juxtà caſum de quo *dict. deciſ.197. part.5. recent. num.19. & 27. cum ſequent.* Atque in hoc ſenſu intelligendæ veniunt deciſiones, & auctoritates iſtud decretum extendentes ad aliquas fa-
27 milias potentes præſertim in Italia, ex relatis eadem *deciſ.197. numer.30. cum ſequent. part.5. deciſ.275. part.3. num.6. deciſ.630. num.80. part 4. tom.3.* cum aliis per Adden. ad Buratt. *deciſ.832. num.16.* Barboſ. *de Epiſcopo alleg.72. num.65. cum ſequent.* Juriſdictio ſiquidem in loco reputatur cauſa potentiæ, non tamen taxativè, quoniam ſi ex aliis circumſtantiis eadem potentia concurrat, idem dicendum eſt, ut habemus in Univerſitatibus, quamvis juriſdictionem non habentibus ut proximè infrà; Potiſſimè verò in Italia, ob diſceſum Curiæ, ac alias rationes, de quibus ſupra, quibus & alia addi poteſt, tot ſchiſmatum, ac etiam ob nimiam frequentiam, ac tenuitatem Epiſcopatuum, unde non
28 adeò de facili dicta mala præſumptio admittitur in Hiſpania, ut advertitur *deciſ.331. par.2. deciſ.581. par.4. diverſ.*

Potentes etiam reputantur Univerſitates laicorum, quæ ſub Communitatum vocabulo in Curia, & alibi explicari ſolent, quamvis nullam habeant juriſdictionem, & quamvis eſſent etiam Univerſitates parvæ, putà non repræſentantes totum populum totamque Civitatem, vel Oppi-
29 dum, ſeu locum, ſed ejus partem, putà univerſitas parochianorum, ſeu univerſitas viventium in aliqua contrata cum ſimilibus; Licèt enim in iſtis non intret præſumptio uſurpationis ratione potentiæ, intrat tamen eadem præſumptio ratione inveriſimilitudinis, quod ſcilicèt ab iſtis, qui in tempore variantur, abſque qualitate hæreditaria ſanguinis, vel rei familiaris majorum, qui fundare, vel dotare potuerint, poſſideretur juſpatronatus ex fundatione, vel dotatione, ut apud Coccin. *d. deciſ.25. deciſ.143. & 144.* poſt Vivian. ubi concordan. & paſſim, cum difficultas probabiliter cadat, ubi agatur de Univerſitate, quæ in effectu perſonam privatam redoleat, putà aliquarum certarum familiarum, quarum primi ſeu majores, fundare, vel dotare potuerint, adeout non urgeat dicta ratio inveriſimilitudinis, vel altera quæ in parochianis, vel illis de contrata, ſeu vicinia, multò magis in ipſa generali Univerſitate, ſeu Communitate loci conſiderari ſolet, ponderata ſupra *in Bononien. diſc.8.* quod ſcilicet antiquitùs (& quidem commendabiliter quando laici non abuterentur,) Eccleſiæ præſertim parochiales provideri ſolebat ad nominationem populi, ſeu parochianorum, ut ovibus gratus, ac benevolus paſtor tribueretur, jure tamen nominationis conſultivæ, quam deindè laici prætendere cœperunt coactivam, eo modo quo de interventu aliquorum deputatorum ſæcularium in Monaſteriis Monialium advertitur *ſub tit. de Juriſd. diſc.27.*

Sub hac tamen concluſione non comprehenduntur illæ Univerſitates, quæ deputatæ ſint ad aliquod opus particulare, ſeu ex certo perſonarum genere ſint conſtitutæ, cum tali redditu, ſeu peculio, quod in eis non urgeat dicta inveriſimilitudo, ſed rectè cadere valeat poſſibilitas fundationis, vel dotationis, ut ſunt aliquæ piæ confraternitates, vel congregationes laicorum, ſeu Collegia DD. & mediocrum, aut notariorum, vel univerſitates mercatorum, ſeu artificum cum ſimilibus, ex deductis *deciſ.290. num.17. cum ſequent. part.5. recent.* cum aliis per Adden. ad Burat. *deciſ.551. num.16.* Multò verò magis ubi ageretur de Univerſitatibus Eccleſiaſticis, ut ſunt Capitula Collegiatarum, vel Cathedralium cum ſimilibus, Vel etiam
30 de piis tantùm, quæ tamen ſint ſub juriſdictione, & viſitatione Ordinarii, ut ſunt piæ confraternitates laicorum ad præſcriptum Sac. Conc. Trid. viſitationi. & correctioni Ordinarii ſubjectæ, juxtà plures deducta *ſub tit. de Juriſdict.* Niſi & in iſtis ex earum qualitate, ac inopia non de facili intret dicta poſſibilitas fundationis, vel dotationis, potiuſque obſtet inveriſimilitudo, juxtà caſum, de quo ſupra *in d. Bononien. diſc.8.*

Quinimò etiam ubi concurrat illa potentia, quæ reſultat à juriſdictione tempotali in loco, adhuc tamen ſi habens talem juriſdictionem ſit perſona Eccleſiaſtica, puta Capitulum, vel Monaſterium, ſeu Prælatus, ratione tamen Prælaturæ, adhuc non intrat mala præſumptio, & conſequenter locum non habet prædictum Conciliare decretum, ut advertitur ſupra *in dict. Lauden. parochiali. diſc.6.*

ANNOT. AD DISC. LVIII.

NOtatum eſt ſupra *ad 3. cum ſeqq.*

Quando dicatur juſpatronatus Eccleſiaſticum, vel laicale, ſeu mixtum; Et de effectibus exindè reſultantibus.

SUMMARIUM.

1 *EX qualitate bonorum regulatur natura juriſpatronatus, quia ſi ſunt Eccleſiaſtica ex quibus fundatum eſt, dicitur Eccleſiaſticum, & è contrà.*
2 *Si fundator poſſidet bona Eccleſiaſtica, & laicalia præſumptio eſt, quod fundaverat de Eccleſiaſticis.*
3 *Fallit ſi bona temporalia ſint multa, & Eccleſiaſtica modica.*
4 *Præſumptio eſt quod clericus vivat de Eccleſiaſticis, & cumulet temporalia.*
5 *De ratione ob quam qualitas juriſpatronatui pendet à qualitate bonorum.*
6 *De duplici patrimonio, ac duplici hærede clerici, & feudatarii.*
7 *Ab obſervantia, ſeu poſſeſſione reſultat an fudatio de laicalibus, vel Eccleſiaſticis facta ſit.*
8 *An in materia intret quæſtio poteſtatis.*
9 *Si fundator reſervat juſpatronatui pro hærede prophano, præſumptio eſt fundationis de bonis prophanis.*
10 *Quando juſpatronatus ſit laicale, licèt fundatio ſit de bonis Eccleſiaſticis.*
11 *Juſpatronatus acquiſitum ex fundatione, & dotatione facta de bonis Eccleſiaſticis, de quibus licitum eſt diſponere ex indultò, an dicatur ex privilegio.*
12 *Si non conſtet de quibus bonis, præſumitur tam de Eccleſiaſticis, quam laicalibus, ideoque eſt mixtum.*
13 *Juſpatronatus fundatum pro Eccleſiaſticis, vel quod ad Eccleſiaſticos pertinet, eſt Eccleſiaſticum, licèt fundatum à laico, vel de bonis laicalibus.*
14 *Idem è contrà Eccleſiaſticum tranſiens ad laicum ſit laicale.*
15 *Quod dupliciter reſtringitur, ſeu declaratur.*
16 *Juſpatronatus reſervatum perſonæ Eccleſiaſtica poteſt eſſe laicale, atque laicalem naturam retinere ex lege fundationis, vel tranſferentis.*
17 *Remanet laicale ſi Eccleſiaſtico detur ſolum jus præſentandi.*
18 *Quid de confraternitatibus laicorum, vel piis locis adminiſtratis per laicos, an juſpatronatus eis competens ſit Eccleſiaſticum, vel laicale.*
19 *De effectibus reſultantibus à qualitate laicali, vel Eccleſiaſtica.*
20 *De jurepatronatus mixto poſſeſſo partim a laicis, & partim Eccleſiaſticis.*
21 *De qua natura iſtud juſpatronatus participet, diſtinguuntur caſus, ac effectus.*
22 *Si laici nominent Eccleſiaſticos, qui eligant, & præſentent, an juſpatronatus dicatur Eccleſiaſticum, vel laicale.*
23 *Quid ubi mixtum eſt inæquale.*

DISC. LIX.

UBi fundatio, vel dotatio ſequatur ex bonis alicujus 1
Eccleſiæ, ſeu quæ aliàs Eccleſiaſtica dicantur, tunc certum eſt, juſpatronatus dici Eccleſiaſticum, quamvis opus explicetur à laico, quoniam natura ſeu qualitas juriſpatronatus metienda non eſt à perſona erigentis, ſed à qualitate bonorum, ex quibus fit erectio, ubi enim bona ſunt Eccleſiaſtica, cum Eccleſia ſit eorum domina, hinc ab ipſa in effectu fieri dicitur erectio, laicus autem, qui actum explicat, conſideratur tanquam nudum organum, ſeu inſtrumentum.

Idemque dicendum eſt in caſu converſo, quod erectio fiat de bonis laicalibus, quamvis perſona ſit Eccleſiaſtica, ut frequenter contingit in erectionibus, vel dotationibus, quæ fiunt per clericos, de bonis tamen patrimonialibus, vel acquiſitis ex ſucceſſione, ſeu licita induſtria, ac aliàs quam ra-

ratione Ecclesiæ, & beneficiorum, ad text. *in capit. dilectus hoc tit.* ubi Abb. & cæteri communiter Lambert. *lib.1. part.1. quæst.1. art.3. n.3.* Covar. *pract. c.36. num.3.* Garz. *par.5. c.1. n.592. cum sequent.* Lotter. *lib.2. quæst.10. num.2. cum sequent.* Adden. ad Burat. *decis.769. nu.14.* Mascard. *de probat. conclus.960. n.1.* & communiter.

Procedunt hæc de plano, quando constat de qualitate bonorum, ex quibus facta fit erectio simpliciter, & absque alia declaratione voluntatis fundatoris, unde propterea quæstiones cadunt, vel ubi incertum est ex quibus bonis id sequutum sit, quia nempè fundator de utraque specie obtineret, Vel ubi fundando de bonis Ecclesiasticis, diversam declarat voluntatem acquirendi pro ejus hæredibus prophanis, sive pro gentilibus, &c.

Primo casu erectionis factæ per clericum possidentem teddiuus Ecclesiasticos, & patrimoniales, non constito, an de una, vel de altera specie id sequutum sit, quamvis non desint contradicentes, magis,communis videtur, ut
2 præsumptio stet pro qualitate Ecclesiastica, ut cæteris relatis Mascard. *dicto conclus.960. n.1.* Gonzal. *ad reg.8. gloss. 18. n.110.* Lotther. *dict. quæst.10. n.10.* Nisi ista præsumptio contrariis præsumptionibus, vel conjecturis elidatur, inter quas illa recenseri solet,ubi fundator haberet amplum patrimonium, ut advertitur per Rotam *decis.273. num.4. part.3. recent.* Potissimè verò quando tenenda sit opinio,
3 quam sequitur Rota apud Rojas *dec.280.* & apud Celsum *decis.65.* (quam tamen Camerales audire nolunt,) quod scilicèt clerico possidente redditus Ecclesiasticos, & temporales, præsumptio sit, ut alimenta aliaque necessaria ad substentationem sibi suppeditaverit ex Ecclesiasticis,
4 stante axiomate, ut qui altari servit, de altari vivere debeat, unde propterea acquisitiones bonorum, seu jurium factæ censeantur de redditibus temporalibus, ideoque ad temporalem, seu prophanum hæredem pertinent.

Ista siquidem Ecclesiastica qualitas resultans à qualitate bonorum, absque alia declaratione voluntatis, non resul-
5 tat ex eo, quod bona Ecclesiastica faciant jusPatronatus Ecclesiasticum, vel e contra, sed resultat accessorjè, vel consequutivè ob qualitatem hæredis, quoniam clericus moriens, duplicem habet hæredem, Ecclesiam scilicèt In bonis intuitu Ecclesiæ, & clericatus quæsitis, & legitimos intestatos successores sanguinis, vel testamentarios in aliis, ideoque inspectio pendet, cuinam succession debita esset, si ea bona, quæ erogata fuerunt in constructione, vel dotatione Ecclesiæ, seu beneficii, sub una, vel altera hæreditate caderent, quatenùs id sequutum non esset; Et de qua duplici hæreditate clerici habetur actum *sub tit. de Beneficiis*, ad materiam spolii clericorum beneficiatorum, adinstar eorum quæ pluries habetur *sub tit. de feudis*, super
6 duplici hærede paganico,seu burgensi,& feudali,seu militari,quæ feudatarius habet cum duplici diverso patrimonio.

Et hoc stante, magnum argumentum, seu conjectura in ista quæstione resultat ab observantia dictæ successionis, quia si hæredes, & successores prophani succesSerunt in
7 jurepatronatus, illudque de facto possederunt tanto tempore, quod verisimiliter concurrat scientia, & patientia Ordinarii, hinc resultat præsumptio, quod erectio facta sit de patrimonialibus, quoniam aliàs Ordinarius non neglexisset jus Ecclesiæ si facta esset de Ecclesiasticis; Cum enim hujusmodi erectiones, sive per laicos, sive per clericos, ad effectum acquirendi jusPatronatus, fieri non valeant, sine consensu Ordinarii, ex pluries deductis in præced. hinc proindè præsumptio est, quod ipse ità patiendo sciret, quomodo erectio facta sit, Lotther. *d. quæst.10. num.15.* Gonzal. *gloss.18. dict. num.110.* Rota *decis.273.p.3. recent. num.3. & decis.655. in fine part.3. tom.3.* Ideales autem quodammodo istæ quæstiones hodie remanere videntur, præsertim in Italia, in qua (paucis locis exemptis) ob Collectores Ecclesiasticos, non verificatur illud successorium jus Ecclesiæ, quod habemus de jure communi, ob successionem Cameræ, ideoque ferè nullus, vel nimium rarus casus est, quod clericus erigendo, seu fundando aliquod beneficium, non declaret, pro quo reservet jusPatronatus.

Dicta verò declaratione accedente ad favorem hæredis prophani, seu gentilitium, aut aliorum laicorum, seu etiam Ecclesiasticorum, quibus dictum jus hæreditatis Ecclesiasticæ non competat; Tunc duplex apud scribentes intrat quæstio, Una potestatis, & altera voluntatis;
8 Prima verò non intrat, nisi dispositio fieret per ultimam voluntatem,seu per factam inter vivos in tali statu, quod interdictum sit disponere,quoniam aliàs dispositio inter vivos, citrà fraudem, libera est clericorum; etiam de bonis Ecclesiæ intuitu quæsitis.

Ideoque dicta quæstione nunquam vel nimium rarò in foro audita dicta reservatio attendi solet pro conjectura, seu argumento qualitatis bonorum, quod scilicèt de
9 prophanis magis, quàm de Ecclesiasticis id sequutum sit, vel quia præsumi non debeat, quod clericus quæsita intuitu Ecclesiæ, hæredibus, & successoribus prophanis reservare voluerit, vel quia Ordinarius in præstatione consensus id non permisisset, ut per Lotther. *dict. q.10. n.16.* Rota *d. decis.273. par.3. & decis.655. p.4. tom.3.*

Atque hinc resultat, quod si bona Ecclesiastica sint ad liberam clerici dispositionem, ut sunt illa obvenientia ex distributionibus quotidianis, vel quod habeat indultum testandi etiam de Ecclesiasticis, ut frequentius habent Car- 10
dinales, ac Prælati Palatini, tunc ita reservando jusPatronatus pro hæredibus, declarat uti velle facultate, ideoque jusPatronatus remanet laicale, Garz. *ubi supra n.594. cum sequen.* Lotther. *dict. quæst.10. n.14. & num.32. cum sequent.* Rota *d. decis.273. in fine part.3. recent.*

Et quamvis isto casu dispositionis ex indulto testandi, aliàs dubitatum fuerit, an istud dicendum veniat jusPatronatus ex privilegio, & gratia potius quàm ex fundatione, & dotatione, quod nimium refert ad effectus, de quibus su- 11
pra *disc.10.* & infrà *disc.65.* attamen hæc dubitatio non habet probabile fundamentum, quoniam ut advertitur *dict. decis.273. p.3. rec.* & Lotther. *dict. q.10. n.34. & seqq.* jusPatronatus non provenit ex indulto, sed istud removet solum obstaculum, seu prohibitionem disponendi, unde propterea bona assumunt naturam laicalium, seu patrimonialium, atque clericus ita habilitatus, remoto impedimento, disponit tanquam de suis, ideoque dicitur jusPatronatus ex fundatione, vel dotatione.

Quatenùs verò detur in clerico, seu altero fundatore æqualis concursus bonorum laicalium, & Ecclesiasticorum, dictæque, vel similes conjecturæ pro una, vel altera qualitate non urgeant, nullaque adsit animi declaratio, adeout versemur in ambiguo; Tunc videtur, quod jusPa- 12
tronatus ad utramque hæreditatem æqualiter pertinere debeat, & successivè quod efficiatur mixtum, partim scilicèt Ecclesiasticum, & partim laicale, ob æqualem divisionem, seu pertinentiam inter utrumque hæredem, ut eadem *decisione 273. par.3.* & ex ea Lotther. *dict. quæst.10. nu.22. cum sequent,* licèt, ut dictum est, nimium rarò forus hæc audiat.

Inspecti autem in praxi, pendet magis à qualitate personæ pro qua facta est reservatio, seu quæ immediatè, vel mediatè succedat fundatori, vel in hæreditate, cum qua transit jusPatronatus, vel in bonis, quibus illud annexum sit, quoniam si dicta reservatio, vel respectivè successio sequatur in persona quæ sit fixè, ac substantialiter Ecclesiastica, non autem accidentaliter, puta in Capitulo Cathedralis, vel Collegiatæ sive in Monasterio, aut in aliqua Dignitate, vel Officio Ecclesiastico ratione dignitatis, vel officii de uno in alium, non autem quod successor prophanus accidentaliter esset in aliqua Ecclesiastica dignita- 13
te constitutus, Et tunc jusPatronatus efficitur Ecclesiasticum ad text. *in cap. unico, §. finali de jurepatronatus in sexto,* & cæteris relatis Seraphin. *decis.1420.* Covarr. *d. cap.36. n.4.* Rot. *decis.48. n.8. & 144. n.20. part.5. recent. & decis. 157. n.5. part.7.* Burat. *decis.103. n.2.* qui multos cumulant, & ibi Adden. *lit.A. & ad decis.769. n.23.*

Et è converso si res cui annexum est jusPatronatus esset Ecclesiastica, & per Ecclesiam validè, ac servatis servan- 14
dis transferatur in laicum, jusPatronatus efficietur laicale, quoniam attenditur persona possessoris, *ut dict. decis.144. n.19. par.5. recent.* aliàs *decis.130.* Duran. Merlin. *decis. 86. n.6. & sequent.* Adden. ad Burat. *dict. decis.769. n.24.* & in aliis proximè infrà allegandis.

Quod tamen duplicem recipit declarationem; Primò scilicèt, ubi res pleno jure, ac totaliter transferatur in lai- 15
cum cum omnimoda abdicatione ab Ecclesia, secùs autem si transferatur dominium utile tantùm, putà quia concedatur in feudum, vel emphyteusim, tunc enim non immutatur jurispatronatus natura, ut cæteris relatis firmat Rota *in Compostellana Parochialis coram Cecchino, & Verospio impress. decis.198. n.10. & decis.329. n.22. & seqq. part.9. recent.* Et secundò, quando translatio validè facta sit titulo onerosa, secùs autem si titulo lucrativo, quoniam tunc pariter jusPatronatus non immutat natutam,sed remanet Ecclesiasticum, ut apud Merlin. *d. decis.86. nu.11.* cum aliis per

per Adden. ad Burat. *d. decis.769. in fine*, & habetur *d. decis.298. n.12. & 13. part.9.*

Procedunt hæc regulariter non constito de diversa voluntate fundatoris, vel transferentis, qui jusPatronatus aliàs de sui natura laicale reservet pro persona Ecclesiastica, sive in eadem transferat, sub ea tamen lege, & conditione, quod suam naturam retineat, quoniam tunc etiam
16 pene personam Ecclesiasticam remanebit laicale, Lotter. *dicta quæst.10. num.4.* Cavaler. *decis.659. num.5.* Seraph. *decis.611. num.1. & decis.157. num.7. recent.* & in aliis, & conferunt quæ habentur *in Romana Cappellæ Innocentianæ sub tit. de beneficiis disc.6.*

Sive in personam Ecclesiasticam non transfertur jusPatronatus, sed tantùm jus præsentandi, quod non facit pa-
17 tronum, quia potiùs respicit unum ex effectibus, seu exercitium, quàm ipsum jusPatronatus ejusque substantiam, ideoque suam retinet naturam, Seraph. *decis.456. num.4.* Burat. *decis.103. num.5. ex Concil.19.* Calder. *cod. tit.*

Sub controversia tamen est, an piæ confraternitates laicorum ad hunc effectum dicantur personæ Ecclesiasticæ, vel laicales, ut patet ex iis, quæ pro utraque parte, seu
18 opinione deducuntur per Mascard. *conclus.960.* Garz. *p.5. cap.1. num.604. & seqq.* Lotter. *dicta quæst.10. num.45. & sequent.* Rota *decis.482. p.4. recent. tom.2.* ubi discurrendo de utraque opinione, nihil decidit; Verùm apud Duranum *decis.130.* repetit. *decis.144. part.5. recent.* inclinatur in opinionem, quod sit laicale; Contrarium autem respondendo in specie *dictæ decisioni Durani* plenius firmatur *in Florentina Parochialis 20. Decemb. 1628. coram Virile.*

Aliqui verò quæstionem decidere curant cum distinctione, an jusPatronatus, seu præsentandi reservatum sit ipsi confraternitati, vel potiùs ejus Præsidentibus, seu officialibus, ut primo casu sit Ecclesiasticum, in altero autem inspiciatur, an officiales ex confraternitatis instituto sint Ecclesiastici, & censeatur Ecclesiasticum, si verò laici censeatur laicale, ut apud Garz. *dicto cap.1. num.610. & dict. decis.130.* Durani, *aliàs 144. num.6. & seq. part.5. & decis.290. num.2. ead. part.5.* Intelligendo tamen de qualitate Ecclesiastica fixa, secùs autem si accidentaliter aliquis adscriptus confraternitati,qui eligatur ad officium conferri solitum laicis, accidentaliter reperiatur clericus, quoniam id non alterat, ut supra de qualitate desumenda à persona possessoris deductum habetur.

Veriùs tamen, etiam in casu quo jusPatronatus residerat penès ipsam confraternitatem, seu aliud corpus deputatum ad opera pietatis, intrare videtur distinctio, quam receptam habemus in materia alienationis bonorum hujusmodi confraternitatum, vel piorum locorum, an intrent, necne termini *Extravag. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* Sive quæ habemus in materia jurisdictionali, an hujusmodi confraternitates, & pia loca subjaceant foro laicali, ut scilicèt distinguendæ sint confraternitates, quæ cum Ordinarii auctoritate erectæ sunt, cum Ecclesia, Campanili, usu laici, & aliis, ex quibus verè Ecclesiasticæ reputandæ veniunt; Vel è converso erectè sint ad opera pietatis absque dictis requisitis, quamvis ad præscriptum Sac. Conc. Trident. Ordinarius habeat aliquod jus visitandi, ac etiam assistendi revisioni rationum, ex iis quæ in hac materia pluries habentur *sub tit. de jurisdictione, & sub tit. de alienat. & contract.* Fortiùs verò si neque hoc jus Ordinario competat ex lege fundationis, aut ob Regiam protectionem, seu aliàs; Primò enim casu quemadmodum bona dicuntur Ecclesiastica cadentia, sub dispositione *Extravag. Ambitiosæ*, ac etiam sunt sine dubio de foro Ecclesiastico privativè, quoad ipsa corpora (quidquid sit quoad personas singulares,) ità ipsum jusPatronatus reputetur Ecclesiasticum; Secùs autem in secundo, quoniam aliud est locum esse Ecclesiasticum, aliud verò esse pium, cum hæc qualitas sit compatibillis, cum laicali, ut latè *decis.313. num.9. part.10. recent. & decis.248. n.18. & seqq. part.11.*

Effectus hujus inspectionis super natura, seu qualitate jurispatronatus, an sit Ecclesiasticum, vel laicale, sunt plures, illi præsertim circa tempus ad præ-
19 sentandum, circa quod magis expedit esse Ecclesiasticum, quàm laicale ratione longioris termini sex mensium cum ut laicali sit quatuor tantùm, ut infrà *disc.64.* ubi de hac materia temporis, intra quòd præsentatio fieri debet; E' converso autem potiùs expedit esse laicale,quàm Ecclesiasticum ratione facultatis variandi, seu accumulandi competentis patronis laicis non autem Ecclesiasticis, ex iis quæ in materia accumulationis habentur supra *in Compostellana disc.43.*

Magis verò, ac principaliter expedit jusPatronatus esse laicale, potiùs quàm Ecclesiasticum, in ordine ad subjectionem Apostolicis reservationibus, ac affectionibus, sive derogationibus etiam implicitis absque aliqua necessitate faciendi mentionem, quibus subjacent beneficia de jurepatronatus Ecclesiastico, ac etiam laicali ex privilegio, & consuetudine, non autem subjacent illa de jurepatronatus laicali ex fundatione, vel dotatione, ex iis quæ habentur infrà *disc.65. & 66.* & supra *disc.10.* & in aliis ibi proximis ad hanc materiam, Prout etiam quando beneficia de jurepatronatus habent curam animarum principaliter, si jusPatronatus est Ecclesiasticum cadunt sub decreto Sac. Conc. Trid. super forma concursus, sub qua non cadunt illa de jurepatronatus laicali, ex deductis in sua materia *sub tit. de Parochis*, cum similibus.

Ubi verò jusPatronatus de utraque natura participat, Vel ratione bonorum, quia scilicèt partim de Ecclesiasticis, & partim de laicalibus fundatum sit, ut supra, Vel ratione personarum, quia pro parte possideatur à laicis, & pro parte ab Ecclesiasticis, non quidem accidentaliter, ut contingit, quando possessor jurispatronatus de sui natura laicalis reperiatur in statu clericali, sed fixè ac substantialiter, ratione scilicèt beneficii, vel officii Ecclesiastici, Et tunc dicitur mixtum, utpotè participans de utraque 20
qualitate, Lambertin. *lib.2. part.3. quæst.9. art.9. num.1.* Covarr. *practicar. cap.36. num 5.* Lotter. *dict. quæst.10. ex num.62.* Rota *decis.655. num.3. part.4. recent. tom.3.* & in aliis frequenter.

Isto autem casu cadit quæstio ad effectus supra enunciatos, ac similes, utra qualitas attendenda sit; Et tunc, aut 21
laici, & Ecclesiastici veniunt diverso jure, vel respectu, quia nempè laicus nominat præsentandum Ecclesiastico, qui illum nominatum præsentat Episcopo, ut instituat; Et licèt Gambarus disputet hincinde, attamen concludit probabilius esse, ad effectum præsertim evitandi subjectionem, quam patitur jusPatronatus merè Ecclesiasticum, ut laicale potiùs reputari debeat, ubi nominatio non sit solùm consultiva, & grata, sed sit coactiva, & necessaria, secùs autem si consultiva tantum, ut apud Burat. *decis.25. n.5. & seqq.* Adden. ad eum *decis.103. in fine, decis.481. n.6. part. 1. recent.*

Aut veniunt eodem seu coæquali jure, adeout tanta sit vox Ecclesiasticorum, quanta laicorum quod nostri dicunt mixtum æquale, undè non intret ratio præponderantiæ, Et tunc ad effectus exindè resultantes, attenditur id quod respectivè est magis favorabile, ideoque mixtum assumat naturam simplicis magis privilegiati, & sic quoad privilegium longioris termini ad præsentandum dicatur Ecclesiasticum, quod verò ad exemptionem à regulis Cancellariæ, & aliis dicatur laicale Gonzal. *gl.18. num.12. cum sequent.* Lotter. *dicta quæst.10. n.76.* Mantic. *decis.292.* Cavaler. *decis.547. numer.5. & 571. num.1. & decis.250. n.8.* ubi ad effectum gaudendi longiori termino sex mensium.

Quatenùs verò sit mixtum inæquale tunc Gonzalez 23
dicta gl.18. num.15. cum sequen. Lotter. *dicta quæst.10. n.67.* & Rota apud Cavaler. *dicta decis.547. num.2.* cum aliis per Adden. ad Burat. *dicta decis.103. lit.B. in fine,* sequendo *decis.3.* Crescent. *hoc tit.* procedunt cum eadem distinctione, quæ recepta est circa mixturam gratiæ, & justitiæ, sive privilegii, & dotationis, ut attendi debeat qualitas, quæ præponderet, atque major pars absorbeat minorem, Et consequenter si pro majori parte pertinet ad Ecclesiasticos, dicatur totum Ecclesiasticum, & è contrà.

Contrarium tenet Vivian. *lib.7. cap.1. num.10.* Barbos. *de Episcopo alleg.72. num.131.* atque in quadam disputatione habita in Signatura Justitiæ dicebam, quod tam ad istum effectum, quam alios, illum præsertim evitandi subjectionem Regulis Cancellariæ, vel concursui, sive provisioni absque mentione, cum similibus exorbitantibus à jure, probabilius videatur, ut mixtura, licèt inæqualis, impediat accidentale præjudicium, quod corrigendo jus commune, ex Regulis Cancellariæ, aliisque exorbitantibus dispositionibus resultat; Eo modo quo habemus in Satutis à jure exorbitantibus in materia præsertim successionis, quod mixtura personæ exemptæ, vel non exclusæ, impedit operationem Statuti, atque facit casum mixtum etiam quoad personas exclusas, juxta *decis.43. par.7. recent.* & *decis.*

& decis.59. par.1. cum aliis in sua materia *sub titul. de successionibus ;* Ac etiam habemus, ubi inter plures pro communi aliquid possidentes adest clericus, vel alia persona privilegiata, quod communicat suum privilegium non privilegiatis, quamvis concurrat inæqualitas numeri, atque plures sint non privilegiati, quàm privilegiati, cum similibus, ut advertitur infra circa reservationes *disc.165.*

Potissimè verò ratione subjectæ materiæ præcisè individuæ, undè propterea, ut pluries advertitur in præcedentibus, cum aliis per Bellon. jun. *de jur. accresc. cap.6. q.48.* & habetur etiam *sub d. tit. de feudis disc.8.* totum jus insolidum est penè singulos, adeout aliis præsentare negligentibus, sive præsentantibus indignum, vel incapacem, totum jus resideat penès illos, qui validè suum jus exercent, quamvis minorem partem constituentes, etiam unum inter plures; Eodem modo, quo de jure conferendi aliisque juribus competentibus alicui Capitulo, vel alteri corpori universali, ut totum jus Capituli, aliis Canonicis impeditis, residere possit etiam in uno, habetur *in Cæsaraugustana Canonicatus sub titul. de beneficiis, disc.23.* Et consequenter contingente casu vacationis, in qua, vel ratione mensis, vel ratione possessoris beneficii, intret reservatio, vel affectio, possent Ecclesiastici suum jus negligere, unde totum jus devolveretur ad laicos, atque ita pro ea vice totum reputandum veniret laicale; Ità pariter ille Ecclesiasticus quamvis minorem habens partem conservat etiam pro consortibus istud privilegium longioris termini; Atque ità post has adnotationes (me tamen non scribente) decisum fuit per Rotam *in Camerinen. Canonicatus 1. Junii 1657. coram Bevilacqua* impress. *d.250. n.13. & seqq. par.12. rec.* circa punctum termini longioris, nihil autem deciditur circa alium punctum reservationum, de quo infrà *d. disc.165.*

ANNOT. AD DISC. LIX.

DE qualitate Juris patronatus habetur sparsim in præcedentibus discursibus.

De natura juris patronatus, quando scilicèt sit hæreditarium, vel familiare, seu gentilitium, vel mixtum.

SUMMARIUM.

1 *Regulariter jus patronatus est hæreditarium, ac transitorium ad hæredes rei familiaris.*
2 *Et de alia regula, quod non cadit sub fideicommisso, neque sub ejus restitutione venit.*
3 *Delimitatione ex diversa voluntate, etiam conjecturali, & præsumpta, & de regulandis conjecturis, & adminiculis.*
4 *An in fideicommisso includente jus patronatus, requiratur consensus Ordinarii.*
5 *Ad effectum validæ præsentationis factæ per successorem constare debet de agnitione hæreditatis.*
6 *Quomodo aditio probetur, & an ipse actus præsentationis eam inducat, vel probet.*
7 *De limitatione conclusionis, de qua num.1. & de qualitate gentilitia, seu familiari.*
8 *Quæ regula tenenda sit in desumendo voluntatem inducendi potiùs istam gentilitiam qualitatem.*
9 *Ubi fundatio est dubia nimium in hoc deferendum est observantiæ.*
10 *Quæ differentia sit inter observantiam, quando constat de tenore fundationis, & quando ista non habetur.*
11 *Attenditur observantia proxima, non autem remota.*
12 *Quæ regula tenenda sit circa observantiam, & adminicula.*
13 *Recensentur decisiones hincinde in materia.*
14 *Recensentur in specie aliqua adminicula ex confessione, vel enunciativis, & admissione patris, & filiorum, &c.*
15 *De tertia specie, seu qualitate mixta.*
16 *Neque fundator, seu primus acquirens potest facere immutationem præjudicialem Ecclesiæ.*
17 *Fundator, vel primus acquirens jus patronatus hæreditarium potest ex intervallo facere gentilitium, vel familiare.*
18 *Quid in casu converso, ubi ab initio est familiare, vel gentilitium, an idem fundator possit alterare, distinguuntur plures opiniones, & casus.*
19 *Quod in hoc attendendum sit, an adsit rectè consensus Ordinarii, & de ratione.*
20 *Examinatur distinctio inter filios, & extraneos, & an in hac materia intret ratio peculii profecticii.*
21 *Idem est esse fundatorem, vel primum acquirentem, respectu successorum.*
22 *Successor in jure patronatus hæreditario potest illud facere familiare, vel gentilitium, atque alia facere, quæ posset fundator.*
23 *Nisi tenderent in Ecclesiæ præjudicium.*
24 *Non potest autem gentilitium, seu familiare facere hæreditarium, seu ejus ordinem intervertere.*
25 *Quid ubi successor talis successoris alterantis est ejus hæres.*
26 *De jure patronatus mixto, & quod neque successor possit alterare, quia hæreditaria qualitas requiritur primi acquirentis tantum.*
27 *Quando etiam in familiari, vel gentilitio detur facultas alterandi consuetum statum.*
28 *Defecta familia non cessat jus patronatus, sed efficitur hæreditarium.*
29 *An jus patronatus possit eodem tempore esse hæreditarium, & gentilitium.*
30 *An sit idem esse gentilitium, & familiare, vel diversum.*
31 *De verbis ex quibus arguatur, an jus patronatus sit familiare, vel gentilitium.*
32 *Quomodo ista quæstio decidi debet.*
33 *Sufficit probare descendentiam ab existente in quasi possessione præsentandi, qua non concurrente probanda est à fundatore.*
34 *An sufficiat probare descendentiam, vel parentelam per gradus distinctos, vel sufficiat probatio generica.*
35 *Quomodo proximitas debeat regulari.*
36 *Vocata familia, de qua intelligatur.*
37 *De concursu plurium, & computatione vocum remissivè.*

DISC. LX.

CUm præsuppositio, quod ille, qui Ecclesiam fundavit, & dotavit, noluerit, contentus majori merito apud Deum, acquirere, sed voluerit remittere illud jus, quod Sacri Canones concedunt, sive quod non constet illud ad ejus personam suamque vitam taxativè restringere voluerit, ad eò, ut intret illud jus patronatus, quod etiam sine expressa reservatione, multò magis illa accedente acquiritur ad successores transmissibile, juxta deducta supra *disc.55.*

Regula est hodiè certa, & absoluta, adeout absque alio auctoritatum fomento præsupponenda veniat, ut non constito de diversa explicita, vel implicita fundatoris voluntate deducta ex tenore fundationis, vel ab illa specie probationis, quam observantia inducit, ut jus patronatus dicatur hæreditarium ad quoscumque, licèt extraneos testatos, vel intestatos hæredes rei familiaris transmissibile, tanquam existens in hæreditate, cujus pars, ac membrum dicitur, ad text. *in cap.1. & cap. cum sæculum de jurepatronatus*, ubi communitet scribentes, *& Clement. plures eodem tit.* Calderin. *cons.4.* eodem cum concord. per Lotter. *lib.2. qu.11.* ex Buratt. & Adden. *decis.183. & 647. decis. 120. & 136.* post Vivian. & passim, ac habetur pluries in præcedentibus præsertim *disc.22. cum sequ.*

Cadente quæstione inter plures, ordine præpostero ex eodem jure hæreditario venientes, inter primum scilicèt hæredem gravatum, & secundum, vel ulteriorem ex fideicommisso vocatum, an scilicèt jus patronatus transeat, cum reliqua hæreditate in fideicommissarium, atque in fideicommissi restitutione veniat, vel potiùs remaneat penes primum, seu directum hæredem ejusque successores; Atque in hoc licèt Rota & Curia potiùs, ut alibi advertitur quoties in quamdam reverentiam antiquitatis, quàm quod aliqua probabilis ratio suadeat, profiteatur tenere pro regula negativam opinionem Bartoli *in leg. quia perindè, ff. ad Trebel.* quam plures etiam sequuntur collecti per Fusar. *quæst.634.* Vivian. *lib.4. cap.2. n.76.* Lotter. *dict. quæst.11. num.29. & sequent.* & patet ex deductis *decis.542. part.5. & decis.72. 170. & 206. part.7.* & frequenter, ut supra *in Capuana decis.36.*

Attamen constituta limitatione, ubi non solùm de expressa, sed etiam de tacita, & conjecturali diversa voluntate constat, nimium de facili, ac etiam ex levibus, ac generalibus conjecturis, & adminiculis receditur ab hac regula, quæ ità potiùs quodammodo idealis remanere videtur, ex ea nimium convincenti, atque ad naturalem sensum probata ratione, quod qui ambitionem habet, vel ad

ad proprii nominis memoriam conservandam, vel ob ejus posteritatis, seu agnationis decorem, ordinandi hunc succedendi necessarium ordinem, quo mediante bona, & jura hæreditaria genus vocatum non egrediantur, multò magis id desiderasse censetur in hujusmodi juribus, majorem honorificentiam, ac etiam utilitatem, tutioremque probationem præseferentibus.

Et quamvis, ut patet ex allegatis, ac plerisque aliis Rotæ decisionibus, non modica lis inter scribentes esse videatur super aliquorum adminiculorum, vel præsumptionum pondere, ac relevantia, adeòut apud respicientes ad solum corticem, seu litteram doctrinarum, nimia contrarietas in Rotæ decisionibus adesse videatur; Verius tamen est, ut etiam *dicto disc.36.* & alibi advertitur, ut ista quæstio sit puri facti, & ambiguæ voluntatis, certam tamen ac determinatam regulam non recipiens, sed adinstar aliarum ambiguæ voluntatis quæstionum, quas præsertim adeò frequentes habemus in hac fideicommissaria materia, decisio pendeat ex singulorum casuum qualitate, ac circumstantiis, modò admissionem, & modò rejectionem aliquorum adminiculorum, vel præsumptionum suadentibus, ita tamen quod juxta magis fundatum, ac judiciosum modernorum sensum, rejectis antiquiorum leguleicis scrupulositatibus, deductis ex sensu juris civilis de diverso jurepatronatus, seu jure sepulchrorum, juxta ethnicos mores potiùs disponentis, de facili hæc voluntas includendi jus patronatus in fideicommisso, admitti debeat, etiam ex levibus, ac generalibus adminiculis, ita deservientibus pro quadam formalitate conservandi regulam, atque ab ea recedendi per viam limitationis.

Dubitatum etiam fuit, nedum apud antiquiores, sed etiam nostris temporibus, an fideicommissaria dispositio pro jurispatronatus inclusione exigeret illum Ordinarii consensum, qui in ejusdem juris donatione, seu legato, aut alia particulari dispositione super eo principaliter ordinata de jure requiritur, juxta ea quæ habentur *disc.156.* Sed pariter inanis videtur dubitatio, nulli probabili fundamento innixa, quoniam si possessor jurispatronatus absque tali consensu, cum bonorum universitate in tota, vel quota illud in extraneum jure directæ dispositionis transferri potest, nil prohibere videtur, cur & idem jure secundæ, seu obliquæ fieri non valeat, quoties hoc jus accessoriè ad hæreditatem, vel ejus quotam tanquam pars, seu membrum veniat, eo modo quo in fortioribus terminis contractus emptionis, & venditionis, vel alterius correspectivi, pretio, vel alia re temporali mediante accessoriè venit, ut eodem *disc.156.* Cadente solùm dicta prohibitione in eo particulari fideicommisso, quod singulariter, ac principaliter super ipso jurepatronatus ordinetur, & quod utpotè idem importans ac legatum istius, seu donationis jure regulandum est, ut advertitur in præcedentibus, præsertim *in Lunen. Sarzanen. disc.19.*

Ad effectum igitur pertinentiæ jurispatronatus, quod dictam propriam ac regularem hæreditariam qualitatem habeat, atque pro exercitio juris præsentandi, in quo ejus major, ac principalis fructus consistere dicitur; Concurrere debet dicta hæreditaria qualitas, sive de prima, & directa, sive de secunda, & fideicommissaria agatur, mediante scilicèt hæreditatis directæ, vel fideicommissariæ agnatione, sine qua, bona, & jura hæreditaria, in nostris bonis esse non dicuntur, ut præsertim advertitur *decis.96. nu.3. part.6. recent.* ubi firmatur id procedere, quamvis agatur de filio, in quo pariter procedit regula, quod editio utpotè actus facti non præsumitur, sed ab allegante probari debet, Atque occasione transmissionis fideicommissariæ hæreditatis, quæ de jure datur in morjente post purificatam conditionem advertitur supra, *in Mediolanen. disc.37.* ubi quod licèt detur transmissio, attamen ista, sequi dicitur de jure agnoscendo, & quatenùs in transmissario sequatur agnitio, sine qua dominium bonorum, & jurium hæreditariorum non obtinetur.

Est benè verum, quod cum actus aditionis, utpotè pendens à solo animo certam formam, vel solemnitatem non exigat, sed animi explicationem verbis, vel factis sequutam admittat, ad communiter notata *in l. gerit, ff. de acquir. hæred.* cum concordantibus plenè collectis per Menoch. *lib.5. præsumpt.99. cum sequent.* & in sua materia *sub tit. de Hæred.* eo ipso quod constat alicui jus hæreditarium directum, vel obliquum delatum esse, ipseque præsentare, vel alium actum patronalem jure hæreditario facere profitetur, ità se hæredem verbis, vel factis enunciando, id sufficit, ut in specie advertitur apud Cavaler. *decis.395. num.1.* & non negabatur in disputationibus habitis *in dict. Mediolanen. disc.37.* quoniam difficultas cadebat ad subsistendum actum præteritum ex diverso jure, seu titulo explicatum.

Quinimò cum præsentatio ad beneficium de jurepatronatus, quod non dubitetur esse hæreditarium, dicatur actus, qui citra jus, & nomen hæredis fieri non potest, ità pro ipsiusmet actus explicatione, factis aditio hæreditatis sequi dicitur, ut in specie advertitur apud Cavaler. *decis.395. decis.265. part.3. decis.77. n.2. & 3. part.4. decis. 96. n.10. & seqq. part. 6. frequenter.*

Majores autem ac frequentiores forenses quæstiones cadunt super hujusmodi regulæ limitationes ex diversa fundatoris voluntate imprimendi magis qualitatem gentilitiam, seu familiarem, quàm hæreditariam, seu istam cum illa sanguinis conjunctam, unde resultat illa tertia species, quam dicimus mixtam.

Super hoc autem; Illi qui omnes decisiones, ac auctoritates, quæ desuper habentur, revolvere velint, atque in solo sensu litterali, pragmatico more eas attendere, confusionem potiùs quàm elucidationem, ac veritatis notitiam reportabunt, præsertim verò, illi qui grammaticorum potiùs quàm juristarum institutum de facto profitentes, in verborum cortice, seu grammaticali significatione toti insistunt, plures desuper retexendo ampliationes, & limitationes, seu declarationes, & quid importet verbum, *successores*, seu verbum, *legitimi*, seu illud *sui*, aut verbum universale, *omnes*, sive, an in successoribus qualitas masculina, seu altera legitimitatis desiderata sit cum similibus, de quibus habetur præsertim actum in celebri *Florentina juris patronatus de Ricasolis* coram Lancellotto, impress. apud Vivian. *lib.4. cap.1. post num.71.* apud Burat. *decis.647. & decis.47. part.4. recent. tom.2. in dictis decis. 129. & 134. cum sequent.* post Vivian. in adeò disputata *Aquilana juris patronatus decis.162. & 374. part.11. recent.* & in aliis, quæ pluries enunciantur in præcedentibus ad hanc materiam qualitatis hæreditariæ, vel gentilitiæ, seu familiaris, præsertim *disc. 22. & seqq.*

Omninò tamen verius est, idem quod supra occasione comprehensionis sub fideicommisso dictum est, hanc scilicèt esse quæstionem nudi facti, & voluntatis, non admittentem certam determinationem generalem, sed decidendam in singulis casibus ex eorum particulari qualitate, & circumstantiis, unam vel alteram voluntatem suadentibus pro judicis prudenti arbitrio regulando cum eisdem principiis generalibus, quæ *sub tit. de fideicommissis* ad materiam ambiguæ, seu conjecturatæ voluntatis frequenter habentur, inspectis scilicèt, more regionis, qualitate, tam disponentis, quàm eorum, cum quibus fit dispositio, necnon qualitate beneficii, seu jurispatronatus, ac ponderando adminicula, seu præsumptiones, non singulariter, sed unitim, cum solita regula, *ut singula quæ non prosunt, unita juvent, &c.* Ideoque restricto ad solos masculos exclusis fœminis, seu qualitas legitimitatis cum exclusione illegitimorum, ac similia quandoque neglecta fuerunt, quandoque verò efficacia reputata ad familiarem, vel gentilitiam, seu quandoque mixtam qualitatem imprimendam, quoniam ita adminiculorum qualitas, ac numerus, in uno, vel respectivè altero casu diversimodè exigat, adeout verè improbus, ac inanis videatur ille modernorum pragmaticorum, seu collectorum labor, qui desuper cum contemptibili stylo adhiberi solet cumulandi, hinc indè per classes auctoritates, ac decisiones, aliqua verba, vel adminicula in proposito approbantes, vel reprobantes.

Procedunt hæc ubi tenor fundationis habetur, ex quo tanquam ex testamento, ac ad instar, ambigua disponentis voluntas desumenda est, & quo casu, quoties ipsa dispositio ità concepta est, quod ambigua dici valeat, & capax interpretationis, nimium operativa remanet observantia, cui si tanquam optimæ interpreti, ac interpretationum Reginæ in omni materia satis deferendum est, magis ac peculiariter in ista, in qua etiam principaliter recurri ad observantiam solet, quando ob deficientem tenorem fundationis, infra illa attendi debet.

Magna verò differentia est inter casum, in quo habeatur tenor fundationis conceptus per verba æquivoca, &

apta

apta recipere utrumque intellectum, unde cadat interpretatio, & casum in quo eadem fundatio sit simplex, juxtà regulam, sive quod illa non habeatur, unde pariter eadem regula hæreditaria qualitas intret, quoniam juxtà satis vulgarem, & quotidianam distinctionem, primo casu non desideratur longum, vel longissimum tempus, minusque alia requisita quæ adeò rigorosè necessaria sunt in præscriptiva, quia cum sit observantia interpretativa, sufficit ita quandoque servatam fuisse, de tempore tamen proximo fundationi vivente fundatore; seu viventibus illis, qui verisimiliter voluntatis conscii ità interpretati sint, secùs autem ubi est remota, cum proxima sit in contrarium ex deductis per Otthobon. *decis.26. num.14.& 15.* ubi concordantes, & sæpiùs.

In aliis autem duobus casibus, observantia dicitur potius præscriptiva, sive inductiva limitationis regulæ, & consequenter exigit longum, vel longissimum tempus, aliaque requisita; illud præsertim, quod sit clara, & univoca, non autem desumatur ex actibus æquivocis, qui ad utramque qualitatem referri possunt, ex deductis in utroque respectivè casu, apud Duran. *decis.173. & 285.* apud Cels. *decis.106.* Buratt. *decis.183. & 647. num.11. & decis.139. nu.12. & 19.* post Vivian. & in aliis, quæ omnes pro una, vel altera parte derivant à supra insinuata *Florentina de Ricasolis coram Lancelloto* impress. post Vivian.

Verùm & in hoc procedit idem quod supra circa ipsum principalem conclusionem, dictum est; super necessitate distinguendi unam qualitatem ab altera, quod scilicèt volentes revolvere auctoritates, ac decisiones quas desuper habemus, easque ad litteram intelligere, magnam invenient contrarietatem, quæ tamen non adest, cum sit potius diversitas, unde confusionem magis, quàm veritatis notitiam reportabunt; Ideoque tanquam in quæstione facti potius, quam juris, auctoritates, ac decisiones examinandæ sunt, juxtà singulorum casuum qualitates, & circumstantias, ex quibus; in uno, observantia unum effectum, in altero verò, diversum operata est, pro adminiculorum numero, & qualitate; Si enim hæc observantia deducatur ad probandam gentilitiam, vel familiarem qualitatem, ex eo quod præsentationes longo temporis spatio factæ sint per solos descendentes, vel sanguine conjunctos, absque extraneorum mixtura, sive per solos masculos neglectis fœminis, cum similibus, id solum ac de per se curati non solet, quoniam à casu id provenire potuit; Secùs autem si alia concurrant adminicula, quibus junctis id in magna consideratione habendum est; Idemque ubi solùm legitimi, nunquam admissis illegitimis, cum similibus, ex iis quæ pro una, vel altera qualitate, sive pro admissione, vel exclusione observantiæ habentur in supra allegata *Florentina de Ricasolis*, post Vivian. *ubi supra*, Buratt. *decis.138. & decis.166. part.6. recent.* apud Cels. *dict. decis.106.* Dunozett. *decis.983.* Royas *decis.446.* Duran. *dict. decis.173. & 283. dict. decis.162. & 373. par.11. recent.* cum aliis quæ habentur in præcedentibus ad hanc materiam præsertim *disc.22. cum sequent.* quoniam aliquando contingit, quod præsentantes se enunciarunt etiam hæredes, & tamen si alia urgent adminicula pro gentilitia, vel familiari qualitate, id neglectum fuit, quasi quod hæreditaria qualitas concurrens etiam in agnato, vel gentili demonstrativè enunciata sit, ut in specie apud Celsum *dicta decis.106.* Et è converso partis confessio nimium curata fuit apud Buratt. *dicta decis.183. num.2. & seqq. & num.14* ibique Adden. & tamen neglecta *dec.120. num.16.* post Vivian. *decis.228. part.5. recent. numer.13. & sequent.* & in aliis; Idemque in enunciativis Ordinariorum, seu Pontificiis, ex deductis hincindè *dicta dec.283.* Buratt. *& dec.166. part.6. recent. & in dictis dec.173. & 185.* Durani, *& 288. part.5.* ac in plerisque aliis, quæ ut dictum est, contrariæ videntur, cum tamen revera sint potiùs diversæ, pro facti diversa qualitate.

Inter admicula, verò gentilitiam, seu familiarem qualitatem suadentia, satis efficax reputari solet illud admissionis contemporaneæ ad præsentandum, patris, & filiorum, sive proximiorum, & remotiorum non servato ordine successionis, juxtà dictas decisiones *in Florentina de Ricasolis*, Buratt. *d. decis.183. num.17. cum seqq. & d. dec.166. part.6. num.14.* apud Rojas *d. dec.446. & decis.162. part.11. recent.* Et tamen de illa dubitatum videmus *d. decis.298. num.9. par.5. & decis.120. nu.22.* post Vivian. & in aliis; Ideoque ut dictum est, certa, & determinata regula desuper dari non potest, sed in singulis casibus decisio ex facti qualitate desumenda est, cum eisdem supra insinuatis regulis generalibus, quæ præsertim *sub tit. de fideicommissis* frequenter habentur pro ambiguæ, seu conjecturatæ voluntatis interpretatione.

Quando verò adminicula fluctuent hincindè, quod scilicèt nimis urgeant ea quæ pro sanguinis, vel agnationis qualitate faciunt, & è contrà urgeant quoque suadentia qualitatem hæreditariam, tunc pariter pro facti qualitate, locus fieri solet conciliationi, statuendo tertiam speciem de utraque participantem, per quam jusprotanatus mixtum dicitur, unde omnia quæ videntur incompatibilia, invicem compati possunt, ob utramque qualitatem, quæ frequenter per fundatores desiderari solet, eodem modo quo in feudo, vel emphyteusi habemus.

Posita verò una, vel altera qualitate, cadit etiam inspectio super ejus immutatione, an scilicèt, quomodo, & per quos fieri valeat immutatio de una qualitate in alteram; Atque distinctio est, inter ipsum primum fundatorem, ac alios successores; In primo enim, quoties ex alteratione non resultet damnum, seu præjudicium Ecclesiæ, quo casu sibi non conceditur sine assensu Ordinarii alterare primas fundationis leges, juxtà ea quæ habentur infra in materia legum fundationis, ac etiam pluries in præcedentibus ad materiam hujus potestatis, it aut agatur de solo jure, vel præjudicio successorum; Et tunc si jusprotanatus est simpliciter fundatum, unde propterea in illo intret regula generalis in dubio attendenda pro hæreditaria qualitate, extrà controversiam est ipsum hanc naturam alterare posse, atque imprimere diversam qualitatem gentilitii, vel familiaris, quoniam si hoc licitum est cuicumque successori, ut supra *disc.18.* ac etiam infrà, multò magis & absque principio dubitandi ipsimet fundatori.

Ubi verò ab initio impressa esset qualitas gentilitia, seu familiaris, intrat dubitatio, an idem fundator in præjudicium descendentium, seu agnatorum id immutare possit, ac efficere jus hæreditarium; Atque in hoc aliqua dignoscitur discrepantia; Aliis simpliciter volentibus id fieri posse, ex deductis per Gratian. *discept.177.* ubi referuntur Lambertin. & alii; Aliis verò, id simpliciter negantibus, ex deductis per Garz. *p.5. c.9. n.69.* & discursivè pro utraque nihil firmando, Rota *d.33. p.7. recent.* ubi quod inspiciendum sit, an adsit necnè Ordinarii auctoritas, de quo etiam *in Cortonen. decis.316. p.10. & 107. part.11. recent.*

Alii verò procedentes cum terminis generalibus, quos habemus in primo acquirente feudum, vel emphiteusim, an successoribus præjudicare possit, quamvis investitura concepta sit in forma pacti, & providentiæ, juxtà receptam distinctionem, quam in dictis materiis habemus inter acquirentem titulo lucrativo, vel oneroso, ut primo casu non possit, in altero autem sic, credunt indefinitè in jurepatronatus ex fundatione, vel donatione, utpotè pernecesse supponente acquisitionem, ex causa onerosa hanc facultatem concedi; Et alii distinguunt, an acquisitio facta sit pro filiis, quos acquirens habeat in potestate, vel pro extraneis, ut isto secundo casu actus sit irrevocabilis, secùs autem in primo, ex ratione peculii profectitii, in cujus terminis remanere dicitur quicquid filiis ex patris bonis, vel providentia quæritur.

Videtur autem ista quæstio decidenda cum distinctione, per quam omnes diversæ opiniones rectè conciliari possunt; Aut enim in reservatione jurispatronatus, quam fundator pro descendentibus, vel aliis de sanguine faciat, non accessit consensus, seu auctoritas Ordinarii, & tunc, quia actus adhuc remanet imperfectus, cum in hujusmodi spiritualibus absque dicto consensu, vel auctoritate ex sola laicorum dispositione jus perfectè quæri non valeat, adinstar eorum quæ habemus in feudis, & aliis juribus Regalibus in commercio privato non existentibus, hinc proinde priusquam dicta perfectio sequatur, & multo magis dicta auctoritate in secundo actu alterativo concurrente, id rectè fieri potest, unde propterea secundus actus efficacior reputatur tanquam perfectus, ac primo perfecto prævalet, juxtà ea quæ pluries habentur *sub tit. de feudis*, ac etiam sub altero *de Regalibus* ad materiam officiorum, & locorum montium, ac habetur etiam supra *disc.56.* in proposito donationis, vel alterius translationis jurispatronatus, atque in hoc sensu capiendæ sunt auctoritates, & decisiones in hoc proposito totum deferentes dictæ Ordinarii auctoritati duplicem effectum operanti super actus perfectione; Primò scilicèt, quia importat assensum in prohibitis; Et secundò quia, ut advertitur in præcedentibus supplet quoque Ordinarius partes Notarii pro absentibus, vel adhuc

huc non natis, stipulantis, & acceptantis; Secùs autem si primo actu de ejusdem Ordinarii consensu perfecto, ac aliàs de sui natura irrevocabili, cum eodem consensu, vel auctoritate fiat secundus alterativus; seu aliàs innovativus, & præjudicialis, quoniam ab Ordinario pendet quidem perficere actum ab initio, sed ejus facultas non se extendit ad destruendum actum jam perfectum, ac tollere jus tertio quæsitum, cum id non nisi supremo Principi concedatur, ex deductis *dict. tit. de Regalibus disc.148.* & quas supremas partes in his spiritualibus materiis solus Papa habet, ut eodem proximè insinuato loco. Ideòque erroneum est generale assumptum per aliquos desuper tradi solitum, ut in hoc proposito totum faciat Ordinarii consensus, vel auctoritas, quoniam id cum præfata distinctione intelligendum venit.

Posita verò dicta perfectione, seu legitima stipulatione ab Ordinarii consensu resultante, quamvis in terminis juris civilis juridica sit dicta distinctio inter filios in potestate, ac extraneos ob naturam peculii profectitii, attamen ut advertitur etiam supra illa in hac materia recipienda non videtur, quoniam si etiam in bonis prophanis, ac indifferentibus secundum juris civilis dispositionem regulandis, quoties accedit juramentum, seu alias patris dispositio erga filios, & descendentes est causativa, illa remanet perfecta, & inalterabilis, adeout novæ leges præjudiciales, vel onera deindè adjici non possint, ut in sua materia *sub titulo de donationibus*, ac etiam *sub titulo de fideicommissis*, hinc idem & fortiùs dicendum est in hac materia, quæ vel est spiritualis, juxtà unam opinionem, vel si juxtà alteram est temporalis, adhuc tamen est ità spiritualitati annexa, quod in ea cadit simonia, ideoque non eum terminis juris Civilis regulanda est, sed cum illis juris Canonicis, vel beneficialibus, quibus attentis non habetur ratio patriæ potestatis, vel minoris ætatis, aliarumque juris Civilis subtilitatum.

Quod autem dicitur de fundatore, in omnibus procedere, atque locum habere videtur in primo acquisitore jurispatronatus jam in esse producti, ex cujus jure, ac providentia veniant successores illum in eorum auctorem, non autem concedentem recognoscentes, ut in dicta feudali, ac emphyteutica materia receptum habemus, ac advertitur supra *in Arianen. disc.18.* & in aliis; Secùs autem si ab alio successores agnoscant suumque jus metiantur, juxtà deducta *d. tit. de fideicommissis*.

Quoverò ad successores, qui neque fundatores, neque primi acquirentes dici valeant, Aut agitur de patronatu hæreditario, quod possessor faciat familiare, seu gentilitium, & non dubitatur id fieri posse, absque aliqua Ordinarii auctoritate, ut advertitur supra *in Arianen. disc.18.* ac in decisione in causa edita impress. *decis.122. par.11. recent.* & in aliis frequenter; Tum quia successores non possunt ob hæreditariam qualitatem ejus factum impugnare ad vulgarem regulam textus *in leg. cum matre, Cod. de rei vendic.* in hac materia quoque procedentem, ex deductis per Bellon. jun. *cons.48.* Rota *decis.237. par.6. recent.* & in aliis; Tum etiam quia interest Ecclesiæ, jusprotanatus esse potius familiare, vel gentilitium, quàm pure hæreditarium; Vel quia ità ex frequentiùs contingentibus magis restrictus remanet numerus patronorum intra certum genus cum hæreditarium possit tractu temporis ad plura diversa genera pertinere; Vel quia major sit Ecclesiæ honorificentia esse sub sola servitute familiæ, vel descendentiæ sui fundatoris; Multò verò magis ubi talis immutatio fieret ad formam majoratus, vel primogenituræ, cum tunc fortiùs utraque ratio procedat, ideoque inter quemcumque possessorem, ac primum fundatorem, seu primum acquirentem in hæreditario nulla dignosci videtur differentia, præterquam ubi naturæ immutatio, seu aliarum legum adjectio, Ecclesiæ gravamen, vel præjudicium contineret, ut advertitur *decis.151. numer.23.* post Vivian. & generaliter habetur in sequentibus occasione legibus, & conditionibus juri contrariis, vel Ecclesiæ præjudicialibus, neque per primum fundatorem ex intervallo adjiciendis, multò magis per successorem, ac habetur pluries in præcedentibus ad materiam facultatis alterandi.

In familiari autem, seu gentilitio è converso, pariter extra controversiam est, talem facultatem non competere, nisi in præjudicium sui ipsius, suoque jure durante, non autem successorum, qui ejus facto non obligantur, utpotè jure proprio independenter venientes, ad communiter notata *in c.1. de jurepatr. in 6.* cum concordan. per Vivian. *l. 14. post cap.2. n.23. & seq.* Lotther. *l.2. d. qu.11. n.14.* Rota *dicta dec.151.* post Vivian. *dec.220. par.11. recent.* edita in causa, de qua supra *in Bononien. disc.35.* & passim; Ad instar eorum quæ habentur *sub tit. de fideicom. disc.55. & seqq.* super defectu potestatis hæredis gravati alterandi ordinem successionis, ac etiam *sub tit. de feud. disc.10. & 11.* & in aliis.

Adhuc autem occasio non dedit formiter disputare, an isto casu intret eadem regula textus *in l. cum à matre, Cod. de rei vendic. & l. vindicantem, ff. de evict.* quæ juxtà magis communem, ac hodie recepram sententiam procedit in materia fideicommissaria, quod scilicèt fideicommissi successor quamvis jure proprio, ac independenter veniens, si tamen est hæres gravati alienantis, seu aliàs rem fideicommissariam obligantis, impugnare non potest factum sui auctoris, sed illud præcisè, ac in specie ratum habere tenetur, nisi beneficium inventarii suffragetur redditis rationibus de bonis hæreditariis, ut pluries in sua materia *sub tit. de fideicom.*

Distinguendum tamen videtur, an accedat necnè consensus, vel auctoritas Ordinarii, in casu enim affirmativo videtur, quod regula intret, ut admitti videtur apud Bellon. jun. *d. consil.48. n.43.* & Rota *decis.297. n.7. & seqq. par.7. recent.* ubi consideratur, an hæres confecerit inventarium necnè, procedendo cum dictis terminis generalibus; In casu autem negativo, omninò verius videtur posse contraveniri, eodem modo quo datur contraventio successoris in feudo sine assensu alienato, vel obligato; Quinimò etiam in successore fideicommissi, ad vindicandum bona, quorum alienatio ipso jure nulla est ob duplicem prohibitionem legis, & hominis, seu ob aliam nullitatem, ex plenè deductis *in Bononien. fideicom. de Rubeis decis.363. par.10. recent.* & in dicta sua materia *sub tit. de fideicommissis*, cum ob defectum consensus Ordinarii, nulla videatur hæc alienatio in extraneos, adeout, ex supra insinuatis, jusprotanatus in proposito symbolizare videatur cum feudis requirentibus Domini assensum, cujus loco ille Ordinarii stare dicitur.

In mixto autem dicendum venit idem, quod de purè gentilitio, quoniam quicquid teneant Regnicolæ in illis feudis mixtis, in quibus, nedum primi acquirentis, sed etiam ultimi morientis hæreditariam qualitatem habere oportet; In puncto juris verius est, ut etiam in feudo, vel emphyteusi, vel quacumque alia mixta concessione requiratur solum qualitas hæreditaria primi acquirentis, non autem successorum, ut pluries in sua materia *sub tit. de feudis*, & in his terminis jurispatronatus habetur *dec.217. in fine*, & plenius *d. decis.267. num.8. par.7. recent. & in Imolen. Decanatus coram Verospio decis.254. par.11. rec. & in aliis*.

Duobus autem casibus videtur, in gentilitio, vel mixto sequi posse alterationem consuetæ naturæ, seu verius alterationem in modo exercitii, ubi scilicet omnibus de familia consentientibus, per modum legis, ac pro meliori regimine, jusprotanatus, sed verius exercitium ad tollendas confusiones reducatur ad formam majoratus, vel primogenituræ; Ad instar eorum quæ in materia erigendi feudum dividuum ad formam primogenituræ habentur *sub tit. de feud. disc.10. & 11.* Et in altero, quod familia, vel genere nimis dilatato, seu aliàs ejus conditione mutata, scandala, & inconvenientia resultare soleant, seu in grave Ecclesiæ præjudicium redundet, ut exercitium juris præsentandi aliorumque patronalium jurium sit penes omnes, tunc enim ex ratione textus *in cap. suggestum de decimis*, vel adinstar, cum similibus; prohibendum non videtur possessoribus in præjudicium successorum legem adjicere alternativam super dicto exercitio, quod scilicet penes aliquos tantum puta duos, vel tres seniores esse debeat, vel per turnum, seu alternatim inter plures columnellos, seu lineas juxta casum, de quo supra *in Pistorien. discurs.32.* quinimo etiam invitis ipsis possessoribus, Ordinario ex justa causa hæc facultas tribuenda videtur.

Mutatur item qualitas, seu natura jurispatronatus de familiari, vel gentilitio in hæreditarium ob defectam familiam, seu defectum genus prius vocatum, Licèt enim aliquorum sententia sit, quæ antesignanum habet Gemi-nian. *consil.45.* ut defecta familia, vel genere pro quo jusprotanatus reservatum est, illud extinguatur, atque Ecclesia efficiatur libera; Passim tamen recepta, ac hodie absoluta est contraria sententia, quæ antesignanum habet Ancharan. *consil.81.* ut jusprotanatus efficiatur hæreditarium,

rium, ac transeat ad hæredem ultimi morientis, ex deductis cæteris relatis per Vivian. *lib. 4. cap. 9. num. 1.* Lotter. *dict. quæst. 11. num. 11.* Rota *decis. 385. part. 1. divers.* & in aliis, de quibus *in decis. 220. part. 11. & supra in d. Bononien. discurs. 35. & pluries;* Nisi adsit taxativa, ita & taliter concepta, quòd denotet voluntatem testatoris ita limitatam, ut exinde Ecclesia libertatem acquirat; Attendendo tamen magis substantiam voluntatis, quam formulas verborum, dum *in decis. 374. & 368.* Seraphini *n.9.* neglecta fuit taxativa; Atque si jusPatronatus pertineret ad duas lineas, seu duas familias, una defecta, non transit in aliam, sed ad heredes ultimi de deficiente, ut apud Merlin. *dec. 798. repetit* post Vivian. *dec. 120. nu. 24. cum sequen.* nisi observantia aliàs doceret, cum illi nimium in hac materia deferendum videatur.

Dixit pluries Rota præsertim apud Merlin. *decis. 870. n. 4. & dec. 293. n. 21. p. 10. recent.* & in aliis, ac insinuatur etiam in præcedentibus, ut jusPatronatus non possit eodem tempore esse purè hæreditarium, & purè gentilitium, quasi quod istæ naturæ, seu qualitates sint incompatibiles; Verùm ut pariter in precedentibus advertitur, id rectè procedit in ipso individuo jure penès unum existente, seu penes plures ex eodem fonte venientes, eamdemq; vocè contuentes; Secus autem, ubi jusPatronatus in plures personas, vel personarum genera per voces æquales, vel inæquales divisum est, adeout, licèt ipsius juris substantia habitualiter, ac in abstracto sit individua, quoad exercitium tamen, aliosque effectus, tot sint diversa jura, quot sunt distinctæ voces, aut vocum partes, juxta divisionem, de qua *discurs. sequen.* ac etiam plures in precedentibus, quoniam competente hoc jure duobus æquè vocatis à fundatore, sive duobus ab initio patronis, quia unus sit fundator & alter dotator, non videtur quid prohibeat, ut unus suum jus in sua regula hereditaria natura relinquere valeat, alter verò in suo imprimat familiarem, seu gentilitiam qualitatem, seu fideicommissi ordinem adjiciat, sufficit enim, quod illud personarum genus, quod intellectualem personam constituit ad illam vocem, seu vocis partem efformandum suum jus juxta sibi præscriptum ordinem à fundatore, vel alio majore exerceat, parùm curando, quod alterum genus idem faciat cum ordine diverso, cum idem sit effectus quoad Ecclesiæ provisionem; Eo modo quo, ut in precedentibus, idem jurisPatronatus est partim laicale, & partim ecclesiasticum, sive partim Regium, aut Potentum, & partim privatum, cum similibus.

Habere quoque aliqui solent pro synonimis familiarem, ac gentilitiam qualitatem, promiscuè hos terminos adhibendo, sed malè, cum sint omnino diversi; Ad gentilitium enim vocati sunt omnes de genere, vel sanguine, sive sint per agnationem, sive per cognationem; Ad familiare verò non, nisi, qui sunt de familia, ideoque per agnationem attinentes; Cadente solùm quæstione circa familiæ diversas species, effectivam scilicet, & contentivam seu naturalem, & artificialem, quas alii, in veram ac fictam distinguunt, ut infra, atque de hac distinctione inter gentilitium & familiare habetur etiam in præcedentibus.

Hinc proinde inter ejusdem fundatoris, vel stipitis per agnationem, ac respectivè cognationem descendentes, disputari solet, quando juxtà unam, vel alteram speciem jusPatronatus reservatum sit, hujusque controversiæ decisionem DD. desumere solent ex verbis, puta si dictum sit, pro illis *de domo*, sive *de eippo*, vel *trunco*, aut *sanguine*, vel *parte*, *parentela*, *familia*, & similibus verbis, quæ importare quidem possunt restrictionem ad solos agnatos, habilia tamen sunt complecti qnoque cognatos ex deductis ceteris relatis apud Buratt. & Adden. *dec. 755.* Duran. *dec. 115.* Lotter, *dicta qu. 11. lib. 2. dec. 71. cum plurib. seqq.* post Vivian. & aliis enunciatis *sub tit. de fideicommissis disc. 50.* ac etiam *disc. 24. cum plur. sequen.* occasione agendi, quando vocatio restricta censeatur ad solos agnatos, vel veniant etiam cognati, *& sub tit. de Præeminentiis disc. 13.* ubi magis proximè ad rem.

Verius tamen videtur, ut eo modo quo supra in altera inspectione distinguendi gentilitium, vel familiare ab hæreditario dictum est quæstio, sit facti ac voluntatis pro singulorum casuum particulari qualitate & admiuiculis decidenda, eodem modo, quo in fideicommissis aliisque ultimis voluntatibus habemus, dum exceptis casibus, in quibus vel Ecclesiæ præjudicium, vel ratio spiritualitatis diversimodè statuant, vel suadeant, passim intrat argumentum fideicommissi ad jusPatronatus, & è contra, cum totum pendeat ab eodem principio voluntatis, cujus ambiguæ, præcæteris magnum reputatur adminiculum illud, quod ex observantia resultat,

Quando autem expresè, vel adminiculativè constat illud restrictum non esse ad familiam seu agnationem, sed omnibus descendentibus, vel de certo genere convenire, tunc frequenter cadunt etiam quæstiones super probatione descendentiæ, & an; ista sufficiat generica, & à quo, & quomodo facienda sit, & an in genere, vel specificè & per gradus distinctos; Et licèt inter scribentès non modica dignoscatur varietas, distinctio tamen pluries tradita per Rotam, hodieque recepta est, quod si non concurrit possessio, tunc probatio descendentiæ fieri debet à fundatore, vel ab eo, quem ipse stipitem destinavit, seu constituit; Possessione autem accedente sufficit probare descendentiam ab existente quasi in possessione, ut ita distinguendo post DD. *in cap. Consultationibus de jurepatronatus* & alios Lotter. *dicta qu. 11. num. 118.* Cavaler. *decis. 382. & 399.* Add. ad Burat. *dec. 382.* & ad Gregor. *dec. 339. Rhegien benef. 24. Martii 1653.* Bichio, & sæpius quoniam est recepta distinctio.

Et quoad genericam, vel specificam probationem intrat altera distinctio, an vocatio percutiat certos gradus, puta quia proximiores vocati sint, vel potius omnibus de certo genere indefinitè conveniat, ut primo casu requiratur probatio per gradus distinctos, dum de illis, eorumque majori proximitate est principalis quæstio, secus autem secundo, ut ita distinguendo est pariter receptum.

Proximitas autem regulanda est, cum eisdem terminis, cum quibus illam in materia feudali, & emphyteutica, vel fideicommissaria regulamus, ut scilicet, non refragante testatoris voluntate, à persona gravati seu ultimi possessoris magis, quam ab illa testatoris seu fundatoris regulari debeat, ex iis quæ habentur pluries deducta *sub dicto tit. de fideicommissis*, præsertim *disc. 22. cum seq.* ac etiam *sub tit. de feudis disc. 8.* & alibi pluries.

Quando verò jusPatronatus sit familiare ad agnatos, seu illos de casata restrictum, tunc pariter cadunt eædem quæstiones frequenter in dicta fideicommissaria materia cadentes, atque cum eisdem terminis quoque decidendæ; An scilicet vocata censeatur solum familia effectiva, vel etiam contentiva; Et quatenus etiam hæc magis generalis vocata sit, an intelligendum sit de contentiva proxima magis quam de remota, & an veniat tam familia vera seu naturalis, quàm etiam ficta seu artificialis, aut alias allecta; Sive posito quod attenta antiqua origine constet de familiæ identitate, illa vero tractu temporis in plures ramos divisa sit, cum diversis adjunctis in nomine, vel in stemmate, seu cum aliis diversitatem denotantibus, an intelligatur de universa, vel de illa solum de qua est ipse fundator, super quibus in his terminis specialibus plura discurrit Lotter. *dicta qu. 11.* Rota *decis. 71. cum plurib seq.* post Vivian. *& in Pientina* post Monac. *decis. Florent. 72.* cum aliis quæ tam generaliter in materia fideicommissaria, quàm specialiter in hac materia jurispatronatus, vel etiam in altera juris honorifici seu nobilitatis habetur *dicto disc. 50. sub tit. de fideico. & disc. 13. sub titul. de præeminen.* ac etiam supra *hoc eodem titulo in Pistorien. de Micheluccijs disc. 31.* & in aliis, ubi videri potest; Quomodo autem in una, vel altera ex dictis speciebus competat concursus in exercitio juris præsentandi, sive quomodo voces constitui seu computari debeant, habetur *disc. proximè sequent.*

ADNOT. AD DISC. LX.

NOtatum est supra *ad disc. 22. cum seq.*

De concursu cumulativo plurium patronorum, vel successorum in præsentando, an sit in capita, vel in stirpes, seu ratas & viriles, ad effectum concludendi majorem partem, & quomodo fiat vocum computatio; Et quando dictus concursus debeat esse simultaneus, & collegiativus, vel sufficiant vota singularia.

SUMMARIUM.

1 *Distinguuntur plures casus, seu species concursus.*
2 *De concursu æquali, coram quo licet inæqualiter, fundant & dotant.*
3 *Si ab initio fiat acquisitio specifica inæqualis attendi debet.*

4 *Plures primi hæredes fundatoris, vel unici possessoris quamvis inæquales, attamen æquale jus habent in jurepatronatus.*
5 *Secus de consuetudine, & ubi hæc vigeat.*
6 *Quod servetur contrarium, & quod habetur nu. 4. cum distinctione inter jus, & exercitium.*
7 *Quid ubi etiam exercitium est individuum.*
8 *Ulteriores hæredes & successores ultra primos veniunt in stirpes.*
9 *An successio in jurepatronatus gentilitio, vel familiari reguletur juxta ordinem successionis fideicommissariæ, cum prærogativa gradus de opinionibus hinc inde.*
10 *Proximitas gradus attenditur in jurepatronatus mixto, & de ratione.*
11 *In gentilitio, vel familiari veniunt omnes in capita.*
12 *An habeatur ratio puerorum, fœminarum, & illegitimorum remissivè.*
13 *Quando in familiari, vel gentilitio veniant etiam in stirpes, atque in capita respectivè.*
14 *Ille dicitur præsentatus, qui habet majorem partem vocum in capita, quando est una familia, vel una linea.*
15 *Majores qualitates non curantur, quia sufficit quod sit dignus.*
16 *Major numerus attenditur facta solum comparatione præsentantium.*
17 *Major pars attenditur comparatione minoris non autem omnium, ubi est singularis, & num. 23.*
18 *Una vox ratione accumulationis potest suffragari pluribus.*
19 *Quomodo fiat computatio vocum, ubi sunt plures familiæ, seu lineæ.*
20 *Major pars absorbet minorem, & constituit integram vocem neque dicta minor adhærens alteri voci eam reddit majorem.*
21 *An & quando absentes sint vocandi distinguitur.*
22 *Quomodo fiat præsentatio collegialiter, & quomodo jure singulari.*
23 *Conclusio de qua nu. 17. non procedit in actu Collegiali.*
24 *De aliis differentiis inter actum Collegialem, & singularem.*
25 *Quod ex observantia etiam in actu collegiativo procedat conclusio, de qua nu. 17. & recensetur praxis Rotæ & Cameræ Apostolicæ in votando.*
26 *Quando præsentatio fiat collegialiter, & quando singulariter.*
27 *Si pertinec ad majorem natum, an attendatur ætas, vel prærogativa lineæ.*

DISC. LXI.

TRipliciter sequi potest conversus plurium patronorum in diversa vota abeuntium in præsentando; Primò scilicet ipsorum fundatorum: Secundò à fundatore primo acquirentium; Et tertiò eorum hæredum, & successorum rei familiaris, vel sanguinis aut agnationis juxta jurispatronatus diversas species recensitas *disc. proximè præced.*

Circa primum modum; *Scribentes in Clem. plures hoc titulo, & in cap. 1. extra eodem.*, occasione agendi de tertia specie concursus, concorditer supponere videntur, ut omnium patronorum æqualis esse debeat conditio, ac æquale votum in capita, quamvis inæqualis esset causa acquirendi; Si enim Unus construat, Alter docet, & Alter det fundum, unde propterea omnes efficiantur patroni; Sive idem sequatur ex eadem causa, quia nempè omnes concurrant in eadem constructione, vel dotatione, quamvis uno, vel altero casu inæqualis esset concursus, quia nempe unus plus eroget vel impendat, quam alter, nisi alias cum Ordinarii consensu inter ipsos cautum sit, omnes sunt æque patroni, atque æqualis est eorum conditio dicta inæqualitate non curata, Tum ob individuam naturam jurispatronatus, ob quam illud penes omnes, ac singulos quamvis inæquales portiones habentes, insolidum esse dicitur; Tum etiam quia hujusmodi inæqualitas potius in quanto quam in quota consistens, non de facili recipit illam proportionem per quotas, vel uncias, quæ datur in aliis duobus concurrendi modis, de quibus infra; Et clarius ob rationem quam proximè allegandi affignant satis probabilem, quod sicuti patronus admittens non patronum, quoad ejus præjudicium, illum facit participem jurispatronatus, vel præsentandi ex deductis *infra disc. 63.* ita multò magis sibi præjudicat, ac sibi æqualem facit eum quem admittit ad ejusdem operis contributionem, quamvis inæqualiter concurrentem; Rari verò sunt casus, in quibus hæc inspectio ad praxim in foro deducatur.

Alter concursus est inter eos, qui non sunt fundatores vel dotatores, sed sunt primi, puta quia fundator pro eis in limine fundationis jusPatronatus reservaverit, aut quia eos hæredes instituerit, seu alias in eos jusPatronatus transtulerit, quod etiam in primis, ac directis acquirentibus ab unico possessore, quamvis non fundatore verificari potest: Et tunc; Aut agitur de reservatione, vel dispositione speciali ipsius jurispatronatus ad favorem plurium inæqualiter facta, quia nempè disponens dividat voces, seu quotas vel uncias, & præsupposita validitate dispositionis cum consensu Ordinarii, nulla cadere videtur quæstio, quoniam si in sensu antiquorum Canonistarum, consuetudo id inducere potest ut infra, non videtur cur idem facere non posset ipse fundator, vel dispositor, cui cessante præsertim interesse Ecclesiæ, quascumque leges adjicere permittitur, Idemque ubi inæqualitas esset in oratione, seu personarum conjunctione, quia nempe dixerit reservare, sed relinquere jusPatronatus, Cajo, Mevio, & Sempronio, necnon etiam Titio, quoniam illi primi tres simul conjuncti habentur pro uno, unamque vocem constituunt, Titius verò in diversa oratione vocatus habet jus coæquale, ac aliam vocem, seu integræ vocis medietatem, nisi aliæ circumstantiæ diversimodè suadeant, juxta ea, quæ habentur supra *in Comen. disc. 34.*

Quatenus verò jusPatronatus veniat accessoriè ad rem vel universitatem, quam primi acquirunt, quia nempè fundatori vel unico possessori plures sint primi, ac directi & immediari hæredes, ab eo inæqualiter instituti, vel pro inæqualibus ratis & portionibus ab eo acquirant castrum, seu villam, cui annexum sit jusPatronatus, seu etiam inæqualiter ab intestato succedant, ut contingit in illa successione, quæ datur inter gradus inæquales, nempe fratrem & alterius fratris filios quamvis plures, &c.

Et tunc Joannes Andreas *in glos. dictæ Clementinæ pluries* referendo diversas opiniones antiquorum Canonistarum, præsertim *Goffredi Beneventam*, quòdammodo se involvere videtur, ponderando plures perplexitates & inconvenientia, ob quæ ipse laudaret exclusionem hæredum extraneorum, ac admissionem illorum sanguinis tantum, difficultates tamen ponderando, magis in ulterioribus hæredibus & successoribus quàm in primis, quorum respectu apud omnes receptum supponit, ut quamvis essent inæquales, adhuc tamen in hoc jure, æqualis esset eorum conditio, nisi consuetudo aliter disponeret, referendo consuetudinem Neapolitanam relatam etiam per *Goffredum* super divisione per quotas, seu uncias, Atque super discursu ac intellectibus *Joannis Andreæ*, omnia id assumendo nimium se diffundit *Cardinalis Zabarella in eadem Clement.* ac etiam *in cap. 1. eodem titulo*, cum quo pertranseunt cæteri præsertim Lambertin. *lib. 1. par. 2. quæst. 2. art. 36.* & sicco pede tanquam simplex relator, seu collector absque alio discursu Vivian. *lib. 4. cap. 1. num. 56. & sequent.*

Quidquid autem desuper in disputativa scholastica ratione dicendum sit, quatenus tamen ad praxim pertinet, nedum in dicta Neapolitana Civitate ex consuetudine, sed ubique recepta videtur distinctio tradita per eosdem *Joannem Andream*, & alios antiquos Canonistas, quod scilicet, Aliud est ipsum habituale jusPatronatus in genere, vel substantia, Aliud verò est ejus exercitium in jure præsentandi, ut primum quidem sit individuum, atque non curata inæqualitate omnibus de illo participantibus, æqualiter, insolidum, & in capita competat, seu penes omnes resideat adinstar juris conferendi, vel similis alterius juris individui juxta pluries in præcedentibus insinuata, ac etiam *sub titul. de feudis discurs. 8.* Quo verò ad exercitium in jure præsentandi, aliisque juribus dividuis, ac per plures exercibilibus, rectè cadat decisio inæqualis per quotas & portiones, quarum plures in uno magis quàm in altero, etiam ex primis cohæredibus ex successione, vel alia dispositione consolidentur, juxta illam divisionem, quæ datur in fructibus & emolumentis feudi, quamvis dignitatis vel alias de sui natura individui juxta deducta *discurs. 8. de feudis*; Sive juxta eam divisionem, quæ datur in exercitio jurisdictionis, vel in juris conferendi, ad cujus exercitium concursus fiat per stirpes seu quotas, non autem per capita, ut videtur proprius, ac litteralis sensus *dictæ Clementinæ in principio*, ita editæ ad dirimendas antiquas

quæstiones, ut idem *Joannes Andreas* advertit, ac sequuntur *Cardinalis* & cæteri, cum revera juxta quotidianam receptam praxim, in altero concursu alteriorum successorum & hæredum, de quo proximè, de plano id sit practicabile, absque eo quod obstent tot perplexitates ac inconvenientia, quæ considerantur per *Joannem Andream*.

Illa siquidem solùm cadere videntur in illis patronalibus juribus, quæ etiam in exercitio individua sunt, atque simultaneum plurium personarum concursum non admittunt, ut est sæpius enunciatus casus, præsertim supra *in Capuana discurs.* 36. de quo agitur
7 apud Franch. *decis.* 85. illius scilicet honorificè distributionis candelæ vel palmæ, quæ post Regem, vel Proregem, supra omnes Magnates fit in Ecclesia monris Oliveti Neapolis, uni ex successoribus Antonii Oriliæ fundatoris, quo casu ibi deciditur fieri debere per turnum alternatis annis, cum hic dividendi modus pariter per sacros canones sit probatus, Laudabilius tamen videretur hujusmodi jura individua regulari debere cum ordine majoratus, seu primogenituræ, ut eorum exercitium esset penes illum, qui primogeniti, seu capitis domus in omnibus figuram facit, ob inconvenientia, quæ ponderantur *sub tit. de fideicommissis disc.* 1. ac alibi in præcedentibus.

Ex his autem, magis de plano resultat resolutio super tertia specie concursus inter plures hæredes, ac successores mediatos eorum, qui primi, ac immediati hæredes, vel reservatarii fuerunt, quoniam inter eos concursus est
8 absque dubio in stirpes, non autem in capita, ad repræsentandum, seu constituendum proprium stipitem, itaut tot sint voces, quot erant primi acquirentes æqualiter vocati, quorum quælibet constituatur ab hæredibus & successoribus singulorum respectivè, non curato, an ex uno plures, & ex altero minores superfint, cum tanta sit vox unius suum auctorem repræsentantis, quanta sit illa centum, qui alterum repræsentant juxta claram, ac litteralem decisionem *dictæ Clementinæ* editæ, ut dictum est, ad antiquas quæstiones dirimendas; Atque si ab initio essent tres, vel plures stipites, & jura duorum in uno consolidata essent, jura verò tertii divisa essent in plures, adhuc inæqualis erit concursus per stirpes, admisso solo concursu per capita inter seipsos ad quamlibet respectivè stirpem constituendam, cum collectis apud Vivian. *dicto lib.* 4. *cap.* 1. Rota *dec.* 2. *n.* 7. & 37. *par.* 7. & passim, cum hæc hodie videantur extra quæstionem.

In secunda verò ac tertia specie jurispatronatus gentilitii, seu familiaris, quæstio est super modo succedendi, non autem super modo concurrendi inter personas ejusdem familiæ, seu ejusdem lineæ, an scilicet successio in jurepatronatus, seu in ejus exercitio regulari debeat juxta ordinem fideicommissariæ successionis, attenta gradus
9 proximitate, vel potius competat omnibus de genere, vel familia, absque discretione gradus, vel etiam sexus, adeout detur simultaneus concursus patris & filiorum, vel ulteriorum descendentium, ac proximiorum & remotiorum; Super hoc autem varias habemus scribentium opiniones, ac etiam Rota variavit; Siquidem pro observantia ordinis fideicommissariæ successionis juxta terminos textus *in l. cum ita §. in fideicommisso ff. de legatis secundo*; sentire visa est Rota *in Pientina Jurispatronatus*, 10. *Junii* 1601. *coram Litta impress.* apud Vivian. *lib.* 4. *c.* 9. *post n.* 35. ac etiam *dec.* 288. *nu.* 9. *par.* 5. *recent. & decis.* 120. *nu.* 22. post Vivian. quę est eadem apud Merlin. *decis.* 798. ex auctoritate Covar. *practicar. qu. c.* 38. *in fin.* Gabr. *conf.* 196. *nu.* 3. & 4. *lib.* 2. cum quibus pertransire videntur Vivian. *dicto cap.* 9. *nu* 14. & 37. & Lotter. *dicta qu.* 11. *lib.* 2. *nu.* 124.

Contrarium tenuit Rota *in Rhegien. jurispatronatus* 26. *Novembris* 1601. *coram Pœnia* inter suas *decis.* 934. & deinde maturiùs discusso articulo, ac examinata in specie dicta contraria decisione *Pientina coram Litta*, dictum fuit in celebri *Florentina de Ricasolis* 10. *Martii* 1603. & 11. *Februarii* 1604. *coram Lancellotto registrata* apud Vivian. *lib.* 4. *cap. primo ex numer.* 71. quæ reputantur in materia magistrales ex auctoritate Feder. de senis *consil.* 111. *numer.* 9. ubi admittitur simultaneus concursus patris & filii, quod sequi non posset, si ordo fideicommissariæ successionis, juxta gradus proximitatem, vel aliam prærogativam attendi deberet, ideoque ubi non obstet lex fundationis, cui omnia cedunt, vel observantia, quæ pariter in hac materia principatum obtinet, ac omnino attendenda est, ista secunda opinio tenenda videtur, cum qua proceditur apud Buratt. *decis.* 183. *num.* 16. & *seqq. decis.* 166. *num.* 14. *par.* 7. *recent. decis.* 82. *nu.* 10. *par.* 7. & in aliis, non curatis dictis contrariis decisionibus, quoniam *in decisione* 228. *part.* 5. & *in decis.* 220. post Vivian. alias apud Merlin. *decis.* 398. id obiter ex sensu extensoris magis dicitur; Prior autem decisio *in Pientina coram Litta* benè declaratur in dicta *Florentina de Ricasolis* 1604. *coram Lancellotto*, ubi proce- 10
dat in jurepatronatus mixto, in quo, ob hæreditariam qualitatem, quæ requiritur, Vel juxta unam opinionem, tam fundatoris seu primi acquirentis, quàm ultimi possessoris, Vel juxta alteram magis receptam, primi tantum acquirentis seu fundatoris, meritò attenditur prærogativa gradus, juxta cujus ordinem hæreditaria qualitas obtinetur, atque in eodem sensu loquuntur Coyarr. & alii.

Verum, sive una, sive altera opinio retineatur, certum est, quod in gentilitio, vel familiari succeditur in capita, atque tot sunt voces quot sunt personæ, nisi ex lege 11
fundationis, vel consuetudine exercitium sit penes aliquos tantum, puta penes unum vel plures seniores &c. Cadentibus quæstionibus, an habenda sit ratio puerorum, vel etiam fœminarum, sive illegitimorum, de quibus Lotter. *dicta qu.* 11. & Vivian. *dicto lib.* 4. *cap.* 9. Raro autem 12
istæ quæstiones in foro audiuntur, frequentius decisæ per observantiam, cui omnino deferendum est.

Adhuc tamen datur in familiari, vel gentilitio concursus in stirpes, etiam inæquales, ac respectivè in capita, eodem modo, quo supra dictum est de hæredita- 13
rio, quando scilicet jusjpatronatus reservatur, vel relinquatur pluribus personis earumque filiis, & descendentibus in formà investituræ pacti & providentiæ, adeout dicatur gentilitium, vel respectivè familiare, quoniam tot sunt lineæ, quot sunt personæ ab initio vocatæ, & constitutæ suarum respectivè linearum stipites, atque quælibet linea, vel descendentia, repræsentando suum stipitem, unam constituit vocem in stirpes in concursu aliarum linearum, in capita verò inter se, ut omnes concurrant ad suam vocem efformandam non curata inæqualitate personarum, adeout tanta sit vox lineæ habentis unam, vel duas personas, quanta sit illa, quæ habeat centum, eodem modo, quo supra in hæreditario ex deductis *dicta dec.* 2. & 82. *par.* 7. *recentior.* cum aliis per Lotter. *dicta quæst.* 11. *lib.* 2. Vivian. *dicto lib.* 4. *cap.* 9. *nu.* 18. & *seqq. dec.* 134. *num.* 7. & *seqq.* post Vivian. & sæpius.

Idemque, ubi idem concursus esset inter plures Universitates, vel Collegia, seu corpora Universitatem constituentia, quoniam si pariformiter vocata sunt, tot sunt voces quot sunt corpora, quamvis ex inæqualibus membris constituta ita in stirpes concurrentia, quoniam singula membra dicti corporis in capita concurrunt ad suum corpus, vel suam Universitatem efformandam.

Ad dignoscendum verò quando adsit necnè major pars quæ concludat, intrat eadem distinctio, an scilicet jusjpatronatus totum resideat penes unam Universitatem, seu 14
unum corpus, puta penes unam familiam, seu unam lineam, Vel penes plures familias, aut lineas ab initio constitutas; Primo enim casu, cum non intret dictus concursus in stirpes, sed solum ille in capita personarum de linea, vel familia, ille dicitur habere præsentationem conclusam à majore parte qui majora habet vota, juxta terminos generales textus *in l. quod major, ff. ad municipal.* cum concordantibus apud Franch. *dec.* 2. & in his terminis glos. *in c.* 3. *hoc titul* verbo *à major.* & cæteri collecti per Lotter. *d.q.* 11. *n.* 132. & *seq.* Vivian. *lib.* 12. *c.* 8. *n.* 1. Bur. & Adden. *dec.* 942. Barb. *alleg.* 72. *n.* 197. & *seq. dec.* 147 *n.* 5. post Viv. & *passim.*

Apud quos habetur id procedere, quamvis præsentatus à minori parte majores haberet qualitates, puta quia de sanguine fundatoris, seu alias dignior, quoniam cessante necessitate resultante à jurepatronatus passivo, ob quod facultas præsentandi ad certum genus, seu certum gradum 15
restricta sit, de hujusmodi qualitatibus habenda solum est aliqua ratio in concursu æquali, ac data paritate vocum, secus autem ubi major pars concludat pro altero quamvis extraneo, dummodo sit habilis & idoneus, dum minor pars prævalet majori in solo casu quo præsentaretur indignus, juxta terminos generales text. *in cap. dudum de elect.* & in his terminis Cavaler. *dec.* 231. *n.* 2. cum concord. apud Vivian. & Barbos. *ubi supra, & pluries in præcedentibus.*

Ad dictam verò majorem partem constituendam, non attenditur numerus personarum, quibus de jure competat jus præsentandi, sed numerus præsentantium, quoniam illi qui non curant præsentare in ter- 16
mino, faciunt pro ea vice ab actu se extraneos, & consequenter præsentantium tantum, (quatenus absque controversia jus præsentandi competat) numerus attendendus est.

Item, ubi præsertim agitur de jure competente personis de certo genere tanquam singulis singulari jure, non autem collegiativo de quo infra, non attenditur ad conclusionem majoris partis excessus medietatis comparatione
17 omnium præsentantium, ut procedit in actibus collegialibus electivis, seu qui ad formam electionis explicantur, & de quibus pluries *sub tit. de Canonicis & Capitulo* ad materiam electionis, sed attenditur major numerus comparatione minoris; Ideòque si ex decem existentibus in quasi possessione præsentandi, & quorum voces extra controversiam admittendæ sunt, duo præsentent unum, tres alterum, unus alterum, & quatuor alterum, ille qui habebit quatuor voces instituendus erit, utpotè præsentatus à majori parte, seu habens majores voces, juxta doctrinam Abb. *in cap. quoniam tertius num.* 13. *hoc tit.* cujus verba regiistrat Barbos. *d. alleg* 172. *num.* 198. & alios refert Vivian. *d. lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 3. Rota apud Merlin. *dec.* 443. *num.* 19. & 20.

18 Dari tamen potest casus, ut una vox duobus suffragetur, seu in duplici computatione veniat in jurepatronatus laicali propter accumulationem, quæ patronis laicis conceditur, de qua supra *in Compostellana discurs.* 43.

Aut sunt plura genera æquè concurrentia, puta plures familiæ, seu plures lineæ, quarum singulæ utpotè suum stipitem repræsentantes, vocem habent, quam tamen singulares respectivè personæ constituunt; non collegia-
19 liter, sed per vota singularia, itaut tam conjunctim, quam divisim non intret concursus collegiativus, de quo infrà; Et tunc ad constituendam majorem partem, quę concludat præsentationem, non attenditur numerus personarum, sed facta computatione in stirpes ut supra, attenditur numerus stirpium, seu linearum constituentium tot personas intellectuales, computandas cum eadem regula, & proportione de qua supra in singulis unum corpus constituentibus.

Ad singulas autem voces efformandas, attenditur supradictus ordo præscriptus in præcedenti casu, quo plures personæ singulari jure non autem in formam collegiativam concurrant ad suam vocem, sive suum genus efformandum, ut scil. attendatur major pars præsentantium, non comparatione totius, sed comparatione minoris; Unde si à majori parte unius lineæ, vel familiæ concludatur præsentatio unius personæ, si altera minor pars præsentet eum,
20 quem altera linea, seu familia præsentavit, non per hoc iste dicitur habere majorem partem, quoniam istius minoris nulla ratio habetur, ac si non esset in rerum natura, adinstar actuum collegialium, seu capitularium, in quibus major pars ad se attrahit minorem, eamque suffocat seu absorbet; perinde ac si omnes in illam personam concurrissent; Cassad. *decis.* 2. *hoc tit. cum concord.* per Lotter. *dict. quæst.* 11. Vivian. *dict. lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 4. *cum sequen.* Cavaler. *decis.* 21. & 436. & latius 519. Gregor. & adden. *decis.* 452. Buratt. & adden. *dict. decis.* 942. Duran. *decis.* 199. & 230. & *sæpius*, ac habetur in proposito juris conferendi per simultaneam inter Episcopum & Capitulum *in Majoricen. Canonicatus sub tit. de Beneficiis disc.* 30. dum non habetur ratio personarum, sed corporum, seu stipitum.

Procedunt hæc cum præsuppposito, quod agatur de jure præsentandi singulariter explicando, non autem
21 in forma collegiativa tanquam per speciem electionis, quo casu plura habemus, quæ in actu collegialiter explicando non conceduntur; Primò scilicet, quod in hoc modo singulari non sunt vocandi absentes, ut vocandi sunt in actu collegiali, in quo adinstar electionis habetur ratio eorum, qui contempti fuerunt pro annullatione actus, quatenus tamen ipsi de contemptu oponant, ut ultra generalia, quæ habemus in materia electionis *dict. tit. de Canon. & Capit.* præsertim *in Monasterien.* in his specialibus terminis jurispatronatus advertitur apud Mantic. *decis.* 268. & 288. *in Sulmonen.* 23. *Januarii* 1647. Peutingerio *decis.* 4. *part.* 10. *recent decis.* 149. post Vivian. & *in aliis*, in quibus tamen declaratur, præsertim in dictis decisionibus Manticæ, & *in dict. Sulmonen* non curari absentiam affectatam, solumque vocandos esse præsentes in loco, non autem absentes, ut in electionibus formalibus requiritur juxta deducta *d. tit. de Canonicis & Capitulo.*

Secundò quia ubi actus non collegiali, sed singulari jure explicandus est, non curatur de diversitate locorum ac temporum, quoniam aliqui patroni possunt in uno tempore, ac loco respectivè præsentationes facere, alii verò in alte- 22
ro, cum sufficiat intra tempus à jure præfinitum eas exhiberi coram legitimo Superiore; Quinimò fieri etiam possunt coram diversis, puta, (ut quotidiana experientia docet) quod aliqui præsentent coram Ordinario, & aliqui exhibeant præsentationes, seu consensum præstent in Dataria coram Papa, omniumque ita diversimodè præsentantium ratio habetur; Non sic est in actu collegiali, in quo data legitima convocatione, adeout non concurrat nullitas ratione contemptus, habetur solum ratio congregatorum, qui illud corpus efformant, nulla ratione habita absentium, seu non intervenientium, quorum vota singulariter data extra collegium, seu comitium in nulla ratione habentur, quamvis essent in magno numero, ac majorem partem constituerent juxta terminos generales electionis, & in terminis *decis.* 295. *part.* 6. *recent. decis.* 82. & 302. *par.* 7. Bonon. *de Granaglion.* 7. *Junii* 1658. *Priolo*, & in aliis, quoniam si id procedit in materia electionis, fortius in præsenti, sufficit namque actum explicari ab ipso corpore repræsentante formalem, seu intellectualem personam patroni.

Tertiò differunt, quod ubi actus est singularis, major pars attenditur comparatione minoris, non autem comparatione omnium, ut supra dictum est, secus autem in actu collegiali, in quo major pars attenditur habita ratione om- 23
nium congregatorum, juxta terminos generales electionis, ut ita distinguendo in his terminis jusjpatronatus habetur apud Merlin. *dict. decis.* 443. *num.* 19. & *sequent.* & supponunt omnes supra allegati in casu concursus singularis *num.* 17.

Et in summa, in actibus collegialibus rectè pro regula constituendum videtur, ut procedat idem, quod generaliter habemus in materia electionis, exceptis casibus limitatis, & in quibus inter unum casum, & alterum constituta sit differentia, quos differentiæ casus inter electio- 24
nem, & præsentationem recensere profitentur, Lambertin. *lib.* 2. *part.* 1. *quæst.* 1. *art.* 5. & Vivian. *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 7. *cum sequent.* præsertim quod non intrat forma resignatus *in cap. quia propter*, ac etiam quod vota alternativa, vel accumulativa, seu conditionalia non regulariter rejiciuntur, ut in electione cum similibus, de quibus apud allegatos.

Præsertim verò in hac materia præsentationis, facilius defertur observantiæ alterativæ regularum generaliumjuris absque illis rigoribus, qui concurrunt in observantia re- 25
dolente formalem præscriptionem in materia electionis, ob vehementem & claram resistentiam canonum in electione militantem, quæ non militat in præsentatione; in qua præterea observantia potius vim interpretativæ, quàm formaliter præscriptivæ habere videtur; Dum etiam in Tribunalibus collegialibus ad justitiæ administrationem deputatis practicamus observantiam, ut major pars attendatur comparatione minoris, non autem omnium congregatorum, ut est Tribunal Cameræ Apostolicæ, quod licet in omnibus causis quæ proponuntur, omnes Clerici congregati, & in Camera intervenientes votum proferant, attamen eis scissis, attenditur major pars comparatione minoris ad concludendam resolutionem; Atque in Tribunali Rotæ, quamvis duodecim congregentur, omnesque in singulis causis votum proferre valeant, attamen frequentius votant solum quatuor magis proximi, quos correspondentes dicimus, eorumque major pars concludit, quamvis alii sint præsentes, cum similibus, de quibus *sub tit. de judic.* in relatione, & praxi Curiæ Romanæ, cum nulla desuper habeatur positiva canonum resistentia, quæ habetur in materia electionis, ubi præsertim illa facienda est de Pastore Ecclesiæ viduatæ, seu Prælato, quando verè ac propriè termini formalis electionis cadunt, cum plures actus, qui sub vocabulo electionis, ac etiam in ejus forma explicantur, potius deputationis, seu collationis vim habeant, ut in proposito electionis Vicarii capitularis habetur *in d. tit. de Canonicis & Capitulo*, & in proposito collationis Canonicatuum, quæ fiat per Capitulum habetur *sub tit. de Beneficiis*.

Quæstio autem esse solet, quando dictus concursus debeat esse singularis, vel collegiativus; Atque in hoc regula est, ut in dubio præsumatur potius singularis, ut in pluries allegata *Florentina de Ricasolis* 10. *Martii* 1703. *coram Lancellotto*, apud Mantic. *d. decis.* 268. *num.* 2. & *decis.* 148. *num.* 2. post Vivian. Id autem recipiendum videtur, ubi

qualitas corporis ita de sui natura exigat, e.g. est illud corpus, quod constituitur ab una, vel pluribus familiis, seu una, vel pluribus lineis, & descendentiis personarum privatarum, secus autem si agatur de corporibus de sui natura collegiativis, ut sunt Capitula, Monasteria, piæ Congregationes, seu Confraternitates, Universitates, seu Communitates laicorum repræsentantes totum populum loci, seu totam parochiam: Verùm uno vel altero casu est simplex præsumptio juris, quæ cedit non solum expresse probationi, resultanti à tenore fundationis, vel ab aliis circumstantiis, sed etiam à sola observantia, cui potissimè in hac materia deferendum est, ut *in d. Florentina de Ricasolis* & apud Mantic. *d. dec.* 268. & 147. post Vivian. ubi de jurepatronatus competente Universitati, & tamen præsentatio admittitur in forma singulari non autem collegiativa; Est igitur quæstio potiùs facti, quàm juris certam non recipiens regulam generalem, sed pro facti qualitate, ejusque circumstantiis decidenda; Verè autem observantia in hac materia totum facit, ac principatum obtinet; Et hæc de concursu cumulativo; De altero autem privato, seu præsentativo habetur *disc. proximè seq.*

Ubi verò ex lege fundationis, seu ex consuetudine, exercitium juris præsentandi sit etiam singulare, seu individuum, quia nempè dispositum sit, ut per majorem natu
27 fieri debeat, tunc cadit quæstio, an veniat major natu naturaliter inspecta prærogativa ætatis, vel potius major natu legaliter inspecta prærogativa lineæ, atque subjecta materia assistere videtur regula majori natu naturaliter, & sic seniori, ex ea ratione, quod cum hic dicatur actus prudentiæ, ac pendeat à judicio intellectus, idcircò ætas principaliter considerata videtur magis, quàm linea, juxta ea, quæ distinguendo habentur *sub tit. de fideicomm. discurs. 1. cum plurib. sequentib.* Quod tamen, ut alias advertitur, recipiendum venit pro facti qualitate; Ubi enim hoc exercitium demandatum est pluribus, quia nempè dicatur, quòd duo, vel tres natu majores de familia præsentent, tunc id bene procedit, ut intelligendum veniat de seniori-bus; Secus autem ubi ad unum tantum id restrictum est, quoniam probabilius videtur, ut id percutiat habentem prærogativam primogenituræ, ideſt illum, qui figuram facit domini, seu capitis domus, vel familiæ ob istius majorem decorem, ac prætogativam, ut *dict. disc. 1. de fideicommissis* ubi de ratione.

ADNOT. AD DISC. LXI.

NOtatum pariter est suprà *ad disc. 32. cum seqq.*

De concursu privativo, seu prælativo plurium contendentium de pertinentia juris præsentandi, ad effectum inspiciendi, quæ præsentatio prævaleat, puta, viri, & uxoris, tutoris, & pupilli, principalis, & procuratoris, vel possessoris, & petitoris, cum similibus.

SUMMARIUM.

1 *DE duplici specie concurrentium in objecto privativè, seu prælativè.*
2 *Incongruum est, ut jusjpatronatus principaliter, & de per se detur in dotem.*
3 *Non potest dari sine consensu Ordinar. adinstar donationis*
4 *Jus patronatus annexo bonis extra dotalibus maritus nullum jus habet.*
5 *Verum autem jus est mariti, & nullum mulieris in eo jure quod annexum est bonis datis æstimatis.*
6 *In eo verò, quod est annexum bonis datis in dotem in æstimatis, si vir & uxor concorditer præsentant, cessat omnis difficultas.*
7 *Eis autem discrepantibus una opinio est, ut inter eos detur prævention, sed non habet sequaces.*
8 *Altera est opinio, ut jusjpatronatus remaneat penes mulierem.*
9 *Tertia est magis recepta, ut in præsentandis spectet ad virum, ejusque præsentatio prævaleat.*
10 *Quid de concursu inter usufructuarium, & proprietarium feudatarium, & Dominum, cum similibus.*
11 *Quid de concursu tutoris, & pupilli.*
12 *De concursu possessoris, & petitoris ad materiam*, text. in cap. consultationibus de jurepatronatus.
13 *Et de illo principalis, & procuratoris.*
14 *Et de illa facta per donatorem, cum altera facta per donatarium.*

DISC. LXII.

PLurium diversimodè præsentantium, duplex esse potest concursus; Primò scilicet omninò objectivè, seu privativè, quod scil unus negando jus aiterius prætendat ad se illud privativè pertinere; Et secundò, quasi objectivè, ad solum effectum exercitii præsentationis, non autem ipsius juris habitualis, quia scilicèt non neget quis jus alterius, sed prætendat ad se spectare præsentationis exercitium. 1

Ista secunda species concursus exemplificari potest in concursu præsentationum, viri, & uxoris, tutoris, & Pupilli, Proprietarii, & usufructuarii, procuratoris, vel administratoris, & principalis cum similibus, quoniam vir, tutor, usufructuarius, & procurator non negant jus mulieris, pupilli, proprietarii, vel principalis, &c. sed compatibiliter cum eo dicunt penes ipsos residere exercitium juris præsentandi privativè ad alterum.

Quare de his distinctè agendo; Quatenus pertinet ad concursum viri, & uxoris, de quo magis, quàm de aliis casibus in foro agi contingit; Aut agitur de jurepatronatus stante de per se independenter ab aliquibus bonis particu- 2
laribus seu eorum universitate, & tunc non de facili datur casus quæstionis, Tum quia non est contingibile, etiam de facto, ut illud principaliter, ac de per se detur in dotem, quæ datur viro in bonis fructiferis, seu aliàs bursale emolumentum, vel saltem usum producentibus pro oneribus matrimonii, ideòque incongruit, ut detur hoc jus honorificum cum nulla utilitate bursali; Tum etiam quia titulus dotis æquiparatur donationi, vel legato, & similibus, cum quibus in extraneum jusjpatronatus conferri non potest absque Ordinarii consensu, & si transferatur, actus remanet invalidus, adeout non abdicet jus à transferen- 3
te, ut ultra generalia, de quibus supra *disc. 56.* in specie dotis, post Lambertin. & alios relatos Vivian. *lib. 4. cap 7. num. 5. & sequen.* Barbos. *in l. divortio §. si vir ff. solut. matrim. num. 57.*

Contingibilis autem est casus, in eo jurepatronatus, quod veniat accessoriè ad bona, puta ad universitatem alicuius hereditatis, sive ad castrum, seu villam, vel prædium, cui illud annexum sit, & tunc, Aut ipsa bona data non sunt in dotem, sed remanent in statu paraphernalium, seu extradotalium, & nulla cadit difficultas, cum neque dominium, neque fructus, seu commoditatem in 4
his vir habeat, nisi quatenus accedat ipsius mulieris voluntas, ob quam à fructibus perceptis, atque in communes usus consumptis excusatur, ex deductis *sub tit. de dote disc. 168.* ideoque verificabilis non est casus, in quo ipse, in concursu cum ipsa muliere vincere possit.

Si verò data sunt in dotem æstimata, cum vera, & propria æstimatione complicante contractum emptionis & venditionis, & pariter cessat concursus, quoniam vir isto casu habetur pro extraneo emptore, atque efficitur plenus bonorum dominus, nullis dominiis reliquis remanentibus 5
penes mulierem, nisi pro ea subsidiaria potioritate, quæ sibi conceditur ex beneficio textus *in l. in rebus Cod. qui potior. in pignor. habeantur*, quod beneficium, excepto dicto effectu potioritatis, in reliquis non alterat alios dominii effectus, neque immutat naturam dotis consistentis in quantitate, at in sua materia *sub tit. de dote* præsertim *disc. 166.* & consequenter non superest ratio dubitandi, ob quam mulier prætendere possit concursum cum viro, ad quem pleno jure, jusjpatronatus ita pertinet.

Ubi autem agatur de bonis, quę in dotem data sunt inæ- 6
stimata, & tanquam species seu fundi dotales, quorum dominium remanet penes mulierem, transeunte solum in virum quodam dominio utili, vel subalterno occasionali, juxta ea quæ habentur in dicta sua materia *sub dicto tit. de dote* præsertim *discur. 158.* Et tunc verè & propriè intrat iste concursus seu quæstio, an jusjpatronatus ac præsentandi annexum bonis in dotem datis transeat in virum, vel potiùs remaneat penes mulierem; Huiusmodi quæstione cadente in casu discrepantiæ, quod scilicet vir præsentet unum, & mulier alterum, unde propterea dubitari contingat, cui potiùs institutio debita sit, ubi enim ambo concorditer præsentant, ut practicatum esse per Regem Hispaniarum testatur Lopez *in cap. per vestras §. 43. num. 10.* tunc nulla cadit disputatio, ut advertit Borell. *in summa decis. tom. 1. tit. 32. de jurepatronatus n. 132.*

Eis

7 Eis ut supra autem discrepantibus, tres desuper habemus opiniones; Unam scilicet, quam singulariter tenet Lambertin. *lib. 2. part. 3. 2. quæst. principali art. 3.* quam refert, & non improbat Borell. *ubi suprà num. 134.* ut utrique æqualiter jus competat, & consequenter quod sit locus prævention is, sed ista opinio non habet sequaces.

Altera est opinio mulieri simpliciter favorabilis, ut scilicet hoc jus non transeat cum bonis ad virum, sed remaneat penes mulierem, cuius præsentatio attendi, ac prævalere debeat, ut tenuit Rota *decis. 10. de jurepatronatus in novis* ac tenent Butr. & Abb. *in cap. finali de conceſſ. præben.* aliique antiquiores relati per Mantic. *de tacit. lib. 12. tit. 30. nu. 23.* Fontanell. *clauſ. 6. gloſſ. 1. part. 3. num. 1.* Borrell. *dict. n. 132.* Garz. *par. 5. cap. 9. num. 178.*

Tertia est è converso opinio viro simpliciter favorabilis, ut scilicet ad ipsum, privativè ad mulierem competat exercitium juris præsentandi, ideoque ejus præsentatio attendi,
9 ac prævaleat ere debeat, quam cœteris relatis sequuntur Barbos, *in d. l. divortio, §. si vir, num. 56. & sequen.* Vivian. *lib. 4. cap. 7. nu. 9.* Mantic. *ubi supra num. 24.* atque hanc sequitur Rota apud Mantic. *dec. 140.* istaque videtur probabilior, ex ea ratione, ob quam supra *duobus disc. proximè præcedent.* datur divisio juris præsentandi per quotas, vel portiones non obstante ipsius juris individuitate, quod scilicèt, Aliud est ipsum jus habituale & in substantia, Aliud verò est ejus exercitium, quod reputatur tanquam fructus, qui ex re percipitur salva ipsius substantia, ideoque si præsentatio est in fructu, juxta communem, ac receptum sensum pertinere debet ad virum, ad quem pertinent fructus.

Ex ista verò theorica resultat decisio aliorum casuum quibus congruat dictæ ra tionis identitas, ut est in concur- 2
su usufructuarii, cum proprietario, seu feudatarii, vel emphyteutæ cum domino directo, cum similibus, de qui-
10 bus Mantic. *eadem decis. 140.* Garz. *dicto cap. 9. num. 21. cum sequen.* Vivian *dict. lib. 4. cap. 7. in fine*; Cadente solùm quæstione ubi contingeret casus vacationis de tempore proximo dissolutionis matrimonii, vel devolutionis fedi, seu emphyteusis, cum similibus, quo casu pendere videtur decisio à facti qualitate & circumstantiis; An scilicet ex parte illius, cujus jus est resolutum, concurrat, necnè fraus vel supplantatio ob imminentem prævisam resolutionem, juxta ea, quæ habentur in materia subinfeudationis factæ per feudatarium devolutione imminente *sub tit. de feudis discur. 1.* Sive de locatione facta per locatum imminente restitutione fideicommissi ex deductis *sub tit. de locat. & conduct. discurs. 24.* cum similibus; Cessante siquidem fraude & affectata vacatione, si istius casus sincerè contingat, durante adhuc jure viri vel usufructuarii, qui validè præsentet, eo ipso quod facta est præsentatio, perceptus dicitur fructus non retractandus.

In concursu autem pupilli & tutoris, seu procuratoris, vel alterius administratoris & principalis, quoties non concurrat contraria dispositio testatoris percipientis ut pupillus, vel alter sub aliena necessaria administratione vivere debens, non possit se ingerere, quæ dispositio, ubi adest, servanda est, ut in specie advertitur *decis. 363. par. 4. vec.* tunc eo ipso quod pupillus est major septennio, unde dici valeat rationis capax, & habilis ad ejus animum explicandum, receptum est, eius præsentationem potiùs attendi debere, quàm illam tutoris Garz. *dicto cap. 9. num. 186. & seq.* Campanil. *diuers. juris canonici rubr. 11. c 13. n. 390.* Vivian. *lib. 12. c. 9. nu. 37. & seq.* qui plures adhibet distinctiones Rota apud Mantic. *dicta decis. 140. n. 11. & d. decis. 363. n. 2. & 3. p. 4. rec.* Verum hæc opinio parum rationabilis videtur, cum pueri sint faciles seductionibus, unde videtur potius res mali exempli, malarumque consequentiarum; ideoque nimium circumspectè id practicandum videtur pro Superioris prudenti arbitrio, an scilicet præsentatio, quæ fiat à puero, sit de digno necnè, pro beneficii qualitate.

Major autem quæstio, quæ in isto concursu frequentius in foro audiri solet, est inter possessorem, & petitorem, juxta terminos textus *in cap. consultationibus de jurepatro-*
12 *natus*, idque duplicem habet inspectionem; Primo scilicet circa possessionis qualitatem, & an illa sit legitima necnè, & de hoc, super quo frequentius, majores cadunt quæstiones, habetur actu *disc. immediate seq.* Et secundo, posita legitima possessione, an illa absorta remaneat à bono jure, de quo incontinenti constet, ita ut potiùs petitoris, quàm possessoris præsentatio admitti debeat; Ista ve-

rò quæstio alias apud antiquiores nimium involuta, hodie apud moderniores videtur effecta plana, cum distinctione, de qua supra *in Capuana disc. 36.* & in aliis, quod, Aut bonum jus petitoris detegitur re non integra, & postquam præsentatio possessoris jam effectum sortita est; unde propterea agatur de expellendo possessorem in statu bonæ fidei jam institutum, & tunc intret regula textus *dicti cap. consultationibus de jurepatronatus* cum ibi notatis; Aut verò id sequitur re integra, & dum res est in fieri, & tunc secus. ex ea clara differentiæ ratione, quam habemus circa fructus qui percipiantur per bonæ fidei possessorem, qui deinde detegatur non dominus, quoniam excusatur quidem à perceptis, ne teneatur restituere, non tamen percipere potest pendentes, & adhuc non perceptos, si suum non jus detectum est, ex auctoritatibus, & decisionibus de quibus *dicto disc. 36. ac aliis ibi proximis*; Adeò ut effecta videatur potiùs quæstio facti, quam juris, an scilicet & quando ita incontinenti constare dicatur de bono jure petitoris, ut ejus præsentationi potiùs deferendum sit, quod non recipit certam regulam seu decisionem generalem, cum hæc pendeat a singulorum casuum circumstantiis, ac facti qualitate.

Quo verò ad concursum præsentationum quarum una facta sit à procuratore, & altera à domino, qui mandatum revocaverit, Aut mandatum non continet juratam obligationem de non revocando, & tunc nulla suppetit difficultas, quoties revocatio facta sit re integra, & dum res est in fieri, ante scilicèt admissam præsentationem per Ordinarium, vel alterum ad quem spectet institutio; quam- 13
vis revocatio ipsi procuratori notificata non sit, dummodo innoteſcat Ordinario, vel Datariæ Officialibus, cum illis terminis generalibus, quos habemus in materia beneficiali occasione mandati, quod datur ad resignandum etiam circa expensas, juxta ea quæ habentur *sub tit. de benefic. discurs. 38.*

Si verò mandatum continet juratam promissionem non revocandi, Aut mandans adhibuit cautelam traditam per Vivian. *lib. 5. c. 6. n. 27.* obtinendi absolutionem à juramento, & pariter cessat omnis dubietas, ut principalis non autem procuratoris præsentatio attendi, ac prævalere debeat. Si verò dicta cautela adhibita non est, & tunc quamvis ille subjaceat perjurio, adhuc tamen præsentatio patroni prevalet, cum in hujusmodi juribus spiritualibus, quem admodum sine consensu Ordinarii, vel alterius Superioris non datur translatio, vel alia dispositio jurispatronatus, ita alter actus irrevocabilis dari non debet, Tum ob eamdem rationem fraudis, quæ simonię fieri posset, & ne directè prohibitum, ita indirectè sequatur; Tum etiam ex magis generali ratione congrua, non solùm hujusmodi juribus spiritualibus, sed etiam feudis, officiis, locis montium, aliisque juribus Regalibus in libero commercio, sine alterius assensu non existentibus, ut semper actus remaneat imperfectus, & consequenter revocabilis, ac non obligatorius usquequo superveniat assensus, qui illum perficit, ac animat & informat, ut in specie ex Innoc. & Jo. And. *in cap. dilecto de Præben. advertit.* Paul. de Castr. *conſ. 361. alias 162. part. 1.* cum quo pertransit Vivian. *ubi suprà lib. 5. cap. 6. nu. 26.* Merlin. *decis. 443. num. 6.* Dunozett. *decis. 798. num. 6.* Et conferunt quæ habentur supra de præsentatione facta, per donatorem non obstante donatione alteri facta, vel de illa facta per secundum donatarium habentem assensum cum similibus.

Quatenus verò, ignota revocatione, tam procuratori, quam præsentato, ac etiam Ordinario, acceptata sit præsentatio procuratoris, cum subsequuta institutione tunc cadit dubitatio, an in hac materia intrent ea, quæ habemus in resignatione beneficiorum ecclesiasticorum, sive in matrimonio, vel potius ea, quæ habemus in profanis indifferentibus, Atque probabilior videtur hæc secunda pars, ne Ordinarius, ac præsentatus eludantur, cum patronus nihil det spiritualitatis, quamvis actus pro spirituali habeatur ad dictos alios effectus, illum præsertim suspicionis simoniæ; Adhuc tamen occasio non dedit particulariter id disputare, idcircò maturius judicium reservo.

Et de præsentatione facta per donatorem, & altera facta 11
per donatarium, quod si donatio est invalida, utpotè sine consensu Ordinarii, prævalere debeat præsentatio donatoris, vel secundi donatarii cujus donatio valida sit, habetur *supra disc 56.* & in aliis.

ADNOT. AD DISC. LXII.

DE hujusmodi concursu habetur actum *in hoc tit. disc.* 81. & 94.

De possessione in jurepatronatus, vel jure præsentandi, ejusque requisitis, ut dicatur legitima ejusdemque effectibus.

SUMMARIUM.

1 *Distinguuntur diversi casus.*
2 *Patronus admittens non patronum ad secum præsentandum, eum constituit in quasi possessione præsentandi.*
3 *Et non desideratur bona fides.*
4 *Dicta admissio continet implicitam donationem, cui non obstat defectus consensus Ordinarii, & de ratione numer. 7. 8.*
5 *Verum id non facit eum patronum.*
6 *Et potest Ordinarius ejus præsentationem non admittere.*
7 *Quod dicta admissio, vel possessio non tangat substantiam juris patronatus.*
8 *De causa ob quam dicta admissio sequi solet.*
9 *Non est opus, quod præsentatio sortiatur effectum, etiam si fuerit rejecta.*
10 *Quid ubi alii compatroni contradicunt.*
11 *Conclusio de qua num. 2. resultat etiam ex actibus æquipollentibus.*
12 *Sed non actibus honorificis.*
13 *Quid requiratur, ut procedat dicta conclusio, de qua num. 2.*
14 *Eadem conclusio non procedit in præjudicium aliorum, vel successorum.*
15 *Quæ possessio suffragatur quandoque etiam contra alios consentientes.*
16 *Sed isto casu requiritur bona fides.*
17 *An ista præsumatur, vel si probanda, distinguitur.*
18 *Requiritur item, ut præsentatio effectum sortita sit.*
19 *Actus debent esse clari, & univoci, & quando non sunt tales.*
20 *Fortius si sint attentati non suffragantur.*
21 *Item præsentationes debent esse jure proprio, & cum hac credulitate.*
22 *Requiritur scientia & patientia ejus contra quam possessio acquiritur.*
23 *Secus si accedat titulus.*
24 *An scientia debeat esse expressa, vel sufficiat præsumpta*
25 *An sufficiat unus actus ad possessionem acquirendam.*
26 *Res judicata suffragatur ad possessionem.*
27 *Item appositio insignium in exequutionem sententiæ.*
28 *Possessio conservatur per præsentationem, vel consensum compatroni.*
29 *Declaratur, quando id procedat, vel potius ita possessio amittatur.*
30 *De primo possessionis effectu manutentionis, atque ut præsentatio possessoris prævaleat.*
31 *Sed hoc non suffragatur hæredi, vel successori in quem possessio non transit, sine actuali adeptione, & de ratione.*
32 *Non suffragatur ad hunc effectum statutum de continuanda possessione.*
33 *Secus autem in successore per actum inter vivos de ratione.*
34 *Vel per ultimam voluntatem, cum cautela constituti.*
35 *Quando suffragetur statutum continuativum possessionis.*
36 *In successorem transit possessio, quæsita ratione dignitatis, & de ratione.*
37 *An hæredi suffragetur possessio compatroni.*
38 *De alio effectu præsumptionis fundationis, vel dotationis resultante à possessione.*
39 *De alio effectu, quod sufficit probare descendentiam ab existente in possessione, quod declaratur quando procedat, & quando non.*
40 *Et de alio, ut suffragetur possessio pro connexis, vel dependentibus, cum distinctione.*

DISC. LXIII.

TRes distinguendi sunt casus sub hac inspectione cadentes, Primò, ubi contentio sit in possessorem, ac eum qui ipsum admisit ad præsentandum, unde jus possessoris deducatur cumulativè, cum admittente non autem privativè; Secundò, ubi jus possessoris deducatur privativè ad alios: Et tertiò, ubi in concursu, cum Ordinario, vel alio contendente de beneficii libertate; Primus est magis planus pro possessore, difficiliores autem, atque pleraque alia requisita desiderantes, sunt secundus, & tertius, quorum iste est quoque in aliquibus difficilior altero. 1

Quatenùs igitur pertinet ad primum, regula est, ut Patronus admittens non patronum secum ad præsentandum sibi præjudicet, illumque constituat in quasi possessione præsentandi Rip. *in cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. & prop. num.* 93. & sequuntur alii relati per *Collectorem Positum tract. de manut. obser.* 32. *num.* 13. Rot. apud Gregor. *decis.* 417. *num.* 5. ubi add. *& decis.* 452. *num.* 15. Royas *decis.* 293. *num.* 10. *decis.* 174. *num.* 3. & 274. *num.* 6. *part.* 2. *recent. decis.* 284. *num.* 7. *part.* 1. *& sæpius*. 2

Et quamvis in aliis duobus casibus supra distinctis plura desiderentur requisita, illud præsertim effectuationis, & alterum bonæ fidei, cum aliis, de quibus infra, hæc tamen non desiderantur isto casu, quoniam ubi patronus rectè scjens alterum, non esse patronum, illum secum admittit, ita videtur jure cujusdam occultæ, seu implicitæ donationis illi concedere sui juris participationem, & consequenter in donatario, vel alio alienum à proprio domino recipiente, supponenda est notitia juris non sui, quæ tamen non præjudicat. 3 4

Et licèt in dicta occulta, seu implicita donatione concurrere videatur defectus potestatis sine consensu Ordinarii juxta ea, quæ habentur supra *discurs.* 56. Attamen non videtur objectum considerabile, quoniam non transfertur ipsum jus patronatus, ejusque substantia, sed solùm conceditur participatio in exercitio juris præsentandi, quod habetur potiùs tanquam fructus, ut advertitur *discurs. præced.* Admissio enim non patroni facta per patronum, constituit quidem in dicta quasi possessione in præjudicium admittentis, vel ejus hæredis, ad dictum effectum, sed non facit illum patronum, ut cæteris relatis habetur *in dicta decis.* 282. *num.* 7. *part.* 1. *recent. decis.* 37. *num.* 4. *part.* 6. *decis.* 121. *num. finali* post Vivian. cum aliis per Adden. ad Gregor. *dec.* 417. 5

Adeut possit Ordinarius, vel alter Superior, ad quem pertinet præsentationes recipere, ac instituere, non admittere præsentationem dicti patroni, quem patronus ad huiusmodi participationem admisit, ut haberur *decis.* 132. *num.* 6. *p.* 3. *rec.* & consequenter dicta prohibitio non intrat, cum non tangatur substantia, neque transferatur ipsum jus. Adinstar eorum quæ habentur *sub tit. de feudis disc.* 61. & 62. ut prohibitio alienandi feuda, & bona jurisdictionalia, seu aliàs transferendi jus in re, vel ad rem sine assensu, non percutiat commoditatem, seu aliquam participationem fructuum, prout facti, non prout juris est, quod etjam habetur *sub tit. de emphyteusi*, & sub altero *de fideicommissis*, frequentiùs verò sub illo *de pensionibus*, circa cessionem commoditatis non cadentem sub prohibitione alienationis. 6 7

Potissimè, quia nulli, vel nimium rari videntur casus, in quibus patronus ad hujusmodi actus admittat non patronum prorsus extraneum, in quo nullum velamen, vel prætextu antiqui juris, vel antiquæ prætensionis cadat; Ex frequentiùs etenim contingentibus, id prætextum habet potiùs restitutionis, seu reintegrationis antiqui juris in recognitionem veritatis; Cum enim juxta ferè omnium irridendam stultitiam, ubi quis ex animi dotibus in armis, vel litteris, aut ex fortunæ in aula, seu mercaturæ beneficio, statum meliorem, quam natura dederit, assequitur, abhorrendo antiquum statum, mutuare studeat ab aliis nobilitatem, atque indagando familias nobiles aliquam cognominis, vel insignium connexionem, vel similitudinem habentes, curent ab illis, qui in bonis, vel spiritu in talibus nobilibus familiis paupertate laborant per aliquos huiusmodi actus, vel similes recognosci in attinentes, vel descendentes ab eodem stipite retexendo fabulas, seu genealogias, atque hinc iste actus sequi soleat, ideoque dici non potest formalis translatio ex puro titulo nationis, cum actus tale habeat velamen. 8

Item quamvis in aliis duobus casibus, de quibus infra, requiratur effectuatio præsentationis pacifica, & univoca non autem æquivoca, attamen in præjudicium admittentis sufficit præsentatio quamvis non effectuata, ut ita distinguendo habetur *dict. decis.* 132. *num.* 1. *part.* 3. *recent. decis.* 174. *num.* 3. *part.* 2. cum aliis per adden. ad Gregor. *d. decis.* 417. *num.* 13. Post. *de manut. observ* 18. *num.* 19. & *dicta obser.* 32. *num.* 13. Quinimò etiamsi hujusmodi præsentatio per Ordinarium rejecta esset tanquam invalida, adhuc idem resultat effectus, cum etiam ex actu nullo, declaretur, seu probetur voluntas, ut advertitur in proximè allegatis *dec.* 132. & 174. 9

Cadente quæstione ubi hæc admissio fiat per unum ex patronis, altero contradicente, An scilicet ista contradictio irritet in totum, vel solum præservet jus contradicentis, ac aliorum non consentientium; Et pro omnimoda vitiatione sentire videntur, Gonz. *ad regul.* 8. *glos.* 45. §. 2. *num.* 33. Post. *d. obser.* 32. *num.* 14. *in fine*, Vivian. *lib.* 5 *cap.* 1. *num.* 32. Contrarium verò, ut non obstante contradictione acquirat possessio in præjudicium consentientis, vel admittentis habetur *d. dec.* 132. *num.* 4. *par.* 3. & *dec.* 174. *num.* 2. & *finali part.* 2. *recent.* 10

Atque ubi etiam non esset actus præsentationis, sed æquipollens, & qui præsentationis vim habeat, adhuc idem resultat effectus, qualis est consensus præstitus resignationi, vel alteri provisioni Apostolicæ, dum etiam ad majorem effectum inducendi possessionem in aliis duobus casibus, de quibus infrà, sive ad effectum probandi jus patronatus privatorum, juxta deducta supra *discurs.* 58. hujusmodi consensus habet vim præsentationis, juxta *dec.* 2. Crescentii *de jurepatronatus*, Cæs. de Graff. *dec.* 1. *num.* 7. & 8. *eodem titul. cum aliis* per Gregor. & Adden. *dec.* 349. & 417. Burat. *dec.* 141. *num.* 5. & *in aliis collectis* per Post. *d. observ.* 32. *num.* 3. 11

Non tamen resultat hic effectus ex admissione ad honores aliaque jura patronalia honorifica, cum ex illis inferri non possit jus præsentandi, Vivian. *d. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 62. *ubi concordantes*. 12

Procedunt hæc, quatenus admissio sit simultanea, seu contemporanea, unde propterea resultet dictus consensus præjudicialis, ut *d. decis.* 174. *num* 1. *in fine part.* 2. *recent.* ac etiam ut sit admissio purè facta per eum qui habeat perfectum judicium, ac liberam suorum bonorum, vel jurium dispositionem, secus autem si esset contradicta, seu protestativa, vel dubitativa, aut cum aliqua clausula præservativa, ut *decis.* 166. *num.* 4. *part.* 6. *recent.* cum aliis per Adden. ad Burat. *decis.* 633. quoniam cum hic sit effectus qui resultat à consensu cujusdam implicitæ, seu occultæ donationis complicativo, debet talis consensus esse purus, ac etiam liber, & perfectus, cum aliis regula sit pro exclusione donationis, ac jacturæ proprii juris, ideòque si constat ita admittentem non esse perfecti judicii, sive quamvis perfecti, ad id deceptum fuisse, ac processisse cum falso præsuppositio adimente consensum ab actu, talis effectus admittendus non venit. 13

Quatenus verò admittatur contra ipsum; Certum tamen est id non præjudicare aliis compatronis tunc coæquale jus habentibus, vel etiam successoribus venientibus independenter jure suo, ut est in patronatu gentilitio, vel familiari, seu etiam mixto, ut *dict. dec.* 284. *num.* 8. *part.* 1. *recent. cum aliis* per Posth. *d. obser.* 32. *num.* 14. & Adden. ad Gregor. *d. decis.* 417. & fuit dictum in decisionibus editis *in Capuana*, de qua supra *disc.* 36. ac etiam *dec.* 220. *part.* 11. *rec.* edita *in Bononien. de qua supra disc.* 35 quoniam prohibitus alienare in præjudicium successorum, prohibitus etiam dicitur confiteri, seu quemcumque alium actum præjudicialem facere, ne quod expressè ac directè prohibitum est, ita indirectè sequatur, ponendo legem potiùs verbis, quàm rebus, ut pluries *sub tit. de alienat. & contract.* 14

In aliis verò supra distinctis casibus, ubi scilicet agatur de præjudicio non consentientium, vel successorum venientium independenter ut supra, sive de præjudicio Ordinarii, aut alterius contendentis de libertate beneficii, tunc neque dubitatur ut quasi possessio quoque suffragetur ad manutentionem pendente discussione petitorii, juxta generales regulas, quas in omni indifferenti materia habemus super interdictis possessoriis; Quodque in proposito attendatur non solum explicitus actus præsentationis, sed etiam æquipollens, qui præsentationis vim habet, resultans à consensu, faciunt deducta per Gonzal. *d. glos.* 45. §. 2. *num.* 29. Garz. *part.* 5. *cap.* 5. *num.* 59. Vivian. *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 29. Post. *obser.* 19. *numero* 16. & *sequen.* Rojas *dicta decis.* 293. & *sæpius*; Verum ad istos graviores 15

magisque præjudiciales effectus, in quibus non intrat ratio de qua casu præcedenti, quod scilicet ille qui admittit, seu consentit sibi imputet, plura desiderantur requisita, deducta ex vulgari *conf.* 12. Calderini *hoc titulo*, ac Primò & principaliter bona fides, sine qua non acquiritur legitima possessio manutentibilis, Gonzalez *d. glos.* 45. §. 2. *num.* 35. Garz. *dict. par.* 5. *cap.* 5. *num.* 70 *cum sequen.* Vivian. *d. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 34. Rota *in Cracovien. Præposituræ.* 4. *Maii* 1646. *coram Verospio*, ubi in specie de casu, quo posita certa existentia jurispatronatus, agatur de solo præjudicio compatroni. 16

Quamvis autem isti duo casus circa hoc requisitum bonæ fidei promiscuè per DD. tractari videantur, adhuc tamen aliqua notabilis differentia inter unum & alterum dignosci videtur circa bonæ, vel respectivè malè fidei præsumptionem, & cuinam incumbat onus probandi unam, vel alteram speciem, Ubi enim agitur contra Ordinarium, vel alium contendentem de libertate beneficii, tunc quia præsumptio juris assistit libertati, ac resistet servituti, cum de jure omnia beneficia præsumantur libera, consequenter onus est allegantis possessionem, probare illam validam, secus autem in altero casu, in quo cessante dicta ratione, seu contraria præsumptione, intrant termini generales, quod in dubio bona fides præsumitur, juxta *decis.* 5. Crescent. *hoc tit. cum concord. dec.* 240. *num.* 20 *part.* 10. *rec.* & faciunt deducta per Garz. *d. cap.* 5. *lib.* 5. *num.* 84. *cum seq.* 17

Alterum est requisitum effectuationis, quod in præcedenti casu, ut supra non est necessarium, quod scilicet præsentationes, vel alii actus æquipollentes ex quibus hujusmodi possessio deducitur, effectum sortiti fuerint cum subsequuta institutione eorum vigore, non alias facta, & quæ in instituto effectum sortita sit cum pacifica adeptione & retentione beneficii, neque actus ineffectuati in aliqua consideratione habendi sunt, Gonzal. *d. glos.* 45. §. 2. *n.* 31. 36. & 37. Vivian. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 30. *cum sequen.* Post. *d. observ.* 32. *num.* 2. Rojas *d. decis.* 293. Adden. ad Burat. *d. decis.* 633. 18

Tertium est requisitum, ut actus ex quibus ista possessio deducitur non solum sint pacifici, & non contradicti, sed etiam clari, certi, ac univoci, unde si concurrant duæ præsentationes patroni veri, & non veri, atque scientia institutionis non exprimat illam fieri in vim utriusque, tunc actus remanet æquivocus, quia sequi potuit ex præsentatione patroni veri, ut in specie advertitur per Rotam *in Melevitana jurispatronatus* 14. *Junii* 1652. *coram Albergato in fine, impress. decis.* 268. *part.* 11. *recent.* Sive ubi præsentatus obtinuisset beneficium in vim concordiæ cum altero proviso, cum tunc effectuatio non dependeat immediatè, ac univocè à præsentatione, ut *decis.* 301. *part.* 2. *divers. cum aliis* per Garz. *d. cap.* 5. *num.* 108. Vivian. *d. cap.* 4. *num.* 54. Adden. ad Burat. *d. decis.* 633. Vel quod præsentatio admissa esset per modum provisionis, ut advertitur *dec.* 166. *part.* 6. *recent.* Sive quod admissa esset cum clausulis, & verbis præservativis, vel dubitativis, puta, *sine præjudicio*, vel *si & quantum*, sive *ut asseritur*, cum similibus, de quibus Post. *d. obser.* 32. *num.* 15. *& sequen.* Adden. ad Burat. *d. dec.* 633. *& frequenter.* 19

Clariùs verò, ubi præsentationes essent attentatæ, ut potè lite pendente, vel in spretum in hibitionis, aut etiam quod dedissent causam liti, ex deductis per Adden. ad Gregor. *d. dec.* 417. *& ad* Burat. *d. decis.* 633. *& passim*, cum tunc res sit incapax dubitationis. 20

Quartum requisitum est, quod ille qui præsentat, uti cedat juri suo, ex quo proprio nomine, ac jure, privativè ad contendentem actum faciat, *glos. in d. cap. cum Ecclesia Sutrina*, ubi cæteri, de quibus Gonzalez *d. glos.* 45. §. 2. *num.* 34. Vivian. *d. cap.* 4. *num.* 33. Rota *dec.* 197. *num.* 40. *p.* 5. *rec.* & habemus generaliter in materia servitutis, uti scilicet possessor faciendo actus, credat illos facere jure servitutis, ac animo illam possidendi, & acquirendi, ex deductis *in dec.* 101. *num.* 10. & 12. *p.* 4. *rec. tom.* 2. cum aliis *in §. abinen. transitus. sub tit. de Regal. disc.* 136. 21

Quintum est requisitum, ut præsentatio, vel alter actus æquipollens fiat cum scientia, & patientia Ordinarii, vel respectivè Patroni, quoniam cum in corporalibus non detur possessio naturalis, & de facto, quam nostri à pedum positione derivant, idcirco scientia, & patientia stant loco possessionis, Gonzales *d. glos.* 45. §. 2. *nu.* 32. Garz. *d. cap.* 5. *part.* 5. *num.* 109. Vivian. *d. cap.* 4. *num.* 31. Gregor. & adden. *d. dec.* 417. & *d. dec.* 197. *par.* 5. *rec. num.* 40. & *sæpius*, præterquam ubi accedat titulus coloratus, vel putativus, quo 22

casu

23 casu necessarium non esse hoc requisitum, advertitur in specie, *dec.225.num.3. part.3. recent.* & generaliter plenè, Post. *d. tractat. de manut.*

Cadente quæstione, an requiratur scientia vera, & expressè probata, vel sufficiat præsumpta, & conjecturalis, 24 super quo decisio pendere videtur ex facti qualitate, & circunstantiis prudenti arbitrio pensandis, præsertim ab actuum multiplicitate, personarum, ac beneficii qualitate, aliisque circumstantiis, Garz. *d. cap. 5. num. 129. & seqq. & d.dec.225.num.4.part.5.rec.in d. Majoricen. dec.* 240. *part.10.& in aliis.*

Prout facti in ejus particulari qualitate decidenda est altera quæstio, an ad hujusmodi possessionem manutenibilem, ac dignam, ut possessori suffragetur dispositio 25 text. *in dict. cap. consultationibus*, sufficiat unicus actus absque alio fomento, puta famæ tituli &c. quoniam quidquid scribentes, ac decisiones varient, id pendet à qualitate facti, an scilicet benè verificentur dicta requisita, & an possessio sit brevis, vel longa, & an agatur contra compatronum, adeout non urgeat favor libertatis, vel è contra, de quo Garz.*d.cap.5.nu.95.& sequent.* Duran. *dec.23.num.7.& dec.*494. *num.* 4. *part.* 3. *recent.* Adden. ad Buratt. *dec.* 632.

Suffragatur etiam ad possessionem sententia transacta in judicatum, eo quia hæc in incorporalibus, absque alio 26 facto hominis, trahit secum possessionem, ut *decis.* 471. *num.* 12. *part.* 4. *rec. tom.* 2. *repetit.* post Vivian.*dec.*84. Po- 27 stius *d. observ.32.num.*23. Fortiùs verò si in exequutionem sententiæ, apposita sint stemmata ex deductis*ead.dec.*471. *num.* 11. & Post. *ubi supra n.*24.

Quæsita possessio, conservatur etiam per præsentationes, vel alios actus factos à compatrono, Feder. de San. *cons.* 112. Calderin. *cons.* 15. *hoc tit. cum concord.* per Garz. *d. cap.* 5. *num.* 115. Vivian. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 37. Gregor. & Adden. *decis.* 417. Buratt. & Adden. *dec.* 28 805. Otthobon. *dec.* 3. *num.* 22. *cum seqq.* & communiter Quoties tamen nomine omnium, seu etiam simpliciter, alio non expresso id fiat, atque eorum jus veniat ex eodem fonte, adeout illud pro communi obtinere dicantur, quo casu, ex pluries insinuato principio, quod jusPatronatus tanquam individuum residet penes omnes, ac eorum singulos insolidum, aliis negligentibus suum jus exerceret, tanquam ex jure speciali, ac adinstar illius taciti mandati, quod inter socios adesse dicitur, unus explicat actum nomine omnium.

Secus autem si jus metiantur ex diverso fonte, seu aliàs ex verbis, vel factis, præsertim ex multiplicitate 29 actuum, unus insolidum jure suo tantum, ac privativè ad alios præsentet, quoniam tunc, ut advertitur apud allegatos, ac etiam *in Sulmonen. coram Peutingerio, decis.* 4. *part.* 10. *recen.* & in aliis, ac habetur supra *disc.*56. in propositio præscriptionis, hujusmodi actus non solùm non conservant, sed destruunt; Unde propterea quoties alterius possessoris scientia, & patientia concurrat clara, & expressa, seu etiam tacita, & conjecturalis, quæ præsertim resultat à multiplicitate actuum, ac temporis diuturnitate possessio jam quæsita amittitur, eodem modo quo supra de acquisitione dictum est, cum eadem sit ratio, iidemque sint termini.

Effectus possessionis sunt plures, quorum aliqui sunt personales, & non transmittuntur ad hæredes, vel successores, aliqui verò istis suffragantur; Eorum antem pri- 30 mus, ac præcipuus est ille, de quo pluries supra habetur mentio, ac etiam *disc. præced.* deductus ex dispositione text. *in cap. consultationibus* super manutentione in possessione præsentandi, ac etiam ut præsentatio possessoris prævaleat præsentationi petitoris, cum distinctione tamen, de qua *eodem disc. præced. & supra disc.* 36. & in aliis.

31 Iste autem effectus non suffragatur hæredi, vel successori, nisi ipse possessionem quoque adipiscatur, vel regula generali, quam habemus in omnibus bonis indifferentibus, in ista materia quoque recepta, quod possessio tanquam nudi facti non transfertur in hæredem, & successorem ipso jure, sed requiritur factum positivum apprehensionis, quamvis esset filius, Achill. *decis.5.de caus. possess.& proprie.*Caputaq. *decis.*423.*par.*2.Adden.ad Barbos. *dec.*222.Buratt.& Adden.*dec.*832.Duran.*dec.*62.*&* 78.Rota *in Capuana Abbatiæ coram Priolo, de qua disc.* 36. & passim, quoniam est principium receptum.

Adeoque verum, quod etiamsi adsit in loco Statutum continuativum possessionis defuncti in hæredem, quod operatur, ut hæres absque alio facto apprehensionis dicatur verus possessor, seu defunctus etiam ad effectum inter- 32 dicti retinendæ, ut alibi pluries advertitur, attamen non suffragetur in hac materia, quæ tanquam spiritualis non cadit sub hujusmodi Statutis, ut reprobata *decision. Caputaquen.* est magis communis, & recepta opinio, ex deductis per Lotther *lib.*2.*quæst* 11.*num.* 116. Postius *de manut. observ.*55.*num.*33.*cum aliis* per Adden.*in princip.*ad Buratt. *decis.*832.*& dec.*260.*num* 4.*par.*2.*recent.* & sæpius.

Procedunt hæc in hærede, vel alio successore metiente sum jus ex ultima voluntate quæ perfectionem, ac effectum recipi post mortem possessoris, quo casu intrat ratio cui generaliter innixa est ista conclusio impeditiva transitus possessionis in hæredem, & successorem, quod scilicet ejus jus incipit post jam sequutam mortem, & annihilationem sui auctoris, per quam extincta fuit possessio, unde quando hæres, vel alter veniens ex ultima voluntate vult ea juvari, extrema non remanent habilia, cum jam expiraverint, ideoque oportet illam adipisci de novo; Secus autem ubi agatur de successore per actum inter vivos; Tum ex regula generali, de qua plenè Post.*d.observ.*55.*in princ.* 33 & cæteri communiter, quod in incorporalibus sola cessio habet vim traditionis, ac possessionem etiam transfert, Tum ex cessante dicta ratione defectus extremorum, dum possessio viventis extincta non est, sed communicabilis.

Hinc proinde inolevit cautela, de qua pluries habetur mentio in sua materia *sub tit. de hærede*, ac etiam *sub tit.* 34 *de judicijs*, ac sub illo *de fideicomissis*, & alibi, quod moriens, in testamento, vel codicillis, adjiciat constitutum favore hæredis, seu legatarii, se constituendo ex nunc pro tunc, & præambula hora mortis illius nomine possidere, & cum tunc dicatur possessio translata tempore habili; Quinimò cautela suffragatur etiam respectu bonorum corporalium, juxta praxim de qua apud Dunozett. *decis.*993. edita in casu, de quo *sub tit. de fideicomm disc.*134. & consequenter rectè suffragari videtur, etiam quod jusPatronatus annexum hæreditati, sive quoad illud annexum castro, vel prædio legato, seu in aliam particularem dispositionem deducto, sive in ipsomet jurepatronatus principaliter, & de per se cadente sub dispositione, quatenus tamen hæc valida sit, ac operativa, puta quia de consensu Ordinarii, sive facta in compatronum &c.

Quia verò, ficta, seu civilissima possessio, quæ resultat à Statuto continuativo, in hac materia non attenditur ex insinuata ratione spiritualitatis, ob quam non 35 cadit sub Statutis laicalibus ex defectu potestatis statuentium; Hinc proinde quando cessaret defectus potestatis, quia nempè esset Staturum vel Papale, utroque jure Papæ & Principis sæcularis conditum, (ut esse Statuta Urbis credebant nostri majores) tunc dicendum esset, quod Statutum rectè suffragaretur, adinstar illius subrogationis gratiosæ etiam in possessionem defuncti quam Papa concedit beneficialibus, ut pluries in sua materia *sub tit. de Beneficiis.*

Transit autem possessio prædecessoris in successorem ipso jure, quando illa quæsita non esset ratione personæ, sed ratione dignitatis, vel officii, cui magis quàm personæ ipsa possessio acquiri dicitur, & consequenter successor nomine ipsius officii, vel dignitatis illam exercet, ut in his terminis specialibus Garz. *dict. part.5. cap.*4. *num.* 9. 36 *cum sequen.* Rota apud Cavaler. *decis.*655. *num.*9. *decis.* 35. *in fine par.* 5. *recent.* & in aliis cumulatis per Posth. *dict. obser.55.num.96.* & habemus generaliter in præeminentiis, & juribus annexis Regno, vel feudo, seu Principatui, quod quicumque illa successor exercet, non ex persona propria, sed ex illa ipsius feudi, vel Principatus; quoniam dicitur homo mutus & surdus, qui operatur per organum possessoris tanquam ejus ministri, ut habetur in sua materia *sub tit de feudis.*

An autem possessio defuncti conservetur in successore 37 per compatronum, qui cum eo alias præsentasset, affirmat Vivian. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 17. negare autem videtur Rota relata per Adden. ad Gregor. *dict. decis.*417. *num.*15. *in fine.*

Alter est effectus possessionis diuturnæ, ut inducat præsumptionem tituli fundationis, vel dotationis; ex deductis per Lotther. *lib.*2. *quæst.*10. *num* 78. *cum sequen.* Rota *decis.*275. *num.*3. *& decis.*494. *num.*4. *part.*3. *recent. dec.* 38 288. *numer.*6. *part.*4. *in Aurien. parochialis* 28. *Aprilis* 1653. Peutingerio, & 6. *Februarii* 1654. Zarata, & habetur supra *discurs.*57 ad materiam probationis jurispatronatus privatorum, quorum respectu tantum non autem

tem Potentium, quando contentio est cum Ordinario, vel alio agente de libertate beneficii intrat, ut etiam *disc.* 58. & infra *disc.* 65. occasione contradistinguendi juspatronatus ex fundatione, vel dotatione ab illo ex privilegio ad effectum exemptionis à reservationibus, & affectionibus, atque iste effectus suffragatur etiam successori.

Tertius possessionis effectus est; successori etiam proficuus, quod per eum probatur pertinentia, dum absque necessitate probandi descendentiam à fundatore, sufficit eam probare ab existente in possessione, ad communiter 39 notata *in cap. consultationibus*, Lotth. *libr. secundo quæst. numero* 118. Duran. *decis.* 87. *decis.* 146. *num.* 4. *& decis. ult. num.*9. post Vivian. *cum concord.* per Adden. ad Buratt. *decis.* 832. ad Gregor. *decis.* 339. & pluries in præcedentibus; Quatenus tamen agatur de hac probatione cum Ordinario, vel alio contendente de libertate beneficii, seu etiam cum compatrono, qui pariter veniat præsumptivè, atque non benè fundet ejus descendentiam per gradus distinctos, quo etiam casu, ista præsumptiva probatio admittitur *in Aquilana primo Februarii* 1651. *coram Meltio in fine decis.* 374. *part.* 11. *recent.* Secus autem ubi agatur de concursu ejus, qui benè & concludenter fundavit ejus intentionem, ac descendentiam, negat vero illam præsumptiva probatio, quæ resultat à descendentia ab existente in quasi possessione non suffragatur, ut advertitur *decis.*37. *num.*5. *part.*6. *recent.* & non negatur *decis.*542. *nu.* 4 *part.*5.*recent.& dict. decis.*374. *part.* 11. ex ea convincenti ratione, militante præsertim in jurepatronatus gentilitio, vel familiari, quod possessio auctoris, cujus descendentia probatur, sequi potuit ex benevolentia, seu gratificatione possessoris, juxta superius deducta, quod præjudicare non potest successoribus, vel compatronis jure suo venientibus independenter ab admittente, ideoque probatio remanet æquivoca, & non benè concludens.

Plures enim considerantur effectus, de quibus apud tractantes materiam, cum hæc, (ex sæpius insinuatis) non in ratione formalis, ac absolutæ tractationis, sed solùm in forma adnotationum ad propriam memoriam habeantur; Et inter quos effectus ille con- 40 siderari solet, ut possessio suffragetur etiam quoad annexa, vel dependentia, ubi sint ejusdem speciei; Secus autem si diversæ, ex plenè deductis per Adden. ad Gregor. *decis.* 577. *lit. B.* Buratt. *decis.* 886. *num.* 8. *decis.* 273. *num.* 3. *part.* 3. *recent.* Et conferunt quæ in materia causæ universalis habentur supra *in Prænestina disc.* 3. atque hic effectus suffragatur etiam successoribus, ex regula quod effectus consumatus non cessante causa, sive quod ad hujusmodi effectus, & similes, possessio operetur, seu inducat præsumptionem, & sic magis jus reale, quàm personale.

ADNOT. AD DISC. LXIII.

VIde supra *hoc tit. disc.* 3. *& 36. & infra disc.* 66.

Dæ præsentatione, quando dicatur validè, ac legitimè facta, ut impediat devolutionem, ac inducat in Ordinario, vel alio Superiore necessitatem jnstituendi tam circa tempus, quàm circa modum, seu personam, & in aliis.

SUMMARIUM.

1 *Legitimè præsentato debetur institutio.*
2 *Quod in certis, & notoriis conclusionibus non sint allegandæ auctoritates.*
3 *Terminus ad præsentandum in laicis est quatuor, & in ecclesiasticis, est sex mensium.*
4 *Quid in mixto partim ecclesiastico, & partim laicali.*
5 *A quo tempore incipiat currere terminus, & quod incipiat à die scientiæ, rejecta alia opinione.*
6 *Quod declaratur, quod procedat*
7 *Ignorantia unius, conservat jus aliorum.*
8 *An ignorantia pupillorum, vel amentium excusset.*
9 *An culpa, vel mora tutoris, vel administratoris præjudicet.*
10 *Data scientia, neque terminus currit si adest justum impedimentum.*
11 *Vel ex errore, & de aliis causis extunsantibus remissivè.*
12 *An excusset lis inter Patronos, & quando.*
13 *In patronatu Regio non currit terminus,*
14 *Item si per legem fundationis, vel consuetudinem terminus esset longior.*
15 *Vel si præsentatus nollet, vel non posset acceptare præsentationem factam.*
16 *Ordinarius potest admittere præsentationem post terminum.*
17 *An Patroni possint terminum abbreviare, & quid de minori parte majori contradicente.*
18 *An possit abbreviari per Ordinarium in edictis.*
19 *Quid in beneficio yoviter fundato, quando currat tempus.*
20 *Tempus est continuum, & currit de momento ad momentum.*
21 *Quod præsentatio debet fieri penes acta, & in forma judicii, & quomodo.*
22 *Declaratur quando, & quomodo id procedat.*
23 *Quod fieri possit per scripturas privatas, ac etiam per litteras familiares, & non exigat certam verborum formulam.*
24 *Quando voluntas dicatur perfecta præsentandi, vel potius imperfecta.*
25 *Quid de præsentatione incerta, vel dubia, seu relativa ad alium.*
26 *An fieri debeat per plures simultaneè, vel sufficiat quod quilibet diversis locis, & temporibus istam faciat.*
27 *De præsentatione conditionali, & præsertim de conditione reservationis pensionis.*
28 *An possit præsentari laicus, vel incapax sub conditione clericatus, vel capacitatis.*
29 *Non valet præsentatio extra genus vocatum, ad jus patronatus passivum.*
30 *An possit fieri præsentatio de absente, & remissivè de accumulativa.*
31 *Facienda est præsentatio coram eo Superiore, ad quem pertinet institutio.*
32 *Quis dicatur iste Superior.*
33 *Competit Vicario Generali, ac etiam Capitulo sede vacante.*
34 *Non potest fieri præsentatio ad beneficium plenum, neque constituti procurator ad beneficium vacaturum, quod declaratur.*
35 *De præsentatione ad beneficium litigiosum remissivè.*
36 *An possit fieri præsentatio de seipso, quomodo & quando.*

DISC. LXIV.

PRæsuppositæ existentia, & pertinentia jurispatronatus, ac præsentandi, præsuppositaque notoria, & quotidiana conclusione, super qua cum nimia disputatione 1 in Rotæ decisionibus, (in quibus more Magistri loquendum est) quandoque illum inanem allegationum cumulum fieri, qui juvenibus Advocatis, vel senibus merè pragmaticis, & collectoribus congruus est quod scilicet legitimè præsentato, institutio deneganda non est, sed de necessitate debetur, cum sit principium hodie etiam pueris, 2 ac mulieribus notum; Omnes forenses quæstiones circumferri solent super præsentationis validitate, ad effectum, ut si obligatoria, quod pendet, à tempore intra quod illa fiat, à personis in quibus fiat, à modo, & à Superiore coram quo sequatur, aliisque impedimentis, de quibus infrà.

Quatenus igitur pertinet ad tempus, notorium pariter est in jure, ut in ecclesiastico sit sex mensium, in laicali vero sit quatuor, juxta textus litterales *in cap. quoniam,* 3 *cap. cum propter, capitul. eam te hoc tit. cap. unico §. verum eodem in sexto, ubi omnes communiter;* Cadente quæstione in mixto, quod de utraque ecclesiastica, & laicali qualitate participat, juxta quam scilicet speciem quoad 4 hunc terminum regulari debeat; Atque ubi mixtura est æqualis, concordant scribentes, ut attendatur magis privilegiata ecclesiastica, ut relatis per Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 18.*num.*15.*cum seq.* Vivian.*lib.*7.*cap.*1.*nu.*9. Barbos. *de Episcopo alleg.*72.*num.*13.Rota *decis.*250.*num.*8.*part.* 12. *recent.* ubi concordantes.

Ubi verò mixtura est inæqualis, quia scilicet pro majori parte sit laicorum, tunc una opinio, quam sequuntur Gonzal. *ubi supra*, Lotther.*lib.*2.*q.*61.*& seqq.* & alii de quibus supra *discurs.*59.credit attendendam esse partem præponderantem; Contrariam verò tenent Vivian.*d.cap.*1.*nu.*10.& Barbos.*d.nu.*131.ut etiam isto casu attendatur qualitas magis favorabilis pro tempore longiori; Et hæc opinio videtur probabilior ex rationibus, quibus *eodem discurs.* 59. *in fine,*

atque

atque hanc sequuta est Rota *d. decis. 250. nu. 13. & seq. part. 12. rec.*

Difficultas igitur est, circa hujus termini initium, quando scilicet currere incipiat, an illico a die vacationis, vel non nisi à die scientiæ, quam patroni habuerint vacationis, atque primam opinionem tenuit Rota *decis. 1. de jurepatronatus in antiquis*, ac etiam tenent Lambertin. *lib. 2. part. 2. art. 8. quæst. 1. principali*, & alii relati per Barb. *d. alleg. 72. num. 134.* atque hanc in mente habent Officiales Datariæ.

Contrariam, sequendo *alleg. 78.* Lapi *num. 12.* sequuntur magis communiter præsertim moderni, ut per Lotther. *lib. 2. qu. 6. nu. 23. cum sequ.* Garz *part. 10. cap. 2. num. 41.* Barbos. *d. alleg. 72. num. 134. cum sequent.* Campanil. *diversi juris canonici rubr. 11. cap. 13. num 393.* Vivian. *dict. lib. 7. cap. 2. num. 7* Et hanc semper tenuit Rota, ut apud Caputaquen. *decis. 248. num. 3. part. 3. decis. 421. part. 1. diversi. decis. 221. num. 9. cum. seauen. part. 7. recent.* Cavaler. *decis. 489. num. 2.* Buratt. & Adden. *decis. 18. num. 3. & 10.* & in aliis relatis per. Adden. *ad decis. 21. part. 3. recent. nu. 1. & sequen. & nu. 16. & sequent. & passim*, ac habetur *supra discurs. 1.* & in aliis, ut scilicet requiratur scientia vera, & certa, non tamen præsumpta, vel interpretativa; Nisi facti circumstantiæ probent quod allegata ignorantia esset inverisimilis, quam alii crassam, vel supinam dicunt, ut advertitur *decis. 377. num. 3. part. 3. recent.* cum aliis relatis per Adden. *ad d. decis. 21. num. 25. eadem part. 3.* Super quo tanquam
6 in re consistente potiùs in facto, quàm in jure certa & determinata regula dari non potest, cum totum pendeat à facti qualitate, & circumstantiis, inter quas illa ponderari solet, an patroni essent in loco necnè, sive in eadem, vel in diversa diœcesi, ut præsertim advertitur *in Firmana jurispatronatus 26. Novembr. 1631. Ghislerio.*

Adeoque invaluit hæc secunda opinio, ut probabilis ignorantia impediat lapsum termini, quod sufficiat illam concurrere in uno ex pluribus quamvis in aliis probaretur
7 scientia, quoniam ob sæpiùs insinuatam rationem individuitatis, ob quam hoc jus residet insolidum penes singulos, in ignorante conservatur totum jus præsentandi, ipseque impedit casum devolutionis, Garz. *d. p. 10. cap. 2. nu 41.* Vivian, *d. lib. 7. c. 2. nu. 13. & lib. 5. c. 2. n 22.* Barbos. *dict. alleg. 72. num. 137.* Adden. ad Burart. *d. dec. 18. num. 11.*

Atque hinc inferri solet, quod in jurepatronatus gentilitio vel familiari, in quo juxta unam opinionem concurrunt etiam pupilli, ut istorum ignorantia, quæ resultat à
8 pupillari ætate, impediat devolutionem; Quod tamen non placet ex rationibus de quibus supra *disc. 61.* id enim quod cæteris relatis habetur apud Vivian. *d. lib. 7. cap. 2. num. 16. cum sequen.* tam de pupillis, quam de amentibus, vel aliis similibus, ac etiam in infante, vel pupillo observavit Rota *in Romana Commendæ 5. Februarii 1662. coram Albergato* edita in causa de qua *sub tit. de fideicommissis disc. 8.* recipiendum videtur in jure competente pupillo, vel amenti ex persona propria & singulari nomine, secus autem in hujusmodi corporibus universalibus, in quibus pupilli & alii considerentur jure universali, nam aliàs nunquam daretur devolutio, atque Ecclesiæ & beneficia perpetuam vacationem pati cogerentur, ponderando simile, ibi deductum ex privilegio textus *in l. unica Cod. Quando Imperator inter viduas, & pupillos &c.* ut intret jure singulari, non autem jure universali, ut dicto *disc. 61.*

Quinimò ubi etiam competat jure singulari, si pupillus vel amens, aut alter imperfecti judicii habeat tutorem, vel curatorem legitime, ac serv. serv. deputatum, seu alium
9 legitimum administratorem, qualis præsertim est pater bonorum, & jurium adventitiorum filii, si in tutore, vel administratore concurrit scientia certa, præsertim illa quæ resultet à speciali intimatione, seu denunciatione juxta cautelam, de qua Vivian. *lib. 7. cap. 2. num. final.* tunc ista scientia præjudicat, atque lapsum termini inducit, Tum ex regula generali, ut scientia, vel mora tutoris, seu alterius administratoris præjudicet ad text. *in l. 3. §. finaliff. de tribut. act. l. ait Prætor §. ait Prætor ff. quæ in fraudem creditor. & l. si tutoris, Cod. de admin. tut. cum concor.* apud Surd. *dec. 222. num. 15.* Rovit. *dec. 90. num. 26.* Otthob. *decis. 173. n. 1. & sequent.*

Tum etiam fortius, quia nulla adesse dicitur læsio, dum nullum resultat damnum in bonis ac patrimonio pupilli, vel alterius sub aliena administratione viventis, dum jurispatronatus, ac præsentandi salvum remanet pro aliis vacationibus, atque in ea Ordinarius providendo ex jure devoluto, supplere dicitur vices administratoris, nisi ita redundet in ejusdem pupilli, vel alterius sub administratione viventis supplantationem, ac bursale præjudicium juxta casum, de quo agitur *d. discurs. 8. sub tit. de fideicommissis.*

Extenditur etiam dicta posterior opinio, quæ certam scientiam exigit, ut neque illa sufficiat, quoties justum concurrat impedimentum, puta absentiæ, vel carceratio- 10
nis, vel simile, ut rejecta contraria opinione Lambertini, cæteris relatis, Campanil. *d. rubr. 11. cap. 13. nu. 394.* Vivian. *dicto cap. 2. num. 11. & sequent.* Barbos. *d. alleg. 72. num. 30. & 38.*

Ac etiam inter justas causas excusantes, vel saltem tribuentes restitutionem in integrum ex clausula generali, si *qua mihi*, enumerari solet error, quia nempè erroneè præsentatio facta sit coram alio, quàm eo, coram quo fie- 11
ri debebat juxta *allegationem 95. Lapi in fine cum concord.* per Garz. *d. par. 11. cap. 3. nu. 7. & 8.* Vivian. *d. lib. 7. cap. 6. num. 1. & sequent. & lib. 5. cap. 2. num. 27.* Barbos. *d. alleg. 72. num. 140.* Lotther. *d. cap. 11. num. 48. decis. 43. num. 3. par. 5. recent* cum similibus, de quibus apud eosdem, pro judicis prudenti arbitrio ex facti qualitate pensandis, in quibus eadem vigeat ratio.

Inter impedimenta quoque connumeratur lis inter compatronos ad notata *in cap. quoniam hoc tit.* ut advertitur cæteris relatis apud Gregor. *decis. 94. in fine;* Quamvis enim textus *in d. cap. quoniam*, in casu litis inter patronos, quatenus non terminetur intra terminum datum ad præsentan- 12
dum, deferre videatur collationem Ordinario pro ea vice, tamen ista facultas, quæ Ordinario conceditur solum in casu, quo urgeret ratio scandali, videtur recessisse ab Aula juxta *allegat. 178. Lapi num. 17.* ubi latè Mandos. *in addit.* advertit ab hac doctrina tanquam communiter recepta non esse recedendum, ex ea clara ratione, quod ita Ordinarii affectarent lites excitari, sive excitatas nunquam terminarent; Potissimè verò ubi patroni collitigantes (ut frequentius, ac ferè semper contingit) suas facerent protestationes, quod interim pendente lite, non deberet terminus currere juxta *decis. coram Pœnia* relatam per Vivian. *dict. lib 7. c. 3. num. 16. & sequen.* & cum eodem sensu procedit, Lotther. *dict. lib. 2. quæst. 6. num. 26. cum sequent.* & Rota *dict. decis. 42. par. 3. recent. in fine.*

Procedunt hæc, ubi lis sit inter ipsos compatronos, per quam non inducatur litigiosi vitium, ubi enim esset inter præsentatos contendentes de institutione, ac adjudicatione beneficii, tunc inania hæc remanerent, dum tali casu resultat Apostolica affectio juxta ea, quæ habentur infra *disc. 67.* ad materiam beneficii litigiosi, ac etiam *sub tit. de beneficiis disc. 92.*

Constituta in suis respectivè casibus regula, super cursù, ac lapsu termini, unde propterea fiat casus devolutionis; Adhuc plures recipit limitationes, illam præsertim, ubi agatur de jurepatronatus Regio, in quo usu receptum est, ut 13
tempus non currat, ut post Gabedum *de patronatu Regio c. 28. num. 7. & 8.* Garz. *d. par. 10. cap. 2. nu. 34. in fine* Barbos. *d. alleg. 72. nu. 137. etiam in fine*, & habetur *disc. 1.* ubi etiam de exemptione Patronatus Regii à dicta affectione ratione litis.

Cessat secundò regula, ubi ex lege apposita in limine fun- 14
dationis de Ordinarii consensu, terminus esset longior, Vivian. *d. lib. 7. cap. 1. nu. 16.* ex regula generali, quod patronus in limine fundationis, cum consensu Ordinarii, adiicere potest leges & conditiones quamvis juri contrarias, atque si de dicta lege explicitè non constet, concurreret autem consuetudo, seu observantia præscriptiva legitimè inducta, idem dicendum est, ut per Vivian. *eodem cap. 1. numer 15.*

Tertiò limitatur, ubi facta præsentatione in tempore de persona idonea, præsentatus acceptare noluerit, seu alias citra culpam præsentantis præsentatio affectum fortiri non 15
posset, quoniam id inter legitima impedimenta connumerandum est, ex deductis apud Vivian. *d. lib. 7. cap 4. num. 30. & lib. 5. cap. 2. numer. 27.* Barbos. *dict. allegat. 72. numer. 161.*

Item regula, utpotè inducta favore Ordinarii, cessat si ipse renunciando suo juri admittat præsentationem, quamvis factam extra terminum, & quam alias respuere posset, 16
ad text. *in cap. 2. de supplenda negligentia Prælatorum, cum ibi notatis ex deductis per eamd.* Vivian. *d. lib. 7. cap 6. num. 13. & sequen. & cap. 7. num. 10. & seqq.* Barbos. *d. alleg. 72. nu. 143. & seq. & n. 170.* Gregor. *decis. 77. in fine*, ubi Adden.

E'con-

E' conversò dantur casus, in quibus brevior terminus competat, puta quia ita disponat lex fundationis, seu legitima consuetudo, ex eadem ratione, ob quam uno, vel altero casu tempus potest esse majus; Sivè ubi ipsimet patroni concorditer terminum abbreviare
17 voluerint, cum quilibet possit suo juri renunciare; Cadente quæstione, ubi non omnes ita statuant, sed major pars, an scilicet ista præjudicet minori; Atque in hoc procedendum videtur cum distinctione communiter tradita per scribentes *in l. quod major ff. ad municipal.* de qua præsertim *apud Franch. decis. 2.* An scilicet jusPatronatus competat pluribus jure singulari, ut isto casu major pars non præjudicet minori, sed unius interessati dissensus impediat; Aut verò jure communitativo, seu collegiali & secus, ut discurrit Vivian. *dict. lib. 7. cap. 2. num. 6.* Et quamvis etiam in juribus communitatis, seu collegiativis, in stricto jure, ubi agitur de actibus voluntariis, minoris partis contradictio admittenda videatur, adhuc tamen recedendum non venit à distinctione; Tum quia usu recepta non videtur dicta conclusio; Tum etiam quia id, justum, ac probabile motivum habet favore Ecclesiæ, cujus interest quantocitius provideri, & ne diuturnam vacationem patiatur.

18 Dubitari quoque solet, an iste terminus per Ordinarium in edicto apponi solitus abbreviari valeat, de quo habetur actum supra *disc. 49.* ad quem relatio sufficiat.

Omnia præmissa procedunt, ubi sequatur vacatio beneficii jam erecti, ac in esse producti; Cadit autem dubitatio, an idem procedat in prima fundatione, seu
19 erectione, & à quo tempore iste terminus currat, quamvis nimium rari sint casus, in quibus hæc in foro audiantur; Atque concordantibus scribentibus, ut terminus currat à die acquisitionis jurispatronatus, discordia remanet, ubi illa sequatur ex causa novæ fundationis Ecclesiæ, an terminus incipiat currere à die perfectæ constructionis vel dotationis, vel potius ab illo consecrationis, ut de utraque opinione apud Lapum *alleg 95. num. 2.* ubi latè Mandos. *in addit.* cum aliis collectis per Vivian *lib. 5. cap. 2. num. 25.*

Dictumque tempus esse continuum non autem utile, ideoque currere semper, ac singulis diebus quamvis se-
20 riatis, ac de momento ad momentum habetur cæteris relatis apud Barbos. *dicta alleg. 72. num. 127.* Vivian. *lib. 7. cap. 4.*

Alterum validæ repræsentationis requisitum versatur circa modum seu formam, atque de super plures cadunt inspectiones; Primò, scilicet, an in forma judiciali vel extrajudiciali; Secundò, an per scripturam, vel sine, & an certa verborum formula requiratur; Tertiò, an disjunctivè vel unitivè, si plures patroni fuerint; Et quartò, an purè, & sine aliqua conditione vel onere.

21 Ad primum, ut præsentatio debeat esse penes acta judicii per libellum, vel comparationem coram Superiore, quodque iste sit tutior modus, observant Campanil. *dicta rub. 11. cap. 13. num. 396.* & Vivian. *lib. 8. cap. 7. nnm. 38.* ubi annectit formulam; Verùm quod etiam sine libello, vel comparitione oretenus id fieri possit coram Judice sedente pro Tribunali, quia Notarius vel Cancellarius, qui sibi assistit, potest se rogare de actu, absque aliquo interventu testium, habetur in specie apud Cavaler. *decis. 28.*

Neque tamen unus, vel alter modus est præcisè necessarius ex parte præsentantis, qui vel per instrumentum publicum, seu aliam scripturam privatam, ut in-
22 fra, vel etiam coram testibus præsentationem facere potest, dummodo tamen actus judicialis infra terminum juris perficiatur, à præsentato, qui talem præsentationem penes acta Ordinarii, vel alterius, ad quem institutio pertinet, scripturam exibeat, vel testes examinari curet, atque ita probatam præsentationem acceptando, petat institui; Et hìc est frequentior modus juxta *alleg. 75. Lapi, ubi* Adden. cum concordan. per Vivian. *dict. lib. 8. cap. 7. num. 3. & 4.* Barbos. *dict. alleg. 72. num. 115. & sequen.* Rota *decis. 302. in fine part. 1. recent. repetit. decis 95. part. 4. decis. 152. part. 5. num. 22.* & in aliis.

Ad alterum verò, an requiratur perneccesse scriptura publica, receptum est nullam scripturam, ut supra necessariam esse, neque aliquam verborum formulam præcisè
23 requiri, adeout parum interfit, an patronus adhibeat verbum, *præsentare*, vel verbum *eligere* seu *nominare*, cum similibus juxta dictam *alleg. 75. Lapi*, cum qua tanquam magistrali omnes procedunt, atque etiam per scripturam privatam, quinimo per litteras familiares hìc actus explicari potest, ut *dict. decis. 302. par. 1. recent. alias dec. 95. part. 4. in Signina jurispatronatus 11. Martii 1648.* Peutingerio Cracovien. *Præposituræ 28. Novembris 1650.* Bich. impress. *decis. 89. p. 11. rec. num. 4.* & in aliis, atque ita servat praxis, præsertim in præsentationibus, quæ fiunt per Magnates ac nobiles viros.

Cadente solum quæstione tractata pariter per Lapum *dicta alleg. 75.* super qua antiquiores relati per Adden. ad Lapum & per Vivian. *dicto lib. 8. cap. 6.* nimium se involvere videntur, super perfectione voluntatis, quan- 24
do patronus proferat verba præseferentia potiùs velleitatem, quam perfectam dispositionem, ac determinatam voluntatem, puta quia dicat, *volo præsentare Titium Cappellanum*, sive *nomino Titium in præsentandum*, cum similibus; Vel si exprimatur persona, non exprimendo ad quid, puta præsento Titium aliud non exprimendo, cum similibus, super quibus plures adhibentur distinctiones plenè insinuatæ per Mandos. *in addit. ad Lapum, dict. alleg. 75.* Veritas tamen est, istam esse quæstionem facti ac voluntatis potius, quàm juris, decidendam pro facti qualitate, cum regulis generalibus, quas habemus circa voluntatis perfectionem, vel imperfectionem, tam in actibus viventium, quàm morientium, cum nihil subjecta materia habere videatur peculiare, nisi id quod hæc voluntas probetur perfecta coram Superiore instituere debente, infra terminum à jure præscriptum.

Idemque ubi præsentatio esset incerta vel dubbia, puta quia dicat, præsento clericum mihi proximiorem in parentela, sive illum, qui me baptizavit &c. Aut relativè 25
ad tertium, puta præsento illum quem Titius præsentabit, cum similibus collectis per Vivian. *dicto cap. 6. lib. 8.* Sufficit enim ista verificari infra terminum juris coram Superiore, qui reddatur ita certus de voluntate præsentantis ac de persona præsentata instituenda.

An autem plurium præsentatio esse debeat simultanea, eodem scilicet loco, & tempore in forma collegiativa, vel sufficiant plures, disjunctivè diversis locis, ac tempori- 26
bus factæ, pendet ab inspectione, de qua supra *discurs 61.* an jusPatronatus competat pluribus, ut singulis, vel pluribus, ut universis in forma electiva, seu collegiativa tanquam per stirpes, seu repræsentando corpus universale, ut hoc secundo casu debeat esse simultanea, secus autem in primo, ex ibi deductis.

Conditiones autem à jure non reprobatæ, sine dubio in præsentatione adiici possunt, dummodo verificentur intra terminum juris Garz. *part. 8. cap. 2. num. 3.* Vivian. *d. cap. 6. lib. 8. num. 24. & sequent.* Ubi verò conditio non fit 27
de jure probata, intrat quæstio, an illa vitietur, vel potiùs vitiet, quod præsertim contingere solet in conditione reservationis pensionis ad favorem ipsius præsentantis, vel alterius ab eo nominati, vel nominandi, de quo in specie agitur *decis. 118. per tot. & decis. 161. num. 31. & seq.* post Vivian. quarum prima est *repetit.* apud Carill. *decis. 103. & secunda est decis. 530. part. 9. recent.* ubi concordantes; Decisio autem pendet ab eadem distinctione, quam habemus *in Toletana Archiepresbyteratus sub tit. de beneficiis disc. 36.* circa conventiones inter resignantem & resignatarium, & magis proximè *in Vintimilien. sub tit. de pension. disc. 41.* in proposito conditionis reservationis pensionis adjectæ in provisione Ordinarii, quod scilicet, Aut id fit sub expressa reservatione beneplaciti Apostolici, & conditio est licita, & non vitiat actum, habetur enim pro non scripta, quatenus Papa requisitus neget, sed est requirendus.

Aut adiecta est fine hujusmodi reservatione, & tunc nisi adsit clausula, & *non alias, aliter*, nec *alio modo*, seu alia æquipollens, quæ adimat consensum ab actu, potius vitiatur, quàm vitiet, multoque magis, si adiciatur clausula, *omni modo meliori*, vel æquipollens, secus autem in dicto casu conversio voluntatis præcisæ juxta distinctionem, de qua in dicta Vintimilien. *sub. tit. de pension. disc. 41.* 28

Tertium validæ præsentationis requisitum, versatur circa personam præsentati, quod pariter plures habet inspectiones; Primò scilicet circa ejus habilitatem ad beneficium assequendum, quod nempè sit clericus, atque in ætate habili, aliaque habeat requisita, quæ ex natura beneficii, vel ex lege fundationis desiderantur.

Caden-

Cadente quæstione, an possit præsentari non clericus, vel tunc non habilis, sub explicita, vel implicita conditione à jure subintellecta, dummodo scilicet infra terminum juris superveniat habilitas ex iis, quæ habentur supra *disc.* 45.

Item circa genus, quoties concurrat etiam jusp atronatus passivum ad favorem certi generis personarum, quoniam tunc existentibus personis de tali genere, invalida est præsentatio personæ extraneæ ex deductis infra *disc.* 69. in materia juris patronatus passivi, de quo etiam pluries in præcedentibus.

Ac etiam circa dictum requisitum personæ præsentatæ intrat inspectio, de qua supra *in Compostellana disc.* 43. an sit in prima præsentatione, vel saltem in secunda accumulativa, quæ conceditur patronis laicis, non autem in ulteriori; Vel circa ejusdem præsentati præsentiam, quam aliqui credunt esse necessariam, quodque præsentato fieri non possit de absente, quod tamen minus verum est, quoniam sufficit, ut præsentatus infra terminum acceptando præsentationem, illam exhibeat Superiori, ad quem institutio pertinet, ita perficiendo actum juxta *dictam magistralem alleg.* 75. *Lapi*, de qua Vivian. *d. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 1. *& seq.* Lotther. *lib.* 2. *qu.* 6. *nu.* 35. Barbos. *d. alleg* 72. *nu.* 116. Rota *d. decis.* 152. *num.* 22. *& 607. nu.* 18. *cum sequen. p.* 5. *rec.*

Quartum validæ præsentationis requisitum est, ut stat coram illo Superiore, ad quem institutio pertinet, unde si fiat coram alio, habetur ac si facta non esset ad text *in cap. cum laici de jurepatronatus*, ubi communiter scribentes, de quibus Lotther. *d. lib.* 2. *quæst.* 6. *num.* 33. *& sequen. & nu.* 47. Vivian. *d. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 1. *& sequent.* & clarè disponitur etiam per *Sac. Con. Trid. sess.* 14. *de reformat. cap.* 12. *& 13. Camerinen. Canonicatus* 19. *Januarii* 1654. *coram Priolo*, & passim.

Cadente solùm quæstione super huiusmodi Superioris identitate, seu dicti juris instituendi pertinentia, quæ potiùs est facti quam juris, cum ex lege fundationis, vel ex consuetudine, vel privilegio, aut alio jure, id pertinere etiam possit ad inferiorem, puta ad Capitulum, vel ad aliquam Dignitatem, seu Canonicum &c. Quinimo etiam ad Prælatum Regularem, quamvis agatur de beneficio sæculari ex relatis per Barbos. *de Episcopo alleg.* 72. *num.* 176 *cum sequen.* Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 12. *& sequen.* Vivian. *lib.* 12. *cap.* 2. *&* 3. & communiter.

Ea enim, quæ habemus de jurisdictione delegata Episcopis, seu Ordinariis locorum super approbatione eorum, qui à Prælatis inferioribus instituuntur, vel præsentantur, non concernuntur materiam jurispatronatus, neque validitatem præsentationis, sed potius exercitium curæ animarum ad administrationis sacramentorum ex iis, quæ in hoc proposito pluries habentur *sub tit de jurisdictione*; Regulariter autem, ac in dubio, quando scilicet lex fundationis, seu privilegium, vel consuetudo aliter non disponat, id pertinet ad Ordinarium loci habentem intentionem fundatam in omnibus beneficiis suæ diœcesis ex deductis per Barbos. Lotther. Vivian. *ubi supra*.

Idque etiam sine mandato speciali competit Vicario Generali, ut præsentationem recipere, ac instituere valeat ut apud Barbos. & Vivian. ubi supra cum aliis apud Buratt. & Adden. *decis.* 280 & 938. Atque Sede vacante ista facultas residet in Capitulo, seu Vicario ab eo deputato.

Quintum præsentationis requisitum est, vacatio beneficii, quoniam non fit præsentatio in beneficio pleno ad Tex. *in cap. finali de concessione præbendæ*, ubi communiter DD. de quibus Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 6. *num.* 1. *& sequen.* Garz. *par.* 10. *cap.* 4. *num.* 1. *& sequen.* Ubi *num.* 4. habetur, ut neque valeat contraria consuetudo quod tamen credo verum, quatenus agatur de consuetudine ordinaria, secus autem de immemorabili, quamvis ipse de ista quoque loquatur, sed meo judicio non benè; Si enim id competere potest ex privilegio Apostolico, seu ex lege adjecta in limine fundationis de consensu Ordinarii ex regula generali, ut patronus adiicere possit leges quamvis juri contrarias, ut in specie habetur apud Buratt. *decis.* 21. *& decis.* 61. hinc proinde sequitur, ut immemorabilis attendenda sit ob istius virtutem, quod ejus vigore allegari potest, quicumque titulus de mundo melior, & sic, vel privilegium Apostolicum, vel lex fundationis, nisi per restrictionem ad titulum, tollatur ista præsumptio, seu possibilitas.

Ex dicto autem requisito vacationis, resultat altera conclusio, quod constitui non possit procurator ad præsentandum ad beneficium vacaturum, quamvis dicatur pro quando vacabit, quamvis in vim dicti mandati præsentatio fiat post verè sequutam vacationem ad *not. in cod. cap. finali de concess. præb.* Gregor. *decis* 420. *num.* 3. Buratt. *dict. dec.* 21. *& decis.* 61. Lotther. *ubi supra num.* 18. *reprobato* Decio *cons.* 172.

Quod tamen intelligendum venit, quatenus agatur de mandato dato ad præsentandum certam personam, secus autem, ubi agatur de mandato generali, quod concedatur ad præsentandum in beneficio vel beneficiis, quoties casus vacationis contigerit; Licèt enim aliqui credant etiam isto casu justam causam requiri, puta absentiæ vel similis, attamen receptum est etiam per præsentem fieri posse, quoniam sufficit, ut non intret ratio voti captandæ mortis, cui innixa est dicta prohibitio præsentandi ad vacaturum, seu ad constituendum ad id procuratorem juxta *cons.* 99. Feder. de Senis, Lotther. *ubi supra num.* 15 *cum sequen.* Adden. ad Gregor. *d. decis.* 420. & ad Burat *dicta decis.* 21. ubi concordantes; Ideoque ista videtur pariter quæstio facti pro istius qualitate decidenda, an adsit necnè fraus, seu militet ratio, cui dicta probitio innixa est, atque hunc finem percutiunt distinctiones, quæ relatæ habentur per Adden. ad Gregor. & ad Burat. *ubi supra*, ac apud Vivian. & Lotther. *locis citatis*, an scil. agatur de mandato dato per habentem jus præsentandi ad plura beneficia, vel ad unum tantum, cum similibus.

Si verò constet patronum ex justa credulitate vacationis, & cum ejus præsuppositio dedisse mandatum ad præsentandum, tunc istud validum remanet, atque non data revocatione post verè sequutam vacationem, præsentatio isto procuratore facta, valida erit, Vivian. *d. cap.* 6. *num.* 14. Lotther. *dicta quæst.* 6. *num.* 19. *&* 20. Burat. *decis.* 688. *num.* 8.

Cessat autem dicta prohibitio, ubi lex de Ordinarii consensu in limine erectionis adiecta pariter disponeret, ut supra, vel ubi ageretur de mandato dato in limine erectionis, ut postquam ista sequuta esset, fieret præsentatio, tunc enim non esset, dare mandatum ad beneficium per alterius mortem vacaturum, unde cessat ratio prohibitionis ex deductis per Gregor. & Adden. *dicta decis.* 420. Burat. & Adden *dicta decis.* 11. *Cortonen. Cappellaniæ* 23. *Januarii* 1651. *coram Meltio decis.* 107. *num.* 7. *par.* 11. *recent.* & in aliis; Sive ubi cesset fraus ex circumstantia, de qua *infra disc.* 71.

Enumeratur etiam inter validæ præsentationis requisita, quod non sit attentata, lite pendente super beneficio, quod particularem habet inspectionem *infrà disc.* 67.

Inter præsentationis defectus enumeratur ille, quod facta non sit de se ipso, id enim in jure damnatum est, vel quia denotet ambitum, qui eum reddit indignum, vel quia differentia esse debet inter præsentantem, & præsentatum, nisi per viam supplicationis, ac precum id fiat, juxta ea, quæ desuper habentur supra *disc.* 31. & alibi, ad quæ relatio sufficiat.

ADNOT. AD DISC. LXVI.

NOtatum est supra *ad disc.* 47.

De jure patronatus cadente sub generali revocatione contenta in Constitutionibus *Innoc. VIII. & Hadriani VI.* & in Concilio Tridentino.

Et de eodem, cadente sub regulis Cancellariæ, ac reservationibus, & affectionibus Apostolicis.

Et de specialibus ejus derogationibus.

SUMMARIUM.

1 *De antiquis Constitutionibus revocatoriis concessionum in genere.*
2 *De revocatoriis* Innoc. VIII. Hadriani VI. *& Sac. Conc. Trid. in materia jurispatronatus.*
3 *Revocatoria Concilii procedit, etiam si accedat centenaria, vel immemorabilis.*
4 *Declaratur quando procedat, & quando immemorabilis sit compatibilis cum privilegio.*
5 *De imprudentia producendi privilegium longissimi possessoris.*
6 *Privilegia cadunt sub revocatione licèt ampliſſimas contineant clausulas, ut censeretur ex fundatione, vel dotatione.*
7 *Secus si fundatio, vel dotatio in privilegio contineatur per viam narrativæ.*
8 *Narrativa Papæ quando probet?*

9 *Dicta*

9 *Dicta revocatio Conciliaris procedit in juris privilegiis ex mera gratia, nulla admixta causa onerosa.*
10 *Ubi ex causa onerosa intrat revisio, non autem revocatio.*
11 *Quomodo computentur anni* 40. *circa revisionem.*
12 *Revalidatio tollit obstaculum, & retrotrahitur ad initium.*
13 *Non complectitur revocatio Conciliaris privilegia concessa Capitulis super jure eligendi, vel nominandi.*
14 *Diversum est præsentare, & eligere.*
15 *Neque capit privilegia concessa Regibus, & Principibus,*
16 *Pendente revisione, vel discussione an cadat necnè sub revocatione, an danda sit possessori manutentio.*
17 *De Constitutionibus revocatoriis* Innoc. VIII. & Hadriani VI.
18 *Jus patronatus ecclesiasticum cadit sub} reservationibus Apostolicis, imo collatio etiam sine expressione, continet implicitam ejus derogationem.*
19 *Fallit ubi ex lege fundationis cautum est, ut sit semper laicale, ac etiam declaratur in quibus reservationibus procedat.*
20 *Etiam jus patronatus laicale competens ex jure speciali, puta consuetudine, vel privilegio, cadit sub reservationibus.*
21 *An id procedat in Regibus, & Principibus, & quibus.*
22 *Conclusio de qua num.* 21. *procedit etiam si privilegium contineat clausulas amplas, ut censeatur ex fundatione, vel dotatione.*
23 *Quid ubi consuetudo sit immemorabilis.*
24 *Jus patronatus laicale competens de jure communi, sive de justitia, non cadit sub dictis reservationibus.*
25 *Ubi vacatio contingit apud sedem, an institutio debeat fieri in Dataria.*
26 *Quid in jurepatronatus mixto, partim scilicet ex privilegio, & partim ex causa onerosa; distinguitur.*
27 *An pro regulando antiquo valore habeatur ratio incertorum, & distributionum.*
28 *Pendente discussione, an justitia, vel gratia præponderet an Patronus sit manutenendus.*
29 *An dicatur ex gratia jus patronatus fundationis factæ ex bonis laicalibus destinatis in pios usus, & cammutatis.*
30 *Quando dicatur jus patronatus ex gratia, licèt fit vere ex fundatione, & dotatione.*
31 *Sub quibus Constitutionibus, & Decretis Apostolicis, cadat etiam jus patronatus laicale ex fundatione, vel dotatione.*
32 *An jus patronatus mixtum, partim scilicet ecclesiasticum, & partim laicale cadat sub reservationibus, plenè examinatur.*
33 *De ratione, ob quam jus patronatu ecclesiasticum cadit sub reservationibus, vel proviso continet ejus implicitam derogationem.*
34 *Si jus præsentandi in patronatu mixto est totum penes ecclesiasticos cadit sub reservationibus, & quid ubi per turnum.*
35 *Derogatio specialis medietatis vocum, non reputatur præjudicialis.*
36 *Item ad favorem compatroni instituendi.*
37 *In gratia retentionis incompatibilis conceditur derogatio.*
38 *Idem in resignationibus ad favorem, & permutationibus.*
39 *De derogatione quæ fit ob vacationem in Curia.*
40 *De cautelis ad evitandum derogationes Apostolicas.*
41 *In casibus in quibus jus patronatus cadat sub reservationibus, vel affectionibus, an Papa ligetur à qualitate passiva?*

DISC. LXV.

ULtra antiquas concessionum revocationes contentas in constitutione *Bonif. IX.* aliorumque Pontificum, præsertim tempore schismatis, de quibus aliqua mentio habetur *sub tit. de feud. in Urbevetana disc.* 5. *& sub tit. de præeminen. in Sypontina disc* 2. *& in aliis*; In his terminis jurispatronatus tres habemus generales revocatione; Primam scilicet contentam *in Constitut.* 5. *Innoc. VIII.* Alteram *in Constit.* 3. *Hadriani VI.* Et tertiam *in Sac. Conc. Trid. sess.* 25. *de reform. cap.* 9. & de quibus Constitutionibus mentio pluries in præcedentibus habetur præsertim *disc.* 2. & 10. Quare de singulis distinctè agendo, præsertim verò de hac ultima Conciliari.

Continet illa revocationem privilegiorum super jure præsentandi, vel eligendi ad beneficia aliàs libera concessorum, quamvis eorumdem privilegiorum usus, fomentum habeat antiquissimæ observantiæ, quæ etiam immemorabilis, vel centenaria dici valeat, ut ex declaratione Sac. Congregationis ibi relatæ, Garz. *part.* 5. *cap.* 9. *nu.* 108.

Verum hujus conclusionis praxis in casu immemorabilis nimium rara est, ob plura requisita, quæ desuper desiderantur, sive ob plures restrictiones eidem conclusioni datas, ubi scilicet privilegium productum sit tanquam unicus, ac principalis titulus, ad quem possessor se restrinxerit, ita & taliter quod privilegium sit incompatibile cum fundatione, vel dotatione, quia scil. probet initium, quod incompatibile sit cum immemorabili, sive quod ita constet de præcedenti statu libero, ita per privilegium immutato, secus autem ubi militet compatibilitas, seu possibilitas, quia nempè Apostolicum privilegium obtentum sit, seu obtineri potuerit à jam possessore ad suum jus suamque possessionem melius confovendam, Aut quod illud obtinuerit tanquam per consensum ab Ordinario præstandum pro acquisitione jurispatronatus etiam ex fundatione, vel dotatione; Sive constito etiam de præcedenti statu libero, potuerit illud obtineri ex causa onerosa, & præponderante augmento dotis, ita & taliter quod non solum non intret revocatio Conciliaris, vel prædictarum Constitutionum, sed neque intrent reservationes; Cum enim immemorabilis, vel centenariæ virtus sit, ut ejus vigore allegari possit quicumque titulus de mundo melior ac possibilis, idcirco sufficit quod ipse possessor dictam possibilitatem non excludat per restrictionem ad privilegium, tanquam titulum principalem, & meliorem, ut cæteris relatis firmatur per Rotam *dec.* 250. *num.* 4. *part.* 4 *recent. tom.* 2. *decis.* 218. *part.* 6. *num* 35. *& sequen. & decis.* 29. *num.* 7. *& sequent. part.* 7. *decis.* 168. *part.*, 10. *num.* 26. *cum seqq.* ubi concordantes, ac habetur etiam suprà *discurs.* 47. ac benè in simili confert *decisio* 32. Celsi *num.* 16. *& seq.* ubi quod cum immemorabilis compliceat tempus infinitum, præsupponit præscriptionem completam ante privilegium.

Cumque hæc, alias apud antiquiores magis obscura & involuta, ex iis quæ in hac materia exhibitionis tituli infecti habentur *in Sabinen. sub. tit. de Regalib. disc.* 47. hodie per dictas ac alias Rotæ decisiones, nimium explanata sint, atque causidicis mediocriter versatis innotescant, Hinc nimium raro dantur casus, quod fiant hujusmodi præjudiciales productiones privilegii tanquam tituli melioris, quamvis etiam, nbi causarum Patroni prius non consulunt Advocatos, utpotè non omnes hujusmodi licet explanatæ conclusionis notitiam habentes, soleant hæc præjudicia parere, juxta præsertim casum, de quo *in d. disc.* 47. *de Regalibus*.

Posito igitur, quod agatur de patronatu ex mero privilegio, adeout præmissa non suffragentur, tunc intrat dicta Conciliaris revocatio, quamvis illud contineret ampliſſima, & prægnantissima verba & clausulas, puta quia dicatur illud censendum esse tanquam jus patronatus Regium, sive quod dicatur censendum esse verò non autem fictè ex fundatione, vel dotatione, perinde ac si esset beneficium verè ab eo fundatum, vel dotatum, ut quicquid motiver Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 18. *num.* 92. *& sequent.* habetur *apud eumdem num.* 97. *& sequen.* Garz. *d. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 118. Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 8. *num.* 25. *& sequent.* Rota *dec.* 58. *& 88. part* 1. *recent.* Adden. ad Gregor. *dec.* 397. cum aliis de quibus infra, ac etiam supra *disc.* 10. occasione agendi de subjectione jurispatronatus ex privilegio, quamvis ex causa onerosa, reservationibus, & affectionibus Apostolicis.

Quod tamen, ut etiam advertitur supra *disc.* 58. ex plenè firmatis per Rotam *d. decis.* 168. *part.* 10. *recent.* procedit, quando Papa ita disponit fictè, ac in forma privilegiativa, Secus autem quando id narrat per veritatem tanquam pro causa inductiva concessionis privilegii, sive ex alia occasione, quia nempè dicat constare, quod ea Ecclesia fundata, vel dotata esset per eum, cui aliquod privilegium concedatur, adeout deducantur tanquam narrativa Papæ ad probationem, non autem tanquam privilegium; Quoties tamen ipse Papa loquatur tanquam informatus, non autem ubi loquatur ad narrativam partis, juxta distinctionem quam receptam habemus in hac materia, quando scilicet narrativa probet necnè, ex relatis *ead. decis.* 168. *part.* 10. *num.* 34. *& seqq.* & generaliter Gabriel. *de probat. conclus.* 1. Gregor. *& add. decis.* 239. Burat. *& add. dec.* 621. *&* 708. & habetur *disc.* 148. *de Regal.*

9 Dicta verò Conciliaris revocatio procedit ſolum in privilegiis merè gratuitis, & ex pura gratia abſque aliqua mixtura cauſæ oneroſæ, puta augmenti dotis, vel reſtaurationis Eccleſiæ, aut alterius oneris, tunc enim idem Concilium diverſimodè diſponit, non per viam revocationis, ſed per viam reviſionis, quatenus agatur de privilegio conceſſo ab annis 40. citra, computando tempus à die confirmationis Concilii, adeòut illa quæ ſunt ultra dictum tempus neque reviſioni ſubjaceant, juxta declarationes relatas per Garz. *d. cap. 9. num. 120. & ſequent. ad 125. cum aliis* per Lotter. *lib. 2. quæſt. 3. num. 12.* Adden. ad Gregor. *d. deciſ.* 397. & communiter, Quamvis cauſa oneroſa importaret præponderantiam, cum iſta neceſſaria ſit ad effectum evitandi reſervationes, ac affectiones, ut dici valeat juſpatronatus ex juſtitia magis quam ex gratia, non autem ad effectum hujus decreti Conſiliaris; Ideoque magna differentia inter unum caſum & alterum, & ſuper quibus vidi pluries æquivocari.

Dictumque tempus 40. annorum, computandum eſt à die primæ conceſſionis privilegii, quamvis illud dici poſ-
11 ſet ſublatum de medio per dictas Conſtitutiones revocatorias Innocentii, & Hadriani, deinde vero ante Concilium reintegratum, ut frequens praxis docet in reintegrationibus præſertim conceſſis per *Leonem X.* juxta caſum de quo ſupra *diſc.* 10. quoniam non per hoc fit computatio à reintegratione, ſed ab initio, Garz. *d. cap. 9. num. 125.* Rota *dec. 4. part. 2. recent.* ex regula generali deſumpta *ex theor.* Bald. *in cap. cum acceſſiſſent num. 36. & ſequent. de Conſtit. & ex conſ.* 131. Ancharani, quod invalidato, removendo obſtaculum, reducit rem ad primævum ſta-
12 tum, ideoque habet oculos retro, juxta *dec.* 8. Caſſador. *num. 8. & 10. de præbendis, & dec. 3. num. 4. de privil.*

Item dicta Conciliaris revocatio, etiam in caſu quo agatur de pura gratia, puroque privilegio, abſque mixtura cauſæ oneroſæ, procedit in illis privilegiis, quæ conceduntur laicis, ſeu aliis, qui nullum jus, vel prætenſionem de jure haberent in præſentatione, vel nominatione, ſeu electione, ſecus autem in illis privilegiis quæ concedantur pro confirmatione facultatis aliàs de jure competentis, ſeu ex aliqua cauſa à jure probata prætenſæ, de qua tamen poterat dubitari, ut frequenter contingit in illis privilegiis, quæ concedantur Ca-
13 pitulis Cathedralium, vel Collegiatarum ſuper jure eligendi, quod alias ex diſpoſitione juris communis, vel ex conſuetudine ſibi competere prætendebant, ex deductis per Gregor. *deciſ.* 240. *deciſ.* 71. 133. *& 226. par. 6. recent.* ex quibus patet de hujuſmodi privilegiis non fuiſſe dubitatum, atque me ſcribente circa initia profeſſionis diſcuſſo articulo, firmatur *deciſ.* 31 *part.* 10. *recent.* edita in caſu de quo in *Nuſcana ſub tit. de Beneficiis diſc.* 17. occaſione privilegii ſuper jure eligendi ad Canonicatus vacantes conceſſi eidem Collegio in ejus erectione ad removendam difficultatem aliàs cadentem ſuper regula juris ipſi Collegio aſſiſtente, ex eo quod Canonicatus erecti eſſent ex quibuſdam ſimplicibus beneficiis alias liberæ collationis, ut ibi; Cumque Concilium loquatur de privilegio dato ſuper jure præſentandi non capit caſum privilegii conceſſi ſuper jure eligendi, quia
14 diverſum eſt eligere, & præſentare, *deciſ* 22. Caſſad. *de præbendis, cum aliis* per Vivian. *part. 2. lib. 11. cap. 5. num. 111.*

Minuſque dictum Conciliare decretum complectitur privilegia conceſſa Imperatori, ac Regibus, aliiſque Principibus jura Regni habentibus, ut ejuſdem decreti
15 littera clare probat; Quales autem ſint iſti Principes jura Regni, vel ſupremi Imperii habentes, habetur ſupra *diſc.* 58.

Sufficit autem eſſe dubium, an privilegium ſit ex mera gratia, vel admixtam habeat aliquam oneris partem, ſive an cadat ſub reverſione necne, ut interim exiſtens in quaſi poſſeſſione præſentandi debeat in ea manuteneri; Licet enim Conſtitutio *Pii IV.* edita ſuper con-
16 firmatione, & publicatione Concilii contineat decretum irritans, cujus virtus & operatio eſt inficere nedum titulum, ſed etiam poſſeſſionem, ideoque non competat manutentio ex iis quæ in his terminis juriſpatronatus potentium, ex eodem decreto Conciliari habentur ſupra *diſc.* 58. & eſt generalis recepta propoſitio, quam in foro frequentem habemus; Attamen, ut alibi pluries advertitur, & eſt pariter ſatis vulgaris, & frequens propoſitio, id procedit, quando omninò clarum, & certum eſt quod decretum intret, ſecus autem ubi dubium, quoniam pendente hac diſcuſſione, ſeu reviſione, actus dicitur eſſe in implicito ſtatu validitatis, ideoque deneganda non eſt manutentio, Garz. *cap. 9. num. 124.* Lotther. *d. quæſt. 8. lib. 2. num. 73.* Rota *deciſ. 336. num. 2. & 568. num. 11. part. 4. rec. & in aliis.*

Reliquæ autem revocationes ſupra inſinuatæ *Innocentii & Hadriani* indefinitè tollunt privilegia à 20. annis ante Innocentium conceſſa in beneficiis electivis, & in non electivis, ubi non eſſent ex cauſa novæ conſtructionis, vel omnimodæ reædificationis, vel ſaltem ubi cauſa one- 17
roſa redotationis non præponderaret, adeòut dici poſſet conceſſio potius ex juſtitia quam ex gratia, ut de dictis Conſtitutionibus habetur apud Lotter. *d. quæſt. 8. num. 13. & ſequen.* Duran. *deciſ. 285. & ſupra in Lucana diſc. 10.* ac in deciſionibus in ea cauſa editis, quamvis in praxi non multum de hujuſmodi Conſtitutionibus diſputari ſoleat, quoniam cum frequentius beneficiales quæſtiones contingant occaſione reſervatorum, vel affectorum, parum refert aſſumere hanc inſpectionem, dum proviſus Apoſtolicus obtinet intentum ratione reſervationis, quando non conſtet de cauſa oneroſa præponderante.

Super hac igitur ſpecie derogationis contentæ in Regulis Cancellariæ, ut dictum eſt, frequentiores, ac ferè omnes ſunt hujuſmodi quæſtiones, an ſcilicet, & quando beneficia de jurepatronatus cadant ſub dictis Regulis, ac ſubjaceant reſervationibus, vel affectionibus Apoſtolicis, etiam clauſis in corpore juris; Prima & generalis diſtinctio eſt inter juſpatronatus laicale, & eccleſiaſticum, ut 18
iſtud ſecundum, quamvis ex fundatione, vel dotatione, ſeu alias quomodocunque, ſub eis cadat, quinimò & per ſimplicem collationem cenſeatur ei ſpecialiter derogatum, quamvis nulla ejus mentio fiat, ex deductis per Gonzal. *ad reg. 8. gloſ. 18. nu. 6. & 7.* Garz. *part. 5. cap. 1. numero 552.* Moneta *de commut ultim. volunt. capitolo 10.* Cavaler. *deciſ. 268. & 547.* Greg. *deciſ. 48.* Buratt. *deciſ. 103. & paſſim.*

Niſi ex lege fundationis cautum ſit, ut illud quamvis eccleſiaſticum, retinere debeat naturam laicalis, nam tunc ad hunc effectum, laicale cenſendum eſt, Lotter. 19
lib. 2. quæſt. 10. num. 4. Cavaler. *deciſ. 639. num. 5. deciſ. 157. num. 7. part. 7. rec.* & in aliis frequenter, ac habetur ſupra *diſc. 59. & in d. Romana capellæ Innocentianæ ſub tit. de Beneficiis diſc. 6.*

Id autem extra controverſiam procedit in ea reſervatione quæ reſultat *ex Regula 8. ſeu 9.* ratione menſium, cum ita expreſsè in ea caveatur; Non tamen ita planum eſt in aliis reſervationibus, ut de illa reſultante *à Regula 3. ſeu 4.* advertitur *infra diſc. 69. & ſub tit. de Beneficiis diſc. 6.*

Ubi verò agatur de jurepatronatus laicali, tunc, Aut illud competit ex jure ſpeciali puta privilegio, ſive ex conſuetudine, & extra controverſiam eſt, illud venire ſub Regulis Cancellariæ, aliiſque Apoſtolicis reſervationibus, 20
vel affectionibus, atque proviſiones non indigere ejus mentione, vel derogatione, Gemin. *in cap. 2. de præbendis in ſexto*, & cæteri, de quibus Gonzal. *d. gloſ. 18. nu. 20.* Garz. *par. 5. cap. 1. num. 571.* Lotther. *lib. 2. quæſt. 8. num. 9.* Rota *dec. 58. & 88. part. 1. recent. dec. 630. num. 52. & ſeq. part. 4. tom. 3. cum aliis* per Adden. ad Greg. 380. *& 397.* Celſ. *dec. 239. & 273.* & paſſim, ac habetur ſuprà *in Bonon. juriſpatronatus diſc. 8.*

Cadente ſolùm controverſia, an id procedat in jurepatronatibus Regum, aliorumque Principum jura Imperii habentium; Negativam tenentibus, Gonzal. *gloſ. 24. num. 158. & ſequent.* & Garz. *part. 5. cap. 1. num.* 21
575. Affirmativam verò (ipſos confutando) Lotther. *lib. 2. qu. 10. num. 93. & ſeqq.* cujus tamen opinio recipienda eſt in aliis Principibus qui Regalia, ſeu jura Imperii habent quidem de jure, ſeu privilegiativè, non autem de facto, prout ſunt inferiorís ordinis Duces, Marchiones, & Comites, &c. juxtà diſtinctionem, de qua ſupra *diſc. 68. & d. deciſ. 630. num. 54. & ſeqq. part. 4. tom. 3.* cum in Regibus, aliiſque majoris ordinis ſupremis Principibus, qui de facto in eorum, ditione Regum figuram faciant, obſervantia contrarium doceat.

Atque iſto caſu, pariter extra controverſiam procedit idem, quod ſupra habetur in propoſito revocationis reſultantis à Concilio Tridentino, ut ſcilicèt non ſuffragentur quæcumque clauſulæ ac verba, quamvis dicatur, ut cenſeatur verè, & propriè ex fundatione, vel dotatione, ac ſi verè, & realiter fundaſſet, vel dotaſſet, ſive quaſcumque contineret derogatorias rogatoriarum, juxtà ſuperiùs allegatas

legatas authoritates, & deciſiones, quoniam quo magis continet amplas clauſulas, eo magis dicitur ex privilegio, ut apud omnes proximè allegatos, ac hodiè tanquam planum, non cadit amplius ſub controverſia, quoties agatur de puro privilegio, cum illa cadat, ut infrà, quando admixta eſt cauſa oneroſa.

Quamvis autem ſcribentes, agendo de hoc jurepatronatus ex cauſa, vel jure ſpeciali competente, promiſcuè dicant hæc procedere, ubi competat ex privilegio, vel ex conſuetudine, ſeu præſcriptione, ut de caſu conſuetudinis
23 habetur *d. diſc.* 8. Attamen id recipiendum venit in illa conſuetudine, vel præſcriptione, de cujus cauſa, vel initio conſtet, ſive ubi inveriſimilitudo, vel alia facti circumſtantia tollat illam poſſibilitatem cujuſcumque tituli melioris, qui reſultat ab immemorabili, centenaria, iſta enim poſſibilitate urgente, cum poſſeſſor privatus cui non obſtet decretum Conciliare editam contra potentes, allegare poſſit fundationem, vel dotationem, ità non ſubjacebit præmiſſis, ut advertit Garz. *d. c. 1. n. 577.* & habetur pluries in præcedentibus.

In patronatu verò competente de jure communi, atque, ut noſtri dicunt de juſtitia, ratione fundationis, vel dotationis, juxtà deducta *diſc. 55.* pariter extra controverſiam eſt, non cadere ſub reſervationibus, quamvis majo-
24 ribus; & clauſis in corpore juris, etiam per vacationem in Curia, ſeu apud Sedem; Licèt enim iſto caſu ſoleat etiam ei derogari ut infrà, non per hoc tamen reſultat, ut ſubjaceat reſervationibus, gloſſ. *in cap. 2. de præbendis in ſexto*, ubi Gemin. Lapus *alleg. 96.* & cæteris apud Gonzal. *d. gloſſ. 18. num. 2. & ſeqq.* Garz. *d. p. 5. cap 1. n. 582. & ſeqq.* Lotther. *dict. quæſt. 8. n. 7.* Adden. ad Buratt. *deciſ.* 769. plenè *d. dec. 168. p. 10. rec.* & paſſim, cum concluſio non admittat dubitationem; Cadentem ſolùm circa mo-
25 dum præſentandi, ſeu inſtituendi quando vacatio contingat apud Sedem, an fieri poſſit coram Ordinario, vel facienda ſit coram Papa, ex deductis per Lotther. *d. q. 8. n. 8.* ubi allegantur Covar. & alii, quod tamen unquam, vel nimium rarò cadit ſub forenſi diſputatione, ſtante uſu providendi iſto caſu cum derogatione, ut infrà.

Majores autem controverſiæ in hac materia occurrunt, quando juſpatronatus non ſit totum ex gratia, & privilegio, neque totum ex juſtitia ratione fundationis, vel dotationis, ſed participet de utraque ſpecie, quia nempè competat ex privilegio conceſſo ex cauſa augmenti dotis, & ſic partim habeat de juſtitia partim verò de gratia; Iſte autem caſus licèt apud antiquiores nimium controver-
26 ſus fuerit, hodie tamen eſt pariter planus cum diſtinctione præponderantiæ, à qua ejus qualitas, vel natura regulatur; Si enim plus importet dotis augmentum, quam importaret antiquus redditus, ſeu antiqua dos Eccleſiæ, tunc dicitur competere de juſtitia, ſeu de jure communi, ac totum eſſet ſi ex fundatione, vel dotatione; Et è converſò dicitur ex gratia, ſeu privilegio, ſi dos antiqua præponderat; In caſu verò æqualitatis, quod ſcilicèt beneficii fructus pro medietate conſtituantur à dote antiqua, & pro medietate à novo augmento, tunc quicquid antiquitus variatum fuerit, receptum eſt, præponderantiam in hoc deſumendam eſſe à parte favorabiliori patrono in excluſionem dictæ ſubjectionis reſervationibus, ac tacitis, ſeu implicitis derogationibus, ideòque cenſeri debeat de juſtitia, ſeu ex fundatione, vel dotatione, ut *d. dec. 58. & 88. part. 1. recent.* quæ reputantur in materia magiſtrales, Adden. ad Gregor. *dict. deciſ.* 397. Lotther. *d. q. 8. n. 89. & ſeq.* ubi agit de æſtimando, ſeu regulando iſtum valorem, cum aliis ſupra in *Lucana diſc. 10.* & in deciſionibus hinc indè in ea cauſa editis.

Duplici in hac materia cadente quæſtione; Primò ſcilicèt circa valorem, pro diſtinctionis applicatione, & an in antiquo valore computanda veniant ad hunc effectum emolumenta incerta, & diſtributiones, de quo habetur
27 particulariter actum *d. diſc. 10.* ubi videri poteſt, & altera circa judicium poſſeſſorium, an ſcilicèt pendente hac diſcuſſione ſuper hujuſmodi æquivalentia patronus ſit manutenendus in poſſeſſione; In hoc autem aliqua habetur variatio, ſiquidem in *deciſ. 336. numer. 3. & deciſ. 568. num. 6. & 10. part. 4. recent. & deciſ. 247. n. 7. eadem part. 4.*
28 *tom. 2.* cum aliis per Lotther. *dict. quæſt. 8. num. 74. & ſeq.* habetur, quod ob decretum irritans contentum in Regulis Cancellariæ, quod inficit poſſeſſionem, patrono deneganda eſt manutentio; E converſò autem, quod in dubio, cauſa oneroſa præſumitur præponderans, & conſequenter, quod pendente diſcuſſione, reſpondendum ſit pro eo, cui juris præſumptio aſſiſtit, ex Roland. *conſil 13. num. 64. lib. 3.* Seraphin. *deciſ. 518. num. 4.* & aliis, Adden. ad Gregor. *deciſ. 397.* Quodque non æquivalentia cauſæ oneroſæ probari debeat per proviſum Apoſtolicum agentem pro executione litterarum ſuæ proviſionis, ſeu brevis de capienda poſſeſſione nomine Cameræ, habetur *in Parmen. Prioratus 23. Januarii 1621. coram Dunozetto ſenior.* inter ſuas *deciſ. 302.* Verum quæſtio decidenda videtur cum diſtinctione actoris, & rei, ſive cum aliis diſtinctionibus, & regulis quæ habetur *ſub tit. de Beneficiis*, ad materiam legitimi contradictoris.

Notabilis autem quæſtio diſputatur per Rotam *dec. 221. part. 8. recent.* repetit. poſt Vivia. *deciſ. 126.* An ex gratia, 29
& privilegio, vel potius ex juſtitia, dicendum eſſet illud juſpatronatus, quod verè provenit ex fundatione, vel dotatione facta de bonis laicalibus deſtinatis, ex voluntate defuncti in alios uſus pios, cum quibus ex Apoſtolica commutatione talis erectio facta eſt, atque deciditur adhuc dici ex fundatione, vel dotatione, quoties bona non eſſent incorporata Eccleſiæ.

Ex gratia verò, & privilegio etiam competere dicitur juſpatronatus, quod verè initium habeat à fundatione, vel dotatione ex bonis laicalibus, vel quæ pro laicalibus habenda ſunt, ſi poſſeſſor illud non obtineat ex iſta cauſa, 30
ſed ex Apoſtolica conceſſione, ut in quadam facti contingentia pro veritate conſultus reſpondi, Quod quædam pia merè laicalis Confraternitas cum ſuis bonis, fundaſſet, & dotaſſet ſub reſervatione juriſpatronatus laicalis, Cano-
nicatum, ſeu Dignitatem in Cathedrali, poſtmodum verò Papa dictam Confraternitatem ſupreſſit, applicando reditus aliis piis uſibus, concedendo tamen jus præſentandi in d. beneficio confratribus ſingulari nomine donec viveret; Et dixi iſtud cenſeri juſpatronatus per privilegium, ideoque cadere ſub reſervationibus, non curato principio fundationis in ipſa confraternitate, ſed conſiderato titulo, ſeu cauſa, ex qua ipſi confratres privato, ac ſingulari jure obtinebant, quoniam cum nihil de ſuo patrimonio in fundatione, vel dotatione erogaſſent, & totum obtinere dice-
bantur ex cauſa merè lucrativa, & conſequenter ex pura gratia.

Præmiſſa verò concluſio, ut juſpatronatus competens de jure communi, ſeu de juſtitia non cadat ſub Regulis Cancellariæ aliiſque derogationibus, vel præjudicialibus Conſtitutionibus, & decretis, ceſſat ubi agatur de legibus, & Conſtitutionibus innixis rationi generali, quæ 31
congruat, etiam beneficiis juriſpatronatus laicorum, ut receptum habemus in materia textus *in cap. primo & ſecundo ut lite pendent. in ſexto*, de qua infra *diſc. 67.* Ac etiam in materia ætatis quatuordecim annorum per Sacr. Concil. Trident. præfinitæ in beneficiis, quamvis ſimplicibus, ut non militante expreſſa contraria lege fundationis, capiat etiam beneficia juriſpatronatus laicorum, ut *ſub tit. de Beneficiis* de materia ætatis *diſcurſ. 95.* Sive circa Conſtitutionem Julii III. prohibentem adipiſci poſſeſſionem ſine litteris, ubi proviſio facta eſſet à Sede Apoſtolica; Aut circa Conſtitutionem Gregorii XIII. de publicandis; Sive circa diſpoſitionem text. *in cap. avaritiæ de electione in ſexto*, cum ſimilibus, juxtà *deciſ. 56.* Caputaquen. *part. 3.* cum concordan. *deciſ. 216. 268. & 287. par. 7. recent.* & aliis.

Si autem juſpatronatus non eſſet totum laicale, ſed mixtum, partim ſcilicèt Eccleſiaſticum, partim laicale, vel per originem, vel per accidens; Et tunc, ubi mixtura eſt æqualis etiam antiquiores concordarunt, præponderan- 32
tiam deſumendam eſſe ex parte favorabiliori, ut pluries in præcedentibus advertitur, & conſequenter in hac ſpecie quod habeatur pro laicali, ideoque non cadat ſub reſervationibus, ut rejecta opinione Andreæ de Falcon. & aliorum Gozal. *d. gloſſ. 18. num. 12. & ſeqq.* Lotter. *dict. quæſt. 10. n. 76.* Cavaler. *deciſ. 268. 547. & 571.* Mantic. *deciſ. 292.* Buratt. *deciſ. 769. & deciſ. 655. n. 2. p. 4. recent. tom. 3. & deciſ. 38. in fin.* poſt Vivian.

Ubi verò ſit inæquale, quia ſcilicet pro majori parte Eccleſiaſticum, Et tunc totum cenſendum eſſe tale, ex ratione, quod mixtum dicitur eſſe de ſpecie præponderante, ſive quod major pars attrahit ad ſe minorem, illamque ſuffocat, cæteris relatis Gonzal. *d. gloſ. 18. n 15. & 16.* Lot- 33
ther. *lib. 2. quæſt. 10. n. 65. & ſeqq.* Cavaler. *deciſ. 178. 547. & 571.* Adden. ad Buratt. *deciſ. 103. & 769.* & alii, qui cum iſtis habentur relati ſupra *diſc. 59.*

Loquuntur iſti generaliter pro regulanda natura, ſeu qualitate juriſpatronatus, ad omnes effectus, etiam illum lon-

gloris, vel respectivè brevioris termini, sive alterum concedendi, vel denegandi facultatem accumulandi, cum similibus, non descendendo ad distinctiones, neque multum discurrendo materiam; Licèt enim aliqui unum, vel respectivè alterum effectum percutiat, attamen id potius provenit à casu, quàm quod unus ab altero distinguatur; Atque aliqui procedunt cum hac distinctione, per quam regulatur natura jurispatronatus ex gratia, vel ex justitia, ut est illud quod competit ex privilegio concesso ob augmentum dotis, vel aliam causam correspectivam.

Probabilius autem videtur ut huic generalitati adhærendum non sit, sed potiùs constituenda sit eadem regula, de qua *dict. disc. 59.* benè firmata in ibidem allegata *decis. 250. part. 12. recent. num. 8. & sequent.* ut quicquid sit de dicta alia mixtura gratiæ, & justitiæ satis diversam habente rationem, quod scilicet jusparonatus à forma gratiosa, & privilegiativa de facto creatur, ac originem trahit, ac etjam quod eo casu habemus legem scriptam in dictis Constitutionibus Innocentii, & Adriani; Quatenùs pertinet ad rem nostram, quod scil. agatur de jurepatronatus, quod totum est de justitia, seu de jure communi magis quàm speciali, accidentaliter autem assumpserit has duas naturas, eo quia fundatio, vel dotatio facta esset per plures, quorum aliqui essent Ecclesiastici, & alii sæculares; Sive per unum, quid egisset partim de bonis laicalibus, & partim Ecclesiasticis; Aut quod faciendo totum opus de laicalibus, reservasset jusparonatus pro laicis, & Ecclesiasticis respectivè; Séu, (ut frequentius contingit) quod aliquibus patronis laicis, Ecclesiasticis successerint; Tunc enim attenditur pars favorabilior, ad instar clerici, vel alterius privilegiati possidentis pro indiviso, cum pluribus laicis, seu non privilegiatis bona, vel jura præsertim individua, quod eis suum privilegium communicat, quamvis ipse sit pro minori parte possessor, cum si milibus.

Et consequenter, cùm expediat patronis omnibus etiam Ecclesiasticis, ac favorabile sit, ut jusparonatus remaneat in terminis juris communis, & non cadat sub reservationibus, verius videtur modicam laicalem partem sufficere pro hujusmodi præservativa, ut pluries dixit Rota.

Atque ad istum præsertim effectum nimium pro meo judicio conferre, seu quatrare videtur simile, de quo supra *discur. 59. in fin.* super mixtura personæ exemptæ à Statuto exclusio fœminarum, vel aliorum, quod illa non solùm conservat jus talis personæ exemptæ, seu non comprehensæ, sed facit cessare Statutum in totum, ut non capiat casum tanquam mixtum, & consequenter aperiatur locus etiam alii exclusis, juxta terminos juris communis.

Magisque proximè ad rem, seu materiam beneficialem, habemus in materia indultorum, juxta antiquum eorum statum, antequam prodiret Constitutio 59. Urbani VIII. quod scil. privilegium Episcopi, vel alterius Prælati, vel quod sublato obstaculo reservationum, sibi præservata remanebat facultas competens de jure communi, suffragabatur Capitulo, vel alteri inferiori participationem habenti in jure conferendi, non distinguendo portiones, vel ratas, ex iis, quæ habentur *sub tit. de Beneficiis*, præsertim *disc. 1.* Sive quæ *eodem tit. de Beneficiis*, habentur in materia alternativæ non intrantis in illis casibus, in quibus alter cum Episcopo aliquam, sive æqualem, sive inæqualem participationem habeat, quia cum Episcopus, qui alternativam acceptavit, non residendo amittat, juxta unam opinionem omnes suos menses ordinarios, vel juxta veriorem, & receptam duos amittat ex suis, hinc rationabile non est, ut id præjudicet consorti; Idque ad rem adaptabile videtur, quoniam aliàs compatroni, occasione litis, vel alterius livoris, seu æmulationis, ubi præsertim prole carent, tollere possent, seu inutile reddere jus aliorum consortium, transferendo eorum jura in Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas ex motivo potius æmulationis, & vindictæ, quàm pietatis.

Præterea ratio, quare jusparonatus Ecclesiasticum cadat sub reservationibus, quinimò & sub particularibus Apostolicis provisionibus, etiam absque aliqua speciali
33 mentione, vel derogatione, videtur illa, quod Papa omnium Ecclesiarum Orbis, earumque bonorum, & jurium, (juxta Canonistarum veriorem opinionem in foro externo apud Cattholicos receptam, ex deductis *discurs. 148. sub. titul. de Regalibus*,) est dominus absolutus, ac Supremus dispositor, Ordinarii verò aliique inferiores sunt dispositores magis jure administratorio, & subordinato, & consequenter alterius jus non tollit Papa disponendo de re, quæ sua est, ità supplendo vices patronorum Ecclesiasticorum; Ista autem ratio non cadit in patronatu laicali, in quo licèt, ut infrà, tanquam ex gratia Ecclesiæ, Papa idem dominium, ac dispositionem habeat, quando vult habere, attamen non solet, ac declaravit nolle ista facultate uti, ideoque ob notabilem differentiam inter unum casum, & alterum, sub juribus disponentibus de Ecclesiastico simpliciter, venire non debet casus mixtus, qualis qualis mixtura sit, ex regula seu axiomate, quod uni per alterum iniqua conditio inferri non debet; Ac etiam, quia inter compatronos dari potest, ac frequenter datur casus, ut qui habet minorem partem, validè insolidum præsentet, suaque præsentatio effectum sortiatur, quamvis personæ Ecclesiasticæ ratione officii, vel dignitatis sint perpetuæ nunquam defecturæ, quia scil. negligant præsentare in tempore, seu aliàs suum jus malè exerceant, undè propterea totum jus devolvatur, seu consolidetur in eo, qui validè præsentat; Ista verò spes ità desperata remaneret; atque jusparonatus, inutile, ac sine effectu remaneret.

Procedunt hæc, quatenùs mixtura sit tam in habitu, quàm in exercitio; Si enim esset penès laicos habitu tantùm, seu in solo jure honorifico, exercitium autem juris præsentandi totum esset penès Ecclesiasticos, tunc 34
ista cessant, ob cessantem rationem, atque intrant reservationes, & è contrà, secus si actus Ecclesiasticorum esset in exequutionem nominationis necessariæ laicorum, Adden. ad Burat. *dicta decis. 103. numero finali*, & habetur *dicto discurs. 59.* Cadente quæstione, ubi integrum jus præsentadi non esset perpetuò in Ecclesiasticis, sed temporaliter, putà alternatim; seu aliàs per turnariam divisionem, an scil. turnus dividat possessionem, vel ius, adeout, quando cadit in Ecclesiasticis, intrent reservationes; Et affirmativè credit, Garz. *part 5. cap. 1. num. 6. 4 & seqq.* Negativam verò tenet Lotther *lib 2. quæst. 10. num. 97. & sequent.* ubi concordantes; Istaque probabilior videtur, quoniam turnus verè divisionem non caulat, sed turnarius nomine omnium, tanquam aliorum procurator, seu mandatarius actum explicare dicitur; Ac etiam quia hæc, licèt alternata appositio manuum Papæ in conferendo tanquam reservata, (ut pluries experientia docuit,) nimium præjudicialis esse potest patronis laicis; Vel quia tractu temporis, & quando præsertim contingat, ut provisus diuturno tempore beneficium possideat, mortuis patronis benè informatis, continuari solent provisiones tanquam de libero; Vel quia (& contigibilius,) Apostolicæ provisiones cadant in personis sequentibus Romanam Curiam, per quarum obitum in Curia continuare solent provisiones cum derogatione juris patronatus etiam laicalis, ut proximè infra; Ad tollendas verò istas quæstiones, nimium cavere debent laici, nè ad hujusmodi turnarias divisiones, cum Ecclesiasticis deveniant, quamvis illæ inter ipsos compatronos, essent nimium commendabiles.

Ultrà prædictas derogationes generales, habemus etjam derogationes speciales per Sedem Apostolicam concedi solitas, quamvis ageretur de jurepatronatus laicali ex fundatione, vel dotatione, quarum aliquæ nullum præjudicium nullamque exorbitantiam continent, quando scil. (juxtà frequentiorem usum) derogetur medietati, cum enim altera medietas nihil concludat, undè propterea pro ea vice fiat locus gratificationi Ordinarii, perinde ac si beneficium esset liberum, ut in præcedentibus pluries habetur, hinc proindè patronus conqueri non potest, dum ipsi nulla fit injuria.

Altera species derogationis, quæ pariter passim concedi solet est, ubi sequatur provisio ad favorem compatroni, quamvis non omninò coæquale jus habentis cum altero, 36
qui extraneum, & non compatronorum præsentet, seu præsentare velit, cum tunc magna æquitas assistere videatur, Parif. *de resignat. lib. 2. quæst. 4. num. 57.* ubi concordantes.

Tertia consueta derogationis species est in gratia retentionis, quæ concedatur eidem aliàs præsentato ac possessori, qui per promotionem ad Episcopatum, vel assequutionem alterius incompatibilis aliàs retinere non posset, ita enim 37
nulla injuria fit patrono concedendo retentionem personæ semel per eum approbatæ, Parif. *dict. qu. 4. nu. 58.* Lotter. *lib. 2. qu. 8. num. 105.* Adden. ad Burat. *dec. 702. in fine*, ac etiam quia non est dare de novo, sed solum removere obstaculum, ut pluries *sub titulo de Beneficiis*, & sub altero *de pension.*

Ter-

Tertia est, ubi jusparonatus esset mixtum æquale, Parif. *d. quæst. 4. num. 49. & seqq.* Garz. *part. 5. cap. 1. num. 583.* Cavaler. *decif. 517. num. 1.* Et quamvis isti credant modicum præjudicium ita parari, stante quod portio Ecclesiasticorum cadat sub reservationibus, dictaque ratio, ut supra non subsistat, adhuc tamen videntur intrare termini, quos in materia prophana habemus de Principe, vel fisco aliquid pro communi possidente cum privato quod disponit de toto.

Quarta species derogationis est illa, quæ fit in casu permutationis, vel resignationis ad favorem, & hæc pariter
38 non reputatur multum præjudicialis ob incertitudinem, an vacatio prius sequi possit per mortem resignantis, quàm resignatarii, juxta ea, quæ habemus in materia translationis pensionis, ac etiam *disc. seq.*

Quinta demum est illa derogationis species, quæ exteris beneficialem materiam non callentibus, ac ignaro vulgo
39 exorbitans videtur, atque secandalum præbens, ubi scil. fit in totum per vacationem in Curia, Covar. *practicar. quæst. cap. 36. num. 4.* Parif. *de resignat. d lib. 2. quæst 4. nu. 44. & sequent.* Lotther. *d. lib. 2. quæst. 8. num. 98.* Rota *decis. 132. num. 19.* post Vivian. & in aliis.

Quamvis autem laudabile videretur, ut in hoc parcè, ac circumspectè procedatur, ad tollendam, dictam quamvis improbabilem scandali occasionem, ex dicto Apostoli, quod sapientibus, & insipientibus debitores sumus, Attamen injusta malèque fundata est conquestio, quoniam absolutum est, jurispatronatus introductionem in laicis emanasse ex mera benignitate, & gratia Sedis Apostolicæ ad alliciendum laicos ad fundandas, vel dotandas Ecclesias, ut advertitur supra *disc. 55.* & alibi, ideoque non est jus, quod competat à lege naturæ, vel gentium, ut opinatur vulgus ignarus, ac etiam opinantur Grammatici, & alii aliquam politioris litteraturæ notitiam habentes, qui credunt omnia scire, atque de omnibus judicant, cum verè in iis, quæ ad mundi regimen pertinent, nihil sciant, & consequenter non videtur quid prohibeat, ut ille qui aliquid gratiosè concessit, non possit gratiam, quandoque revocare, vel suspendere, ex deductis *dict. discurs. 148. de Regalibus*.

Major sine dubio est ista gratia, quàm sit illa, quæ omnibus per legem positivam conceditur penultimam voluntatem disponendi de bonis suis, quorum liberam habent dispositionem, & dominium, sed quia reputatur gratia legis positivæ, ex eo quod attento jure naturæ, dubitari potest, an competat facultas disponendi de bonis suis postquam jam annihilatus est, & non est ampliùs dominus, idcircò est receptum, ut Princeps tanquam lex animata, fideicommissis deroget, seu aliàs defunctorum voluntati dispenset, ut in sua materia *sub tit. de fidecom. disc. 141.* ac etiam *sub tit. de testamentis disc. 1.* & in aliis, igitur multò magis concedendum est in ista, quæ est dupliciter gratia, disponendi scil. post mortem, & de juribus Ecclesiasticis.

Benè verùm est, quod si fundator legem adiiciat, ut in casu Apostolicæ, derogationis, redditus per eum assignati non pertineant ad provisum, sed in alios usus con-
40 vertantur, talem legem servandam esse, firmavit Rota in *Januen. Beneficii 28. Junii 1624. coram Ubaldo*, & latius *in Fanen. Cappellæ 22. Junii 1646. coram Rojas*, inter suas *decis. 294.* Undè propterea hæc reputatur bona cautela; Melior tamen est altera in præcedentibus insinuata, atque à me sæpissimè consulta, ut fiant erectiones cappellaniarum verè manualium absque al.qua Ordinarii auctoritate, tanquam in forma legati pii, cum in eis omnia præmissa, omnesque aliæ beneficiales regulæ cessent.

Quid autem requiratur, ut suffragetur derogatio pro medietate, habetur in præcedentibus, ac etiam infrà *disc. 71.*

In iis verò casibus, in quibus jusparonatus, ut supra, cadat sub reservationibus, vel affectionibus, seu quod
41 aliàs ei derogetur, putà ob vacationem in Curia, tunc Intrat quæstio, an Papa adhuc ligetur qualitate passiva, ut scilicèt conferre teneatur certo generi personarum in limine fundationis vocato; In hoc autem nulla est quæstio potestatis, quando clara voluntas adsit, quoniam sicuti Papa derogare potest jurispatronatus activo, ità etiam passivo, cum nulla subsit differentiæ ratio, quoniam ut supra, ac etjam *disc. seq.* dictum est jusparonatus provenit ex mera gratia Ecclesiæ, & legis positivæ, cui Papa derogare potest; Idcòque remanet solum quæstio voluntatis, ex generaliter deductis *decis. 153. num. 6. 183. uu. 2. & seqq. & 352. part. 6. recent.* & in aliis; Adhuc tamen in his terminis jurispatronatus, pro regulanda voluntate, seu operatione generalium derogationum, procedendum videtur, cum eis-

dem distinctionibus jurispatronatus activi, an competat ex gratia, vel ex justitia, & an sit laicale, vel Ecclesiasticum, cum differentia inter gratiam, & justitiam ratione facilioris, vel difficilioris voluntatis.

ADNOT. AD DISC. LXVI.

NOtatum est supra *ad disc. 2.*

De provisionibus beneficiorum, seu resignationibus, vel permutationibus, aliisque gravaminibus sine consensu patronorum, quando valeant; Et quatenus non, an fiat locus novæ præsentationi necnè.

SUMMARIUM.

1 *PRovisio ad benefic. jurispatronatus Ecclesiastici est valida etiam sine ejus mentione, vel derogatione, idemque in laicali, ex jure speciali.*
2 *Secus in laicali ex jure communi ratione fundationis, vel dotationis quamvis provisio esset motu proprio.*
3 *Et quamvis esset de illis provisionibus in quibus solet de facili derogari, nam adhuc ea requiritur.*
4 *Atque ita provisus non est legitimus contradictor instituto ad præsentationem.*
5 *Sufficit ad hunc effectum quasi possessio, ex qua resultat præsumptio, quod fit jusparonatus ex fundatione, vel dotatione.*
6 *Non est nullus actus ipso jure, sed annullandus ope exceptionis quatenus patronus opponat, & præsentet, alias subsistetur.*
7 *An in hoc, resignatio ad favorem differat à simplici provisione.*
8 *Quid in permutatione, quæ fiat coram Ordinario;*
9 *Neque unio fieri potest, quamvis fieret seminario.*
10 *Idem in suppressione, vel dismembratione.*
11 *Quod neque possit erigi in Collegiatam.*
12 *Si erigatur in Collegiatam, vel Cathedralem, adhuc patrono remanet jus præsentandi ad Canonicatus.*
13 *Quod declaratur.*
14 *In reservatione pensionis, an requiratur mentio juris patronatus, & consensus patroni.*
15 *In reservatione pensionis, quæ fiat super beneficio de jurepatronatus Regio, requiritur specialis mentio, quia fit difficilius.*
17 *De materia litigiosi remissivè.*

DISC. LXVI.

REtenta distinctione, de qua *disc. præced.* intet jusparonatus Ecclesiasticum, & laicale, ac istius subdistinctione, inter laicale ex jure speciali, quale dicitur illud, quod competit ex consuetudine, vel privilegio, & alterum ex jure communi, quale est illud ex fundatione, vel dotatione, seu etiam mixtum, in quo justitia, seu causa onerosa præponderet, & è contrà.

Regula generalis est, ut quoties jusparonatus est tale, 1
quod cadat sub reservationibus, ac affectionibus Apostolicis, valida etiam sit provisio eadem Apostolica auctoritate facta, etiam sine aliqua jurispatronatus mentione, vel speciali derogatione ex eisdem auctoritatibus deductis *d. disc. præced.*

E' conversò autem, quando jusparonatus est tale, quod 2
non cadit sub regulis, & reservationibus, certum est, ut quæcumque provisio, vel alia dispositio facta de beneficio absque speciali mentione derogationis jurispatronatus, invalida sit, atque habeatur pro infecta, quamvis provisio esset motu proprio Cardinal. *consil. 69.* Lap. *allcg. 96.* Covar. *pract. cap. 36. n. 1.* Parif. *de resignat. lib. 2. qu. 4. nu. 35. & seq.* Lotther. *lib. 2. q. 10. n. 68. & seq.* & Rota *dec. 168. par. 10. recen. n. 47.* ubi late concordantes, & communiter; idque verum quamvis versaremur in casibus, in quibus Papa soleat juri- 3
patronatus derogare, puta per vacationem in Curia, sive in casu permutationis, vel resignationis, aut coadjutoriæ, vel simili gratia, quoniam solet quidem Papa id facere, sed debet constare de hac voluntate, & non aliàs, ideòque, Aliud est, quod Papa soleat derogare, atque sit facilis; Aliud verò, ut non facta mentione hujus qualitatis, actus sit invalidus ex defectu intentionis.

Adeoque invalida est, quod ita provisus dici non possit 4
legitimus contradictor præsentato, ac instituto ex copiosè deductis *d. decis. 168. part. 10. recent. num. 48.*

Cadente quæstione, an ad effectum hujusmodi invaliditatis constare debeat de titulo, quodque sit patronatus competens de jure communi, vel potius sufficiat quasi possessio in jure præsentandi, ex qua oriatur præsumptio, quod sit ex fundatione, vel dotatione, & quoties non agatur de Potentibus, in quibus præscripta est certa forma sub decreto irritanti, undè propterea sola possessio non sufficit, ut supra *disc.* 58. in privatis verius est, ut ex sola possessione, dicta præsumptio resultet, unde intrent termini textus *in cap. Consultationibus*, Cardinalis *dict. cons.* 69. cum concord. per Lotther. *d. quæst.* 10. *num.* 78. *& sequent. decis.* 494. *num.* 4. *part.* 3. *recent. Aurien. Parochialis* 28. *Aprilis* 1653. *Peutingerio*, & 6. *Februarii* 1654. *Zarata*, & advertitur supra *disc.* 63. ubi de possessione, ejusque effectibus.

Procedit tamen conclusio circa provisionem, quatenùs patronus infrà terminum à jure statutum præsentet, suoque jure utatur; Si enim labatur terminus, unde ejus jus cesset, tunc provisio substinetur, quasi quod non sit nulla ipso jure, sed ope exceptionis; si & quatenùs patronus
6 contradicat, aliumque præsentet, idque non solùm in provisione Apostolica, sed etiam ordinaria Paris. *dict. qu.* 4. *num.* 17 & 22. Rota *decis.* 152. *num.* 7. *& sequent. part.* 5. *recent.* Et in terminis resignationis ad favorem *decis.* 186. *num.* 3. & 4. *& per totum part.* 6. *recent.* Garz. *part.* 11. *cap.* 2. *num.* 16. *cum sequent.*

7 Licèt enim in casu resignationis, ubi actus fiat coram Ordinario, id non admittatur, Attamen non provenit ex eo, quod resignatio habeat aliquid speciale, ac differat à provisione (cum potius in illius, quàm in istius casu, concedi soleat derogatio,) sed provenit ex defectu potestatis Ordinarii, coram quo fieri non possunt resignationes ad favorem certæ personæ, quod non nisi coram Papa fieri potest, Garz. *d. cap.* 19. *num.* 23. Rot. *decis.* 190. *num.* 4. *part.* 5. *recent.* & passim.

Hinc proindè, quæstiones circa actus, qui fiunt coram Ordinario, cadunt potius in casu permutationis, quæ coram eo fieri potest, Tunc etenim si fiat spretis patronis,
8 quorum consensum, utpotè injustè denegatum Ordinarius non supplevérit, intrat quæstio, an resultet nullitas actus cum vacatione, adeoque fiat locus novæ præsentationi, vel potius permutantibus detur regressus ad propria beneficia, perindè ac si permutatio facta non esset; Et quatenus iste regressus detur, an sequatur propria auctoritate, ac jure primævo, vel requiratur nova provisio; Super hoc autem variæ habentur opiniones de facili conciliabiles, cum distinctione, an adsit spretus positivus, & culposus, qui redoleat delictum productivum pœnæ privationis, seu amissionis, necnè ex iis quæ super hoc puncto permutationis habentur supra *disc.* 44. ex *decis.* 152. & 190. *part.* 5. *recent.* quæ sunt in hac materia magistrales, & cum quibus proceditur in *decis.* 249. *p.* 10. revocatoria alteriùs, quæ habetur *in cad. part.* 10. *decis.* 68. ubi de infectione actus ob non factam mentionem juris patronatus passivi, quod sonat in idem, ob rationis identitatem, unde quæ habentur in activo, procedunt quoque in passivo.

Nedum autem invalida est provisio, vel resignatio, si-
9 ve permutatio ipsius beneficii, verùm etiam unio, quæ fieret etiam si esset ad favorem Seminarii, juxta formam Concilii, seu ex alia justa causa, Paris. *dicta quæst.* 4. *num.* 11. Garz. *part.* 12. *cap.* 2. *num.* 202. *cum seqq.* Lotther. *dict. quæst.* 8. *num.* 94. Rota *decis.* 505. *num.* 5. *part.* 5. *recent.* cum aliis per Adden. *ad decis.* 373. *in fine*, *part.* 4. *recent. tom.* 2. Idemque ex rationis identitate, in supressione, vel dismembratione, alioque actu præjudiciali; Si enim et-
10 jam in beneficiis liberæ collationis habemus, quod in suppressionibus, vel dismembrationibus desideratur consensus Rectoris, vel parochianorum, aut alterius interessati, ex deductis apud Otthobon. *decis.* 6. & latius *decis.* 224. *part.* 10. *recent.* ut *sub tit. de alienat. & contract. disc.* 1. & *sub tit. de paroch. disc.* 35. Multò magis desiderandus est consensus patroni in Ecclesia non libera.

Et quod neque Ecclesia patronata possit mutare statum
11 in melius, & consequenter non possit erigi in Collegiatam sine consensu Patroni, vel ejus derogatione, Lotther. *d. lib.* 2. *quæst.* 8. *num.* 95. Si autem dicta erectio fiat in Collegiatam, vel in Cathedralem, facta censetur absque patroni præjudicio, & consequenter sibi remanet jus præsentandi ad Canonicatus, eo modo, quo sibi competebat in jure præsentandi unum, vel plures Rectores, seu beneficiatos; Seraph. *decis.* 1444. Burat. *decis.* 162. *num.* 30. & 31.
12 ubi quod secùs sit in Prælato, quamvis pro ejus mensa, seu dote aliqui Ecclesiæ fructus assignentur.

Verùm respectu Canonicatuum, eatenus dicta conclusio recipienda venit, quatenùs agatur de illis Canonicatibus qui erecti, ac fundati sunt de ipsius Ecclesiæ patronatæ bonis ac redditibus, secùs autem quod eos, qui ex beneficiis liberæ collationis, seu ex aliis bonis erecti essent, cum in eis patronus nullum jus habeat, dum cessat ratio subrogatorum, &c. ut cæteris relatis 13
habetur *decis.* 31. *part.* 10. *recent.* edita in *Nuscana Canonicatus*, de qua *sub tit. de Beneficiis disc.* 17. ubi quod licèt regulariter provisio Canonicatuum in Collegiata facienda sit ad electionem ipsius Collegii, secus tamen est, ubi Canonicatus, vel in toto, vel in parte erecti non essent ex bonis, & reddjtibus ipsius Ecclesiæ, sed ex beneficiis liberæ collationis, ita à pari, &c.

Quo verò ad reservationem pensionis; Regula est ut illo actu consensus patroni non desideretur, sub eo tamen requisito, ut ista qualitas patronalis exprimatur, 14
seu aliàs constet, quod Papæ innotescat, Seraph. *decis.* 1264. *num* 1. Rota *dicta decis.* 186. *num.* 4. & 213. *n.* 10. *part.* 6. Cum enim iste actus non fiat nisi à Papa, (cum nõ de facili detur casus validæ reservationis pensionis in Ordinario,) Hin accedente scientia, videtur adesse implicita 15
derogatio consensus non adeò requisiti, dum nullum adest præjudicium circa jus præsentandi in beneficio. Ubi verò ageretur de jurepatronatus Regio, desideratur istius qualitatis mentio specialis, ex ea ratione, quod huic patronatui non solet ita de facili derogari uti fit in illo privatorum, ut apud Burat. *decis.* 343. *num.* 1. Et conferunt in idem, quæ habentur supra *disc. præced.* circa derogationem in casu vacationis in Curia, seu ex alia causa ob quam illa de facili concedatur, quod licèt Papa possit, non tamen soleat derogare juripatronatus Regio, super quo cadit quæ-
stio, de qua *disc. sequenti*, an illud cadat sub derogatio- 16
ne, vel prohibitione resultante à dispositione text. *in cap.* 1. & 2. *ut lit. pend. in sexto.*

ADNOT. AD DISC. LXVI.

DE permutatione sine consensu Patroni habetur supra *disc.* 44.

De attentatis in materia juripatronatus, quomodo, & quando intrent, tam quod ad ipsos præsentatos de beneficio contendentes, quàm quoad patronos super impedimento juris præsentandi, ad materiam text. *in cap.* 1. & 2. *ut lite pendente in sexto.*

SUMMARIUM.

1 *DE attentatis inter ipsos litigantes super beneficio ratione appellationis remissive.*
2 *De materia text.* in cap. 1. & 2. ut lite pendent. in sext. *quod in beneficio litigioso non possit fieri præsentatio.*
3 *Etiam si vacatio sequatur per mortem civilem, seu aliàs quàm per mortem naturalem.*
4 *Ac etiam si fieret cessio liti, seu causæ.*
5 *Quid ubi durante termino, & per accumulationem collitigantis.*
6 *An regula procedat ubi collitigantes veniant diverso jure, unus scilicet præsentationis, & alter liberæ collationis; & an differat provisio Ordinarii à provisione Apostolica.*
7 *Lis calumniosa non attenditur.*
8 *Si non intrat regula in beneficiis liberis, multo minus in illis de jurepatronatus.*
9 *Non intrat ubi lis est inter patronos, vel collatores super jure præsentandi, vel conferendi.*
10 *Declaratur quando persona patroni, vel præsentati respectivè existens in fine faciat beneficium litigiosum.*
11 *Quando dicatur inducta, vel extincta lis remissivè.*
12 *An cesset regula per statutum, vel consuetudinem, aut legem fundationis.*

DISC. LXVII.

ATtentatorum inspectio dupliciter cadit in hoc mate- 1
ria juripatronatus, primò scil. circa ordinem judiciarium inter præsentatos de beneficio contendentes, & an institutio uni concessa dicatur actus judicialis, vel extrajudicialis, adeout intret necnè appellatio suspensiva, cujus ratione gesta post illam interpositam, sive pendente illius termino sint attentata, & de hoc habetur particulariter actum supra *in Nullius Baren. disc.* 51. ubi etiam insinuatur, quid dicendum sit in casu executionis litterarum Apo-

Apostolicarum super provisione ad favorem unius ex præsentatis occasione derogationis medietatis, vel alterius partis vocum.

Altera verò attentatorum species est illa, quæ resultat in præjudicium ipsorum patronorum, nè in beneficio litigioso exercere valeant jus præsentandi, quod eis aliàs competit, unde propterea non obstante patronali qualitate, ita 2
beneficium cadat sub Apostolica reservatione, vel affectione, juxtà terminos textus *in cap.* 1. & 2. *ut lite penden. in sexto*, cum ibi communiter notatis; Licèt enim isti Canones in littera disponant de beneficiis electivis, contra eos, quibus competit jus eligendi, Attamen receptum est procedere etiam in beneficiis juripatronatus quamvis laicalis, & competentis de justitia, seu de jure communi ex causa fundationis, vel dotationis in præjudicium habentium jus præsentandi; Idque non in ratione extensiva, ut aliqui crediderunt, sed potiùs intensiva, & comprehensiva, quasi quod casus electionis stet demonstrativè ac, propterea, non littera, sed ratio attendi debeat, juxtà *consil.* Calderin. 1. *ut lite pend. & alleg.* 22. Lapi cum concord. per Adden. ad Lap. *ibid.* Cassad. *decis.* 3. *eod tit. ut lit. pend.* Lancellot. *de attentatis part.* 2. *cap.* 4. *in præfat. num* 669. Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 20. *num.* 3. Rota apud Coccin *decis.* 426. *n.* 1. Cavaler. *decis.* 126. & 280. *pariter in princip.* Burat. *decis.* 997. *n.* 1. ubi Adden. *decis.* 599. *n.* 13. *& seq. part.* 4. *recent. tom.* 3. & frequenter, cum regula hodie non admittat ampliùs quæstionem, cadentem solum super ejus limitationibus, seu declarationibus, & habetur etiam *sub tit. de Beneficiis disc. generali* 92. ubi agendo de materia beneficii litigiosi in genere, agitur etiam de ista materia juripatronatus, cum in proposito iidem ferè in omnibus intrent termini, ac regulæ procedant, ideoque necessitas cogit sub una, & altera materia, contrà stylum, ac genium, aliqua repetere.

Atque, ut ibidem quoque advertitur, dicta regula procedit in quacumque vacatione, non solùm per mortem na- 3
turalem collitigantis, sed etiam civilem resultantem à renunciatione, privatione, professione in Religione, assequutione alterius incompatibilis, vel simili, Lap. *d. alleg.* 22. Lancellot. *loc. sup. cit. num.* 682. Garz. *part.* 5. *cap.* 9. *num.* 219. Burat. *decis.* 39. Quinimò si cessio fieret, non beneficio, sed causæ, & liti simpliciter, adhuc idem dicendum est, Lan-
4 cellot. *part.* 1. *cap.* 3. *de attentatis à tertio num.* 103. *& seqq.* Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 61. *num.* 112. Cavaler. *decis.* 559. *nu.* 1. & communiter.

Ampliatur secundo, quamvis adhuc duraret terminus juris, in quo collitigantes præsentati fuerant; Quamvis enim patronis laicis durante termino, ac re integra, detur facultas accumulandi cum declarationibus, de quibus supra *in Compostellana disc.* 43. Attamen inter alias restrictiones est ista, ubi lis jam inter præsentatos introducta
5 est, Lancellot. *d. part* 2. *cap.* 4. *in præfat. num.* 686. *cum sequ.* Lotther. *lib.* 2. *quæst* 20. *num.* 2. Barbos. *alleg.* 72. *num.* 162. Adden. ad Burat. *decis.* 942. *num.* 7. Idque verum, quamvis accumulatio fieret in uno ex ipsis collitigantibus, quoties sunt plures, adeòut resultet idem effectus, quod tendat in alterius præjudicium, Lancell. *ubi sup. nu.* 684. cum aliis, de quibus *d. disc.* 43.

Ampliant aliqui idem procedere, quamvis lis super beneficio non esset inter præsentatos ex eodem præsentationis jure venientes, sed esset inter eos qui litigarent diverso jure, putà quia unus contenderet de institutione in vim præsentationis in beneficio de jurepatronatus, alter verò
6 in vim provisionis Apostolicæ, vel Ordinariæ de beneficio tanquam libero, ità tamen quod ita provisus dici valeat, ut efficiatur beneficium litigiosum, Seraph. *decis.* 990. Cavaler. *decis.* 126. Coccin. *decis.* 426. & in aliis; Quæ tamen loquuntur de provisо Apostolico, unde propterea alias fui dubitatum, an idem dicendum sit de provisо per Ordinarium, ob eam diversitatis rationem, quod Ordinarius ità posset supplantare patronos dando collitigantem ab eo provisum, ut ex Ricc. motivat Barbos. *dict. alleg.* 72. *num.* 162.

Advertebam tamen istam dubitationem non videri probabilem, Aut enim provisio Ordinarii tanquam de libero non habet probabile fundamentum, adeòut intret dicta ratio affectandi supplantationem patronorum sub prætextu litis, & tunc non resultaret effectus, ex limitatione quam regula patitur, ubi lis esset calumniosa, seu aliàs affectatè, & in fraudem mota, Cavaler. *d. decis.* 126. *num.* 4. Burat. *decis.* 927. *num.* 10. ubi Adden. *num.* 15. Aut est justa, & pro-
7 babilis, & tunc non videtur subesse ratio differentiæ inter provisum Apostolicum, & provisum ab Ordinario; Potissimè quia non de facili præsumenda est ista fraus in Ordinario ob cessantem ejus utilitatem, dum contingente casu vacationis ipse non posset providere, sed intrat affectio Apostolica, atque in materia falsitatis, seu alterius fraudis, principaliter inspicitur interesse ejus de quo suspicio habetur, quod falsitatem, vel aliam fraudem commiserit, cum sine utilitate non de facili hujusmodi crimina committi soleant, ut *sub tit. de testam.*

Procedunt hæc præsuppositа tali lite inter contendentes de institutione, seu adjudicatione beneficii, adeout 8
istud dici valeat litigiosum, unde propterea intrent termini generales tam ad materiam istorum Canonum *cap.* 1. & 2. *ut lite pendent. in sexto*, quàm etiam ad alteram Regulæ *de subrogandis*, ex deductis in sua materia *sub tit. de Beneficiis*, quoniam si regula non intraret in beneficiis liberæ collationis, multò minus & absque dubio in istis de jurepatronatus.

Hinc proindè si lis esset principaliter inter patronos super pertinentia juripatronatus ac præsentandi; Sive inter patronum, & Ordinarium super existentia juripatronatus, & tunc tam circa petitorium, quàm etiam circa pos- 9
sessorium, non intrat dictorum Canonum dispositio, quamvis illi qui præsentati, vel respectivè provisi fuerunt, essent in causa, accessoriè tamen adhærendo pro eorum jure, & interesse ob utilitatem quæ uni, vel alteri respectivè ab exitu causæ, ac victoria ejus auctoris resultaret, quoniam id non facit beneficium litigiosum, & consequenter non intrat dictorum Canonum dispositio, Lap. *alleg.* 136. *num.* 2. *& seq.* cum concordan. per Lotther *dict. quæst.* 20. *num.* 5. *& sequent.* Rota *decis.* 427. *part.* 1. *recent. decis.* 599. *num.* 17. *part.* 4 *tom.* 3. apud Burat. *decis.* 59. *num.* 12. Quicquid dicat Lancellot. *d. cap.* 4. *num.* 636. & 679. ac etiam *num.* 642. & 650. circa distinctionem, an lis esset in petitorio, vel in possessorio tantùm, cum utroque casu idem dicendum sit, juxtà dictam allegationem Lapi, ut benè Lotter. *dict. quæst.* 20 *num* 13. *& num.* 17 *cum sequen.*

E'converso autem si lis principaliter esset inter ipsos præsentatos, vel respectivè provisos contendentes de adjudi- 10
catione beneficii, atque patroni etiam essent in causa, illis adhærentes, intrat regula juxtà dictorum Canonum dispositionem, quoniam ex persona actoris judicium metimur, seu eorum qui sunt principaliter in causa, non autem eorum qui accessoriè, assistuut collitigantibus, pro eorum jure.

Quando autem, & quomodo dicatur introducta lis, quæ faciat beneficium litigiosum, & quando illa dicatur extincta, seu cessata, adeout hic effectus cesset, non per- 11
cutit hanc peculiarem materiam, sed generaliter illam beneficiorum quamvis liberæ collationis, dum hæc beneficia juripatronatus, juxtà unam opinionem per extensionem, seu assimilationem, & juxtà alteram magis receptam per intentionem, seu comprehensionem sub dicta regula veniunt, idcircò de hoc habetur actum in dicta sua materia *de Beneficiis in genere d. disc.* 92. ac etiam alibi occasione Regulæ *de subrogandis*, ubi etiam quando lis dicatur calumniosa, itaut dictum effectum non causet.

Et circa facultatem præsentandi collitigantem superstitem ob cessantem rationem habetur *supra d. disc.* 43.

Deducit etiam regulæ limitationem, Lancellot. *d. cap.* 4. *num.* 693. *& sequent.* quando per Statutum, vel consuetudinem, seu legem fundationis in contrarium disponeretur, ista verò generalitas non placet, ideoque dicti tres termi- 12
ni distinguendi sunt; Quatenus enim pertinet ad statutum, eatenùs id recipiendum est, quatenùs confirmationem Apostolicam informa specifica habeat, sine qua inferior in iis quæ sunt expressè contra jus statuere non potest, ideoque nihil refert, quod per Constitutiones Synodales, vel aliud inferioris Statutum ita disponeretur, quamvis istud talem longævam observantiam haberet, quod ex illa resultaret præsumptio confirmationis, cum hæc confirmatio præsumpta censeatur in forma communi, Burat. *decis.* 6. *num.* 4. Ubi verò agatur de consuetudine immemorabili cum suis requisitis benè probata, tunc id admittendum venit ex pluries insinuata virtute, seu operatione immemorabilis, quod ejus vigore allegari potest quicumque titulus de mundo melior, absque necessitate illum justificandi, ideoque allegari posset privilegium Apostolicum, seu lex de consensu Ordinarii adjecta in limine fundationis; Difficile tamen videtur dare in praxi hujusmodi consuetudinis probationem.

Quando verò ita statueretur per legem à fundatore adjectam in limine fundationis cum consensu Ordinarii, tunc

illa admittenda veniret ex generali propositione, de qua pluries in præcedentibus, quod patronus in limine fundationis adjicere potest leges, & conditiones, quamvis juri contrarias.

ANNOT. AD DISC. LXVII.

DE attentatis in hac materia Juris patronatus habetur actum supra *disc.* 1. 43. & 51. Et generaliter de attentatis habetur *sub tit. de Judic. disc.* 18.

SENEN. COMMENDÆ PRO PHILIPPO DE VENTURIS, CUM SERGIO BERLINGHERIO.

Responsum ad casum, cum sensu veritatis.

An facultas data ultimo de linea, cui reservatum est jus patronatus commendæ nominandæ alterum, exercere valeat per eum qui non sit ultimus, sed ultimum gravare possit; Et aliqua de eisdem commendis, de quibus supra disc. 20. Et in concursu plurium nominationum, quæ debeat prævalere.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Nominatio facta per testatorem in bonis emphyteuticis impugnari non potest per hæredem, in illis ex propria persona succedentem.*
3 *Testator disponere potest de bonis propriis hæredis, eumque gravare.*
4 *Habens facultatem nominandi, vel eligendi in morte, an id facere possit in vita, vel aliàs ordinem pervertere, & num.* 11.
5 *Negativa procederet, ubi esset admixtum jus tertii.*
6 *Hæres obligatur etiam in juribus propriis observare factum defuncti.*
7 *Reservatio juris patronatus quamvis ex titulo dotationis, vel fundationis, ex mera gratia Ecclesiæ.*
8 *Leges adjectæ illius fundatione servari debent.*
9 *Patronus in limine fundationis adjicere potest leges sibi benè visas, licèt juri contrarias.*
10 *Declaratur conclusio, de qua num.* 9.
11 *Facultas nominandi data ultimo de linea exerceri non potest per eum qui non sit ultimus.*
12 *Facta duobus concessione juris patronatus præfertur habens consensum Ordinarii quamvis posterior.*
13 *Posteriores assensum Domini habentes, præferuntur anterioribus illo destitutis.*
14 *Nominatio semel facta an possit revocari.*

DISC. LXVIII.

FUndavit Joannes Dominicus Verrucius, cum auctoritate M. Magistri, commendam militarem Sancti
1 Stephani, cum dote scutorum decem mille, sub reservatione juris patronatus ad favorem sui ipsius ejusque descendentium, hisque non extantibus, vel defectis, ad favorem Danielis ex fratre nepotis, ejusque descendentium, & quatenùs istius etiam linea deficeret, vel non extaret ad favorem Canonici Augusti fratris tantùm, qui etiam commendam obtineret, ubi ob ætatem pupillarem, vel aliud impedimentum essent incapaces illi qui prius, cessante incapacitate, obtinere deberent, quodque ultimus superstes nominare posset successorem cum sua descendentia ex certo genere descendentium ex fœminis, istoque etiam defecto, commenda esset ad liberam dispositionem Religionis; Cum autem defuncto fundatore sine prole, Daniel superstes in pupillari ætate constitutus esset, hinc Augustus ad formam fundationis prohibentis suspensionem, (aliàs in hac Religione permissam) de commenda investiri obtinuit, isque moriens scripto hærede eodem Daniele, istum gravavit ad acceptandum ejus testamentum, in quo inter cætera disposuit, ut ipso Daniele moriente sine filiis, vel istis quoque deficientibus, superstitibus quibusdam aliis cognatis, unus istorum, juxta ordinem ab eodem testatore prescriptum, in dicta commenda nominatus censeretur; Moriens autem Daniel sine prole (cum dictum testamentum jam acceptasset) in commenda nominavit Philippum ex sorore nepotem, inter quem, & Sergium à dicto Augusto nominatum, & qui solus ex pluribus superstes fuerat, orta est controversia coram Magistratibus ejusdem Religionis, qualis nominatio attendi, ac prævalere deberet.

Fundabat Sergius ejus intentionem in speciali auctoritate, Caldas *in tract. de nomin. emphyt. part. 3. cap. 5. num.* 18. *cum seq.* ubi in specie quod si testator nominet alium in bonis emphyteuticis, quæ jure proprio spectarent ad hæredem, non potest iste nominationem impugnare ex conclusione deducta ex textu *in l. cum pater, ff. de leg.* 2. quod testator disponere potest etiam de bonis propriis hæredem, illumque in eis, saltem ad limites hereditatis ejusque com- 3
modi gravare, de qua conclusione, ultra allegatos per Caldas *ubi sup.* plenè habetur apud Duran. *dec.* 93. *num.* 1. & *seqq.* ubi quod nulla cadit quæstio super potestate, sed tota est voluntatis, ac habetur pluries actum *sub tit. de fideicom. disc.* 134. *cum pluribus seqq.* ac etiam *in Romana hæreditatis de Spatis sub tit. de testam. disc.* 42.

Clariùs verò, stante quod hæres testamentum prædictum expresse acceptaverat per publicum instrumentum, hypotheca, & guarantigia pro stylo munitum, unde propterea cessabat quæstio quæ aliàs cadere potuisset, quando ageretur de sola actione personali resultante à quasi contractu additionis hæreditatis, juxtà ea quæ habentur *sub d. tit. de fideicomm. disc.* 31.

His tamen non obstantibus (cum sensu etiam veritatis) Respondi Philippo majorem assistere probabilitatem, ejusdem nominationem prævalere debere quamvis ageretur de nominandi facultate, quæ ex privato testatoris judicio in 4
prophanis, ac indifferentibus bonis ultimo deficienti de genere vocato concessa esset, quoniam ubi admixtum esse potest interesse tertii, cujus interfit nominationem non nisi de tempore mortis, sive terminationis generis à testatore consideratæ fieri, verius est, ut illa anticipatè quamvis ab eadem persona fieri non possit, ad text. *in l. cum pater § à filia, ff. de leg.* 2. Bart. Castr. & alii *in l. unum ex familia, ff. eodem*, & cæteri communiter plenè relati per Rot. *dec.* 263. & 323. *part.* 2. *recent. decis.* 326. *num.* 19. & 20. *par.* 4. *tom.* 2. *& in Firmana primogenituræ coram Verospio dec.* 96. & 98. post collect. Bonden. editis in casu de quo *sub tit. de fideicom. disc.* 33. quamvis enim in eo casu impugnando dictas decisiones difficultas habeatur, attamen illa non est super veritate conclusionis, sed super applicatione ex diversa fa- 5
cti qualitate, quia cessabat interesse tertii, cujus rationi conclusio innixa est; Interesse autem in præsenti certum erat nempè Religionis libertatem commendæ acquirentis, ubi ultimus hujusmodi facultate uti negligeret, ideoque non poterat alter qui non erat ultimus, neque hanc facultatem habebat, illam exercere in tertii præjudicium, quo accedente cessant ea quæ habentur apud Caldas *ubi supra*, percutientia casum in quo agatur de solo interesse, ac præjudicio hæredis obligati etiam in juribus suis obser- 6
vare factum proprii auctoris, juxta dictam regulam text. *in l. cum matre, C. de rei vend.* secundum veriorem, ac hodie receptam opinionem, de qua apud Franc. *decis.* 53. & 83. cum aliis per Buratt. & Adden. *dec.* 154. & 395. rejecta contraria opinione Grammatici *dec.* 93. ut pluries in sua materia *sub tit. de fideicomm.* & alibi.

Verùm hæc dicebantur ad superabundantiam, quoniam omnis difficultas cessabat ex eo quod non versaremur in rebus indifferentibus, in quibus nominandi facultas proveniret ex privata concessione juxtà supradictos terminos, sed in materia spirituali juris patronatus, cujus reservatio quamvis ex titulo dotationis, vel fundationis, resultare dicitur à mera gratia, & benignitate Ecclesiæ ad alli- 7
ciendos fideles ad fundandas, & dotandas Ecclesias ex deductis per Vivian. *de jurepatronat. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 35. *& cap.* 9. *num.* 8. & habetur supra *disc.* 55. ac frequenter, ideoque ubi talis reservatio cum certis legibus concedatur, 8
earum limites transgredi non possunt, sed ea lex quæ initio adjecta est servari debet, ut pluries in præcedentibus; Quamvis enim receptum sit, quod patronus in limine fundationis adjicere potest leges, & conditiones sibi visas, 9
quamvis juris dispositioni contrarias ex deductis apud Burat. & Adden. *dec.* 21. 61. & 223. attamen ut pluries in præcedentibus advertitur, id procedit cum duplici temperamento; Primò scilicèt, ut id de consensu Ordinarii, vel alterius superioris sequatur; Et secundò, ut incontinenti, & priusquam alteri jus queratur, quamvis ageretur de ipsomet primo fundatore, cui ex intervallo major competit facultas, quamvis successori, interpretandi scilicèt ejus dispositionem quando non omninò clara esset.

Et consequenter cum ex lege conventionis inter M. Magistrum, & fundatorem statutum esset, ut solùm ultimus super-

superstes hanc facultatem haberet, atque, ut supra, Religionis interesset, ut in genere vocato, non nisi per ultimum lineæ, sine imminente nominatio fieret, hinc proindè dicta intempestiva nominatio facta per penultimum de tempore quo omninò incertum erat, an linea prius vocata longam durationem habitura esset necne, omninò infecta remanebat ex incongruitate temporis, & ex defectu personæ facientis contra legem fundationis; Ideòque dictæ nominationis infectio non proveniebat à solo interesse, vel præjudicio ultimi nominare debentis, cui factum proprii auctoris, vinculum, seu frænum inferret, sed proveniebat ab intrinseca infectione ipsius actus.

Atque hinc rectè intrare dicebam ea, quæ pluries in
12 præcedentibus habentur ex deductis *decis.* 340. *part.* 9. *rec. decis.* 238. *part.* 10. *decis.* 130. & 298. *part.* 11. cum aliis per Adden. *ad decis.* 46. *part.* 9. *num* 61. *cum sequent.* ut facta duobus donatione, vel alia concessione juris patronatus una sine consensu Ordinarii, altera verò ipso munita, ista quamvis posterior attendi, ac prævalere debeat, istosque dicebam esse quæstionis terminos, quod, scilicet secunda dispositio ultimi deficientis de hoc jurepatronatus, valida, & perfecta esset, utpotè cum assensu M. Magistri resultante ab ipsa lege fundationis; prior autem imperfecta, & invalida
13 esset utpotè dicto assensu, ac legitima facultate destituta. Ponderando in idem ea, quæ habentur pluries *sub tit. de feudis*, præsertim *dec.* 78. & *sub tit. de Regal.* præsertim *disc.* 10 *cum seqq.* & *sub tit. de emphyteus.* præsertim *disc.* 58. & 44. ut posteriores assensum Domini habentes præferantur anterioribus illo destitutis, vel eundem habentibus posteriorem, cum assensus sit ille, qui animat, & informat ejusque tempus veniat attendendum.

Hinc inhærendo laudabili Curiæ stylo non assumendi superfluas quæstiones, sed strictè immorandi super puncto, ac terminis præcisis non credidi necessarium assumere quæstionem revocabilitatis nominationis, de qua Caldas *de renovat. lib.* 1. *quæst.* 19. *nu.* 37. Surd. *cons.* 274. *nu.* 34. *cum seque.* Castill. *lib.* 5. *controv. c.* 80. *per tot.* Petra *super R.M.C. Vic. rit.* 4. *num* 18. Rot. *decis.* 17. *num.* 7. *cum seqq. par.* 11. *recent.* ubi affirmativa tanquam verior firmari videtur, dum ex præmissis nulla subesse videbatur necessitas recurrendi ad motivum revocationis illius actus præcedentis, qui erat intrinsecè invalidus, ideoque in nulla consideratione habendus.

ADNOT. AD DISC. LXVIII.

CIrca hanc materiam conferunt notata *sub tit. de fideicommissis. ad disc.* 55. *& sequen.*

JUVENACEN. PRÆPOSITURÆ PRO CAROLO DE CICCO CUM MICHAELE ANGELO DE ANGELIS.

Discursus pro directione, ac veritate.

An prima dignitas in Collegiata, quæ fit ad præsentationem, vel electionem Ecclesiasticorum, cadat nec ne sub reservatione Regulæ quartæ, seu quintæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Factum judicis injustè procedentis non tollit possessionem, & spoliato detur manutentio.*
3 *Possessor, an & quando dicatur legitimus contradictor, remissivè.*
4 *Inhibitio intelligenda est ad limites commissionis.*
5 *Ubi inhibitio Rotalis præsentata est re integra, cessat omnis executor specialis.*
6 *Reservationes Apostolicæ cessant ob mortem Papæ, & restituitur jus ordinariæ provisionis.*
7 *Ob reservationem semel impressam durat affectio, etiam post mortem Papæ.*
8 *Ut prima Dignitas in collegiata cadat sub reservatione, qui valor sit necessarius.*
9 *Beneficia de jurepatronatus Ecclesiastico cadunt sub regula octava, seu nona.*
10 *Non cadunt laicalia ubi essent ex dotatione, vel fundatione.*
11 *Ubi agitur de dotatione, vel fundatione, jus patronatus ipso jure resultat, nisi expressa remissio accedat.*
12 *Declaratur quando id procedat.*
13 *Aliud est eligere, aliud præsentare.*
14 *Provisio Dignitatuum, & Canonicatuum in Collegiata facienda est ad electionem ejusdem Collegii.*
15 *Servitus in dubio non præsumitur.*

DISC. LXIX.

PAvo de Grisis Civitatis Juvenacii Episcopus Papien. & Papæ Referendarius, de anno 1397. in Pontificatu
1 Bonif. IX. in dicta Civitate ejus patria, proprio ære, fundavit, ac dotavit Ecclesiam sub invocatione Spiritus Sancti, cum Collegio unius Præpositi, & sex Canonicorum, & cum exemptione, auctoritate Apostolica concessa à jurisdictione Ordinarii, pluribus adjectis legibus, ac ordinationibus, Apostolica etiam Auctoritate munitis, inter quas (ad rem faciens,) ut contingente Præposituræ vacatione, ad electionem Canonicorum, per ibi vicinum Archiepiscopum Barensem provideri debeat; Cum autem de mense Martii 1670. vacante Sede Papali per obitum Clement. IX. dicta Præpositura vacaverit per obitum possessoris, atque ad formam fundationis, Canonici elegerint Carolum à dicto Archiepiscopo provisum, pacifica etiam possessione subsequuta, deindeque Michael Angelus à novo Pontifice Clement. X. in vim Constitutionis Pauli II. & *Regulæ* 3. *seu* 4. de dicta Præpositura tanquam prima Dignitate, ideòque reservata, provideri obtinuerit; expeditis etiam litteris; Cum Carolus possessor curasset committi causam in Rota, ac obtinuisset solitam inhibitionem, eamque impetranti notificari, hoc tamen non obstante per executorem in eisdem litteris deputatum, dicto Carolo expulso, in possessionem immissus fuit; Quare pro parte ejusdem Caroli consultus fui pro directione, ac etiam super bono jure, & an expediret causam in Rota prosequi.

Distinguendo autem duas inspectiones unam ordinis, pro directione causæ in possessorio, pendente discussione petitorii; Et alteram in meritis; Quamvis ad primam pertinet, dixi inspiciendum esse, an exequutor processerit legitimè citato ipso Carolo possessore necnè, quoniam si dicta citatio non adesset, planum remanebat, ut possessori non citato danda esset manutentio, non obstante expulsio- 2
ne facto judicis, cum istud, quando est nullum, vel notoriè injustum, dicatur spoliativum, ideoque non tollat possessionem saltem civilem, cujus ratione etiam interdictum retinendæ competit, ut apud Gregor *dec.* 9. *nu.* 4. *dec.* 314. *n.* 3. *& seqq. par.* 10. *recent.* & satis frequenter cum sit principium hodiè planum, de quo pluries in sua materia *sub tit. de beneficiis, & sub tit. de judic.*

Quatenus verò executor possessorem citasset, adeò ut ser. ser. executionem demandasset, tunc intraret inspectio super attentatis, quæ dupliciter considerari poterant, Primò nempè, an possessor dici posset legitimus contradi- 3
ctor, juxtà ea quæ in hac materia legitimi contradictoris habentur pluries *dict. tit. de Beneficiis* præsertim *disc.* 73. quoniam si esset legitimus contradictor, tunc causa esset appellabilis, & consequenter executio post appellationem vel infrà tempus datum ad appellandum remanebat attentata; Et secundò ratione inhibitionis Rotalis notificatæ impetranti.

Quamvis enim commissio, cujus vigore illa prodiit, 4
contineret clausulam *sine præjudicio literarum Apostolicarum*, ad cujus limites inhibitio afficit, ideoque non causat attentata ex deductis per Gregor. & addit. *decis.* 119. *nu.* 9. & 11. & sæpiùs.

Attamen dicebam, observandum esse in facto, an dicta inhibitio præsentata esset re integra, priusquam scilicèt literæ præsentatæ essent executori, cujus juri dictio adhuc fir- 5
mata non esset, cum tunc ob prœventionem causæ in Rota, cesset omnis executor specialis juxta dispositionem Clement. *Auditor de rescriptis*, ex pluries deductis in dicta sua materia *sub tit. de Beneficiis*, Non tamen desuper maturum judicium efformari potuit, cum illud penderet ab inspectione actorum.

Quo verò ad alteram inspectionem in meritis negotii principalis; Quamvis aliqui desuper consulti in partibus, 6
insisterent super cessatione Apostolicarum reservationum ob mortem Papæ, quodque propterea antiquum jus ordinariæ provisionis restitutum esset, ut advertitur *d. tit. de Benefic. disc.* 1. & in aliis, Attamen, posito quod Dignitas vigentibus Cancellariæ Regulis, sub dicta Regula tertia, seu quarta, caderet, fragile fundamentum erat, quoniam 7
ob reservationem semel impressam, durat affectio, juxtà firmata per Rotam apud Merlin *dec.* 192. & in dicta sua materia *sub tit. de Benefic.*

Quare solidum fundamentum in eo constituendum esse

dicebam, quod cum ageretur de dignitate principali in Collegiata, concurrere deberet valor in eadem Regula
8 præfinitus excessus, nempè decem florenorum auri sub dicto valore cadentibus tantùm illis fructibus, qui ex sola ratione beneficii, nulla ratione habita interessentiæ, ac servitii personalis obtinentur, ut dicto *tit. de Benefic. discurs.* 9 o. & supra hoc eodem *tit. disc.* 10. & alibi; Ideòque ex hac facti circumstantia adhuc ignota, causæ exitum nimium pendere dixi, cum cessante dicto valore, (ut probabile credebam, attento regionis frequenti usu, ut ferè totum ratione servitii, ac per punctos obtineatur,) ità cessabat necessitas assumendi aliam quæstionem, de qua infrà.

Ubi verò istud motivum non assisteret, quià nempè valor comprehensionem sub dicta Regula induceret, tunc intrabat alia inspectio, an dicta qualitas, ut hoc beneficium ex fundationis lege, ad Collegii præsentationem, vel fundationem providendum esset, causaret exemptionem à dicta Regula; Ubi enim ageretur de reservatione resultante *à Regula octava hodie nona*, tunc planum esset, quod reser-
9 vatio intraret, dum eadem Regula in verbis loquitur de beneficiis electivis, sive ad præsentationem personarum Ecclesiasticarum, ut advertitur pluries in præcedentibus præsertim *num.* 65. super comprehensione beneficiorum de jurepatronatus Ecclesiastico sub dicta Regula.

Verùm quia ista Regula hujusmodi mentionem non ha-
10 bet, eademque pariformiter agit de alia reservatione ratione familiaritatis, atque in hac parte videtur, quod ista non comprehendat beneficia de jurepatronatus quamvis Ecclesiastico, quoties sit ex fundatione, vel dotatione, ut habetur *sub tit. de benefic. disc.* 6. & insinuatur supra *disc.* 65. Hinc proinde advertebam, quod idem in hac altera specie dicendum esset, dum eadem est dispositio, quæ omnia sub ea contenta pariformiter determinare debet juxtà vulgare axioma; Quamvis enim supra *disc.* 10. tanquam certa supponatur comprehensio, attamen id provenit, quia ibi agitur de jurepatronatus ex gratia.

Adhuc tamen non levis difficultas superesse videbatur ex eo, quod fundator, neque sibi, neque alteri reservationem jurispatronatus fecisset. Quamvis enim ubi agi-
11 tur de dotatione, vel fundatione, dicta reservatio subintelligatur de jure, quoties expressa remissio non accedat, ex deductis supra *disc.* 59. Attamen id procedat favore ipsius fundatoris, ejusque hæredum, non autem tertii omni-
12 nò extranei, ut in presenti, quoties id non exprimatur, cum nullus accedat titulus, cujus ratione id prætendi valeat, undè propterea, defectis fundatoris hæredibus, Ecclesia libertatem acquisivit ab eo jure quod aliàs ex fundatione, vel dotatione, fortius ex utraque simul, quæsitum esset.

Et quamvis Collegio reservata fuerit facultas eligendi, non exindè tamen ad qualitatem jurispatronatus inferendum venit; Tum quia de stricta juris censura, aliud est eligere, aliud verò præsentare, quamvis aliquando isti termini confundi soleant, ac promiscuè adhiberi, ut suprà *hoc eod. tit.* & sub aliis *de benef. & de Paroch.* non semel advertitur, licèt hoc sit leve fundamentum, quale pro meo sensu est regulariter illud, quod solæ verborum formalitati innixum est.

Tum clariùs, quoniam juris communis dispositione at-
14 tenta, provisio Dignitatum, & Canonicatuum in Collegiata, facienda est ad electionem ejusdem Collegii, ex iis, quę cæteris relatis habentur *disc.* 31. *part.* 10. *rec.* edita in Nuscana Canonicatus, de qua *sub tit. de benefic. disc.* 17. ubi de hujus conclusionis declarationibus; Et consequenter fundator, aliud facere noluit, nisi ita exprimere, id quod de jure inerat, eo modo, quo in Dignitatibus, & Canonicatibus Cathedralis exprimeretur, ut provideri deberent ad
15 simultaneam Episcopi, & Capituli, cum id non tollat beneficii libertatem, neque patronalem qualitatem, vel servitutem inducat, istaque subintelligenda non sit, quoties alter possibilis, seu compatibilis intellectus dari potest, ex regula, quæ in dubio pro libertate facit; Post hæc verò scripta certificatus fui, quod verò dictus valor non adesset, ideòque dixi omnem difficultatem ita cessare.

ANNOT. AD DISC. LXIX.

DE reservationibus Apostolicis in materia jurispatronatus notatum est suprà *a d disc.* 2.

NERITONEN. ABBATIÆ. PRO GEORGIO CASTRIOTA, CUM JOSEPHO MARIA MAROMONTA.

Casus decisus per Rotam pro Josepho Maria, pendet revisio.

De interpretatione voluntatis fundatoris super jurepatronatus passivo; Et quando dispositio particularis ad favorem unius in uno casu, extendatur ad alterum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Habens juspatronatus activum alterare non potest legem fundationis super jurepatronatus passivo.*
3 *Habens jus præsentandi potest præeligere etiam remotiorem de genere vocato.*
4 *Vulgaris expirat primo adeunte.*
5 *Ubi voluntas testatoris est dubia defertur testibus, licèt eorum numerus sit insufficiens ad ultimas voluntates.*
6 *Quando dictus minor numerus sufficiat.*
7 *Ubi agitur de voluntate ambigua, sufficiunt etiam testes singulares.*
8 *De conclusione, de qua num.* 4.
9 *Non implicat sub vulgari comprehendi compendiosam, & dari extensionem de casu ad casum.*
10 *Non verborum formula, sed voluntas verisimilis est attendenda.*
11 *De interpretatione fundatoris super jurepatronatus passivo.*
12 *Provisio in casu incapacitatis, an trahi debeat ad casum mortis naturalis.*
13 *De ætate requisita in præsentatis ad beneficia de jurepatronatus.*
14 *Quando in dispensatione super ætate exprimi debeat beneficium esse debitum à certo genere, & num.* 16. *&* 18.
15 *Gratiæ Principum intelligendæ veniunt sine præjudicio tertii, præsertim in Papa.*
16 *Declaratur conclusio, de qua num.* 14.
17 *Vacato beneficio de jurepatronatus passivo, nullum jus vocatis quæri dicitur durante termino ad præsentandum.*
18 *De eadem conclusione, de qua num.* 14.

DISC. LXX.

OCtavius Castriota, institutis hæredibus Carolo, & Alexandro fratribus, mandavit ex aliquibus ejus bonis erigi Abbatiam, ad quam nominavit eundem Carolum jam Clericum in sacris, eoque nolente acceptare, seu quavis causa inhabili effecto, nominavit Georgium filium Baronis Pauli agnati, cui post mortem dictorum fratrum (de prole desperatorum) ejusque descendentibus juspatronatus activum reliquit, sub ea lege, ut alternatis vicibus præsentari deberent illi de utraque masculina, & fœminina linea; Cumque sequuta erectione, Carolus institui curasset, ejusque morte sequuta, adhuc superstite dicto Alexandro, quamvis in longè graviori ætate constituto, hic Josephum Mariam ex sorore nepotem præsentasset; Hinc orta est controversia inter hunc præsentatum, ac Giorgium à testatore vocatum, & introducta causa in Rota coram Taya sub diebus 11. Februarii 1669. & 16. Junii 1670. pro Josepho Maria prodierunt resolutiones, adversus quas concessa coram eodem nova audientia, & reproposita causa, dilata fuit resolutio, ac rescriptum, quod formiter examinarentur testes testamentarii, per quorum attestationes in hac ultima disputatione exhibitas, ex hac parte Georgii probari prętendebatur testatoris voluntas super ejus vocatione, non solùm in casu, quo dictus Carolus non acceptaret, sive aliàs incapax efficeretur, sed etiam in casu, quo acceptaret, ac posteà moreretur.

Quamvis autem controversia concernat materiam jurispatronatus passivi, cujus ratione veniebat Giorgius tanquam vocatus à fundatore, impugnando præsentationem factam ab eo, quem non dubitabatur habere jus præsentandi; Attamen nulla cadebat juris quæstio in hac peculiari materia, dum ex hac parte non controvertebatur, juspatronatus passivum in præsentante, minusque per scribentes in contrà-
2 rium negabatur conclusio, de qua pluries in præcedentibus, ut scilicet habens juspatronatus activum, alterare non possit legem fundationis super jurepatronatus passivo ordinato

nato ad favorem certi generis personarum, quibus patrono extraneum præsentante, debita sit institutio ex præsentatione facta ab ipsomet fundatore; Cumque præsentatus esset
3 etiam de genere vocato, neque pariter dubitaretur ex hac parte, ut inter plures ejusdem generis, daretur optio habenti jus præsentandi in præeligendo, etiam remotiorem, nisi lex fundationis aliter disponat, juxta terminos text. *in leg. unum ex familia, ff. de leg.* 2. de quibus pluries in sua materia *sub tit. de fideicommiss.* Hinc proindè restringebatur quæstio ad punctum, an dictus Georgius specialiter à testatore vocatus, in dicto alio casu, in quo Carolus frater non acceptaret, vel incapax redderetur, diceretur necnè, etiam isto casu specialiter vocatus, unde propterea dicebam, quod quæstio percutiebat potiùs materiam ultimarum voluntatum, quàm jurispatronatus.

In hoc autem processum fuit cum præsupposito, quod vocatio præfati Georgii concepta esset per speciem vulga-
4 ris in casu, quo Carolus primò vocatus noller, vel ob incapacitatem non posset Abbatiam obtinere, & consequenter, quod intrarent ejusdem vulgaris termini, ut primo adeunte, expiret, quodque provisio in casu incapacitatis, trahi non posset ad casum vacationis per mortem post jam effectum sortitam successionem primò vocati, cujus substitutio facta erat.

Non negabam ego scribens pro Georgio, veritatem regulæ, utpotè satis certis, ac notoriis principiis innixæ; Dicebam tamen præsertim in hac ultima disputatione, quod ex iis, quæ infrà habentur, negari non potest, quin ageretur de
5 voluntate ambigua, quod sufficit, ut deferendum esset testibus, quatenùs formiter examinati, confirmarent id, quod in supra enunciatis attestationibus continebatur, quamvis
6 eorum numerus non esset talis, quod sufficeret ad probandam ultimam voluntatem, quoniam ex iis, quæ ad ultimarum voluntatum materiam habentur *sub tit. de fideicommiss.* ac sub altero *de legat.* ac etiam *de testament.* ac cæteris relatis per Rot. apud Carill. *dec.* 186. *n* 6. *cum seqq. & dec.* 310. *n.* 10. *&* 350. *n.* 4. *par.* 10. *rec. & dec.* 102. *n.* 4. *&* 5 post Zuff. *de legit. proceff. & in aliis frequenter*, recepta distinctio, est quod aut agitur de probando omninò novam, seu antiquæ claræ ademptivam, vel innovativam dispositionem, & tunc requi-
7 ratur numerus testium, qui de jure necessarius est in ultimis voluntatibus; Aut verò de declaratione, seu interpretatione voluntatis ambiguæ, & tunc admittantur etiam testes singulares; Quinimò quandoque pro facti qualitate, etiam formiter non examinati, sed deponentes per attestationes extrajudiciales, quas in specie admissas fuisse patet, ex supra allegatis decisionibus; Quamvis in hoc certa, & determinata regula generalis tradi non valeat, cum id repositum sit in judicis arbitrio, quod pro personarum, & locorum qualitate, aliisque facti circumstantiis, diversimodè regulari solet, quandoque uno, quandoque altero modo, ac propterea, quamvis ego scribens pro Georgio, qui attestationes exhibuerat, more Advocati, nimium insisterem in auctoritate dictarum decisionum, quæ solis attestationibus contentæ fuerunt, attamen reflectendo ad veritatem, ob facti circumstantias, laudavi determinationem, quod formiter examinarentur.

Quatenùs verò in dicto examine, testes non benè concluderent id, quod in attestationibus continebatur, ut fre-
8 quenter contingere praxis docet, tunc admittendo dictam generalem conclusionem de jure incontrovertibilem, quod scilicet subsitutio concepta per vulgarem evanescat prima institutione effectum sortiente, quoties agitur de illa vulgari, quam directam dicimus, resolvendam in primam institutionem, seu vocationem, secus autem, ubi de altera,
9 quam dicimus in fideicommisso, seu anomalam, ex frequenter deductis in dicta sua materia *sub tit. de fideicomm.* non tamen implicat, ut ex disponentis voluntate expressa, vel etiam tacita, & conjecturali, sub vulgari contineatur etiam compendiosa, seu tacita fideicommissaria, sive quod detur extensio, quamvis regulariter prohibita, de casu ad casum, vel de persona ad personam, ex collectis per Fusar. *quæst.* 457. *&* 460. & frequenter in dicta sua materia *sub tit. de fideicommiss.* ubi pluries advertitur, quod istæ, ac ferè omnes aliæ quæstiones in hac ultimarum voluntatum materia cadentes, hodie non sunt ampliùs juris, sed facti, & applicationis, cum passim receptæ sint
10 regulæ, passimque receptæ limitationes, ex diversa, quamvis conjecturata dispositis voluntate resultantes, & pro qua voluntate regulanda potissimum reflecti debet ad certum principium ibidem pluries insinuatum, in omnibus quæstionibus voluntatis, tam viventium, quam morientium principaliter habendum præoculis, ut non in formalitate verborum, sed in substantia verisimilis voluntatis immorandum sit.

Applicando autem ad rem, plura ponderabam, ex quibus mihi videbatur bonum jus hinc parti assistere, ideòque 11
dictæ resolutiones meum intellectum nullo modo captivabant; Primò scilicet, quod fundator principalem affectionem habuit ad hanc domum, quæ cippum, seu familiam conservare debebat descendentem à celeberrimo milite, & Albaniæ Principe Scanderbegh nuncupato, unde parum probabile est, quod fundator voluerit alium posse præsentari in concursu descendentium de hac agnatione; Secundò, quia idem Georgius erat jam fundatori cognitus, ac dilectus, dum expresè vocatus fuit; Tertiò, quia ob longè graviorem ætatem Alexandri, quàm Caroli, verisimiliter non cogitavit, quod Carolo acceptanti, idem Alexander supervivere deberet; Et quartò, quod idem fundator non restrinxit Georgii vocationem ad casum, in quo primò vocatus non acceptaret, sed etiam cum verbis amplis, & ef- 12
frenatis in quocumque alio casu per quem redderetur incapax, unde propterea, sicuti in casu incapacitatis, quæ superveniret, durabat vocatio per speciem fideicommissariæ; non autem simplicis vulgaris, ità non videbatur subesse congrua ratio, cur idem, quod dispositum est in casu mortis civilis, recipiendum non esset in casu naturalis, cum isti casus in jure purificari soleant, ex deductis in dicta sua materia *sub tit. de fideicom.* ponderando hæc omnia simul juncta, ad hujusmodi conjecturatam voluntatem desumendam.

Ponderabam etiam incapacitatem dicti præsentati, utpotè adhuc non constituti in ætate 14. annorum, quę per Conc. 13
Trident. præscripta est, dum extra controversiam est, ut hujusmodi Conciliare decretum locum etiam habeat in beneficiis de jurepatronatus laicali, quoties fundatoris voluntas non refragetur, ex deductis *sub tit. de benefic. disc.* 95. ac etiam in sua materia *sub tit. de jurepatronatus*.

Et quamvis obtenta fuisset Apostolica dispensatio super 14
ætate, dicebam tamen eam suffragari non debere, dum Papæ expressum non fuit, quod ageretur de beneficio debito certo generi personarum, unde propterea gratia concernit prælucidum tertii, cujus mentio fieri debet; Tum ex generali regula, quod Principum gratiæ intelligendæ 15
veniunt sine præjudicio tertii, ad terminos text. *in leg* 2. §. *quod à Principe, ff. ne quid in loco public. cum concordantibus*, de quibus *sub tit. de Regal. discurs.* 148. Tum fortiùs in Papa ex Regula Cancellariæ, *de jure tertii quæsito non volendo*, ut in his terminis jurispatronatus advertitur; præsertim apud Carill. *decis.* 117. *num.* 14. *& seqq.* & generaliter in sua materia *sub dicto tit. de jurepatronat. disc.* 66. ubi de invaliditate cujuscumque provisionis in beneficiis jurispatronatus, istius mentione non facta; Si enim hæc dispensatio concessa non fuisset, utique ob præsentati incapacitatem, ac alterius non existentis in hoc genere, beneficium perneccesse debitum fuisset dicto Georgio, cujus jus dicta dispensatio ita tollere videbatur.

Istud motivum in tot disputationibus neglectum semper fuit, neque in decisionibus in causa editis, unquam ei responsum, sed sub silentio involutum, quod mihi non levem inferebat admirationem, dum videbatur solidum, 16
benèque fundatum; Maturiùs autem posteà ad illud reflectendo, agnovi quod esset parum tutum, siquidem tunc esset considerabile, quando attendendum veniret tempus vacationis, adeò ut tunc in istanti ad successionem jus aperiretur proximioribus capacibus, non curata existentia incapacium, unde superveniens capacitas non tollat jus eorum, quibus quæsitum est, quo casu licèt Princeps possit, non tamen solet, ideòque mentio requiritur, ex deductis *dicto disc.* 248. *de Regal.*

Id autem ad rem applicabile non videbatur, quoniam vacato beneficio, quamvis de jurepatronatus passivo certo generi personarum debito, non exindè quæsitum dicitur jus uni, vel alteri personæ de eodem genere, cum in facultate patroni sit, unum inter plures præeligere, præsentando remotiorem, neglecto proximiori, 17
quoties lex fundationis non obstet, atque præsentationis actum differre, usque ad ultimum momentum termini sibi à jure dati ad præsentandum, quando sufficit præsentare personam capacem, & idoneam de genere vocato, atque medio tempore potest ille, qui de eodem genere est capax, efficì incapax, vel decedere, unde propterea nullum dicitur habere jus formatum, neque in re, neque ad rem, sed solam spem, seu aptitudinem ad obtinendum.

Et quemadmodum, si de tempore vacationis, aliquis de genere

genere esset laicus, & consequenter incapax, medio autem tempore durationis termini ad præsentandum efficeretur capax per assumptionem Clericatus, quem Ordinarius sibi concederet, dici non posset, quod hujusmodi promotio contineret gratiam tertio præjudicialem, quodque ejus jus tollat, dum directè id percutit solùm concessionem habilitationis, quamvis indirectè, vel consequutivè alterius præjudicium resultet; Ita pariter hujusmodi gratia dispensativa etatis, vel alterius impedimenti aliud non operatur, nisi remotionem obstaculi, ac reductionem rerum ad statum primævum, ante præfati Conciliaris decreti editionem, quamvis exindè consequutivum resultet alterius præjudicium, potissimè ubi non est circa amissionem juris jam quæsiti, vel delati, sed solùm tollit quamdam spem, seu potentiam; Ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de pension. disc.* 1. & 2. & *in aliis*, super indultis tollentibus obstacula, & habilitantibus eos, qui essent aliàs inhabiles, cum similibus. 18

ANNOT. AD DISC. LXX.

DE jurepatronatus passivo fuit pariter notatum suprà *ad disc.* 50.

PISTORIEN. BENEFICII PRO JULIO PANCIATICO, CUM ANTONIO CONVERSINO.

Casus decisus per Rotam pro Julio.

De Regula *de verisimili notitia*, an procedat in beneficiis de jurepatronatus laicali, tam circa præsentationem factam à Patronis ante verisimilem notitiam vacationis, quàm circa gratiam Apostolicam super derogatione medietatis vocum.

SUMMARIUM.

1 FACTI *series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Non potest dari judicium in causis altera parte non informante.*
4 *Præsentatus à medietate, & habens Apostolicam derogationem alterius medietatis habetur, ac si esset præsentatus ab omnibus.*
5 *Declaratur dummodo non sit alteri jus quæsitum.*
6 *Gratia anterior præfertur posteriori.*
7 *De Regula*, de verisimili notitia.
8 *Objiciens de inverisimilitudine debet probare.*
9 *Sola possibilitas etiam cursitando sufficit.*
10 *Attenditur qualitas temporis pro faciliori cursu.*
11 *De possibili notitia ab Hispaniis, & quod raræ sint istæ quæstiones.*
12 *An obstet, quod notitia habeatur de sero, dum supplicationes signantur de manè.*
13 *In ista gratia derogationis præfertur, qui primò comparet, & adnotatur hora.*
14 *Quod possit expediri Nuntius ante mortem.*
15 *De rationibus, quibus innixa est regula.*
16 *Quod dicta regula non procedat in beneficiis de jurepatronatus laicali.*
17 *Derogatio medietatis vocum suffragatur, quamvis tunc nullæ adsint præsentationes de stylo.*
18 *De ratione dicti stylι.*
19 *De conclusione, ut non possit fieri præsentatio ad beneficium, quod non vacat.*

DISC. LXXI.

1 VAcato beneficio die 15. Junii 1670. per obitum Laurentii, scissis Patronorum votis, pro medietate præsentatus fuit Julius, & pro altera medietate Antonius, quorum uterque Apostolicam derogationem medietatis obtinere curavit, diligentior autem fuit Julius, cujus gratia erat anterior in data ob anteriorem comparitionem, quæ in hac materia exactè, etiam per momentum attenditur, expeditisque litteris directis in forma dignum Ordinario, ab isto pro earum exequutione ser. ser. favorabilem reportavit sententiam, à qua interposita appellatione, & commissa causa in Rota coram Emerix, datoque dubio, an litteræ
2 Apostolicæ essent exequendæ sub die 11. Julii 1670. ad favorem Julii solùm informantis, altera parte informare negligente, pro suarum litterarum exequtione, prodiit resolutio.

Quamvis autem in hujusmodi disputationibus, ac resolutionibus absque contradictore, non de facili judicium pro veritate efformari valeat, cum incerta sint, facti, vel juris fundamenta alterius partis, ex quibus diversa sententia quandoque tenenda est, ut frequens praxis docet; Attamen in hac facti specie, ex jam disputatis in partibus coram Ordinario, difficultas restringebatur ad unicum punctum resultantem ex Regula *de verisimili notitia*, ob quam Carolus prætendebat gratiam Julii esse nullam, & consequenter, ut ea habenda pro non existente in rerum natura, gratia ipsius remaneret unica executioni demandanda, cumque istud objectum non subsisteret, hinc proindè justa visa est resolutio. 3

Posita enim dictæ primæ gratiæ validitate, absolutum remanebat, ac extra omnem controversiam, ut ea prævalere deberet, cum ita habeatur, ac si præsentatus à medietate haberet omnium voces, Garz. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 585. & *seqq.* Royas *decis.* 344. *num.* 17. & *pluries in præcedentibus*; Stante etiam clausula in secunda gratia adjecta, *dummodò non sit alteri jus quæsitum*, per quam posita validitate primæ gratiæ dictum jus tribuentis, secunda gratia, utpotè conditionalis, non purificata conditione remanet, ac si facta non esset, ut in specie cæteris relatis habetur apud Cels. *decis.* 144. *num. final.* & *sæpius*, cum sit conclusio frequens, & recepta, de qua nuper in Pennen. Beneficii 2. Julii 1670. coram Bourlemont; Et conferunt, quæ generaliter habemus de gratia anteriori, quæ attendi 6 debet, ac posteriori prævalere quoties valida sit, quamvis per breve, ad momentaneum tempus anterior existat, ut pluries in sua materia *sub tit. de beneficiis*, cum sit pariter principium certum. 4 5

Quatenùs igitur pertinet ad dictum punctum Regulæ *de verisimili notitia*, continentis expressum decretum irritans; Difficultas in eo residebat, quod gratia signata esset eadem die 15. Junii, in qua sequuta erat mors beneficiati in 7 Civitate Pistorien. quæ per quinque circiter dietas Ordinarii itineris ab Urbe distat, unde propterea videbatur omninò inverisimilis notitia sequutę vacationis de tempore concessæ gratiæ.

Scribens autem pro Julio, dicebam, quod objectum cessabat tam in facto, quàm in jure; In facto scilicet, 8 quoniam quidquid aliqui dubitaverint, verior, ac recepta opinio est, ut onus sit objicientis de hac regula probare inverisimilitudinem, nedum per probationem actualem, sed etiam habitualem, quod scilicet notitia non pervenerit, neque pervenire potuerit, cum agatur de objecto, in quo est fundamentum de illo dantis juxta *dec.* 427. Putei *lib.* 3. Mandos. *ad hanc reg. q.* 9. Garz. *par.* 5. *c.* 1. *n.* 45. & 46.

Nedum autem, nulla desuper ex parte oppositoris dabatur probatio; Verùm ex hac parte justificabatur possibilis notitia, cum per plurium cursitare solentium attestationes justificarentur, quod attento præsertim eo tempore veris, in quo cessante impedimento luti, & corruptionis viarum, 9 longè facilius est iter, atque breviori tempore explicabile, diligenter cursitando mutatis equis, à dicta Civitate ad Urbem, rectè accedi potest spatio tot horarum, quæ intercesserant à momento sequutæ mortis beneficiati, priusquam per lapsum mediæ noctis eadem dies expiraret, istaque sola possibilitas in proposito sufficit, ut in specie advertit Mandos. *ad hanc regulam de verisimili notitia qu.* 4 Cocchier. *ad eandem reg. lettera F, & G*, eisque relatis, (licèt ad aliud propositum excludendi falsitatem,) Rota apud Buratt. *dec.* 860. *num.* 1. Ubi etiam ponderatur dicta qualitas temporis 10 magis apti ad faciliorem cursum, ac iter breviori tempore, dum in eo casu agebatur de tempore æquinoctiali in mense Septembris.

Et de possibilii notitia ab Hispaniis infrà sex dies mediante navigatione, decisum refert per Rot. antiquam Gomez. *ad hanc eandem regul. quæst.* 5. *num.* 1. & 2. & refert Rota *decis.* 313. *num.* 24. *par.* 11. *recent.* Unde propterea, 11 ut docet lectura decisionum Rotæ, quas in tanta copia in hoc sæculo, & antecedenti habemus in hac materia beneficiali, ista Regula, quodammodò, ac de facto antiquata videtur, dum ferè unquam forus ejus quæstiones audit.

Et quamvis pro ratione dubitandi ponderarem, quod cum de stylo, supplicationes per Papam signari soleant de mane, quando Datarius ad ejus audientiam accedit, & consequenter, quod dicta probatio non concluderet, dum supponebatur possibilis accessus ad Urbem de sero circa 12 tertiam horam noctis; Adhuc tamen id obstare non videbatur; Tum quia, licèt stylus sit talis, non tamen impossibile est, ut Papa potuerit in hora insolita istam supplicationem signare, istaque possibilitas sufficit ad excludendum

dum delictum, non de facilè in his materiis convincibile juxta ea, quæ in fortioribus terminis antidatæ, quan-
13 doque fieri solitæ habentur *sub tit. de benefic. disc.* 42. Tum clariùs, quia cum in hac materia attendatur exactè regula, *qui prior*, ut scilicet adnotetur præcisa hora, imò momentum comparitionis coram Datario, vel alio Officiali ad id deputato, hinc proindè non incongruit, ut adnotata per Officialem hora comparitionis in ipsa die 15. sub eadem data de mane diei sequentis, supplicatio signata sit, attendendo tempus petitionis.

Præterea, ut benè, (licèt ad aliud propositum, ut supra) 14 advertitur apud Buratt. *dicta decis.* 860. nil prohibere videtur, ut quando possessor beneficii jam constitutus est in agonia, & statu desperatæ salutis, adeòut pro mortuo potiùs, quàm pro vivo censeri debeat juxta ea, quæ ex Fanut. *de mom. temp.* & aliis habentur *sub tit. de dot. disc.* 27. cum totum consistat in majori diligentia, & priori comparitione, ut etiam per aliquam horam anteà, quam effectivè mors sequatur, nuntius transmitti potuerit, cum tunc cessent rationes, de quibus infrà, quibus innixa est Regula.

Dicebam ulteriùs, quod eidem Regulæ duplex ratio assi-
15 gnari solet, de qua non utraque benè Mandos. *ad eandem reg. qu.* 8. *nu.* 7. & Gonzal. *ad reg.* 8. §. 5. *præm. num.* 123. una scilicet voti captandæ mortis, & altera, (quæ verè est probabilior) deceptionis Papæ, & Officialium Datariæ expiscandi beneficia priusquam habeatur notitia illorum vacationis, ita supplantando alios concurrentes magis dignos, probabiliter præferendos, qui syncerè actum vacationis expecta-
16 re voluerunt; His autem rationibus attentis non congruit, ut supra hujusmodi gratia derogationis medietatis vocum in beneficiis de jurepatronatus laicorum ex dotatione, vel fundatione; Regula non intret, quoniam in eis provisio non est voluntaria, & pro libito Datariæ, sed perneceſsè instituendus est præsentatus; Et consequenter non intrat ratio fraudis, vel supplantationis, cum solùm ista gratia importet præjudicium Ordinarii, cui tollitur facultas gratificandi; Unde propterea Mandos. *ad eandem reg. quæst.* 8. disputata quæstione ad partes, an ista regula procedat in præsentatione ad beneficia de jurepatronatus, concludit negativè, ex dicto motivo cessantis rationis, cui regula innixa est; Idemque à pari dicendum venit in ista gratia, quæ videtur fructus diligentiæ, absque præelectione, ratione majoris, vel minoris benemerentiæ, vel majoris dilectionis, cum indefinitè detur cuicumque petenti, regulando præponderantiam ex regula, *qui prior*, indeòque ratio regulæ nullatenus adaptabilis est.

Quodque ista species gratiæ metienda non sit cum regu-
17 lis generalibus, clarè convinci observabam ex eo, quod regulariter in gratiis, mendacium, seu potissimè falsa assertio causat subreptionem, & consequenter nullitatem ex pluries deductis *sub tit. de benef. & alibi*; Et tamen si petens istam gratiam positivè narret Papæ, se esse præsentatum à medietate patronorum, quod minus verum sit, adhuc gratia subsistinetur si postmodum præsentatio habeatur, idque non de jure, sed ex recepto stylo Datariæ, Seraph. *dec.* 1165. *nu.* 11. Firmana Jurispatronatus 28. Novembris 1631. coram Ghislerio, & in eadem apud Dunozett. *decis.* 276. Clusina Beneficii 5. Junii 1649. & 29. Aprilis 1651. coram Bichio Ariminen. beneficii 5. Aprilis 1658. coram Albergato, & nuper in dicta Pennen. beneficii 2. Junii 1670. coram Bourlemont, & habetur supra in altera Pistorien. *disc.* 42.

Dictique styli ratio ea esse videtur, quod cum totum pen-
18 deat à præventionibus, ac majoribus diligentiis, oportet id permittere, ne aliàs is præoccupetur ab æmulo ad instar eorum, quæ *dicto disc.* 42. *de benef.* habemus de stylo antidatæ in gratiis coadjutoriæ, & similibus; Quamvis enim de jure prohibita sit præsentatio ad beneficium vacaturum, attamen id procedit, ubi vacatio omninò incerta sit, non autem
19 imminens, unde ratio voti captandę mortis, vel altera fraudis considerati possit; Secus autem, ubi citrà fraudem, ac bono animo id sequatur, ut advertitur supra *disc.* 64. *in fine*, ideòque resolutio justa, & probabilis visa est.

ANNOT. AD DISC. LXXI.

DE regula verisimilis notitiæ defuit occasio postmodum disputandi; Circa autem ea, quæ concernunt derogationem medietatis vocum, videri poterunt notata *ad disc.* 42.

TERRACIN. JURISPATRONATUS PRO EPISCOPO, CUM DUCE SERMONETÆ GAETANO.

Casus disputatus in Rota, & in Congregatione particulari Cardinalium, resolutus ut infrà.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 3. super causa universali, an scilicet justificatio jurispatronatus potentium juxta formam rigorosam Concilii Tridentini facta in aliquibus beneficiis, suffragetur etiam pro aliis ratione causæ universalis; Et aliqua de compatibili concursu immemorabilis, & adimplementi dictæ formæ Conciliaris, cum privilegio Apostolico.

SUMMARIUM.

1 FACTI *series cum resolutionibus.*
2 *De punctis facti cadentibus sub controversia.*
3 *Quod ratione causæ universalis probatio in parte suffragetur in totum.*
4 *Declaratur quando id procedat.*
5 *De ratione, ob quem jus patronatus ex fundatione, & dotatione in omnibus beneficiis Principatus non datur.*
6 *Non intrat præsumptio, vel fictio legalis, ubi non potest dari veritas naturalis.*
7 *De introductione concessionum jurispatronatus, vel præsentandi in omnibus beneficiis Principatus, vel dominii.*
8 *Quomodo tale possit argumentum, de quo n.* 4. & 5. *quodque privilegium super omnibus beneficiis sit ex justitia.*
9 *De compatibilitate immemorabilis, & privilegii.*

DISC. LXXII.

PRætendente Duce Sermonetæ Gaetano, tam in Oppi- 1
do prædicto, quàm in aliis annexis illius Seatus jurpatronatus universale in omnibus beneficiis cum Cura, vel sine, idque impugnante Episcopo, introducta causa in Rota, me tamen in eo Tribunali in causa non scribente cor. Bevilacqua sub die 29. Maii 1656. prodiit resolutio Duci favorabilis, quæ habetur impressa *decis.* 187. *p.* 12. *rec.* à qua tamen recessum fuit 26. Maii 1659. coram eodem, firmando libertatem beneficiorum ob non benè adimpletam formam Conciliarem; dum agebatur de jurepatronatus personæ potentis in locis suæ jurisdictionis; Quare Dux curavit avocari causam à Rota per commissionem particularem deputata Congregatione trium Cardinalium, in qua solùm scripsi pro Episcopo, prodiit autem resolutio canonizatoria jurispatronatus aliquorum beneficiorum, non autem omnium; Ac propterea neutra Partium acquiescente adita fuit Signatura Gratiæ pro nova commissione, in qua pariter scripsi, sed incertus est causæ status.

In disputationibus itaque habitis in ista Congregatione, subsistinendo ex hac parte dictam ultimam resolutionem Rotæ, ex altera verò illam impugnando, major discussio fuit 2
potiùs in facto, quàm in jure super dicto scilicet testium desuper inductorum ob exceptiones, quæ adversus eos dabantur, tam in persona, quàm in dicto, ne concluderent immemorabilem sine principio vitioso, cui possessio, de qua deponebant, & quæ per aliquas præsentationes, & institutiones justificabatur, referenda esset, originatio scilicet privilegio, ut nimium verisimile videtur, Bonifacii VIII. de ista familia, quæ ab ejus temporibus, cum raro tamen exemplo istud dominium continuavit, & quod privilegium per alios Pontifices renovatum supponebatur.

Sed quoniam probatio benè concludens, tam circa immemorabilem, quàm circa præsentationes effectum 3
sortitas juxta formam Conciliarem verificabatur solùm in aliquibus beneficiis, non autem in omnibus, hinc Scribenter pro Duce inferebant ad causam universalem totum fundamentum constituendo in desuper deductis supra *discurs.* 3. jam edito, & qui videbatur in his terminis auctoritas singularis, nimiùm per eos magnificata non quidem ob affectionem, & laudem Auctoris, vel doctrinæ, sed quia erat eis oportuna, ipsamque mihi præfertim in contrarium scribenti acriter obiiciebant.

Dicebam tameu, quod assumptum esset verum in suo casu, fallacia tamen de more consisteret in applicatione; Ubi etenim, ut in casu, de quo *diff. disc.* 3. agatur de Beneficiis, ejusdque

ejusdéque Ecclesiæ,quę,unum,& idem Collegium,seu corpus constituant,vel etiam ubi sint singularia , & distincta , adeòut Collegium , vel corpus politicum non constituant , sed etiam sint in eadem Ecclesia , ejusque Cappellis , tunc possibile, quinimò etiam probabile est, ut illa Ecclesia, sive illud Collegium contemporaneè ab eodem fundatum,ac dotatum fuerit , quodque propterea omnia ejusdem Collegii, vel Ecelesiæ beneficia eandem habeant naturam , & per consequens, ut justificatio in parte influat in totum ; Id autem ad rem dicebam non videri adaptabile, quoniam cum in omni Civitate, Oppido , vel Castro , & loco inhabitato adsit populus,hinc sequitur , quod usque ab initio nascentis Ecclesiæ,& introductionis Christianæ fidei etiam sub Gentilium persequutionibus,multò verò magis,postquam à temporibus Constantini I. cessatis persequutionibus,fides adeò dilatata fuit, & incrementum recepit,præsupponendæ sunt Ecclesiæ Parochiales cum earum Rectoribus,& Ministris, antequam sequeretur introductio Baronum , & domicellorum,& per consequens non solùm inverisimile , sed impossibile est,quod Baro,& Dominus hujusmodi locorum à modernis temporibus Bonif. VIII.citrà omnes Ecclesias etiam Parochiales fundaverit, & dotaverit; Illa etenim præsumptio, quæ ratione antiquæ possessionis ex legis dispositione resultat,sive illa facultas,quę ad eandem antiquitatem à le-
6 ge conceditur allegandi quemcumque titulum, est quædam fictio , quæ imitatur veritatem naturalem possibilem; Sed non videtur , quod superare possit naturam, & veritatem , ac fingere id , quod non est possibile ; Ut advertitur *disc.*1. *de alien. & contract. prohib. & disc.*143. *de dote* , in proposito beneplaciti præsumpti,ut rectè intret,quando actus non sit talis , ut ex sui facie excludat possibilitatem illius veritatis, quam ita lex præsumit, vel fingit; Et per consequens omninò probabile, quinimò fortè certum, & clarum videri dicebam, ut ista possessio referenda veniret ad dictum privilegium Apostolicum generale conferendi omnia beneficia proprii Status , & dominii .

Siquidem juxta ea, quæ habemus in historiis Ecclesiasticis , & Beneficialibus cum Sedes Apostolica introduxerit
7 forsan ex justo motivo,& fine occurrendi majoribus inconvenientibus concedere Regibus, aliisque Magnis Principibus supremis juspatronatus , seu jus prǫsentandi , & nominandi in omnibus Ecclesiis proprii Regni, vel Principatus, ut notoria praxis docet,& præsertim ultrà montes,ac etiam in aliqua parte citrà ; Hinc ad instar aliqui Pontifices easdem concessiones facere consueverunt hujusmodi Baronibus , & Dominis inferioribus , ut in praxi scio practicatum fuisse per Leonem X. cum Principe Plumbini , cum similibus,cum reverà titulus omnimodæ fondationis, & dotationis, quæ aliàs in vim immemorabilis allegari potest, nullatenus videatur adaptabilis hujc universitati,ex dicta ratione , quod antiquioribus temporibus populi carere non potuerint Ecclesiis , earumque Rectoribus provisis cum decimis , & cum emolumentis jurium Parochialium, vel cum populorum contributionibus , adeòut reverà sit juspatronatus ex privilegio .

Benè verum,quod reflectendo ad veritatem,observabam, licèt Scribentes pro Duce non adverterent,sed pro frequentiori inepto stylo neglectis discursibus, & ratiociniis nescirent egredi conclusiones , & decisiones currentes , quod li-
8 cèt originariè ex privilegio,ut suprà censendum sit, nihilominus stante subsequuta continuata observantia annorum centum,& ultrà à temporibus Innocentii VIII.& Adriani VI. & parùm minus ab illis publicationis Conc. Tridentini, ita censendum non sit privilegium , quod subjaceat revocationibus Constitutionum prædictorum Innocentii , & Adriani, vel Concilii ; Adeòut solùm firmo , ac valido remanente jurepatronatus, vel præsentandi, vel nominandi , intret quæstio, de qua *disc.*10. & 65. & in aliis pluries , an potiùs censendum sit ex gratia, ut subjaceat Apostolicis reservationibus, vel ex justitia,ut non subjaceat, quodque ad hunc effectum intret illa præsumptio , vel possibilitas, quæ resultat ab immemorabili, vel centenaria , quod scilicet sit quidem juspatronatus , ex privilegio , & concessione Apostolica,sed ex causa onerosa refectionis Ecclesiarum materialium , & augmenti dotis cum præponderantia , dum ita tollitur præfatum argumentum contrarium inverisimilis , & impossibilitatis ob necessariò præsupponendam existen-
9 tiam antiquarum Ecclesiarum, saltem Parochialium;Quoniam stant benè simul illas adesse,& tamen quod ob tot accidentia, & calamitates, quas Italia passa est , tam ratione hæresum,& schismatum,quàm etiam ratione bellorum exterorum,& intestinorum,& ob incursiones Saracænorum , aliorumque fidei Catholicæ hostium , Ecclesiæ essent dirutæ, earumque dotes amissæ , vel nimium diminutę , atque ita hujusmodi Universitas est salvabilis , non autem ut intrare valeat ille titulus fundationis,& dotationis,qui in vim immemorabilis allegari potest excludendo , seu negando principium privilegii , quod obtineri potuerit ad majorem firmitatem juxta illos compatibiles intellectus , de quibus in celebri sæpiùs enunciata Januen. Abbatiæ *dec.*218.*par.*6. & 29. *par.*7. *recent.*

Reliqua verò, quæ in ista causa disputata fuerunt, consistebant, ut præmissum est, in facto super fide testibus adhibenda , eorumque exceptionibus in persona , & in dicto, quod certam non recipit regulam , sed ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis pendet,ut advertitur *disc.* 32. *de judic. & alibi* ; Ideòque ferè nulla erat opera Juristarum , nisi in exornandis iis , quæ super dictorum testium fide in jure habentur .

CAMERINEN. MONASTERII PRO EPISCOPO, CUM COMITE DE GRASSIS.

Casus decisus per Congregationem particularem pro Episcopo.

An, & quæ jura competant patrono, ac respectivè inferiori Prælato ad fundatoris instantiam deputato in receptione Monialium,ac aliis pertinentibus ad Monasterium , quod sit de jurepatronatus ratione fundationis ; Et quænam competant Episcopo .

SUMMARIUM.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *De dictione*, saltem , *quid significet.*
3 *Quod non debeat insisti in verbis , eorumque litterali sensu , sed in substantia veritatis , desumenda ex circumstantiis facti .*
4 *Ideòque facultas nominandi certum numerum Monialium , regulanda est à dote data .*
5 *An Fundator Ecclesiæ Collegiatæ habeat juspatronatus in Canonicatibus posteà auctis .*
6 *In Ecclesia Regulari non acquiritur juspatronatus ob fundationem , & dotationem sine privilegio .*
7 *Expeditur* doctrina Lambertini *super jure præsentandi Moniales , & de differentia inter antiquum , & modernum statum Monialium .*
8 *Observantia quando debeat attendi .*
9 *Inferior habens ex privilegio aliquam jurisdictionem, non exercet , nisi ad limites privilegii .*
10 *Quod clausura sit commissa Episcopo, & de ratione .*
11 *Quare non deberent attendi statuta .*
12 *Electioni Abbatissæ debet præesse Episcopus , vel ejus Vicarius .*
13 *An patronus habeat aliquod jus in electione Abbatissæ .*
14 *Quod hodie in Monasterium non sit procedendum cum regulis antiquis , ut etiam sup. num.7.*
15 *An Episcopus possit removere Cappellanos , & Confessarios perpetuos Monialium .*

DISC. LXXIII.

Cardinalis Evangelista Pallottus , & Martinus ejus 1
frater obtinuerunt à Sixto V. sibi concedi antiquam Ecclesiam Parochialem sub invocatione S. Martini Oppidi Caldarolæ eorum patriæ ob translationem Parochiæ ad aliam Ecclesiam noviter cum ampliori structura ædificatam , ac erectam in Collegiatam ad effectum ibi fundandi , ac dotandi Monasterium Monialium sub invocatione Sanctæ Catherinæ sub regimine , & administratione Ordinarii loci , de ipsorum tamen , eorumq; successorum jurepatronatus , & cum facultate tunc introducendi Abbatissam , & novem Moniales , earumque pro tempore deficientium imposterum loco totidem nominandi , & subrogandi absque ulla dote , vel cum ea exigua, quæ ipsius,eorumque successoribus imposterum videretur ; Effectum verò dicta fundatione tunc non sortiente idem Cardinalis alias obtinuit litteras à Clemente VIII. successore continentes in substantia idem , quod continebant præcedentes Sixti , præsertim circa facultatem condendi Statuta pro ejusdem Monasterii regimine , & directione , cum illa sola alteratione , quod sicuti ad normam priorum litterarum dicta præsentatio , seu nominatio coram

ram

ram Ordinario facienda erat, fieri deberet coram Præposito dictæ Ecclesiæ Collegiatę ejusdem loci sub dicta Invocatione S. Martini , prout fundatio sequuta fuit ; ipseque Cardinalis aliqua condidit Statuta .

Cum autem casus præbuerit , quod prædictus Cardinalis Evangelistæ successor tam in bonis, & hoc jurepatronatus, quàm in purpura fuerit Joannes Baptista ex fratre nepos , qui diù in Cardinalatu vixit , adeòut ad unum ex sex Episcopatibus Cardinalitiis ascenderit , magnus quidem , & exemplaris Cardinalis tam in doctrina,& peritia rerum mundi , quàm in vita & moribus , nimiùm tamen suæ opinionis tenax , ac fortissimus propugnator illorum jurium , quæ sibi competere credebat ; Ac etiam idem casus præbuerit , quod ista Ecclesia per longissimum tempus habuerit absentem Episcopum citrà tamen istius culpam, ratione munerum , in quibus pro Apostolicæ Sedis servitio laudabiliter occupatus fuit , & per quorum gradus ad Summi Pontificatus apicem sub nomine Clem. X. evectus fuit; Hinc tam Patronus , quàm præpositus aliquas majores exercuerunt facultates , præsertim quod statuto jam ab antiquo per Episcopum numero duodecim , nedum novas Moniales intra primum numerum , sed etiam alias tres , imò & aliquas supranumerarias cum nulla , vel cum exigua dote pro arbitrio admittere consueverunt , ac etiam omnimodam exercere jurisdictionem circa regimen , & custodiam clausuræ , ac alias , de quibus infrà ; Quare proviso de Ecclesia zelantissimo, nimiùmque regimini Ecclesiæ applicato Cardinali Franzonio , eoque volente hujusmodi facultates refrenare , atque se opponente Comite de Grassis nepote, ac hærede præfati ultimi Cardinalis,per Papam deputata fuit particularis Congregatio ex pluribus Cardinalibus constituta , coram qua plura fuerunt data dubia ex parte Episcopi; Primò nempè, an patrono competeret jus nominandi , ac præsentandi puellas admittendas ad habitum Monialium sine dote , vel cum exigua ultrà novem , de quibus litteræ Apostolicæ loquuntur .

Secundò , an dicto Præposito competeret jus recipiendi ad habitum , ac respectivè professionem tam Moniales intra dictum numerum concessum patrono , quàm ultra , ac etiam puellas gratia educationis inconsulto Episcopo , sive privativè ad istum .

Tertiò , an eidem Prępo sito competeret jus concedendi licentias alloquendi cum Monialibus , & respectivè ingrediendi septa Monasterii inconsulto Episcopo, & privativè quoad eum .

Quartò ; an liceret Episcopo irritare Statutum quo cavetur,non posse Moniales, & Puellas admitti ad alloquendum cum sæcularibus , & respectivè ingredientem septa Monasterii sine licentia Præpositi .

Quintò ; an Præposito liceret præesse electioni Abbatissæ privativè ad Episcopum , vel ejus Vicarium .

Sextò , an liceret Episcopo Statutum de hoc loquens irritare .

Septimò , an facta electione Abbatissæ requireretur assensus Patroni .

Octavò, an duo Cappellani perpetui deputati ad audiendas confessiones Monialium possent ab Episcopo removeri denegando licentiam confitendi , aut semel approbati valeant absque alia licentia prosequi ad confessiones audiendas .

Super his itaque assumpta disputatione sub die 13. Aprilis 1676. in omnibus resolutum fuit pro Episcopo, præterquam in ultimo super suspensione , vel remotione Cappellanorum , utpotè non proposito , sed reservato particulari inspectioni , atque resolutiones , reflectendo etiam ad solam veritatem probabiles,benèque fundatæ visæ sunt, singulariter siquidem dictos punctos examinando .

Quatenùs pertinet ad primum ; An patrono competeret facultas nominandi omnes puellas ad habitum monasticum
2 assumendas cum nulla , vel exigua dote pro ejus arbitrio etiam ultrà novem in dd.litteris Apostolicis contentas:Cùm ex hac parte diceretur , quod litteræ in verbis facultatem tribuant nominandi Abbatissam , & primas novem, & successivè alias in locum prædictarum deficientium subrogandas , ac propterea intraret frequens enunciata vulgaris regula text. *in l.ille , aut ille de leg.* 3. quod in claris, & expressis non intrant quæstiones , & argumenta ; Replicabatur per Scribentes in contrarium pro patrono , quod dictus numerus non staret taxativè,sed demonstrativè pro illis , quæ pro prima vice in ipsa fundatione essent ingressuræ, stante quod litteræ Apostolicæ adhibent dictionem *saltim* , quæ operatur , ut minor numerus esse non possit , sed non prohibet majorem , juxtà *consil. Gemin.* 37. *num.*6. Greg. *decis.* 434. *num.*7. cum aliis per Barbos. *dict.*255.

Verùm leve istud fundamentum videbatur, quoniam ista dictio *saltim*, adjecta fuit in procemio ad diversum effectum denotandi scilicet,quod Monasterii erectio cum minori numero sequi non deberet , ac propterea in parte dispositiva , in qua agitur de ista facultate nominandi , talis dictio non legitur ob diversam rationem; Et quamvis unus ex congregatis in hoc tantùm ab aliis discordando,in aliis autem concordando,magnum faceret fundamentum in dictione *hujusmodi*, contenta in hac parte dispositiva, quasi quod illa denotaret repetitionem omnium prǫcedentium , adhuc videbatur leve motivum , quoniam ista dictio repetitiva non remanebat fatua ; sed benè suam faciebat operationem respectu novem Monialium , & Abbatissæ , de quibus præcedenter actum est .

Advertebam præterea ad consuetum erorem in omni ferè materia frequenter inculcatum, immorandi in hujusmodi verborum , vel clausularum , ac dictionum formalitati- 3
bus, & grammaticali significatione, cum principaliter insistendum sit in substantia veritatis desumenda ex ipsa serie, vel massa facti; Cum etenim fundator assignasset tot redditus pro dote Monasterii, qui juxtà illorum temporum conditionem sufficerent pro substentatione Abbatissæ , & novem Monialium,quę propterea tanquam provisę aliam dotem præstare non deberent , cum ista non detur ob causam, 4
ingressus , vel habitus monastici , dum aliàs esset simonia , sed ob alimenta personæ, ut advertitur *disc.*167. *de dote* , & *alibi eod. tit.* Hinc intra prædictum numerum congruum erat in locum demorientium aliàs etiam sine dote, vel cum ea exigua ad nominationem patroni subrogari , ut praxis docet in aliquibus Monasteriis Urbis, ac præsertim in Monasterio fundato per familiam Barberinam ; Et de eadem facultas intra certum numerum habetur etiam in casu , de quo *disc.*27. *de jurisd. cum similib.* Et sic ad limites provisionis , & non ultrà .

Ac propterea etiam in Ecclesiis sæcularibus , in quibus non intrat illa difficultas,quę cadit in Monasteriis Regula- 5
ribus, ut infrà, si quis cum reservatione jurispatronatus , & præsentandi Canonicos funder Ecclesiam Collegiatam, quam dotet cum redditu proportionato substentationi Canonicorum numeri in erectione expressi,postmodum autem ex aliis Ecclesiæ redditibus, vel ex eleemosynis; aliisq; piis dispositionibus Canonicorum numerus augeatur juxtà ea , quæ habentur *disc.*6.*de Canon.* non exindè poterit Patronus istorum Canonicorum præsentationem prętendere , sed solùm habebit etiam quoad eos jus honorificum tanquam membra corporis patronati ; Solùmque idem jus præsentandi prætendi posset,quando ex eadem dote per ipsum data,& aucta major numerus excretus fuerit,cum tunc eadem ratio adaptetur ; Sed è converso ex regula *secundum natu-* 6
ram,&c. Si eadem dos minuatur, adeòut oporteat numerum diminuere , non nisi in numero diminuto id procedet , quamvis fundatio de majori numero loquatur .

Multò igitur magis in Monast. regulari,in quo ex sola fundatione, vel dotatione non acquiritur de jure, nisi patronatus honorificus,non autem facultas præsentandi, nisi in limine accedit privilegiū,ad cujus limites illud est intelligendū ex deduct. *dis.*55.*n.*14.15. ubi de hujus regulę limitation.

Motivabatur per alterum ex Congregatis de doctrina Lambertini , non adducta per Scribentes in contrarium *par.*1. *lib.*2. *artic.*5. *quæst.* 5. *principali num.*5. *pag.*509. *in* 7
meis Venetæ impressionis anni 1667. ubi ex consil. Feder. de Sen.95. firmare videtur , quod dicta regula procedit quoad Prælatum , non autem quoad Moniales , quarum præsentatio ad patronum pertinere debeat ; Verùm advertebam , quod de hac doctrina nulla veniret habenda ratio ex pluribus ; primò , quia Federic. de Sen. loquitur de privilegio , quod ex hac parte non negabatur , sed ad ejus limites . Secundò , quod idem Lambertin. loquitur cum præsupposito donationis , atque pro numero Monialium ex dote alendarum , quod pariter , ut suprà non controvertebatur ; Et tertiò , quod quidquid esset juxta illorum temporum conditionem ante introductionem clausuræ , ac vitæ communis , eo modo quo juxta decreta Concilii Tridentini, & Constitutiones Beati Pii V. aliorumque Summorum Pontificum , ac decreta generalia Sac. Congregationis Monasteria Monialium , præsertim in Italia hodie reguntur , atque attento isto statu nullatenus id est in usu , cum recipere , & non recipere Moniales intra numerum pendeat à consensu Monialium præstando per secreta suffragia , & ultrà numerum requiratur licentia

Sacræ

Sacræ Congregationis, atque in dote idem Monasterium nullum habet arbitrium condonandi, vel minuendi, ut *disc.11. & 167. de dote, & alibi*; Talisque est cummunis praxis, quoties non adsit aliqua reservatio in limine, & præsertim in hoc adducebam exemplum Monasterii S. Claræ Neapolis cum regio sumptu adeò magnificè constructum, & dotatum à Rege Roberto, ut *disc.26. de jurisdict.* sed non per hoc Rex nominat, vel præsentat Moniales absque dote; Idemque usus docet in Monasteriis, & Conventibus virorum, & tamen eadem intraret ratio; Ideòque concludebam, quod de rigore dictum jus nominandi restringi potius deberet ad illum numerum minorem, qui est proportionatus doti assignatæ per fundatorem, quæ præsupponit. diminuta, & insufficiens ad substentationem antiqui num.

Tam in isto primo puncto, quàm in omnibus aliis magnum fiebat fundamentum in observantia tanquam interpretativa, sed facilis videbatur responsio, aliis punctis
8 quoque communis, ideòque non repetenda ex pluribus; Primò, quia observantia est optima interpres in ambiguis, non autem in claris, in quibus requiritur præscriptiva juxtà distinctionem, de qua *disc.21. de judic. & sæpius*, præscriptiva autem dari non poterat ob decretum irritans contentum *in Extravag. Ambitiosæ*, & in tot aliis Constitutionibus Apostolicis, dum agebatur de servitute perpetua adeò gravatoria, & præjudiciali Monasterii; Et secundò, quia observantia habebat causam infectam potentiæ scilicet dicti patroni, cui Episcopus Prælatus non de facili resistere poterat, ac etiam ejus diuturnæ absentiæ, ut supra.

Facilior erat secundus punctus circa prærogativam Præpositi, quoniam cum ageretur de Monasterio non exempto, & sito intra limites diœcesis, adeò ut non caderent illæ quæstiones, quæ haberi solent inter Prælatos,
9 & Episcopos, & de quibus in his terminis Monasteriorum Monialium *sub tit. de jurisdict. disc. 18. & 26.* ac etiam *eod. tit. in hoc supplemento in Sublacen. disc. 102. & alibi*; Hinc sequebatur, quod extra omnem controversiam fundata erat intentio Episcopi in causa universali, iste verò Præpositus, utpotè veniens ex causa particulari, & limitata indulti Apostolici, aliud prætendere non poterat, nisi præcisè, id quod per indultum ei conceditur, totum autem plus omnino remanet sub dispositione juris, & extra privilegium, ideòque cadit sub causa universali, cum privilegia à jure exorbitantia juxta notoria, passimque recepta axiomata strictè, ad eorum limites intelligenda veniant, eo modo, quo præscriptio, ex deductis *disc. 1. de jurisd.* & passim.

Longè verò facilior erat tertius punctus circa licentias alloquendi Moniales, etiam ab extra, & per crates, mul-
10 tò verò magis ingrediendi clausuram, quoniam si etiam in Monasteriis exemptis, & quæ proprio subjaceant Superiori Prælato exempto, ubi non agatur de territorio verè separato, & nullius, vel non obstet antiqua tolerata consuetudo, quàm ex prudentialibus motivis dissimulare congruat, id competat Episcopo, atque ad summum, quando consuetudo assistat, inferior Prælatus prætendere potest cumulativam, quoniam clausura est specialiter commissa Episcopo, etiam contra exemptos, ex deductis *eod. tit. de jurisdict. in Sublacen. disc.102.* ac etiam *in Miscellan. Eccles. disc.16* Multò igitur magis in Monasterio non exempto, & non habente proprium Superiorem exemptum.

Ea quoque nimium probabili, & convincenti accedente ratione ponderata *d. disc.18. 26. de judic. & alibi*, quod custodia clausuræ non consistit solùm in materiali murorum, & portarum, sed in formali, nè illi de populo, & clero accedant ad alloquendum cum Monialibus, vel Monasteriorum septa ingrediantur, aliaque gerant, quæ earum honestati, ac disciplinæ præjudicialia esse possunt, & per consequens oportet, ut id commissum sit illi, qui jurisdictionem habeat cum personis de clero, & populo, illasque valeat coercere, dum aliàs Prælatus inferior id facere non posset, & sic punctus non est in exemptione materiali loci, sed in subjectione formali personarum, ex eadem ratione, ob quam ordinario conceditur jurisdictio in Ecclesiis, & personis exemptis in concernentibus curam animarum, & administrationem Sacramentorum, ex deductis *disc.1. & seqq. de jurisd.*

Exindè de consequenti resultabat responsio ad quartum punctum Statutorum disponentium circa clausuram, ut
11 sub d. Præpositi omnimoda cura, & administratione esse deberet, quoniam ubi etiam illud in sui ordinatione validum esset, adhuc per superventas Apostolicas Constitutiones illius dispositio cessaret.

Multò igitur magis stante ejus invaliditate ex defectu potestatis, quoniam in præfatis litteris Apostolicis erectionis conceditur præfato Cardinali Evangelistæ facultas ordinandi Statuta, sed limitatè, quatenùs scilicet sint licita, & honesta, Sacris Canonibus, & Concilio Tridentino, atque Constitutionibus Apostolicis non contraria.

Quoad quintum super præsidentia in electione Abbatissæ pariter videbatur plana resolutio ad favorem Epi-
scopi, dum etiam in Monasteriis exemptis ista præsiden- 12
tia commissa est Episcopo, ex deductis in sua Sede *sub tit. de Regular. & decis. 37. num. 15. in adnot. ad Concilium Tridentinum*; Multò igitur magis in isto Monasterio non exempto, & in quo dictus Præpositus dici non potest Ordinarius Superior, & Prælatus, sed tantùm delegatus ad certos actus, ultrà quos ejus risdictio non extenditur juxtà naturam delegationis, ut strictè intelligi debeat ad præcisos suos limites etiam ad effectum validitatis actus, ex deductis *disc.3. de matrim. & disc.3. de judic. & alibi*; Multò igitur magis contra Episcopum habentem intentionem fundatam in causa universali; Et exindè de consequenti resultare dicebam resolutionem texti quæsiti super invaliditate Statuti, eodem modo, quo supra ad quartum dictum est.

Ad septimum, scribentes in contrarium fundamentum constituebant *in decis.445.* Cavalerii tacito auctore desum- 13
pta ex superiùs allegato *disc.55. num.15. vers. Item, ut procedat*, &c. quod facta electione requiratur assensus patroni; Respondebam tamen ex eadem decisione patere, ut id esset, ex quadam honestate tantùm, non tamen ex necessitate quodque hujusmodi consensus non influeret ad nullitatem actus, ideòque esset idem, ac nihil.

Præterea advertebam ad idem, quod dicitur supra in proposito præsentandi Moniales, ac etiam *disc.1. de Regularib. & disc.28. de jurisd.* æquivocum scilicet videri ho- 14
die in his materiis regularium præsertim in Italia procedere cum iis, quæ disposita habentur cum antiquis Canonibus, vel tradita per antiquos Canonistas ob immutatum statum rerum; Antiquitùs etenim Monasteria virorum regebantur singulariter, & independenter, adeò ut Abbas esset prælatus perpetuus, eomodo, quo est Episcopus in Cathedrali, & Monachi essent fixi habentes quodammodò Monachatum perpetuum in eo Monasterio, in Monasteriis autem mulierum, licèt quoad Moniales verificetur, quod de viris supra dicitur, attamen quoad Abbatissam illa antiquitùs erat perpetua, adeòut Abbatissatus redoleret perpetuam Prælaturam in titulum, hodie verò in viris superiores sunt ad tempus, atque tam iidem, quàm Monachi, vel fratres ad libitum amovibiles, & pro laudabili usu amoveri soliti de loco ad locum, & quo ad mulieres Abbatissa est ad tempus triennii, ex deductis *eod. disc. 37. in adnot. ad Concil. & d. disc.1. de Regul. & alibi*, adeòut Abbatissatus non redoleat Prælaturam perpetuam, ut prius, sed potiùs quamdam simplicem superioritatem, & administrationem, seu Præfecturam temporalem, ideòque æquivocum videtur cum dictis antiquis terminis hodie procedere, talisque videtur praxis communis, quoties aliter non statuat lex fundationis per Sed. Apost. approbata, ut præsertim habetur in d. Mon. S. Claræ Neap. & similibus.

Demum quoad octavum, & ultimum non decisum, pro Episcopo pariter responderi debere dicebam, quoniam licèt ob indultum Apostolicum clarum non implicet, quin isti Cappellani, & Confessarii sint perpetui, quamvis regulariter sint temporales, & manuales, attamen fortiùs isto 15
casu de plano procedere dicebam ratione subjectæ materiæ magis suspectæ, & periculosæ, ea quæ habentur *disc.16. de Paroch.* ut non possit quidem Episcopus absque sufficienti causa illos removere in totum tanquam per speciem formalis privationis juris quæsiti, benè tamen posset inquirere de eorum idoneitate, ac vita, & moribus, & quatenus ei videatur illis suspendere exercitium, cum subjecta materia id absque dubio faciliùs suadeat ratione majoris periculi, ac majoris suspicionis, necnon majoris circumspectionis, cum qua procedendum venit, occultando causas, quæ illum, ad id moveant, ut propterea habemus, quod licèt Parochiæ, & Vicariæ sæculares sint perpetuæ in titulum conferri solitæ, attamen hujusmodi Confessarii Monialium sunt ad solum tempus triennii ad summum, adeòut neque volens possit Episcopus illos confirmare, dictumque tempus prorogare absque licentia S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quæ ad ejusdem Episcopi relationem illam pro altero triennio concedere solet, & non ultrà, nisi ex magna causa, & quandoque, ubi aliquam habeat sinistram opinionem, negare.

IN-

INTERAMNEN. BENEFICII PRO VALENTINO SALVOLO, CUM BERNARDO, ET FRANCISCO DE ROSSIS.

Casus decisus per Rotam pro Rossis.

An, & quando impetratio beneficii de jurepatronatus sit invalida, & subreptitia ob non factam mentionem aliquarum circumstantiarum, quamvis jurispatronatus derogatio adsit ratione vacationis in Curia.

SUMMARIUM.

1 Facti series cum resolutionibus.
2 Quando provisio de beneficio de jurepatronatus cum istius derogatione sit invalida ob aliquorum expressionem non factam.
3 Quod non videantur commendabiles istæ derogationes.
4 Non tamen est dubitandum de potestate, & quod juspatronatus dicatur competere ex gratia Ecclesiæ.
5 De ista derogatione ob vacationem in Curia.
6 De circumstantiis particularibus, ob quas facilius intrat dicta derogatio.
7 Respondetur fundamentis resolutionum.
8 Valet lex fundamentalis, quod quando derogetur juripatronatus provisus Apostolicus non obtineat aliquos fructus.
9 De differentia inter reservationem, & inter hanc speciem non derogationis.

DISC. LXXIV.

1 VAcato beneficio de utroque jurepatronatus activo, & passivo illorum de Rossis in Curia per obitum Ciampini Curialis, qui illud obtinebat in vim provisionis Apostolicæ cum derogatione jurispatronatus, ob consimilem vacationem in Curia illud impetravit Valentinus, contra quem jam possessorem præfati de Rossis in utroque patronatus respectivè interessati, appellando à sententia executoris obtinuerunt committi causam invaliditatis dictæ provisionis in Rota coram Calataiu, coram quo, me Scribente pro Valentino possessore reo convento, sub die 22. Junii 1672. prodiit resolutio super invaliditate dictæ provisionis, ex capite subreptionis ob non factam mentionem dicti patronatus cum omnibus suis qualitatibus, sed solùm in genere, & præsertim cum illa, quod beneficium esset debitum certo generi personarum, quodque in privilegio Gregorii XIII. in vim, cujus ex causa dotationis, vel augumenti dotis juspatronatus obtinebatur, cautum esset, ut ei derogari non posset etiam per vacationem apud Sedem, nisi quando hujusmodi patronatibus derogari solet, ex eo, quod probatio istius soliti facta non esset, quasi quod facta hac expressione Papa non derogasset, vel difficilius id egisset; fundamentum constituendo *in decis.4. num. fin. par.2.*
2 *recent.* & in deductis per Amaiden. de stylo Datariæ *c.15. §.15. ex nu.18. cum plur. seqq.* Concessa verò nova audientia, reus juxta consuetudinem infirmorum de facili mutantium medicos, quando sub cura unius non convalescunt, mutavit defensores, ac propterea in hac secunda propositione non scripsi, sed repropositæ causa sub die 26. Junii 1673. perstitum fuit in decisis, unde credo, quod provisus Apostolicus acquieverit, vel quod eo, quo potuit modo se concordaverit, dum scio, quod postmodum mutavit statum, ducendo uxorem.

Resolutiones, attento proprio genio, vel sensu naturali
3 placuerunt, ex eo, quod generaliter displicent hujusmodi derogationes, ut alibi advertitur; Quamvis etenim de potestate non sit dubitandum, neque id contineat illam exorbitantiam, sed læsionem juris naturæ, vel gentium, quam ignarus vulgus credit, cùm juspatronatus etiam, ubi sit ex integra fundatione, & dotatione absque aliqua mixtura privilegii, adhuc dicatur competere ex gratia Ecclesiæ, quæ hunc usum introduxit ad alliciendum fideles, ad construendum, & dotandum Ecclesias, ac beneficia, multò igitur magis, quando adest mixtura privilegii, quamvis causa onerosa præponderet, quoniam tunc dicitur juspatronatus ex justitia, ad effectum illud contradistinguendi ab altero ex gratia, & privilegio pro subjectione reservationibus, & affectionibus Apostolicis, juxta ea, quæ habentur supra *disc.10. & 65. & in aliis pluries eod. tit.* Sed ad alios effectus istum præsertim non tollit, quin sit ex gratia, & privilegio, dum ut supra dicitur tale etiam in casu, in quo nulla accedat mixtura privilegii, & gratiæ, sed sit ex integra fundatione, & dotatione, ut *in d. disc.65.* Nihilominus, quia magis communiter id aliquod de facto scandalum generare videtur, atque saltim naturaliter aliquam exorbitantiam continere, quod scilicet illi, qui privando seipsos, eorumque posteritatem aliquibus bonis pro dotatione, & fundatione Ecclesiarum, & beneficiorum tam pro decore 4
propriæ familiæ, & posteritatis, quàm etiam ad effectum providendi aliquem secundogenitum, vel alium non provisum de eadem posteritate, vel familia, ita elusi remaneant ab illa fide Canonum, & Ecclesiæ, quam sequuti fuerunt, idcircò commendabilis, etiam per pios, & zelantes reputatur, ut ab hoc stylo abstineretur.

Procedendo tamen juridicè, & cum regulis legalibus, quas in hac materia habemus, resolutiones non placuerunt, quoniam notorius, & inconcussus est iste stylus quando vacatio sequatur in Curia præsertim, ubi agatur de jure- 5
patronatus privatorum, cum difficultas cadat in illo Principium, ut patet ex deductis per Covarr. *pract. cap.36. nu.4.* Paris. *de resignat. lib.2. q.4. n.44. & seqq.* Lotther. *lib.2. q.8. nu.98.* apud Bich. *dec.198. num.22.* latè *dec.630. par.4. rec. tom.3.* quę est in terminis longè fortioribus ex duplici ratione dubitandi; Primò nempè, quod agebatur de patronatu possesso per Ducem habentem jura Supremi Principatus; Et secundò, quia obtinebat ex illa concordia, cujus mentio habetur *disc.2. de feud.* & advertitur *disc.95.*

Multò igitur magis in hac facti specie ob quatuor circumstantias; Primò nempè, quia de patronatu merè privatorum; Secundò fortiùs, quia de illo, quod non sit de mera justitia ratione omnimodæ fundationis, & dotationis, sed 6
cum aliqua mixtura gratiæ, & privilegii, quamvis præsupponendum sit, quod causa onerosa præponderet; Tertiò, quia in eodem privilegio dicitur non debere derogari, nisi quando solitum sit, ac propterea casus videtur expressè preservatus in ipso limine, atque fundatori denunciatum periculum, cui subjacebat, & sic adaptari valeant ea, quæ in fundationibus Majoratuum Hispaniæ habentur *disc.61. de Regul.* Et quartum, ob solitum particulare, ac ultimum statum, quoniam ultimi duo possessores cum consimili derogatione obtinuerant cum subsequuto effectu, ideòque non videbatur redarguendus iste provisus, qui conceperat supplicationem, eodem modo, quo in duabus præcedentibus provisionibus sequutum fuerat, ut habetur in materia malæ expressionis valoris *disc 90. nu.1. & alibi*; Et sic reverà resolutiones nulli probabili fundamento, reflectendo etiam ad solam veritatem, innixæ videbantur, cum auctorita- 7
tes prædictæ, cum quibus proceditur non faciant ad rem; Dicta etenim *decis.4. part. 2. recent.* loquitur in terminis resignationis ad favorem, ideòque non percutit istos terminos atque in ejsdem terminis resignationis, vel similis provisionis alias, quàm ex dicta causa vacationis in Curia loquuntur aliquæ decisiones, quarum tenor regiſtratur per Amaiden. *ubi sup.* qui licèt in Curia Advocatus, non tamen Curiæ stylum in scribendo multùm sequi videtur; Et quamvis regiſtret decisionem Fanen. coram Ubaldo *inter suas decis.837.* quæ loquitur de ista specie provisionis, attamen ultrà, quod loquitur incidenter ad diversum effectum restitutionis fructuum in eo casu punctus non erat super invaliditate provisionis beneficii, sed super eo, quod beneficiatus ita provisus, non deberet obtinere illos fructus, 8
quos fundator voluit percipi non posse, nisi ab aliis, qui ad formam fundationis ex præsentatione beneficium obtinerent, quodque pro eo tempore, in quo beneficium ex Apostolica provisione essent penès alios, fructus deberent spectare ad alterum locum pium, dum ista lex tanquam adjecta in limine fundationis, & approbata per ordinarium, multò verò magis per Sedem Apostolicam servari debet, ut in eadem Fanen. firmatur apud Rojas *decis. 294.* atque advertitur *d. disc.65. num.7. & alibi*, sed hoc ut præmissum est, non respicit beneficium ejusque substantiam, sed potiùs accidentia, nempè participationem aliquorum fructuum, & per consequens istæ auctoritates non videntur ad rem facere, potissimè ob dictas circumstantias, ob quas præfatus stylus remanet magis notorius, & indubitabilis.

Neque obstare dicebam, quod in dicto privilegio expressè diceretur, ut derogari non posset, neque per vacationem apud Sedem, quoniam penè in omnibus hujusmodi privilegiis adjici solet, & tamen passim contingente casu fiunt hujusmodi derogationes, ac etiam, quia ut advertitur *dict.*

dec.630.

dec. 630. par. 4. recent. tom. 3. ex num. 21. ista clausula respicit diversum effectum, ne scilicet intret reservatio ex isto capite vacationis in Curia, vel apud Sedem, quoniam magna differentia est inter unum effectum, & alterum, ubi etenim intret hæc reservatio, quæ est clausa in corpore juris, tollitur quæcumque spes patrono, quoniam etiam si ipse esset diligentissimus, ac præveniret in præsentatione cum subsequuta possessione, vel etiam si vacatio sequuta esset Sede Papali vacante, quando practicabilis non est derogatio, adhuc reservatio suum operaretur effectum, & tamen non obstaret ista derogatio, & sic magna differentia dignoscitur inter unum, & alterum effectum.

PISTORIEN. JURISPATRONATUS PRO OPERA S. JACOBI,

Responsum pro veritate.

De præscriptione, vel acquisitione juris præsentandi per illum, qui de aliquo titulo non docet, sed se fundat in possessione juris præsentandi, & in admissione per patronos.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 *Admissus ad præsentandum quale jus acquirat, & in cujus præjudicium sine prædicta admissione operetur.*
3 *De operatione centenariæ, ut allegari possit quicumque titulus melior.*
4 *De distinctione inter præscriptionem, & præsumptionem.*
5 *Quomodo concurrere debeant possessores in præsentando, & quod sit nimium deferendum observantiæ.*

DISC. LXXV.

CUm ab antiquo jusPatronatus plurium beneficiorum existentium in Diœcesi Pistorien. & in Territorio Pis-
1 cien. *Nullius*, possideretur per illos de Lazzaris Viscontis; Cum ex ista familia, seu descendentia esset solùm superstes Sinibaldus, hic in testamento condito de anno 1647. scripta hærede universali opera S. Jacobi, jusPatronatus reliquit quatuor conjunctis, cuilibet scilicet quartam partem, cum prohibitione juris accrescendi, ut propterea portio deficiens pertinere deberet ad dictam operam hæredem; Defectis autem omnibus descendentibus dictorum quatuor legatariorum, orta est controversia inter dict. operam, & Barduccios venientes jure cujusdam donationis per eos obtentæ jurisPatronatus, à quibusdam Viscontis de Limite de anno 1481. ex eo, quod in successivis vacationibus isti Barduccii præsentaverint unà cum dictis quatuor legatariis; Quare desuper ex parte dictæ operæ consultus.

Respondi, quod quando negotium esset recens, tunc nisi Barduccii docerent de titulo, contra eos ad favorem ope-
2 ræ respondendum esset, non obstante quod per dictos legatarios admissi fuissent ad præsentandum cum eis, quoniam id constituit quidem admissum in possessione præsentandi in præjudicium admittentis, ac habentium causam ab eo, sed non facit illum verum patronum in præjudicium venientium jure suo independenter juxtà superiùs deducta *disc. 63. & in aliis*, solùmque ista admissio suffragari solet, ac debet contra venientes independenter, ac jure proprio pro adminiculo, vel interpretatione tituli dubii juxtà casum, de quo in Mediolanen. Prioratus, *disc. 176. & in aliis similibus*.

Difficultatem verò non modicam habebam ex eo, quod
3 ageretur de facto antiquo excedente spatium annorum centum, ob pluries enunciatam operationem centenariæ, ut ejus vigore allegari possit quicumque titulus de mundo melior, & sic quod possessores dicere valeant, quod Visconti de Limite eorum auctores essent iidem, ac Visconti de Lazzaris coæquale jus habentes cum authore ejusdem operæ, ac propterea non intrarent termini præscriptionis, quæ de facili elidi posset, dum opera veniebat independenter à dictis Legatariis, ex deductis suprà *disc. 31. num. 16. & disc.*
4 *35. nu. 8.* sed difficultatem in eo consistere dicebam (quando consultores contendentium non essent plus, quam imprudentes, & stolidi,) quod hanc diuturnam possessionem allegaturi non essent jure præscriptionis, sed jure præsumptionis juxtà pluries enunciatam distinctionem inter præscriptionem, & præsumptionem, præsertim *disc. 21. de judic. & disc. 3. de alien. & contr. prohib. disc. 133. de feud. & alibi.*

Hæc quoad substantiam, sive pertinentiam in genere; Ea verò posita advertebam, quod caderet alia inspectio super quoties; Atque in hoc dari non potuit maturum judicium absque meliori, magisque distincta notitia facti super modo præsentationum, an fuissent coæquali jure cum omnibus, ideſt quod tanta fuisset vox istorum donatoriorum, quanta illa quatuor legatariorum, qui venirent in stirpes, repræsentando eorum auctorem, vel è converso in capita, sive pro una virili, ex pluribus juxtà distinctiones, de quibus *disc. 61.* & in aliis ibi enunciatis, cum in hoc nimium, imò totum faciat observantia, cui deferendum venit quoties clarè non constet, quod ea fuerit erronea, vel æquivoca, ideòque remanet punctus incapax regulæ generalis, utpotè decidendus ex circumstantiis facti, cujus potiùs, quàm juris quæstio censenda est.

MEDIOLANEN. PRIORATUS PRO JO: BAPTISTA MONTEGATIA, CUM CONSTANTIO GALERATO.

Casus decisus per Rotam pro Joanne Baptista.

De jurepatronatus familiari, quando sit tale diversum à gentilitio, & à mixto, & quibus de familia competat.

SUMMARIUM.

1 Facti series cum resolutionibus.
2 *De aliquibus conclusionibus generalibus in materia.*
3 *Quod hodie istæ sint quæstiones potiùs facti, quàm juris, & quomodo decidendæ.*
4 *Quomodo in hoc jurepatronatus probetur qualitas familiaris.*
5 *De demonstrationibus magis id concludentibus, ac tollentibus illud æquivocum, quod esse solet in verbo familiæ.*
6 *Quando dicatur non constare de tenore fundationis.*
7 *De aliquibus objectis facti, & præsertim, an specificatio aliquarum personarum sit taxativè, vel demonstrativè, & excludat alios de eodem genere.*
8 *De probatione identitatis familiæ.*

DISC. LXXVI.

PRioratum S. Mariæ de Campo mortuo Rota in consi-
1 mili causa intitulata etiam Mediolanen. Prioratus coram Corrado sub die 14. Martii 1646. canonizavit esse de jurepatronatus familiæ Montegatiæ, sed illa dispositio fuit solùm super existentia jurispatronatus, quæ controvertebatur ab Ordinario, & aliis de libertate contendentibus, non autem super pertinentia, cui occasionem dedit vacatio sequuta de anno 1673. quoniam cum aliqui de hac familia, & cognomine de Montegatiis præsentassent Joannem Baptistam eorum fratrem, & agnatum respective, alii verò diversarum familiarum, qui se prætendebant descendentes ex fœminis ejusdem familiæ præsentassent Constantium, hinc per appellationem à sententia Ordinarii super institutione Joannis Baptistæ introducta causa in Rota coram Taja 26. Aprilis 1675. prodijt resolutio ad favorem ejusdem Joannis Baptistæ, idemque in alia instantia coram Ubago sequutum est 20. Martii 1676. & in hoc statu causa reperitur.

In his itaque disputationibus, licèt per alios hinc inde scribentes cum copiosis superfluis allegationibus pro currenti vitio nimium insisteretur super præsupponendis, ac certis generalitatibus; Primò nempè, quod qualitas familiaris non præsumitur, cum jusPatronatus de regulari natura 2
censeatur hæreditarium; Secundò, quod ubi etiam non sit hæreditarium, sed gentilitium deferendum jure necessariæ cessionis, tanquam per speciem fideicommissi, vel feudi pacti, & providentiæ in illos de sanguine, non tamen exindè infertur ad qualitatem agnatitiam, seu familiarem, nisi ista sit adjecta eodem modo quo in dicta fideicommissaria successione habetur; Et tertiò, quod ubi etiam constaret de antiqua familiari qualitate, adhuc tamen defecta illa familia, jusPatronatus efficitur hæreditarium.

Hæc autem omnia, & similia negligenda mihi videbantur, utpotè hodie certa, & præsupponenda, ac etiam extranea à casu quæstionis, quæ pro meo judicio ad instar 3
illarum quæstionum voluntatis, quas adeò frequentes habemus in dicta materia fideicommissaria, & similibus erat potius facti, quàm juris, ex facti proindè qualitate, & circumstantiis decidenda, adeòut intret sæpiùs meritò inculcarus error immorandi in generalibus regulis, & conclusionibus juris, atque desuper auctoritatum, & decisionum cumulos cum magno improbo labore facere, quoniam præsuppositis tam regula, quæ assistit qualitati hæreditariæ, quàm limitatione, quæ assistit familiari, quando istius probatio accedat punctus est in applicatione, an ex facti qualitate dicamur esse in casu regulæ, seu limitationis; Idque in primis regulandum est à tenore fundationis quando ista habeatur, quando verò deficiat, ab observantia aliisque circumstantiis.

Cum itaque in hac facti specie non adesset fundatio, hinc advertebam reflectendum esse principaliter ad facti seriem deductam ex documentis, quæ desuper habeantur,
4 eaque est, quod de anno 1469. illi de hac familia obtinuerint in vim aliquarum ex probationibus adhuc extantibus, ut infra, magis verò, ut nimium probabile est, ex aliis melioribus, quæ tunc habebantur, quando memoria erat recens, per sententiam Ordinarii canonizari jusPatronatus ratione fundationis, & dotationis ab illis de hac nobili, & vetusta familia, eamdemque sententiam obtinuerunt confirmari, & comprobari per Sedem Apostolicam sub Paulo II. deindèque aliqui de eadem familia eorum expressis nominibus eamdem canonizationem obtinuerunt à Sixto IV. & quidam alii in litteris istis non expressi consimiles litteras obtinuerunt ab Innocent. VIII. omnes tamen cum expressione, quod istud esset jusPatronatus de domo, & familia de Montegatiis; Prout semper illi de eadem familia præsentarunt usque ad Sixtum V. quando occasione collationis; quam de hoc prioratu tanquam de libero idem fecerat in persona Cardinalis de Montealto nepotis, alia consimilis prodijt canonizatio effectum postmodum sortita; His que litteris Apostolicis accedunt tam plures institutiones Ordinariorum, quàm etiam plures enunciativæ in visitationibus, aliisque actibus ac etiam insignia hujus familiæ, & antiquæ inscriptiones respectivè in Ecclesia, & Campanile, & assertiones aliquorum probatorum historicorum rerum Mediolani, ejusque status, semper de fundatione, & dotatione per hanc familiam, ut hæc omnia distinctè recensentur tam in dicta decisione anni 1646. coram Corrado, quàm in aliis, ut supra proditis in ista disputatione, ideòque nimium convincenter probari dicebam, quod illud jusPatronatus esset verè familiare juxtà ea, quæ habentur supra *disc. 22. 24. 60. & alibi*; Ponderando etiam, quod nullatenùs constabat de mixtura extranei eorum in præsentando, quod est magnum argumentum.

Et quod magis in dictis litteris, ac enunciativis, & inscriptionibus, ac historiis, & aliis argumentis, & specie-
5 bus probationis, non adhibetur solùm vocabulum *familiæ*, quod latiùs patere solet, & quandoque pro subjecta materia, vel pro morum regionibus potest convenire etiam cognatis, sed adest etiam verbum *domus*, quod præsertim pro Italiæ moribus latius patet; Et quod magis est, descenditur magis in specie explicando familiam cum adjecto de Montegatiis, dum ita cessare dicuntur omnes illæ dubitandi rationes, quæ habentur *locis citatis hoc tit.* ac etiam *disc. 13. de præeminent. & disc. 50. & seqq. de fideicom.* & alibi.

Non negabantur hæc, præsertim in secunda instantia coram Ubago, per scribentes in contrarium, quoniam ex prædictis nimium convincenter, & clarò ista probatio
6 qualitatis familiaris adesse videbatur; Cùmque non constaret de fundatore certo, cadere non poterat quæstio, de qua pariter pluries *hoc eodem tit.* & in altero superius enunciato *de fideicomm.* an fundatio intelligenda esset de familia effectiva, vel contentiva; Quamvis etenim aliqui ex eisdem scribentibus præsupponerent dd. litteras Sixti IV. & Innocent. VIII. pro lege fundationis; Attamen id continere dicebam æquivocum manifestum, nec responsione, nec discursu dignum, dum ex antecedentibus litteris Pauli II. confirmatoriis dictæ antiquioris sententiæ Ordinarii canonizantis jusPatronatus ex antiqua fundatione, & dotatione à tempore antiquo, & immemorabili, ita ad evidentiam error iste convincebatur.

Super duobus tamen insistebant; Primò nempè, quod illi, qui præsentaverant Joannem Baptistam non essent de ista familia, quæ locis citatis enunciatur; Et secundò, quod
7 ubi etiam essent de hac familia in genere, neque suffragaretur cum non essent de descendentibus à personis enunciatis in præfatis litteris Sixti IV. & Innocent. VIII. ac etiam in illis Sixti V. & per consequens, quod defectis lineis, & descendentiis masculinis, vel jusPatronatus effectum esset hæreditarium, vel gentilium in genere cognatitio.

Ista objecta continebant inspectionem potiùs facti, quam juris, eaque per causæ Patronum, ad quem pro Curiæ stylo magis, quàm ad Avocatos pertinet agere de iis, quæ facti sunt, benè removebantur cum justificationibus, quod non solum ii, qui præsentaverant Joannem Baptistam, essent de eadem nobili, & vetusta familia Montegatia in prædictis documentis enunciata, sed quod etiam descenderent ab aliquibus ex personis nominatis in præfatis litteris utriusque Sixti, & Innocentii respectivè.

Duo tamen ego alterius gerendo partes Juristæ subjungebam; Primò nempè, quod pariter evidens æquivocum esset dictum præsuppositum, ut jusPatronatus esset restrictum ad personas enunciatas in dd. litteris Apostolicis, adeò ut starent taxativè in exclusionem aliorum de eadem familia, cum reverà illæ starent demonstrativè stante dicta antiquiori sententia Ordinarii, ac etiam antiquioribus litteris Pauli II. loquentibus de domo, & familia in genere absque restrictione ad certam personam fundatoris; Illæ autem personæ, quæ in eisdem litteris Sixti IV. & Innoc. VIII. enunciantur sunt illæ, quæ aliis diligentiores, ad clariorem sui juris firmitatem, & justificationem solliciti fuerunt eas obtinere, quod scilicet prius aliqui obtinuerunt illas Sixti, deindèque alii ex hoc edocti obtinuerunt illas Innocentii ob eamdem causam, & rationis identitatem, eo quod pariformiter essent de familia, ideòque si alii de eadem familia, qui hanc diligentiam adhibere neglexerunt, illam apud eosdem, vel alios successores Pontifices adhibuissent, consimiles litteras, consimilemque declarationem quoque obtinuissent, cum illæ non continerent novas concessiones, & privilegia, quæ non sunt trahenda de persona ad personam, sed solùm contineant declarationem ejus, quod jam inerat, & competebat universo generi, ideòque illud restrictionem non patitur à specificatione aliquarum personarum, nisi quando subjecta materia, vel tenor, restrictionem, ac taxationem suaderent; Ac propterea quando etiam non adessent justificationes super descendentia per gradus distinctos ab aliquibus personis specificatis in eisdem litteris, adhuc sufficeret probatio generica, quod essent de hac familia.

Et quoad genericam probationem identitatis familiæ, stante identitate cognominis, & insignium, advertebam
8 quod tunc aliqua major dubitandi ratio circa istam probationem identitatis familiæ cadere videtur, quando ageretur de patriis, & locis diversis, multò verò magis, ubi accederet alia diversitas in aliquo adjuncto, vel insigniis, aut quod adesset diversitas status, quia nempè una familia esset in statu conspicuo nobilitatis, & divitiarum, altera verò in statu magis depresso ignobilitatis, & paupertatis juxta ponderationes, de quibus in hac materia identitatis familiæ *sup. disc. 31. & disc. 32. de præemin.* latiùs verò, magisque ex professo *disc. 50. cum duob. seqq. sub tit. de fideicom. & alibi*; Ideòque applicando ad rem cum verificaretur omnimoda identitas in patria, cognomine, insignibus, & statu nobilitatis, ac præeminentiam ita concludentem probationem adesse dicebam; Clariùs verò, dum accedebant probationes magis specificæ resultantes à tractatibus auctorum partis adversæ, & ab aliquibus præsentationibus, ac respectivè consensibus præstitis in aliis vacationibus per eos, à quibus isti descendunt, quod ad hunc effectum sufficit, ut advertitur *loc. cit. hoc eod. tit.* istæque probationes speciales etiam imperfectæ, ac aliqua etiam exceptione elidibiles, quando solæ, ac de per se considerandæ venirent, magni faciendæ veniunt in hac materia pro adminiculo, & corroboratione præsumptionis juris, quæ aliàs sola, & de per se fallax, & periculosa videtur.

LAURETANA JURISPATRONATUS.

Responsum pro veritate, incertum est ex cujus parte.

De eadem materia, de qua discursu præcedenti, an jusPatronatus sit familiare, vel gentilitium, in concursu agnatorum remotiorum, & cognatorum proximiorum, & in specie, quid importet verbum *Casa*, in idiomate Italico.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 *De regulis, quæ habentur in successione juris patronatus.*
3 *Quod dictæ regulæ non placeant, sed sint receptæ.*
4 *De diversitate morum Hispaniæ, & Italiæ.*
5 *De infelicitate facultatis legalis, unde proveniat, & de ratione ob quam respondere soleat pro veritate contra proprium sensum.*
6 *Vocatio fœminarum, & descendentium ab eis excludit contemplationem agnationis.*
7 *De significatione vocabuli* domus, & casa.
8 *De differentia inter linguam latinam, & Italicam in dictis vocabulis.*
9 *Quod ad hanc differentiam debeat reflecti.*
10 *De observantia qualis esse debeat, ut attendatur.*

DISC. LXXVII.

MErcurius de Riccardis fundato beneficio cum reservatione juris patronatus, adjecit legem perpetuæ conservationis in ejus domo pro filiis masculis, & in istorum defectum pro fœminis, hisque omnibus non extantibus, vel deficientibus proximioribus, qui directè venirent ex ejus domo in perpetuum, atque defecta linea legitima, & naturali ipsius fundatoris, & suorum, ut supra deberet esse communitatis, adhibendo in Italico idiomate illa verba præcisa; *Resti perpetuamente in casa sua per i figli maschi, e poi per le femine, e non havendo ne maschi, ne femine, per i prossimi, che direttamente verranno di casa sua*, &c. Defuncto autem fundatore sine prole superstite Ambrosina germana sorore, ista contingente vacatione præsentationem fecerit cum subsequuto effectu, in altera verò vacatione sequuta post dictæ Ambrosinæ obitum, filii ejusdem præsentarunt Joannem Baptistam filium unius ipsorum, Riccardi verò agnati descendentes à communi avo gradu remotiores, præsentarunt personam de eadem agnatione, Ordinarius verò instituit præsentatum à cognatis proximioribus de familia Rota, atque in hoc statu desuper consultus fui pro veritate, fortè ex parte agnatorum remotiorum, & præsentati ab eis, qui succubuerant ad effectum deliberandi, an expediret appellationem prosequi.

Pro judicio Ordinarii ad favorem præsentati à cognatis proximioribus, dixi respondendum videri, non quidem ex proprio genio, propriaque opinione, sed quia ita apud nostros magis receptum videtur, dum juripatronatus pro regula (nescitur quo spiritu, quavè ratione) attributa est natura, seu qualitas hæreditaria, ut neglectis illis de sanguine, transitum faciat ad hæredes extraneos; Quinimò ut neque regulariter veniat sub fideicommisso, quod in reliquo patrimonio ordinatum sit per fundatorem, contra omnem rationem, omnemque verisimilem voluntatem fundatoris, ut advertitur supra *dis.* 36. & 60. *& in aliis*; Et quatenùs fundatum sit pro illis de sanguine, ac propterea gentilitium dicatur, adhuc tamen volunt, ut reguletur juxtà ordinem fideicommissariæ successionis ad favorem proximiorum in gradu, sublata sexus, & gradus differentia, quoties non constet expressè, vel conjecturaliter de agnatitia, & masculina qualitate, ut pluries in sua sede *sub tit. de fideicommissis*; Ac propterea in hac materia juris patronatus, etiam ubi non sit merè hæreditarium, & transitorium ad hæredes extraneos, inolevit contradistinctio terminorum gentilitii, & familiaris, ut advertitur *disc. præcedenti.*, & per consequens ad rem, cum non videretur sufficienter constare de dicta agnatitia, seu familiari qualitate per fundatorem desiderata, obstare dicebam agnatis remotioribus regulam.

Quamvis etenim, ut præmissum est, id mihi non placeat, atque parùm rationabile videatur attentis Italiæ moribus juxtà ponderationes, de quibus *sup. dicto disc.* 36. Et latiùs *disc.* 1. *& seqq. & in aliis pluries sub tit. de succes. ab intest.* occasione agendi de statutis exclusivis fœminarum, & cognatorum ob masculos agnatos, adeòut in hoc manifesta videatur ineptia nostrorum, & præsertim illorum, qui procedunt cum traditionibus Hispanorum, sive cum illis decisionibus, quæ prodierint in causis ejusdem Regionis, non distinguendo morum diversitatem ponderatam *disc.* 7. 34. & 201. *de fideicomm. & alibi pluries*.

Nihilominus hujus facultatis misera conditio, in qua leguleica ineptia illam constituit, ut loco maximæ rationabilitatis, quam lex continere debet, cum ratio sit anima legis, ut habetur *disc.* 35. *de judic. & in opusculo Sigli*, & pluries, & ita sit effecta massa irrationabilitatum, induxit ut quandoque oporteat respondere etiam pro veritate contra proprium sensum, id est insinuare requirentibus, id quod magis receptum sit, & qualis probabilior reputetur exitus quæstionis in foro.

Constituta itaque dicta regula, dicebam non intrare limitationem, quinimò ut ista potius exclusa remaneret ob vocationem propriæ lineæ fœmininæ in defectu masculinæ, cum ita clarè excludi dicatur agnatitia qualitas, dum fœminæ, licèt dicantur de familia, & agnatione, nihilominùs illam non conservant, sed in eis familia terminat, ut pluries advertitur *sub tit. de fideic.* præsertim *disc.* 29. *& seqq. & disc.* 70. *& in aliis*; Et per consequens ut intret ordo intestatæ, vel fideicommissariæ successionis, ut præsertim ad rem, & in specie latè aliis de more cumulatis, Castill. *tom.* 5. *controv. c.* 67. *sub n.* 28.

Et licèt in quodam discursu de partibus transmisso ad favorem agnatorum insisteretur in illis verbis, *i più prossimi, che direttamente verrano di casa sua*. quasi quod illud verbum *domus*, quod translatum in idioma Italicum idem denotat, ac verbum *casa*, juxta loquendi usum latius pateat, quàm verbum *familia*, magisque denotet contemplationem agnationis, ut advertitur *eod. disc. præced. & disc.* 13. *de præmin. & pluries in dicta sua sede de fideicomm.* Nihilominùs advertebam id in ista facti specie tolli, ex facto quoniam præcedenter dixit, quod juspatronatus perpetuò remanere deberet *in sua Casa*, & tamen æquè disposuit ad favorem masculorum, sive fœminarum cum solo ordine prælationis; Igitur istud verbum *Casa*, fundator non accepit pro agnatione, & familia, sed solùm pro sanguine, & descendentia prius effectiva in utraque linea masculina, & fœminina, & deindè pro parentela contentiva, quæ descenderent ab ejus domo, id est quod haberet cum ipso sanguinis connexionem ex communi stipite.

Duo præsertim in idem considerando; Primò nempè, quod non vocavit illos de domo, sed qui descenderent à domo juxtà ponderationes, de quibus *disc.* 13. & 14. *de emphyt. & alibi*; Et secundò, quod licet in lingua latina pro communi præsertim Italiæ loquendi usu, verbum *domus*, denotet familiam, vel agnationem; Nihilominus in idiomate Italico usus videtur diversus, quod scilicet quando habetur in animo explicandi agnationem, vel familiam dicitur *Casata*, seu *Casato*, non autem *Casa*, quasi quod istud vocabulum latiùs pateat, atque denotet omnes, qui quomodocumque attineant, atque à stipite domus descendant; Potissimè verò, magis connectendò istam considerationem cum antecedenti, quod scilicet idem fundator sub hoc nomine, seu vocabulo *Casa*, in antecedenti vocatione intellexit comprehendere etiam descendentes per lineam fœmininam.

Et de ista consideratione, vel discretione inter linguam latinam, & italicam vulgarem, ut diversæ sint significationes; habetur sub diversis materiis, & præsertim *sub tit. benefic. disc.* 96. occasione agendi de quæstione, an beneficium sit sacerdotale super verbo *presbyter*, seu verbo *sacerdos & sub tit. de dote disc.* 12. occasione considerandi differentiam inter verbum latinum *nubere*, & verbum italicum *maritare*.

In observantia verò, quæ considerabatur per agnatos, eo quia Ambrosina germana soror, quæ erat de familia præsentaverit in præcedenti vacatione, nullum dixi posse constitui fundamentum, non solùm quia agebatur de unico actu, sed fortiùs, quia erat actus æquivocus, quoniam cum alter non adesset proximior, qui cum dicta Ambrosina concurrere posset, ita actus referri poterat ad majorem proximitatem gradus, non autem ad qualitatem familiæ, & agnationis, cum tamen essentiale requisitum observantiæ, ut interpres dici valeat, est illud, ut ea sit univoca, non autem æquivoca.

AMALPHITANA BENEFICII PRO JOANNE DE URSO, CUM JACOBO.

Casus disputatus in Tribunali Auditoris Cameræ sub incerto exitu, quem credo pro Joanne.

De concursu cumulativo plurium patronorum, & modo computandi voces ad eandem materiam, de qua *disc.* 32. 34. & 61. & in aliis.

SUM-

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 *De fundamento partis contrariæ.*
3 *Quod Consulentium auctoritas sit suspecta.*
4 *Non est deferendum in hac materia iis, qui non sint versati in Curia in concursu versatorum.*
5 *Expenditur* Cons. 32 Peregr. lib. 1. *de quo casu agat.*
6 *Qualis sit theorica: quæ cadit in quæstione.*
7 *Dicitur quæstio facti, & voluntatis in facti circumstantiis decidenda.*
8 *In casu æqualitatis votorum intrat gratificatio.*
9 *Conjuncti fundatoris debent in concursu præferri aliis.*

DISC. LXXVIII.

DOminicus, institutis hæredibus Beatrice, & Diana filiabus, eas gravavit ad dotandam Cappellam quodam annuo redditu pro Celebratione Missarum facienda per Cappellanum præsentandum per easdem Beatricem, & Dianam, earumque filios, & descendentes, ac etiam per Matthæum, Benedictum, & Franciscum ex fratre nepotes, eorumque descendentes masculos tantùm; Cum itaque Joannes esset præsentatus per Dianam adhuc superstitem, & per Franciscum filium Beatricis defunctæ, filii verò dd. trium nepotum etiam defunctorum præsentassent Jacobum, atque Ordinarius concessisset institutionem Joanni; Hinc devoluta causa appellationis in Tribunali A. C. scripsi pro eodem Joanne, pro quo credo, quod confirmando gesta per Ordinarium fuerit resolutum, dum post unicam disputationem non audivi amplius actum de causa.

In hac itaque disputatione Scribentes in contrarium prætendebant, quod essent quinque voces regulatæ ex quinque personis, vel stipitibus nominatis in testamento; Nempè duarum filiarum, & trium nepotum testatoris præcipuum, imò totum fundamentum constituendo *in consil.* 32. *Pereg. lib.* 1.

Verùm dicebam, quod ubi etiam dictæ auctoritati deferendum esset, cujus contrarium, quando illa adversetur esset probabilius, Tum quia Consulentis ad requirentis oportunitatem conducti more, ideòque nulla, vel satis modica esse debet ex frequenter insinuatis, præsertim *disc.* 35. *de judic.* Tum quia contrarium convincitur, ut infrà ex Doctoribus versatis in Curia Romana, & in materia beneficiali, quibus absque dubio magis deferendum est, eo quia Romana Curia, est istarum materiarum beneficialium Metropolis, in qua illæ frequentiùs, ac meliùs, quàm alibi absque dubio tractantur, ideòque exteri, & illi præsertim, qui versati sint in materiis civilibus, & profanis, qamvis essent eximii J. C. ut reverà est iste auctor, parùm hujusmodi materias callere solent; Sed neque videbatur opus assumere inspectionem super istius Doctoris auctoritate, cum reverà non percuteret casum quæstionis.

Ille siquidem agit de casu, quod facta donatione bonorum pluribus personis inæqualiter, quia nempè uni tertia pars, alteri alia tertia, & reliqua tribus personis, deindeque simpliciter relicto omnibus jurepatronatus, dubitatur, an dd. tres ultimi deberent venire in stirpes in sola tertia parte, ut propterea æqualem vocem haberent cum singulis aliis duobus, juxtà distributionem bonorum, vel potiùs venirent in capita, atque fatetur, quod si vocatio esset istorum trium cum distincta oratione, tunc deberent venire in stirpes unam personam formalem repræsentantes; Subsistinet tamen contrarium, quod venirent in capita, eo quia in una eademque oratione omnes pariformiter vocati erant, atque cum hoc præsuppositio dictum consilium canonizatur per Rot. apud Burat. *decis.* 481. cum qua pertransit Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 11. *num.* 128. ac propterea, cum in hac facti specie orationes essent diversæ, ita potiùs hanc auctoritatem dicebam retorqueri; Liquere tamen dicebam, quod iste auctor non multùm calleret hanc materiam, dum potuisset illam meliùs tractare cum theorica Joan. Andr. *in gloss. Clem. plures*, realsumpta per Zabarell. & alios relatos supra *disc.* 61. *num.* 4. & 5. Sed non erat opus, dum ex ejusdem distinctione obtinebatur intentum, eo quia, ut supra vocatio erat per orationes diversas.

Assumendo itaque punctum, dicebam, quod de stricto jure probabilius videretur, quod istæ essent tres voces æquales ab initio constitutæ; Una scilicet in Beatrice, altera in Diana, & tertia in tribus nepotibus ex fratre, unam personam formalem repræsentantibus, juxtà *consil.* 99. *Roman.* quod reputatur in materia magistrale, quale etiam reputatur alterum *cons.* 122. *Dec.* cum quibus in ista quæstione proceditur, *& cum dec.* 3. 4. Crescentii, ut apud Coccin. *dec.* 549. *repet. dec.* 308. *par.* 2. *rec.* ubi decidi videtur casus in puncto cum aliis *sup. disc.* 32. 34. *& 61. & alibi*, ita suadente non solum ordine, vel contextura orationum, & verborum, cum quibus apud allegatos proceditur, sed etiam, & magis substantia verisimilis voluntatis ob majorem dilectionem, quæ tam ex præsumptione juris, quàm ex ipso facto institutionis universalis præsumenda erat in filiabus, earumque descendentibus, potius quam in transversalibus, quos pro honore familiæ, filiabus prædilectis adjungere voluit tanquam arbitros, & decisores controversiarum, quæ nascerentur inter duas voces æquales constituendas à dd. filiabus, earumque lineis, ut ita in diversas abeuntibus sententias, ista tertia vox concluderet: Ut etenim benè advertitur per Dec. *d. consil.* 122. *n.* 2. & Buratt. *cons.* 324. *n.* 19. ista dicitur quæstio voluntatis, & per consequens est potiùs facti, quàm juris, non decidenda cum regulis generalibus, vel cum auctoritate unius, vel alterius Doctoris, sed pro facti qualitate, & ex singulorum casum circumstantiis particularibus.

Et nihilominùs advertebam, quod neque ista inspectio necessaria erat, cum sufficeret, quod præfatæ Diana, & Beatrix filiæ constituerent unam vocem, & dd. tres nepotes juxta ordinem orationis constituerent alteram, dum reverà id erat, quod ad summum iidem nepotes prætendere possent, ex deduct. *eod. disc* 34. & 61. ita enim vota concurrentium erant æqualia; Ideòque intrabat gratificatio Ordinarii, quam habebat Joannes, cujus bonum jus ità planum remanere videbatur, ac propterea ad ejus favorem in hac etiam instantia credo judicatum esse, confirmando gesta per Ordinarium, cui in dubio assistit præsumptio. Potissimè dum hic erat de sanguine, & descendentia fundatoris, ideòque præferendus extraneo, vel remotiori, ut apud Mantic. *decis.* 275. Buratt. & Adden. *decis.* 633. *in fin.* & in aliis *hoc eod. tit.* advertitur.

CAMERINEN. JURISPATRONATUS PRO MARCO ANTONIO ALTINO.

Responsum pro veritate.

An fundator possit alterare legem fundationis: Et an patronus possit præsentare ad beneficium plenum vacaturum tamen per ejus mortem.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 *An additamentum dotis, & redditui debeat regulari eodem jure, & assumat naturam principalis.*
3 *In una, eademque Cappella dari possunt plura beneficia, vel plures Cappellaniæ, & legata pia.*
4 *Qualitas hæreditaria obstat in hac materia.*
5 *An & quando Fundator possit alterare legem fundationis.*
6 *An & quando fieri possit nominatio, vel præsentatio de beneficio vacaturo, & adhuc pleno.*

DISC. LXXIX.

CUm Joannes Baptista, & Blasius fratres fundassent cum auctoritate Ordinarii beneficium cum reservatione juris patronatus pro eorum successoribus, atque primus Rector fuerit idem Blasius iste, prædefuncto Francisco fratre reliquit eidem Cappellæ, in qua dicta erectio facta fuit, quosdam census tanquam per augumentum primæ dotis constitutæ, ut ita major numerus Missarum celebrari posset, atque nominavit ad idem beneficium per ejus mortem vacaturum Hieronymum, quem Ordinarius instituit, neglecto Marco Antonio præsentato à filiabus dicti Joannis Baptistæ; Ac propterea ex istius parte consultus fui, an judicium Ordinarii esset probabile, necne ad effectum deliberandi, an deberet prosequi interpositam appellationem, vel potiùs acquiescere; Atque de hac secunda parte respondi, ut acquiesceret, ex plurimis; Primò, quia ubi etiam in antiquo beneficio, vel Cappellania, non obstantibus difficultatibus, de quibus infrà, bonum jus ipse foveret, adhuc tamen nihil prætendere poterat in censibus ultimo loco legatis, ex quibus majus Cappellani emolumentum resultare præsupponebatur, cum in hac parte dis-

positio remaneat in terminis simplicis legati pii , juxtà deducta *sup. disc.15. num.4. & alibi pluries;* Et quamvis subtilizando dici posse adverterem, quod stante formali erectione beneficii cum auctoritate Ordinarii , non intrarent considerationes, de quibus *d. decis 15.* Sed quod istud augmentum esset verum beneficium metiendum cum regulis beneficialibus, tanquam accessorium , & per speciem alluvionis, ideòque eandem sortiri deberet naturam , eodemque jure regulari , ex axiomate ,ut una , & eadem res diverso jure censeri non debeat, & ex incompatibilita te dominii, & possessionis ejusdem rei penès duos insolidum; Attamen videbatur,quod id non subsisteret, quoniam non implicat,ut in una,eademque Cappella,vel uno,eodemq; Altaridentur duo , vel plura beneficia , ut *sup. disc.15. & 17.* Multò igitur minor implicantia adesse videtur , ut fiant plura pia legata cum onere celebrandi Missas in illa Ecclesia , vel in illo Altari , in quo adsit proprius rector in titulum , dum etiam in Ecclesiis Regularibus prohiberi non possunt hujusmodi Cappellaniæ , seu legata pia cum onere Missarum celebrandarum per Clericos sæculares , ut advertitur *disc.25. de legat. & disc.1. de Regular. n.65. & disc. 64. n.5.* & in specie similis controversia habetur *disc.17.* ubi concordantes .

Secundò fortiùs,quoniam etiam in ipso antiquo beneficio videbatur, quod ipse Marcus Antonius malum jus foveret, non solùm quia dd mulieres , quæ ipsum præsentaverant, erant hæredes præfati Blasii ; Ac propterea intraret regula text. *in l. cum à matre , C. de rei vindicat.* juxtà ponderationes , de quibus *sup. disc.18. & in aliis ;* Sed etiam quia posto etiam , ut ipse Fundator non posset præjudicare dictis filiabus , & hæredibus alterius fundatoris , dum quæstio,de qua pluries *hoc eod. tit.* an Fundator alterare possit legem fundationis, percutit casum, in quo ipse sit unicus,atque ab eo successores reverà hoc jus recognoscant , non autem ubi sint duo , vel plures ; Quoniam tunc quæstio cessat in radice , ex regula , quod consors , vel socius in re communi disponere potest de ejus portione , non autem de illa socii , vel consortii ; Adhuc tamen ipse habebat medietatem , & per consequens neutra præsentationum concludente ; locus erat gratificationi, quam Hieronymus habebat ab Ordinario ex justo quidem motivo pluries *hoc eod. tit.* insinuato , quod erat proximior , & de familia fundatorum ; Ideòque ex hoc præsertim dixi, quod acquiesceret.

Motivabatur in notula transmissa de invaliditate nominationis factæ de dicto Hieronymo , utpotè de beneficio adhuc pleno ; Respondi tamen id procedere , quando una ex duabus rationibus intrare valeat , vel scilicet illa voti captandæ mortis possessoris, vel altera supplantationis successoris in jurepatronatus, juxtà ea, quæ in materia præventivæ , vel abusivæ investituræ habentur *disc.1. de emphyt. & disc.1. de pension. & dis.33. & 202. seu 203. de fideicom. & alibi.* Atque in his terminis , & cum hoc præsuppositio procedit concluso , quam aliàs admittebam tanquam veram, ut præsentatio fieri non possit ad beneficium vacaturum, & adhuc plenum ; Utraque autem ratio in præsenti cessabat, stante consensu possessoris, & quia successoris nominantis, utpotè ejus hæreditariam qualitatem habere debentes, non poterant ejus legem impugnare , ex deductis *sub dicto disc. 18. & in aliis* ; Ideòque in consimili nominatione ad beneficium vacaturum per mortem ipsius nominantis , nulla in hoc habita fuit difficultas in casu , de quo *sup. disc.14.*

FLORENTINA COMMENDÆ

PRO CARDINALI NERLIO.

Responsum pro veritate .

An fundator primus , & immediatus, vel mediatus , qui ex alterius dispositione , & bonis fundationem faciat , alterare possit leges fundationis , novaque onera adjicere possessori Commendæ, vel alterius juris fundati.

SUMMARIUM.

1 *Facti series .*
2 *Distinguuntur plures casus .*
3 *In prophanis nominatus quomodo gravetur à nominante .*
4 *In beneficiis Ecclesiasticis onera non adjciuntur post fundationem .*
5 *De legibus adjectis in limine fundationis .*
6 *Cujus naturæ sint Commendæ , & primatus Religionis militaris S. Stephani .*
7 *Et cum quibus terminis in eis procedi debeat .*
8 *De applicatione ad casum particularem .*
9 *Quando per fundatorem onera non possint adjici .*
10 *De donatione contemplatione matrimonii , ut non possit postea minui , vel gravari .*
11 *An Magnus Dux consideretur in hac Religione tanquam Princeps supremus , vel solùm tanquam Magnus Magister , & Prælatus .*

DISC. LXXX.

GUido Magalottus ordinato Majoratu in capitali scutorum 20. mil. ad favorem lineæ masculinæ Octavii fratris , deindèque lineæ etiam masculinæ Julii alterius fratris , facultatem d. Octavio concessit , ut cum eodem capitali erigere posset Prioratum , vel Commendam in Religione S. Stephani ad favorem earumdem linearum , & alterius ab eodem Octavio nominandæ ; Quare Octavius ad fundationem dictæ Commendæ , vel Prioratus processit sub diversis legibus præscriptis in rescripto M. Ducis Etruriæ dictæ Religionis M. Magistri sibi reservando nominationem alteriùs lineæ in instrumento publico super dicta fundatione in exequutionem dicti rescripti faciendo , in quo postmodem facto coram Auditore ab eodem M. Duce deputato nominavit lineam masculinam Comitissæ Constantiæ , sub ea lege , ut primogenitus pro tempore Commendam obtenturus dare teneatur etiam partem fructuum lineæ masculinæ Eleonoræ ejusdem Constantiæ sororis ; Unde extinctis dictis primis lineis Octavii, & Julii , factoque casu successionis ad favorem Cardinalis Nerlii primogeniti de linea dictæ Constantiæ , ex ipsius parte consultus fui ; An ad dictum onus tertiæ partis fructuum ad favorem alterius lineæ teneretur , necne ?

Respondi,quod pro clariori resolutione tres casus præsupponendi erant ; Primò nempè , ubi agatur de dispositione merè privata , & prophana in rebus indifferentibus , ut contingit in nostris privatis Majoratibus , & Primogenitis Italiæ ex privata dispositione ordinarii;Secundò,ubi è converso agatur de erectione veri beneficii Ecclesiastici de jurepatronatus ; Et tertiò in casu præciso, qui ut infrà mixtus dici potest erectionis Prioratus , vel Commendæ hujus militiæ S. Stephani ; Istos etenim casus distinguendos esse dicebam , utpotè cum diversis terminis , ac rationibus regulandos , & ne illorum confusio , ut frequenter contingit , æquivoca producat .

In primo casu dixi , quod planum esset , quod fundator successoribus in fundatione vocatis hanc legem , seu onus adjicere potuerit , quodque ipsi potiùs Octavum fundatorem , quàm Guidum primum testatorem in eorum auctorem agnoscere dicerentur , dum primus testator hanc erectionem non posuit in præcepto , & in necessitate cum restrictione ad certas personas de certis , vel ad incertas de certo genere , sed posuit in ejus facultate ; Unde poterat non facere , quò casu illi , qui ex hac dispositione sunt vocati à secundo potiùs , quàm à primo disponente obtinere dicuntur , illumque in eorum auctorem agnoscunt juxtà celebrem , ac magistralem distinctionem desumptam,ex text. *in l. unum ex familia , ff. de leg.2.* à Doctoribus magis communiter receptam , atque à Rota sæpius comprobatam ex pluriès deductis , & præsertim *sub tit. de legit. & detract. disc.27. & sub tit. de fideic. disc.60.* & sæpiùs sparsim sub aliis materiis *de dote , de testam. de emphyt. & de pension.*

In secundò autem è conversò planum esset id fieri non potuisse ex natura Ecclesiasticorum beneficiorum , quæ sine diminutione conferri debent , adeòut reali , ac fixo pensionis onere gravari non possint absque Apostolica auctoritate , cum Episcopis concedatur solùm pluribus accedentibus requisitis imponere pensiones personales, non autem reales, ex deductis *sub tit. de pension. disc.40. & seqq.*

Et quamvis receptum sit , ut etiam in fundationibus beneficiorum Ecclesiasticorum de jurepatronatus apponi possint leges , & onera juri contraria ; Attamen id sequi debet in ipso limine cum consensu Ordinarii , atque recipit plures restrictiones , sed supervacaneum dixi examinare istum casum, vel præcedentem , quoniam verè sumus extrà utrumque .

Tertiùs itaque præcisus casus, de quo agebatur , censendus est mixtus, qui cadat potiùs sub terminis feudorum , sive illorum qualificatorum Majoratuum Hispaniæ , qui eriguntur

guntur cum privilegio , & auctoritate Regia , adeòut dici non valeant illius naturæ , quales sunt simplices primogeniturae, vel majoratus fundati cum mera privata dispositione , minùsque illius naturæ , qualia sunt beneficia Ecclesiastica , ut patet ex deductis *sup. hoc tit.disc.20.* ubi habentur auctoritates tractantes in specie de hujusmodi Commendis , & Prioratibus S. Stephani .

In his itaque terminis ; Quamvis non intret rigor beneficiorum Ecclesiasticorum, cum potiùs apud superiores Religionis censeantur jure prophanorum majoratuum , attamen spectanda non est sola voluntas fundatoris, sive sit primus de bonis propriis , & liberis, sive ex præcepto , vel facultate sui auctoris , ut suprà , sed spectanda quoque principaliter est voluntas M.Magistri , qui creat Commendam, vel Prioratum , illamque confert cum jurepatronatus,adeò ut adaptari videantur ea , quæ pluries adverturtur *sub tit. de feud.* præsertim *disc.56.*de eo,qui recipiat rem propriam, & liberam in feudum ab altero , quoniam ita occultari dicitur præcedens donatio, quàm fundator faciat Religioni , ejusque M. Magistro de bonis , super quibus erigatur Commenda , vel Dignitas , quæ deindè pro se , & posteris ab eo recipiatur .

Quibus itaque stantibus cum actus perfici , ac substantiari dicatur directè , ac principaliter cum Religione , ejusque M. Magistro tanquam per contractum reciprocum , & correspectivum,hinc sequitur, quod spectari solum debeant leges adjectæ in ipso limine fundationis contentę in supplicis adjectæ in ipso limine fundationis contentę in supplicis , non autem illæ , quæ per ipsum fundatorem , posteà adjiciantur in instrumento , quod non ad substantiam , sed potiùs ad exequutionem , & majorem probationem gratiæ factum sit, ac propterea concludendum mihi videbatur , quod onus tertiæ partis contentum in instrumento , non autem in supplici libello , vel in decretatione habendum esset pro infecto , cum gravari non poterit per fundatorem Prioratus sine consensu Religionis , & M. Magistri .

Potissimè verò , & clariùs , dum tam in supplici libello, quàm in decretatione expressa fuerunt quamplura onera , & præsertim illud reservationis usufructus ad vitam fundatoris , & alterum pensionis scutorum biscentum ad favorem unius ex filiis ejusdem unà cum aliis oneribus super augumento , & per consequens quod istud onus , quod videtur majus , utpotè in quota notabili tertiæ partis magis indigeret expressione particulari tam in supplici libello , quàm in decretatione .

Ponderando quoque , quod istud est onus longè gravius, non solùm ob notabilem quotam tertiæ partis , sed etiam quia continet , nedum onus , & præjudicium possessoris Prioratus durante linea nominata , sed onus , & præjudicium ipsiusmet Religionis, cui deficiente ista linea , Prioratus liber devolvitur .

Hinc sequi advertebam , quod procedendum non esset cum terminis , vel cum distinctione d. text. *in l. unum ex familia*, quibus attentis contrà successorem in Prioratu potiùs respondendum veniret , ut suprà , sed vel cum terminis jurispatronatus , ut postquam perfecta est ejus fundatio cum consensu Ordinarii , non possit ampliùs patronus adjicere onera , & leges præjudiciales , ex deduct. *supra disc. 16. cum seqq.* vel cum terminis majoratuum qualificatorum Hispaniæ , qui fundantur cum privilegio , & cum auctoritate Regis , ut non possit fundator ex intervallo sine novo consensu Regis , alterare formam fundationis , ex relatis per Molin. *de primog. lib.2. c.4. n.47. cum seqq.* Castill. *lib. 5. controv. c.121. ex n.45.* apud quos alii .

Sive quod adaptari possent termini donationum , quæ sunt contemplatione certi , & determinati matrimonii,ut alterari,vel minui non possint etiam de consensu primi donatarii ob interesse mulieris , & filiorum , ex deductis *sub tit. de donat disc.1. & seqq. cum similib.* quibus eadem congruat ratio .

Neque alicujus momenti videbatur interventus Auditoris libellorum Signaturæ Gratiæ, & Justitiæ,& Præsidentis Religionis, quoniam nisi ignotæ istius officialis facultates aliud suaderent , non videbatur quod iste talem haberet potestatem alterandi legem fundationis cum onere adeò gravi,& præjudiciali;Si etenim in sensu aliquorum etiam ipsemet M. Magister jus Religionis quæsitum tollere , vel minuere non potest,ex deduct. per Mart.*vot.9.* ubi advertitur, quod in hac parte non consideratur tanquam supremus, & absolutus Princeps , sed tanquam primus , & Generalis Prælatus Religionis ; Multò minùs id dicendum est in hoc Officiali inferiori , potissimè dum in rescripto nulla sibi legitur attributa comissio , vel potestas, ac propterea in hoc statu , & quatenus aliæ non urgerent ignotæ facti circumstantiæ , & præsertim stylus Religionis circa hujusmodi fundationes,pro dicti oneris rejectione respondendum videri concludebam ; Incertum est autem quid sequutum sit.

JANUEN. PRIMICERIATUS

PRO JO: AUGUSTINO BUFFO,

CUM NICOLAO CARANZIA.

Casus disputatus in S. Congregatione Episcoporum, & Regularium , resolutus ut infrà .

De concursu præsentationum , quarum una facta sit à patrono , altera verò ab ejus procuratore , vel administratore ejus patrimonii , sive à conductore bonorum , quæ prævaleat ; Et incidenter , an impetratio certo modo impediat provisionis effectuationem .

SUMMARIUM.

1 *Facti series cum resolutionibus .*
2 *An administratio generalis bonorum , secum ferat facultatem præsentandi in beneficiis de jurepatronatus .*
3 *Unde proveniant æquivoca , & confusiones in facultate legali .*
4 *Distinguuntur plures casus pro regulatione quæstionis , de qua num 2.*
5 *Quod non sit evagandum in superfluis , sed strictè immorandum in punctis præciso .*
6 *Distinguuntur plures species jurispatronatus pro quæstione de qua n.2.*
7 *De casu , in quo dicta quæstio nullatenus intret .*
8 *Quando jus præsentandi pertinet ad majorem natu familiæ , si iste non deputa talium .*
9 *Quod præsentatio facta à principali prævaleat factæ à procuratore , vel administratore .*
10 *Quare Congregatio in ista causa se ingessit .*
11 *An intravent termini text. in cap. consultationibus de jurepatronatus .*
12 *Impetrationes piscatoriæ certo modo non impediunt provisiones per vacationem .*

DISC. LXXXI.

ALiquibus exortis discordiis inter Joan: Augustinum Pinellum , & Franciscum ejus filium , adeòut iste viveret seorsum à patre , qui nisi suorum bonorum curæ , & administrationi vacaret ob aliquas affectiones hypocondriacas , eorumdem bonorum cuidam extraneo generalem fecit locationem , hinc ad instantiam Francisci filii , Senatus , vel alter Magistratus cum ejus suprema auctoritate Principis potius , quàm judicis more , infringendo dictam locationem , ei decrevit per quinquennium administrationem bonorum patris , qui in hoc spatio dictis affectionibus non obstantibus , utpotè reverà nullum mentis sanitati , ac judicii perfectioni præjudicium inferentibus , etiam publica munera , & magistratus pro illo stylo exercuit ; Istaque deputatione sequuta , cum ad eumdem patrem tanquam natu majorem familiæ , vel ejus columnelli , spectaret jus præsentandi ad Primiceriatum Ecclesiæ Metropolitanæ , Franciscus adjit Sac. Congregationem Episcoporum , & Regularium , à qua obtinuit de anno 1671. rescribi Archiepiscopo , quod contingente casu vacationis admitteret præsentationes ab eo faciendas vice, & nomine administratorio , sed habita de hoc notitia per Joan: Augustinum coram eodem Archiepiscopo oppositis de dicti rescripti subreptione , vel obreptione , utpotè ipso inaudito extorti sub falsa narrativa infirmitatis ejus mentis , atque constituit procuratorem in Curia , ut adiret Congregationem pro revocatione , pro qua factæ fuerunt instantiæ , sed pendente propositione sequuta fuit vacatio Primiceriatus , unde Jo: Augustinus pater præsentavit Ruffum , & Franciscus filius præsentavit Caranciam , Vicarius autem Generalis stante dicto rescripto Congregationis institutionem concessit Caranciæ , quare profequendo causam in Congregatione sub die 1. Martii 1674. referente Cardinali Pio, prodijt resolutio pro institutione Ruffi præsentati à Jo: Augustino patre , illaque justa , & comprobabilis visa est .

pro Sinibaldo cum magno apparatu, magnoque labore, multas idem cumularent conclusiones, quas in hac materia habemus, assumendo præsertim ea, quæ habentur *disc.* 58. super rigorosa forma inducta per Concil. Trid. in potentibus, & an iste patronus, quamvis in loco beneficii non haberet institutionem, dicendus tamen esset de genere Potentium ob ejus eximias qualitates, & prærogativas, quibus in patria gaudeat, & an bonificamenta, & meliorationes vel respective dotis augmentum inducant jurpatronatus, quoties non constet, quod Ecclesia esset respectivè omninò diruta, vel indotata, juxtà deducta *disc.* 55. Ac in idem cumulando penè omnia, quæ habentur in *disc.* 65. super revocatoriis, & respective super reservationibus, ac etiam pro specialibus derogationibus concedi solitis; Hinc magis in responsione data sine libris, dum essem in otio consueto Tusculano, quàm in prima informatione, laudando laborem, & diligentiam in abstracto, super reassumptione materiæ, non laudabam tamen modum scribendi, utpotè contrarium adeò commendabili Curiæ stylo, hodie tamen ab aliquo moderno tempore penè corrupto, ut frequenter conqueror præsertim *disc.* 46. *in rel. Cur. & in opuscul. styli*, 3 & alibi, immorandi scilicet in puncto præciso quæstionis, atque in motivorum, & argumentorum copia, ac etiam in auctoritatibus bene ad rem facientibus, & stringentibus se diffundendo, omninò tamen effugiendo evagationes, ac superfluitates, vel inutiles cumulos allegationum super præsupponendis, & non controversis regulis, & propositionibus.

Dicebam quod pro methodico examine præsentis controversiæ, ac dignoscendo ad quem punctum causa restringeretur, & quænam conclusiones cumulatæ sint extraneæ, adhiberi debeat sacra anchora distinctionis casuum, ideoque ad eam deveniendo, Primus casus est, quando 4 quæstio sit super omnimoda substantia, & veritate jurispatronatus, quod per illum, qui ipsum allegat probandum sit cum Ordinario contendente de libertate beneficii, vel cum altero provisо tanquam de libero, atque isto casu intrat dicta inspectio probationis, an attendenda sit forma juris communis, vel altera conciliaris, juxtà deducta *d. disc.* 57. & 58. & in aliis discursibus particularibus super eadem materia; Et nihilominus etiam isto casu, tunc intrat hujusmodi quæstio, quando sine titulo explicito incontinenti jus- 5 tificato cum instrumentis, & documentis publicis, vel cum litteris Apostolicis prætendatur fieri probatio cum actibus possessoriis, & cum probationibus per testes, & adminicula, dum isto posteriori casu Concilium innovavit dispositionem juris communis, dictamque magis rigorosam formam introduxit, non autem priori; ideoque advertebam quod in celebri *Compsana Jurispatronatus* de- *cis.* 58. & 88. *par.* 1. *recent.* quæ videtur magistra materiæ in puncto præciso, de quo agebatur jurispatronatus mixti ex privilegio, & ex causa onerosa, an subjaceat, necne reservationibus, vel derogationibus, quamvis ageretur de Principe Venusii ex primariis magisque potentibus Magnatibus, & Baronibus illius Regni, atque beneficium esset in ejus Statu, non tamen de hoc puncto utpotè extraneo actum fuit, & per consequens cum in hac facti specie adesset dictus titulus explicitus concessionis Julii III. extranea remanebat ista inspectio, omniaque deducta continebant inutilem chartarum repletionem, adquod per Scribentes adverti deberet.

Alter casus est, quando Ecclesiam jam constructam quis reficiat, vel aliàs in meliorem statum reducat, aut quod 6 antiquam dotem, quam jam habet, augeat, nulla accedente conventione, ac declaratione animi acquirendi juspatronatus, quod prætendatur acquisitum ex dispositione juris, & tunc intrat altera inspectio, an constet de omnimoda ruina, & destructione, vel respective de omnimoda depauperatione, & indotatione, cum aliàs, dicatur benefactor, non autem fundator, atque erogatum habeat naturam eleemosynæ potiùs, quàm dotis ut supra *disc.* 55. & alibi.

Tertius est casus, quando idem benefactor declaret quidem dictum animum, vel conventionem faciat cum Ordinario, qui regulariter sine justa causa necessitatis, vel evi- 7 dentis utilitatis non potest facere servam Ecclesiam liberam, cum id redoleat formalem alienationem; Et pariter intrat eadem inspectio ruinæ, vel indotationis, & an justa causa verificetur, necne; Sed pariter isti casus erant extranei à quæstione, & per consequens inutiles, ac superfluæ omnes conclusiones, & authoritates deductæ, quæ illos percutiant.

Quartus demum (omissis aliis ad rem non facientibus) est casus quod idem benefactor conveniat de acquisitione 8 jurispatronatus cum Papa, à quo desuper reportet privilegium, qualis erat præcisus casus controversiæ, & tunc non intrat defectus potentis, ut in altero casu antecedenti, sed tres diversæ cadunt inspectiones, quæ reassumebantur, sed pariter inutiliter in parte. Prima nempè an hujusmodi privilegia Apostolica cadant sub revocatoriis Innocentii VIII. Adriani VI. & Concilii Tridentini. Secunda an cadant sub derogatoriis generalibus in beneficiorum provisionibus adeout necessaria non sit mentio specialis cum sua qualitate laicalitatis; Et tertia an beneficia cadunt sub reservationibus, & affectionibus Apostolicis.

Prima quæstio in præsenti non adaptabatur cum procedat in illo privilegio, quod nullam habeat mixturam causæ onerosæ in ordine ad revocatorias Innocentii, & Adriani, 9 & quoad illam Concilii, an sit ante annos quadraginta, vel posteà, & an ex subsequuta observantia adsit demandata revisio, ex deductis *disc.* 10. & 65. & alibi, quæ omnia ex facti qualitate in præsenti casu cessabant; Ideoque pariter ista continebat superfluitates.

In altera verò, ut necessaria non sit mentio specialis istem dicendum erat, cum id procedat solùm in jurepatronatus Ecclesiastico qualecumque sit, & in laicali, quando sit ex 10 puro privilegio, vel ex pura consuetudine, juxtà casum, de quo supra *disc.* 8. ac etiam *d. disc.* 10. & 65. Sed quando habet mixturam causæ onerosæ tunc etiam ubi ista non præponderet, adeòut juxtà tertiam inspectionem, de qua infra cadat sub reservationibus, & affectionibus Apostolicis, adhuc in resignatione, vel permutatione necessaria est mentio istius qualitatis, quod sit juspatronatus laicale ex privilegio mixto cum causa onerosa, quodque aliàs gratia sit subreptitia, & invalida, quoniam aliud est agere de provisione facienda ad ejus libitum per ipsum Papam in vim reservationum de beneficio vacanti, & aliud est approbare resignationem ad favorem, vel permutationem, neglecto patrono, ejusque consensu non requisito cum derogatione jurispatronatus, ex iis quæ habentur supra *disc.* 66. *n.* 3. & in decisionibus editis *coram Calatajù in Interamnen. beneficii*, de qua *hoc cod. tit. disc* 74 Prout etiam licèt faciliùs foleat derogari hujusmodi jurispatronatus competenti ex privilegio habente mixturam causæ onerosæ quæ non præponderet, adeout cadat sub reservationibus, cum tunc nullum vel modicum sit præjudicium Patroni, sed potiùs sit ipsius Papæ, adhuc tamen facienda est mentio, cum stylus non faciendi mentionem procedat in patronatu Ecclesiastico, vel in illo, quod ex mera consuetudine, vel mera gratia, & privilegio competat, ut in præsenti casu practicatum erat, quod enunciatum fuit de jurepatronatus ex privilegio simpliciter.

Benè verum, quod in hoc puncto Ego præsertim parùm insteti, adeout quoad me non esset, ita examinatus, ut maturum judicium pro veritate desuper efformaverim, quoniam parùm, vel nihil Principis Patroni intererat (salvo ejus præjudicio) istam gratiam annullari, dum erat ad favorem unius de familia fortè aliquo modo attinentis cui ipse gratificari habebat in animo, sed principaliter erat in eo, ut firmaretur status beneficii in futurum, & nè Dataria, dum ità incepit in eo apponere manus, illud adnotaret inter beneficia ad suam provisionem tanquam de jurepatronatus ex privilegio.

Hinc proinde restringebam principaliter causam ad prædictam ultimam inspectionem comprehensionis sub reservationibus, & an censendum esset juspatronatus ex ju- 11 stitia, vel ex gratia; Atque in hoc dicebam idem, quod pluries *hoc eod. tit.* insinuatur, quod scilicet hodiè iste non esset amplius punctus juris, sed facti, & probationum, cum juris theorica sit jam firma juxtà distinctionem, de qua in allegatis *disc.* 10. & 65. ac etiam in hoc Supplemento *disc.* 83. an scilicet augumentum, seu melioratio præponderet, vel saltem adæquet, necnè, ut in casu præponderantiæ, vel adæquationis dicatur ex justitia, & æquivaleat illi, quod est ex fundatione, & dotatione, in altero autem dicatur ex gratia, & privilegio, ita desumendo naturam à qualitate prædominanti; Ac propterea cum in facto justificaretur id, quod apud peritos in materimis Turribus, & munitionibus habere videtur speciem notorii, quod scilicet expensa constructionis materialis Turris, ac instrumentorum bellicorum, aliavè major substentationis militum longè superet fructus Abbatiæ, idcircò firmum remanebat, quod versaremur in jurepatronatus ex justitia.

Et

Et quamvis in contrarium motivaretur, quod omnes decisiones, & auctoritates, quæ in hoc articulo habentur recensitæ *in alleg. disc.* 10. & 65. procedant cum præsupposito augmenti dotis in redditu, adeòut si Ecclesiæ dos antiqua esset in annuis scut. quadraginta, ita effecta esset in centum, quod in præsenti non verificabatur, dum fructus, & redditus Ecclesiæ, ità nullum receperunt augmentum; Attamen dicebam quod esset nimium leve objectum irrisione potiùs dignum, dum iste sumptus erat necessarius pro perceptione illorum fructuum, quos aliàs Ecclesia ob dicta impedimenta percipere non poterat, ideoque dicitur sumptus magis privilegiatus gratia ipsorum fructuum colligendorum juxtà deducta in materia melioramentorum *disc.* 35. *de legitim. & detract.* & alibi, & præsertim *sub tit. de credit.* in proposito concursus creditorum.

Quinimò advertebam, quod ista censeri deberet melioratio longè magis proficua, longeque magis privilegiata Siquidem in casu in quo Ecclesia non sit omninò indotata, & depauperata, sed talem habeat dotem, ut rectore, & cultu destituta non remaneat, tunc dicitur potiùs superflua ditatio in jure probata, ut in proposito unionis advertitur *disc.* 43. *de benef* & in aliis, ac etiam supra *disc.* 55. Ista verò melioratio erat necessaria pro omnimoda substentatione Ecclesiæ in temporalibus, & spiritualibus, ac pro evitandis adeò magis scandalis, damnis, & excidiis, quæ ex infidelium pyraturam incursionibus contingunt.

Aliqui scribentes pro hac parte motivabant, quod ubi 13 etiam privilegio attento res pati posset difficultatem, adhuc tamen suffragari deberet immemorabilis, vel centenaria, juxtà decisiones in alia *Januen. Abbatiæ* 218. *p.* 6. & 29. *p.* 7. *rec.* sed non videbatur motivum solidum, quoniam centenaria de facto non aderat, & immemorabilis non erat benè probata, atque intrabant eædem difficultates, de quibus *in Parmen. disc.* 91. sed non erat opus quia dictum aliud motivum erat solidum, Ideòque reflectendo etiam ad veritatem juxta, beneque fundata visa est resolutio, istudque motivum fuit causa, ut Scribentes in contrarium se diffunderent super rigorosa forma Conciliari ut supra.

ROMANA CAPPELLÆ
PRO CLERICIS REGULARIBUS MINORIBUS S. LAURENTII IN LUCINA.

Responsum pro veritate.

An patronus teneatur decentiùs ornare Cappellam si Ecclesiæ, aliarumque Cappellarum status, est ad meliorem structuram redactus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 F *Patronus assimilatur patri.*
3 *De obligatione patris erga filiam.*
4 *An refectio Cappellæ patronatæ spectet ad Rectorem, vel ad Patronum.*
5 *De ordine simetrico in Ecclesia.*

DISC. LXXXIV.

1 CUm in Ecclesia S. Laurentii in Lucina adesset Cappella S. Jo: Baptistæ solita conferri in titulum perpetui beneficii alicui Clerico sæculari, non excedens valorem quinquaginta ducatorum Cameræ, Sixtus V. absque præjudicio possessoris, & si, & postquam per ejus obitum vacaverit, illam univit Confraternitati Sanctissimi Corporis Christi erectæ in eadem Ecclesia; cum onere adimplendi onera eidem Cappellæ incumbentia per unum Clericum, seu Cappellanum amovibilem.

Cumque eadem Ecclesia ex nimium laudabili cura, & sollicitudine PP. Clericorum Minorum, quibus postmodum concessa fuisset, ad meliorem modernam structuram cum magna divini cultus decentia redacta sit, adeòut videatur Ecclesia nova, ab antiqua omninò diversa, omnesq; aliæ Cappellæ in eadem Ecclesia existentes ad eamdem meliorem, ac penè uniformem condecentem structuram redactæ sint, præsata verò Cappella S. Jo: Baptistæ perseveraret in eodem statu antiquo difforml, qui Ecclesiæ simetrico ornatui præjudicare videbatur, hinc consultus fui, an per eosdem Patres, qui salva superioritate Cardinalis Titularis, Ecclesiæ Rectorem, & administratorem habent, cogi posset dicta Confraternitas suam Cappellam ornare, atque ad recentem meliorem formam reducere eo modo, quo aliæ Cappellæ redactæ fuerunt.

Affirmativè respondendum censui, quoniam Patronus alicujus Cappellæ assimilatur Patri, qui tenetur alere 2 vestire, dotare, & ornare filiam, ità patronus tenetur non solum reficere, & manutenere, sed etiam decenter ornare Ecclesiam seu Cappellam, juxtà celebre *cons.* Abbat. 89. *part.* 2. Genuen. *in prax. Archiepisc. cap.* 109. *num.* 13. & alios de quibus supra *disc.* 52. *num.* 12. & melius *in Miscellan. Eccles. disc.* 30. *num.* 11. *cum plurib. seqq. & n.* 23.

Si enim pater familias ponat aliquam ejus filiam in Monasterio, vel Conservatorio, vel alia adunantia, cum explicita, vel implicita obligatione, eam alendi vestiendi, & ornandi juxtà statum, & morem illius Monasterii, vel adunantiæ, & prout aliæ puellæ ibi de- 3 gentes vestiunt, & incedunt, utique si totus status Monasterii, vel loci immutetur, omnesque aliæ puellæ incedant magis decenter ornatæ, & vestitæ poterit ipse cogi ad ornandam pariformiter ejus filiam, vel ad patiendum ejus ejectionem; Et hunc dixi videri casum cum in his terminis Patronus æquiparetur patri ut supra.

Clariùs verò, & cum minori difficultate, quoniam non agitur de patrono, qui suo sumptu, & ex causa onerosa Cappellam fundavit, ornavit, & dotavit, ac propterea intret quæstio, de qua apud Genuen. *in prax. dict. cap.* 109. *numer.* 13. an scilicet refectio, vel ornatus spectet ad ipsum, vel ad Rectorem, qui percipit emolumenta sive, quod dicere valeat se voluisse facere illam impensam, & non ultrà, dum Confraternitas fovet in 4 omnibus causam lucrativam, quoniam non solùm habuit Cappellam materialem ex devotione Summi Pontificis, absque alio sumptu, sed etiam percepit ejusdem Cappellæ pingues redditus antiquos, ideòque nil impensura esset de proprio, ut facit pater cum filia, sed ipsa filia ornamentum petit cum ipsis bonis, & redditibus propriis.

Ordo verò simetricus in Ecclesia est nimium commendabilis, imò per sacros Canones præcisè demandatus, adeòut multa concedantur ex dicta ratione, quæ aliàs concedi non deberent, ex iis quæ circa hunc ordinem simetricum in functionibus Ecclesiasticis habentur *sub* 5 *tit. de Præeminent. discurs.* 24. *& in dict. Miscellan. Eccles. discurs.* 40. Ideòque probabiliter videtur respondendum, ut Confraternitas ad ornatum consimilem pro dicto simetrico ordine teneretur; Incertum est tamen quid sequutum sit.

MAJORICEN. BENEFICII
PRO HIERONYMO CASES, CUM JACOBO BONET.

Casus disputatus in Tribunali Auditoris Cameræ, resolutus pro Jacobo, credo concordatus.

De materia ultimi status, an, & quando attendatur ad text. *in cap. Consultationibus*, quando contentio sit super substantia jurispatronatus, non autem super sola pertinentia.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 F *De materia* cap. Consultationibus, *& quando petitorium absorbeat possessorium.*
3 *Quando propriè intrent necnè isti termini, vel potiùs illi ultimi status.*
4 *De ratione, cui innixus est ultimus status attendendus.*
5 *Provisiones Apostolicæ non mutant statum, & non præjudicant patrono.*
6 *Quod melius sit præsidium præsumptionis, quàm præscriptionis.*
7 *De operatione rei judicatæ.*
8 *An sententia Vicarii Capitularis in hac materia attendatur.*

DISC.

DISC. LXXXV.

1 BEneficio S. Catharinæ in Ecclesia S. Michaelis adhuc pleno, & possesso per provisum tanquam de libero Petrus Jo: Cases obtinuit citato promotore Fiscali ab Ordinario declarari de ejus jurepatronatus ex fundatione, & dotatione eorum, à quibus ipse causam habebat, atque sequuta vacatione ad ejus præsentationem institutus fuit Joannes, contra quem jam possessorem Jacobus, qui illud tanquam liberum & reservatum impetraverat à Sede Apostolica judicium instituit in Tribunali Auditor Cameræ super exequutione Brevis de capienda possessione nomine Cameræ ac obtinuit, credo autem quod postea honesta concordia controversiæ finem dederit.

2 In disputationibus itaque desuper in hoc Tribunali habitis Scribens pro Actore provisо Apostolico tanquam de libero præcipuum fundamentum constituebam in ultimo statu libero ad terminos text. *in cap. Consultationibus de Jurepatr.* Ego è conversò scribens pro Reo convento provisо ad præsentationem dicebam, quod licet in materia hujus textus, DD moderni, ac etiam Rota priùs quàm articulus formiter disputaretur *in Capuana Abbatiæ*, *de qua supra disc.* 36. se involuisse videantur, attamen cum dictis disputationibus illa elucidata fuit, restituendo antiquam opinionem, de qua præsertim apud Pæniam *decis.* 1730. quod scilicet, aut agitur re non integra, quia nempe ille, qui bonum jus foveat in petitorio, repellere velit præsentatum à possessore cum subsequuto valido, & pacifico effectu, adeòut sit eiicere de domo jam admissum, cum retractatione actus jam consumati, & tunc verè, & propriè intrat concluso deducta ex dict. text. *in cap. Consultationibus*, ex ea ratione, quod agitur de fructu jam percepto & consumpto in statu bonæ fidei, vel non malæ, qui propterea non restituitur; Secùs autem ubi re integra; & priusquam sequatur institutio cum effectu, quoniam tunc si benè constat de jure petitoris, istud est attendendum, ac prævalet simplici possessioni; Multò igitur magis in hac facti specie, quod non solùm res esset adhuc integra, sed imò consumata ex parte patroni, & respectivè præsentati Ac propterea sibi potiùs congrueret ratio primæ partis distinctionis.

Quamvis autem ista theorica, seu distinctio in suo casu vera sit, juxtà deducta *dict. disc.* 36. & alibi; Nihilominus reflectendo ad veritatem (quamvis Scribentes in contrarium ad id non adverterent) agnoscebam quod difficultas esset in applicatione, quodque verè, & propriè non versaremur in his terminis *Capituli Consultationibus*, sed potiùs in iis ultimi status de quibus *sub tit. de Beneficiis*, ac etiam ad rem supra *in Faventina disc.* 11. & alibi Dicti etenim termini *cap. consultationibus*, procedunt cum præsuppositо certæ existentiæ jurispatronatus, adeòut non urgeat ratio libertatis Ecclesiæ, ac præsumptio, quæ huic in exclusionem servitutis assistit; sed præsuppositа Ecclesia serva, quæstio inter contendentes de pertinentia, quo casu peritori, ubi res est integra, assistit æquitas canonica, ob quam attendi debet veritas, istaque prævalere subtilitatibus, & rigoribus juris; Secùs autem ubi contentio sit super subtantia jurispatronatus, quod negetur per contendentem de libertate, pro qua in dubio est respondendum, tam ex regula generali, quæ pro libertate facit, quam etiam ob præsumptionem quæ sibi assistit, ut omnes Ecclesiæ sint liberæ juxtà earum primævam naturam, ideòque intrant potiùs alii termini ultimi status, qui attendi debet in ea vacatione potissime ubi sit alicujus temporis considerabilis, donec formiter in petitorio accedat res judicata, quæ illum destruat, ex ea congrua ratione quod interim possessor, qui habet majorem assistentiam juris, non debet commodo suæ possessionis privari, nisi bonum jus patroni sit omninò certum, & clarum incontinenti probatum, ob possibilem præscriptionem libertatis, vel remissionem servitutis, juxtà ponderata *in Placentina* apud Arguell. *dec.* 53. & in aliis ibi recensitis & apud Royas *decis.* 99. & 111. & in aliis de quibus *in dicta Faventina disc.* 11. Ideòque magna differentia dignosci videtur inter unum casum & alterum, manifestusque error confundere hujusmòdi casus, vel terminos.

Considerabam itaque ac monebam agentes pro reo, 5 & possessore, quatenus causa ulteriorem progressum habere debuisset tantè quod fundatio, & dotatio erat antiqua penè per duos sæcula, atque non docebatur de præsentationibus effectum fortitis, nisi de temporibus tunc proximis, adeòut magnum adesset intervallum unius sæculi, & ultra, quod hoc beneficium possessum esset cum provisionibus Apostolicis, & inspiciendum esset cujus speciei, vel qualitatis essent istæ provisiones, an de illa specie, quæ non alterat statum, & non præjudicat jurispatronatus, quamvis longissimum accedat intervallum, quinimò potiùs illud conservat, puta quando id sequatur per viam resignationis, vel permutationis, aut provisionis cum derogatione, quæ sequi solet 6 præsertim ob vacationem in Curia, quoniam ita data solet casus, quod etiam per sæcula juspatronatus steterit sine exercitio, sed non per hoc inducitur status contrarius, ad cujus effectum requiruntur provisiones tanquam de libero; sed quando istæ accedunt, atque sint plures, cum lapsu temporis notabilis, tunc ultimus status in nimia consideratione habendus est ob possibilem præscriptionem, magis verò ob favorabiliorem viam præsumptionis acquisitionis libertatis, mediante remissione jurispatronatus, aut amissione, quæ ex plerisque causis contingere potest etiam de jure communi, magis verò ex decreto S. Concil. Trident. *sess.* 22. *de refor. ut disc.* 22. in adnot. ad Concil. dum semper tutius est allegare præsumptionem alicujus tituli, quàm præscriptionem, juxtà ponderationes de quibus *disc.* 21. *de judic. & disc.* 133. *de feud.* & alibi pluries.

Quia verò in hac facti specie aderat sententia Ordinarii 7 canonizatoria juspatronatus, hinc dicebam scribens more Advocati, quod versaremur extra omnem difficultatem, cum bonum jus patroni jam canonizatum esset per rem judicatam, cujus virtus, & operatio est firmare statum, & destruere omnem alium præcedentem statum contrarium, atque ut nostri dicunt facit de albo nigrum, & ens de non ente ex deductis *disc.* 137. *de judic.* & alibi pluries. Et quamvis scribens in contrarium vim faceret in dd. decisionibus coram Rojas, in quibus consimilis sententia neglecta fuit; Advertebam tamen quod meritò id in eo casu sequutum esset, quoniam ille qui sententiam obtinuerat, produxerat imprudenter titulum, ad quem suum jus restringebat, de cujus infectione constabat incontinenti; Ac propterea notoria remanebat injustitia dictæ sententiæ, quæ proinde nunquam fecerat transitum in judicatum; Secùs autem in hac specie, quod titulus erat in sui facie validus, & legitimus ex vera fundatione, & dotatione, contra quem deducebatur odibilis præscriptio ob contrarium statum, dum tunc rectè dictam operationem facit res judicata quoties non obstante aliqua nullitate substantiali, vel injustitia notoria, quæ nullitati æquipollet, dici valeat rem judicatam adesse.

Difficultatem tamen mihi inferebant facti circumstantiæ, ob quas de hujus sententiæ validitate, & efficacia dubitabam, ut propterea qualitatem rei judicatæ non 8 haberet, quod scilicèt ageretur de sententia lata per Vicarium Capituli Sede vacante. Quamvis etenim in hac materia jurispatronatus inter privatos, adeòut non intret rigorosa forma Concilii Tridentini nimium deferatur sententiis, aliisque actibus Ordinariorum ob præsumptionem, vel assistentiam verisimilitudinis, ex deductis supra *disc.* 57. & alibi pluries *hoc eod. tit.* Attamen id procedit quando agitur de Episcopo, vel alio Prælato ordinario collatore, qui, cessantibus reservationibus Apostolicis, habeat jus conferendi beneficia libera, unde intret ratio inverisimilitudinis, quod aliàs jure suo se non privasset cum canonizatione jurispatronatus nisi istud esset verum; Hæc autem ratio non intrat in Capitulo sede vacante, vel in ejus Vicario, cum istud jus non habeat, & per consequens cessat ratio proprii interesse, atque de facili intrat præsumptio gratificationis, accedente altera mala præsumptione, cui innixa est dispositio text. *in cap.* 1. & 2. *de sede vacante in* 6. Multò verò magis crescebat dubitandi ratio ubi subsisteret actoris præsuppositum, quod introductio istius judicii, quamvis beneficio pleno, fuisset affectata ob verisimiliter speratam imminentiam vacationis ratione gravis ætatis, vel infirmæ valetudinis possessoris, juxtà ea, quæ à simili habentur *disc.* 1. *de feudis*, quodque id eventus docuerit ob mortem ad breve tempus subsequutam eodem judicio adhuc pendente, adeòut sententia lata esset post jam factum casum vacationis, sub duplici vacatione, una mensis, & altera vacationis sedis Episcopalis, ideòque Vicarius Capitularis non poterat desuper manus apponere; Adinstar eorum, quæ *sub tit. de beneficiis* habentur in materia unionis, quæ ex decretis Conc. Trid. licitè, & validè fieri potest per Ordinarium, putà Seminario, vel præbendis canonicalibus, quæ sint tenues, quoniam intelligitur de beneficiis non reservatis, adeòut vigeat incertitudo an sequenter vacatione esse deberent ad liberam provisionem ipsius Ordinarii, qui probabilem spem desuper haberet, cum tunc intret præsumptio bonæ fidei contra proprium separatum interesse; Secus autem ubi hæc ratio non urgeat, quod ad rem rectè adaptabile videtur. Sed quoniam id per defensores istius Partis negabatur, undè factum remanebat incertum, idcircò maturum judicium desuper efformari non potui.

ROMANA JURISPATRONATUS DE CAPISUCCHIS.

Responsum pro veritate.

An, & quando adoptati succedant in jurepatronatus in præjudicium aliorum vocatorum, Et an juste per Papam desuper dispensetur, & quando.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De articulo an adoptivi succedant in jurepatronatus.*
3 *De potestate Principis tollendi jus tertii eique præjudicandi.*
4 *Familia renovata habetur pro vera, & naturali.*
5 *Quod in hac materia facilius intret potestas de qua num.* 3.
6 *Juspatronatus etiam ex fundatione, & dotatione dicitur competere ex gratia.*
7 *De causis ob quas Papa concedere possit, & debeat gratiam ut juspatronatus transeat in adoptivos.*
8 *Gratia retentionis, & protractionis non est adeò præjudicialis sicuti illa novæ concessionis, vel provisionis.*

DISC. LXXXVI.

1 CUm de anno 1360. Matthia mater, & exequutrix voluntatis Andreæ de Capisucchis, fundasset ac dotasset Cappellam S. Pauli in Ecclesia S. Mariæ de Campitello cum reservatione jurispatronatus pro quibusdam ibi expressis de dicta familia de Capisucchis, eorumque filiis, & descendentibus Masculis, deindeque fœminis, omnibusque defectis ad favorem Prioris Ecclesiæ S. Mariæ Novæ, postmodum verò Camillus, & Marius de eadem familia passessores hujus patronatus, fecissent primogenituram conventionalem enunciatam *disc.* 50. *de fideic.* cum ea præsertim pariter ibidem insinuata lege, ut ultimus aliquem nobilem attinentem pro renovatione, & conservatione familiæ adoptare deberet, hinc sequutum est quod dictum juspatronatus cum reliquis bonis per diuturni temporis intervallum fuit penès illum, qui primogeniti, & Capitis figuram faceret. Cum itaque in hac familia, cujus etiam incidenter mentio habetur *disc.* 133. *de fideic. num.* 9. essent solum superstites Franciscus primogenitus, sæcularis in gravi tamen ætate constitutus absque animo ducendi uxorem, ideòque de prole desperatus, & Raymundus Religiosus professus in Sacris Magister Sacri Palatii, ac propterea, factus esset casus deveniendi ad præfatæ legis praxim, Idcircò idem Franciscus adoptavit comitem Alexandrum. Marescottum ejus conjunctum, qui primogenituram refutavit, familia jam assumpta, hisque sequutis consultus fui, an hic adoptatus, ejusque descendentes succederent in hoc jurepatronatus, cum præsuppositо quod adessent de descendentibus ex fœminis majorum vocatorum quamvis essent valdè remoti.

In responso itaque desuper dato potius ad satisfaciendum Partibus, tam stylo, quam genio repugnantibus pro u- 2 traque parte cumulabam ea, quæ habentur insinuata *eod. disc.* 50. *de fideic.* magis verò ea quæ pro utraque opinione habentur deducta *disc.* 13. *de præem.* ubi ex professo agitur de hoc articulo; Concludebam tamen quod quando coram judicibus per tramites juris de hoc agendum esset, tunc probabilius pro non comprehensione respondendum veniret ex defectu potestatis illorum, qui primogenituram erexerunt, adeòut quando eorum voluntas esset clara, & expressa, adhuc non sufficeret ob legem fundationis, cui derogari non potest per successores, juxtà ea, quæ pluries habentur in sua sede *sub tit. de fideic.* & alibi, ac propterea rem non conferre observabam, ea quæ habentur *d. disc.* 13. *de præemin.* cum in eo casu nullum caderet dubium potestatis, sed sola quæstio esset verisimilis voluntatis Pontificis fundatoris.

Credebam tamen quod iste esset unus de illis casibus in, quibus cum justa causa, & rationabiliter Summus Pontifex exercere posset, & deberet illam potestatem de qua agitur *disc.* 147. & 177. & in aliis pluries *sub tit. de Regal.* 3 adeòut satisfieret etiam illis qui sequuntur magis rigorosam, atque in foro exteriori minus veram opinionem, super necessario requisito justæ causæ, ut scilicet commutando voluntatem fundatoris, seu verius illam verisimilem declarando, vel supplendo, cum ejus auctoritate decerneret quod hoc juspatronatus cum reliquis bonis continuare deberet in hac familia renovata cum eodem ordine primogenituræ, eodem modo quo in vera, & naturali adeò per diuturnum tempus continuavit; dum familia in primo ingressu artificialiter, & fictè renovata, & ulteriori tamen progressu esse dicitur vera, & naturalis à qua non differt, ex insinuatis *eod. disc.* 13. *de præem.* & pluries *sub tit. de fideicom.* præsertim *disc.* 34. 4 atque patet in his terminis jurispatronatus ex *decis.* 697. *p.* 1. & 314. *part.* 4. *rec.* repetit *dec.* 71. & 72. post Monachum *decis. Florent.*

Si etenim etiam sine causa, multo verò magis ista accedente, per supremum Principem derogari potest ultimis voluntatibus, aliisque dispositionibus, juxtà deducta *d. disc.* 148. & 177. *de Regal. & disc.* 73. & *sequent. de feud.* occasione agendi de bulla Baronum, ac etiam pluries *sub tit de fideic.* occasione agendi de derogationibus fideicommissorum, & alibi, multò magis, & cum minori dubitandi ratione id fieri posse observabam in subjecta materia dupliciter; Primò quia non agitur de jure bursali per quod magis dicitur lædi jus tertii, sed potius de jure honorifico nullius utilitatis, juxtà ponderationes, ac distinctiones, de quibus agendo in specie de hac familia habetur *d. disc.* 50. *de fideic.* Et secundò quod in subjecta materia magis certa, magisque plana est Papæ summa potestas, non solùm quia in beneficialibus dicitur Dominus absolutus, sed etiam quia licèt in hac materia jurispatronatus adhibeantur termini Justitiæ, discreti à terminis gratiæ, ad 5 effectum contradistinguendi juspatronatus ex fundatione, & dotatione, vel augumento dotis præponderante, ab altero ex privilegio, & gratia ex deductis supra *disc.* 10 & 65. & in aliis pluries; Attamen ad alios effectus, *ut eod. disc.* 13. & alibi advertitur, etiam in casu fundationis, & dotationis ex integro, dicitur mera gratia Ecclesiæ; Ac propterea non intrant illæ considerationes, quamvis in foro exteriori ineptæ, quæ in ultimis voluntatibus, vel in contractibus fieri solent circa violationem juris na- 6 turæ, vel gentium, cùm totum proveniat à jure merè Ecclesiastico, & ex gratia, & benignitate Ecclesiæ.

Dubitandum verò non videbatur de concursu justæ causæ ex pluribus; Primò nempè quia Reipublicæ interesse dicitur ut quo magis fieri potest conservetur decor nobilium antiquarum familiarum qui in hujusmòdi patrona- 7 tibus magis quàm cum bonis privatis conservari dicitur, ut advertitur pluries supra præsertim *disc.* 36. occasione agendi de articulo, an juspatronatus comprehendatur sub fideicommissis & primogenituris. Secundò ob. verisimilem voluntatem fundatricis, quæ agnationem prædilexit, fœminas earumque descendentes vocando in subsidium post illam defectam; Ac propterea esset potiùs supplere, vel interpretari voluntatem, quàm commutare, vel illi derogare. Tertiò in idem ob distinctionem, de qua *eod. disc.* 13. *de præemin.* super differentia inter illam adoptionem particularem, quæ absque aliquo justo motivo habere valeat aliquam suspicionem fraudis præjudicandi tertiò, vel quod juxtà hodiernos, & currentes mores habeat faciem exorbitantiæ, juxtà ea quæ, in materia successionis adoptivorum habentur *sub tit. de succes. ab. intest. disc.* 53. & istam adoptionem, quæ ex adeò justo, & rationabili motivo, quinimò ex necessitate fiat principaliter pro successione in universo aese, cum quo juspatronatus veniat potius tanquam accessorium, & consequutivum. Quartò fortiter ad occurrendum magnis, & inextricabilibus litibus super legitimatione personarum, & probatione majoris proximitatis inter quamplures, qui per valdè remotos gradus se prætendant descendentes ex hac familia; & propterea in-

trat

trat ratio, de qua *disc. 21* & in aliis *de fideic.* super regulatione successionum ex persona ultimi gravati potius quàm testatoris ad tollendum hujusmodi litium anfractus, & inextricabiles labyrinthos ; Et quintò demùm quia etiam Ecclesiæ, vel Cappellæ magis interest cum hoc ordine primogenituræ habere unum, ac certum patronum magis potentem, magisque qualificatum, quàm multos etiam incertos, & litigiosos, & inter quos adesse possunt etiam viles, & indigni pro illis fortunæ status contingentiis, de quibus supra *disc. 31.* & alibi.

Ponderabam, quod pro impedimento gratiæ posset motivari, quod illa esset præjudicialis Datariæ ob vacationem d. Prioris S. Mariæ Novæ ob cujus purificationem juspatronatus efficeretur Ecclesiasticum, & per consequens
8 caderet sub reservationibus, & affectionibus Apostolicis ex iis quæ habentur *d. disc. 65.* & in aliis ; Verum dicebam id non videri præjudicium considerabile ad impediendam gratiam, quam ex tot justis motivis concedi debere congruum erat, quoniam ubi etiam proximum esset jus dicti Prioris, adhuc Papa concedebat id quod erat secum, potissimè quia non erat concessio nova juris jam aperti, sed solum dilationis, & protractionis ne jus aperiretur, ita fingendo familiam fictam, & artificialem, ac si duraret vera, atque tollendo obstaculum, quod non reputatur adeò præjudiciale, ut *eod disc. 65.* & in aliis habentur in gratiis retentionis beneficiorum juspatronatus cum aliis incompatibilibus, quod non requiritur illa derogatio, vel specialis mentio etiam si essent de jurepatronatus Regio quæ requiritur, in novis provisionibus ; Fortiùs verò ob præsuppositam existentiam plurium cognatorum, & descendentium ex fœminis, istud jus erat valde remotum, ac incertum an ista linea adoptata duratura esset magis quàm aliæ lineæ agnatorum prius vocatæ ideòque non videbatur motivum considerabile.

FLORENTINA COMMENDÆ
PRO PRIORE HORATIO DE RICASULIS EJUSQUE FILIIS.

Responsum pro veritate.

De ordine succedendi in jurepatronatus ; Et an inter illos de pluribus colonnellis ejusdem familiæ attendi debeat ordo gradus, & proximitatis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *In jure passivo individuo cui debeatur successio, & an attendatur prærogativa lineæ.*
3 *Secus in jurepatronatus activo, ut debeatur omnibus de generibus vocatis.*

DISC. LXXXVII.

1 BErnardus de Ricasulis ad juspatronatus activum, Commendæ Ordinis S. Stephani per eum fundatæ post defectam propriam descendentiam vocavit descendentes Masculos Andreæ Abavi qui tres habuit filios Masculos, i. ideòque tres constituit lineas, unam Marci à quo descendebat fundator, & alias Raynerii, & Gasparis ; Cum itaque defecta descendentia, etiam fœminina fundatoris in persona Prioris Donati de Antella factus esset casus dictæ vacationis, atque ex dictis lineis essent superstites ex illa Raynerii Prior Horatius, qui fundatori approximabat decimo gradu quatuor habens filios masculos ; Et ex illa Gasparis in uno Columnello Jo: Franciscus, qui nono, & in altera Jo: Mathæus, Vincentius, & Hieronymus, qui decimo gradu approximabant. Hinc defuper consultus fui, ad quem scilicet hujusmodi agnatorum istud juspatronatus pertineret, & cujus potiora essent jura in ejus successione.

Quando ageretur de jure individuo ; quo non admitteret concursum simultaneum plurium personarum, sed in una tantum esset verificabile, ut contingit in jurepatronatus passivo, ipsiusque commendæ assequutione tunc cum universum hoc genus sub nomine collectivo sit pariformitet vocatum, vocationem congruere dicebam natu majori, juxta ea quæ habentur *disc. 183. de fideic. num. 4.* atque in subjecta materia in qua major ætas ratione majoris prudentiæ in administratione commendæ videtur exigi non intrant ea quæ *disc. 13. de feud. & disc. 2. & seqq. & discurs. 201. & sequent.* de fideicommissis habentur circa prærogativam lineæ quæ vincat gradum, & ætatem, cum procedant in successione bonorum, juxta distinctiones ibi datas quoties lex fundationis, vel consuetudo non exigat, ut procedi debeat cum ordine primogenituræ ex deductis supra *disc. 20.* ac etiam *disc. 8. de fideicomm.* ubi de consimili commenda in diverso tamen ordine.

Sed quoniam agebatur de jurepatronatus activo, quod
2 est quidem individuum in substantia, sed est dividuum in exercitio ex deductis *sup. disc. 33. 54. & 61.* & in aliis ac etiam *discurs. 8. de feud.* Hinc respondi quod omnibus debita esset successio tanquam constituentibus unum corpus intellectualem, juxta naturam juspatronatus familiaris, vel gentilitii de quo supra pluries ; & præsertim *disc. 54. & 61.* ad quod conferre dicebam ea quæ habentur *disc. 106. de fideic.* super hac unitate corporis complexivi omnium absque discretione graduum, & linearum, potissimè quia in hac facti specie concurrebant clara argumen-
3 ta voluntatis fundatoris super pluralitate, & simultaneo concursu omnium.

ROMANA CAPPELLANIÆ
PRO JO: PHILIPPO POSSENTE, CUM SAVINO.

Casus disputatus coram Vicario Lateranen. credo, resolutus pro Possente.

In concursu duorum ejusdem generis, quibus debeatur beneficium ratione juspatronatus passivi cui debita sit prælatio.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Prælatio debetur potiùs illis de familia.*
3 *Debetur seniori, & sacerdoti.*
4 *Debetur habili quamvis inhabilis haberet dispensationem.*
5 *Generaliter de magis digno.*

DISC. LXXXVIII.

1 COncurrentibus ad Cappellaniam Possente de familia fundatoris, nullo tamen, quod constaret, proximo gradu conjuncto, & Savino docente de conjunctione, atque lege fundationis disponente, ut illis de familia ; vel de parentela Cappellania conferri deberet, adeòut ambo haberent præsentationem fundatoris, atque solùm quæstio esset prælationis ; Istam dicebam etiam cum sensu veritatis coram Vicario Basilicæ Lateranen-
2 sis, debitam esse Possenti, pro quo judicatum fuit ex pluribus. Primò quia cum esset de familia, quæ prius vocata erat, deinde parentela, cum dictione *vel*, quæ denotat ordinem successivum, ex relatis per Fusar. *quæst. 379. num. 26. & seqq.* præferri debebat, & generaliter de prælatione illius de familia, Buratt. *dec. 347. n. 16. & 676. n. 12.*

Secundò quia senior, magisque qualificatus quia Sacerdos ut apud Buratt. *dec. 316. num. 12. cum seq. & decis. 633. num. 12.* ubi Addentes *in fine*, Clariùs dum fundator dixit præeligi debere seniorem. Et tertiò clarius quia Savinus erat inhabilis, utpotè adhuc non habens ætatem quatuordecim annorum, quæ etiam in beneficiis, & Cappellaniis simplicibus beneficiorum naturam,
3 & qualitatem habentibus, adeòut non agatur de Cappellania manuali, & de legato pio, requiritur ex dispositione Concil. Trid. etiam si essent de jurepatronatus laicorum, quoties lex fundationis aliter non disponeret ex deductis *disc. 85. de benefic.* & alibi, ideoque in concursu habilis, & capacis cum incapaci, qui indiget dispensatione, prior est præferendus, ut firmatur *decis. 345. n. 3. p. 13. recent.* ubi concordantes ; Dispensatio etenim quamvis obtenta sit, tollit obstaculum ad effectum capacitatis, sed non facit quin dispensatus reputandus veniat minus dignus in concursu capacis, & idonei, quando jus est coæquale cum dispensatus præferendus veniat alteri non indigenti dispensatione, quando suum jus sit potentiùs, adeòut alter vocatus sit in subsidium juxta casum, de quo *disc. 8. de fideicom.* cum similibus, secus autem quando omnes veniunt coæquali jure, unde

dè quæstio reducatur ad prælationem, cùm tunc attendantur qualitates personales, aliæque circumstantiæ ex pluries consideratis *sub tit. de Benefic.* præsertim *disc. 67.* occasione beneficiorum Diœcesis Calaguritanæ, & alibi.

ROMANA CANONICATUS
AD PETITIONEM PRINCIPIS BURGHESII.

Responsum pro veritate.

De jurepatronatus passivo ; Et an præsentatio debeatur illi qui aliàs præsentatus renunciavit beneficio, vel eo privatus fuit, Et an tertius opponat de hoc jurepatronatus passivo.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De aliquibus erroribus modernorum evagandi in superfluis.*
3 *De dilemmate ob quod uni, vel alteri concurrentium debita institutio.*
4 *Juspatronatus passivum allegari potest à personis de genere vocato, non autem à tertio.*
5 *De quæstione an ille, qui renunciavit unum beneficium vel amisit, prætendere valeat novam præsentationem ex jurepatronatus passivo.*

DISC. LXXXIX.

1 ERexit cum Apostolica auctoritate Horatius Riccius de an. 1616. Collegium in Ecclesia S. Mariæ de Plancu, postmodum translatum ad Ecclesiam S. Luciæ de Tinta in Urbe unius Archipresbyteri, & octo Canonicorum sub ea lege ut quatuor Canonicatus ad aliorum differentiam ex hac ratione Ricii nuncupati, ad ejus donec viveret, post modum verò Cæsaris, & Joachini ejus fratrum, ac filiorum, & descendentium præsentationem provideri deberent in personis de familia, & descendentia eorumdem, & his non extantibus civium loci de Volgera patria, alii verò ad præsentationem Principis Marci Antonii Burghesii, inter quem, & eundem Horatio fundatorem de anno 1629. deventum est ad quasdam conventiones pariter à Sede Apostolica approbatas, inter quas præsertim ad rem fuit, ut omnes præsentationes cor. Cardinali Vice Cancellario ad quem spectat institutio, fieri deberent ab ipso Principe, ejusque successoribus, ad Horatium autem, & successores in dd. quatuor Canonicatibus Riciis spectaret nominatio de persona, quæ sit de genere ut supra facienda intra tres menses à die vacationis, absque eo quod ignorantia excusaret, eaque facta, & intimata teneretur Princeps facere præsentationem de persona nominata capaci, sin minus in casu non factæ nominationis, vel quod ea habenda esset pro non facta, pro ea vice posset ipse præsentare ad libitum, cum aliis conventionibus ad rem non facientibus. Cum itaque de anno 1670. per obitum possessoris vacasset unus ex dd. Canonicatibus Riciis, Andreas dicti Cæsaris filius, neglecto Joachino Riccio descendente ex dicto Joachino seniore, nominasset Octavium de Bonamicis ex filia nepotem, præfatus autem Joachinus se opposuerit, atque stantibus controversiis inter nominatum, & se opponentem, practicata non fuerit intra terminum præfinitum dicta forma præsentationis. Hinc aliqui ministri bodierni Principis Joannis Baptistæ Burghesii nepotis ex filio & successoris præfati Principis Marci Antonii, prætensionem excitarunt, quod ad formam conventionis pro hac vice sibi devoluta esset facultas præsentandi aliam personam ad ejus arbitrium ; Undè desuper idem princeps Me, & alios Advocatos pro veritate consuluit. Quia verò ex parte habentis, patronatum activum, ac tenuentis nominare Riccium agnatum, cui ex lege fundationis priùs beneficium erat, obiiciebat quod ille aliàs de anno 1643. ad nominationem alium habuerat Canonicatum, quem prætendebatur voluntariè dimisisse, vel ob non residentiam amisisse, idcircò per alios Scribentes assumpta fuit quæstio. An dimissio vel amissio alterius Canonicatus causaret oppositam incapacitatem, necnè, quasi quod ex hoc puncto penderet resolutio quæsiti, ut oppositore indigno, vel incapace existente locus esset præsentationi faciendæ per Principem ejus libito, ideòque desuper cum aliquibus evagationibus nimium se diffundendo, ac reassumendo deducta per Paris. *de resign. lib. 1. q. 13. ex n. 43.* & Rebuff. *de nominat. q. ult.*

Mihi verò videbatur, quod hic labor esset inanis, quodque extranea censenda esset ista quæstio ad effectum, de quo agebatur, & per consequens intraret consuetus, adeòque frequens modernorum error nimium evagandi in superfluis, vel extraneis cum improbo labore chartas inutiliter implendo, ipsum tamen punctum, in quo residet cardo difficultatis, vel nihil, vel parùm gustando, abundando in superfluis, & deficiendo in necessariis.

Intrare siquidem dicebam clarum inevitabile dilemma, 2
quod Aut agnatus, qui ex lege fundationis petebat institutionem erat capax, & habilis, Aut non ; Si erat nil referebat, an habemus patronatum activum ; illum neglexerit, cum id sibi præjudicare non debeat, sed rectè petere valeat institutionem tanquam nominatus, vel præsentatus à fundatore, juxtà operationem juspatronatus passivi, ex pluries deductis *supra disc. 16. cum sequen.* Aut verò dicendus esset incapax, vel talis, quod non posset de justitia à patrono invito præsentationem, vel nominationem prætendere ; Et tunc ipsum habendo pro non ex- 3
tante, firma, & valida remanebat nominatio Bonamici cognati, dum erat etiam de genere vocato, & tamen sufficiebat, quod esset de loco.

Quinimò ubi etiam non adesset alter de genere vocato, cui hæc vocatio competere posset, vel adesset, sed non comparet, vel non curaret, adhuc subintrat libertas nominandi quemcumque Clericum capacem, dum illa necessitas, quæ resultat à jure patronatus passivo, procedit in gratiam personarum de genere vocato, & quatenus illæ velint, ac se opponant, ut per Gonzal. *glos. 56. n. 88.* 4
cum seq. Garz. *p. 7. c. 15. n. 7. & seqq.* & communiter alii, de quibus *d. disc. 16. cum plurib. seqq.* cum hoc præsuppositio procedentes, ac propterea quomodocumque diceretur, inanis erat dictæ prætensio, dum vel uni, vel alteri scilicet nominato, vel se opponenti debita erat præsentatio, & respectivè institutio.

Quatenus verò pertinet ad præfatam quæstionem, advertebam quod illius decisio pendebat ex facto adhuc non benè firmato, & concordato ; Ideòque maturum judicium desuper efformari non poterat ; Potissimè quia nil intereat illud efformari ad effectum respondendi quæsito, quoniam de hoc inspicere pertineat ad cardinalem Vicecancellarium, an uni vel alteri contendentium institutionem 5
concedere deberet ; Ubi siquidem subsisteret facti præsuppositum, quod Riccius culposè privatus fuisset alio Canonicatu per ipsum obtento de anno 1643. tunc rectè intrabat ejus incapacitas, non quidem omnimoda, adeòut neque à patrono volente nominari vel præsentari potuisset ; cùm id non videatur jure cautum, quoties privatio non esset ex tali causa, quæ produceret infamiam, & omnimodam incapacitatem ; Sed benè ad hunc effectum, ut non posset de justitia prætendere ab invito præsentationem ex lege fundationis, ex deductis per Rebuff. *de nominat. dict. quæst. ult. num. 18.* & Paris. *de resign. lib. 1. q. 13. num. 52.*

Ubi verò non haberet priorem Canonicatum ex causa dimissionis, & tunc advertebam distinguendum esse, quod scilicet, aut dimissio fuit ad favorem alterius cum recompensa pensionis, vel alterius beneficii, quinimò etiam sine recompensa, præterquam illam gratificationis, quia nempè sine voluntate patroni alteri sibi bene viso Canonicatum resignasset, & tunc dicendum esset idem, quod in casu amissionis culposæ quinimò plus, quoniam ille locus ità remanet occupatus ab eo, quem ipso provisus subrogavit, ideòque censendum videtur, ac si ipse continuaret ; Multò verò magis ubi adesset recompensa, cum tunc adesse diceretur illa turpis mercatura, quæ in concursu causare debet indignitatem, & nè aliàs ita unus plura occuparet beneficia, ut ponderatur per Rebuff. *ubi sup.* Aut verò dimissio fuit pura, & tunc id nullam causat incapacitatem vel indignitatem, ex deductis per Paris. *d. q. 13. n. 43. & seqq.* Et conferunt ea, quæ habentur *disc. 12. de fideic* super puncto quod ille, qui facto casu successionis primogenituræ, non curavit illam agnoscere, vel agnitam dimisit, non prohibetur facto novo casu successionis concurrere accedente ratione, quod patrono nullatenus præjudicatum remanet, dum ad Canonicatum liberè dimissum, liberè alterum pro ejus libito præsentavit, ideò nulla remanet occasio conquerendi.

PAR-

PARMEN. BENEFICII PRO ANTONIO PENELLO.

Responsum pro veritate.

An lex fundationis super jurepatronatus passivo liget ipsum fundatorem; Et vocata familia, an veniat etiam contentiva.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An vocata familia veniat etiam contentiva.*
3 *De differentia inter juspatronatus activum, & passivum.*
4 *An lex fundationis super jurepatronatus passivo liget fundatorem.*
5 *Declarationi fundatoris est deferendum.*

DISC. XC.

1 UNo ex fundatoribus fratribus de Penellis adhuc vivente, sequuta beneficii vacatione, præsentavit ipse Jo: Baptistam de Bandinis, cui præsentationi se opponente Antonio ex fratre nepote, ex eo quod fundatio contineret etiam juspatronatus passivum pro illis de familia, de duobus excipiebatur per præsentatum; Primò nempè, quod reservatio jurispatronatus passivi intelligenda veniret de familia effectiva fundatorum, non autem de contentiva, de qua erat ille, qui se opponebat; Et secundò quod idem juspatronatus passivum ligaret quidem successores in patronatu activo, non autem fundatorem adhuc viventem Unde super consultus.

Quatenus pertinet ad primum objectum dicebam illud 2 videri contemptibile ex eo præsertim quod unus ex fundatoribus esset in sacris, ideoque in eo verificabilis non esset familia effectiva potissimè quia non agebatur de contentiva remota, sed de proxima constituta à patre, juxtà ponderationes, de quibus *disc.* 25. & 50. *cum duobus seqq. de fideic. & sup. disc.* 24. & in aliis; Ponderando etiam, quod in hoc proposito, magna differentia constituenda videtur inter patronatum activum, & passivum, quoniam priori casu restrictio continet limitationem regulæ, quæ illud facit hæreditarium, undè continet quamdam speciem fideicommissi; In altero autem; quamvis etiam importet servitutem; Attamen ei magis assistere videtur verisimilis voluntas fundatoris, ita providendi omnes de familia cum prælatione tamen in concursu inter illos de familia effectiva, vel contentiva proxima, & alios de contentiva remota, juxtà ponderationes, de quibus *disc.* 52. *de fideic.* & alibi.

Dicebam tamen; quod me torquebat alterum objectum 3 quoniam licèt suprà *disc.* 16. *n.* 2. & 3. & *disc.* 17. *n.* 8. & *disc* 18. *n.* 4. firmetur quod lex adjecta in limine de consensu Ordinarii ad favorem tertii non possit alterari, ex ea ratione, quod Ordinarius gerere videtur partes Notarii stipulantis nomine absentium, imò aliquid plus ob majorem authoritatem, & prærogativam, quod etiam in- 4 sinuatur *disc.* 60. *n.* 16. & 17. Nihilominus in facti specie videbatur cessare applicatio ex facto, eo quia verba directa erant ad successores, non autem ad personas ipsorum loquentium quæ regulariter non veniunt, potissimè ubi urget inverisimilitudo, quod sibi ipsi hoc ligamen inferre voluerit, ut in his terminis advertitur per Rot. apud Caval. *decis.* 365. repetit. *dec.* 758. *p.* 2. *recent.* ac etiam ad Buratt. *decis.* 21 *num.* 26. ubi Add. *n.* 27. ad quod conferunt ea quæ habentur *in Melevitana disc.* 27. *de fideic.* super differentia inter ipsum fideicommittentem, & successores vocatos, cum similibus In casu autem de quo *d. disc.* 16. verba directa erant etiam ad fundatorem & quod magis est, accedebat quædam ratio particularis, ob quam jus tertii dici poterat onerosum, & correspectivum.

5 Et nihilominus avertebam sufficere, ut id esset dubium ad effectum, ut intrat pluries sub diversis materiis insinuata conclusio recepta, quæ speciem notarii habere videtur, quod scilicèt donatori, vel alteri contrahenti licitum est donationem, vel alium actum, quamvis irrevocabilem, & obligatorium, ubi sit dubius declarare, potissimè ubi declaratio non habeat suspicionem fraudis, vel interesse ut in præsenti dicendum videbatur, quoniam nullum interesse bursale, vel utilitas dignoscitur in patrono, an unum, vel alterum præsentet in beneficio, atque prorsùs inverisimilis videtur, ut ille, qui ex pia liberalitate pro suffragio, & salute ejus animæ, & pro merito apud Deum ejus bona elargitus est pro fundatione beneficii, absque utilitate, vel interesse considerabili cum mendacio, & peccato fraudem & præjudicium tertiò facere velit.

PARMEN. JURISPATRONATUS PRO BERNARDO GROSSO, CUM JACOBO FERRARIO.

Responsum ad causam extra Curiam cum sensu veritatis.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 10. & 65. an scilicèt juspatronatus ex privilegio cadat sub revocatoriis, vel respectivè sub reservationibus, si accedat etiam centenaria, vel immemorabilis compatibilis cum privilegio.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De differentia privilegiorum ad effectum exemptionis à revocationibus, & ad effectum exemptionis à reservationibus.*
3 *De privilegio compatibili cum immemorabili, vel centenaria.*
4 *Quod hodie ista non sit quæstio juris, sed facti, & quomodo tractanda, & decidenda.*
5 *Expenduntur decisiones, de quibus num. 3. super compatibilitate privilegii cum centenaria, vel immemorabili.*
6 *Præsumptio, quæ oritur à centenaria, vel immemorabili est juris tantum, & admittit contrarias probationes.*
7 *De probationibus, vel argumentis contrariis in casu.*
8 *De notabili differentia inter Ecclesias Parochiales, & alias ad hunc effectum.*
9 *Votum editum in causa, in quo copiosè agitur de materia.*

DISC. XCI.

SEquuta vacatione Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de 1 Vignale de mense reservato Aprilis 1671. ob non servatam formam Bullæ Pianæ, vel ob non factam in tempore provisionem de illa obtinuit à Sede Apostolica provideri Bernardus, cujus litterarum exequutioni se opponente coram Ordinario, vel ejus Vicario Generali exequutore in litteris deputato Jacobo præsentato per Gabrielem Carbognanum descendentem à Vitali, seu Laurentio, quibus eorumque successoribus Julius II. de anno 1510. hujus Ecclesiæ tunc valoris librarum 74. concesit patronatum ob augmentum dotis in libris 40. as- 2 sumptaque desuper disputatione, studiosus Judex magnus meus amicus auctor controversiæ feudalis impressæ *in primo lib. de Feud.* super casu, de quo *disc.* 22. *eod. tit.* agnoscendo quod privilegium Apostolicum patrono, ac præsentato suffragari quidem posset ad effectum evitandi revocatoriæ Innoc. VIII. & Hadr. VI. & Concil. Trident. non autem ad effectum evitandi reservationes, 3 & affectiones Apostolicas, dum augumentum non præponderat antiquæ doti, sed est inferius, juxtà distinctiones, de quibus *in jam editis disc.* 10. & 65. *hoc eod. tit & alibi*, motivabat, an suffragari posset, ac deberet possessio centenaria compatibilis cum privilegio juxtà decisiones proditas *in Januen. Abbatiæ* apud Buratt. *dec.* 875. *dec.* 218. *p.* 6. & *decis.* 29. *part.* 7. *recent. de quibus in eodem disc.* 65. dum in facto constabat de præsentationibus continuatis ab anno 1552. usque ad 1671. in quo sequuta est vacatio, quæ controversiæ occasionem dedit, quare desuper ex parte provisi Apostolici consultus ad effectum satisfaciendi motivis.

Respondi præmittendo consuetum intercalare; quod expedit hodie in omni penè casu repetere, quod scilicet in puncto controverso nulla videatur hodie cadere quæstio juris cum jam firmæ videantur ejus theoricæ, de quibus *supra disc.* 10. & 65. & in hoc Supplemento *in Januen. Abbatiæ*, & *in Neapolitana beneficii disc.* 83. sed totum consistit in applicatione conclusionum, & doctrinarum regulanda ex singulorum casuum circumstantiis, ex quibus in uno casu uno modo, in altero, qui similis, imò identificus videatur diversimodè resolvendum veniat, adeòut

adeòut manifestus videatur error, ac superfluitatis vitium immorari in conclusionibus juris, easque cum auctoritatibus exornare, quoniam eis præsuppositis immorandum est super facto, an ob ejus circumstantias applicentur, necnè.

Quare pro congrua dictarum decisionum applicatione advertebam, quod in earum casum firmatur centenaria pacifica, & completa sine aliqua interruptione, vel offuscatione, ob præsentationes effectum sortitas ab anno 5 1514. usque ad annum 1622. absque eo quod adesset relatio ad aliquod privilegium præcisum, ex cujus tenore pateat, quod sit ex causa non præponderanti, sed potius præsuppositur contrarium; Quoniam mentio, quæ habetur privilegii Leonis X. est in genere, non autem in specie ad illud anni 1513. quinimò istud excludi videtur, cum fiat mentio privilegii Leonis ex causa fundationis, & dotationis, atque istud est prædictarum decisionum præcipuum fundamentum, ut patet ex *dec.* 875. Buratt. *n.* 4. *dec.* 218. *p.* 6. *rec.n.* 28. 40. & 46. & *dec.* 29. *p.* 6. *n.* 6. *in fine* 17. 26. 27. & 29. *per tot.* Accedente quoque in eo casu consideratione, quod agebatur de Ecclesia Regulari, in qua pro acquisitione jurispatronatus non sufficit fundatio, & dotatio, etiam ex integro, ut in sæcularibus, sed requiritur privilegium Apostolicum, ut *dec.* 218. *n.* 37. & *decis.* 19. *num.* 9.

Præterea in eisdem decisionibus admittitur conclusio, quæ vera censenda est præsertim, ac facilius in centenaria, difficilius autem in immemorabili, quod scilicet illa præsumptio, quæ resultat tituli melioris, & de qua pluries sub diversis materiis, & præsertim *disc.* 3. & 133. *de Feud. & disc.* 3. *de Alien. & Contract. prohib.* est juris tantum, non autem juris, & de jure; Ideòque admittit probationes contrarias, ibi autem evitatur ex facto, quod scilicet non essent factæ diligentiæ in omnibus libris, & registris, quodque antiquus valor narratus non probaretur; Accedente quoque impossibilitate diligentiarum benè concludentium ob intermedium excidium Urbis sequutum de anno 1527. dum ita allegari potest possibilis per- 6 remptio aliquorum librorum, & registrorum, ut pluries sub diversis materiis advertitur; Quamvis etenim *in d. dec.* 29. *p.* 6. *n.* 52. & 53. obiter dicatur, quod ista sit præsumptio juris, & de jure; Advertebam tamen, quod id potiùs contineret lapsum calami extensoris, cum id nulli innitatur juridico fundamento, vel rationi, atque contextus decisionum potiùs contrarium convincit, excludendo contrarias probationes ex facto.

His itaque prænotatis, atque descendendo ad applicationem, advertebam, etiam in sensu veritatis, quod ad rem præfatæ decisiones, & conclusiones in eis contentæ non essent applicabiles ob diversas circumstantias, Primò nempè, quia in præsentationibus, & restitutionibus res- 7 pectivè, præsertim in illis annorum 1618. & 1624. habetur expressa, & præcisa relatio ad hoc privilegium, & ad illud instrumentum, quod super ejus exequutione rogatum fuit, cum præcisa relatione anni, mensis, & diei, ac etiam Notarii, quamvis cum aliqua modica alteratione non substantiali circa Notarii nomen.

Secundò quoniam prima præsentatio anni 1652. esset æquivoca, dum habet relationem ad consuetudinem, juxta ponderationem, de quibus *supr. disc.* 8. Tertiò potissimè, quoniam non agitur de simplici Ecclesia, vel Cappella, 8 quæ potuerit ex integro fundari, & dotari aut quod potuerit reduci ad omnimodam dotationem, sed agebatur de Ecclesia parochiali, cujus existentia præsupponenda est usque ab initio nascentis Ecclesiæ, cum sua congrua dote, qua carere non solet, nec potest, quoniam ubi etiam bona per eam possessa pereant, adhuc non desunt emolumenta parochialia, quæ quodammodo certa in genere dici possunt, juxta ponderationes, de quibus *d. disc.* 10. Ac etiam quia in omnem eventum Parochiani per contributionem cogi possunt, quando decimæ, aliaque emolumen- 9 ta parochialia non sufficiant ad congruam substentationem Parochi, ideòque in hoc proposito magna differentia constituenda videtur inter Ecclesias Parochiales, & alias quibus ista ratio non congruat. Et quartò, quoniam ex libris visitationum, & antiquis provisionibus, aliisque documentis combinari poterat qualis esset hujus Ecclesiæ valor antiquus, & qualis modernus, & an ultra narratum valorem antiquum librarum 74. adesset tale augumentum, quod excederet, & præponderaret.

Juxta præmissa prodiit resolutio sub die 28. Septembris 1674. atque præfatus studiosus Judex nimium copiosum, & elaboratum edidit votum jam impressum, quod continet summarium numerorum 159. ubi curiosus ad satietatem super hac materia sibi satisfacere poterit, cum eam per quamdam speciem tractationis examinet.

NEAPOLITANA BENEFICII AD PETITIONEM ARCHIEPISCOPI.

Responsum pro veritate.

An, & quando reservatio Jurispatronatus pro aliquo genere censeatur taxativa, ut eo defecto, beneficium efficiatur liberum, vel potius censeatur demonstrativa, seu prælativa, ut deinde transeat ad hæredes, etiam extraneos.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Jurpatronatus Ecclesiasticum, quibus reservationibus subjaceat.*
3 *De veriori sententia, ut juspatronatus reservatum pro certo genere, isto defecto non cessèt, sed transeat ad hæredes.*
4 *Quid ubi adsit dictio taxativa.*
5 *Quomodo ista quæstio decidi debeat, & n.* 7.
6 *De alio casu sub eadem quæstione.*
7 *De eodem, de quo n.* 5.
8 *Materia jurispatronatus est exæquata fideicommissariæ.*

DISC. XCII.

FRancisCus Rummus fundata Cappella sub invocatio- 1 ne S. Januarii in Ecclesia B. Mariæ Lauretanæ, cùm dote annuorum ducatorum sexaginta retinenda per se ipsum utpotè jam in sacris, & cum reservatione jurispatronatus ut infrà, decedens in testamento, & codicillis respectivè, institutis hæredibus Presbyteris Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, qui in ea Civitate adhuc retinentes primævam, ac originariam nuncupationem, Hieronymi nuncupantur, eis injunxit, ut ad dictam Cappellam præsentare deberent Canonicum Matthiam Guarracinum prout sequutum fuit, dicto autem Canonico defuncto, cum præfati Presbyteri alium præsentassent, Promotor Fiscalis prætensionem excitavit, quod beneficium effectum esset liberæ collationis, ex eo quod in precibus à dicto Francisco porrectis dictum esset, quod reservare intendebat juspatronatus, pro se, ejusque hæredibus, & successoribus; & in eorum defectu pro persona nominanda ab eisdem ad lineam masculinam tantum, quare Cardinalis Caracciolus Archiepiscopus, ab eisdem Presbyteris rogatus, ut de veritate se informaret, eosque licibus non exponeret, me desuper consuluit transmissa informatione data per dictum Promotorem, in qua fundamentum constituebatur in auctoritate Rocchi de Curte *verbo ipse velis q.* 33. *in fin.*

Respondi, quatenus pertinet ad præsentem vacationem stante præsuppositio, quod illa sequuta esset de mense ordinario, ac propterea non intraret reservatio regulæ octavæ, seu nonæ inspiciendum esset an crederet aliqua reservatio personalis, quia nempè defunctus esset Prothonotarius Apostolicus, vel Subcollector, ac familiaris ejus Cardinalis, quoniam cum juspatronatus, ita effectum esset Ecclesiasticum subjaceret reservationibus juxta deducta *supra disc.* 65. & *alibi*, ipseque haberet indultum Cardinalitium conferendi reservata, ita firmo remanente jurepatronatus, prætendere posset pro ea vice conferre ad libitum, quamvis adhuc superesset aliqua ratio 2 dubitandi, an aliæ species reservationis capient hujusmodi beneficia de jurepatronatus Ecclesiastico, quod adhuc formiter disputare occasio non dedit, quoniam licèt ubi agatur de reservatione mensis id non recipiat dubium; Attamen id procedit, quia dicta regula octava, seu nona ita expressè disponit, ideòque cum aliæ regulæ inducentes reservationes de quibus supra, id non exprimant, videtur posse probabiliter dubitari ex insinuatis *supra disc.* 69. *num.* 10.

Quando autem istud dubium non caderet ex facto, quia, nempè nulla species reservationis adesset, tunc dixi verius videri, quod injusta, parumque fundata esset præsen- ten-

tensio dicti promotoris, quoniam licèt *Rocchus ubi supra* innixus auctoritati *Geminiani*, qui in hoc reputatur antesignanus, credat quod fundator jurispatronatus pro certo genere, isto defecto expiret, atque beneficium efficiatur liberæ collationis; Attamen magis communiter recepta est contraria opinio, quæ antesignanos habet *Ancharanum, & Calderinum*, ut post defectum genus transeat ad hæredes extraneos ex relatis *supra disc. 35. n. 3. & disc. 60. n. 28. & alibi*.

Neque obstare dixi dictionem taxativam *tantùm*, tum 3 quia illa reputari solet æquivoca, utpotè referibilis ad inclusionem illorum de genere pro eorum prælationem, donec extent, ne hæredes extranei cum illis concursum prætendere possent; Ideòque neglecta fuit apud Seraphin. *dec. 364. & 368. utrobique n. 9. & in dec. 220. n. 31. p. 11. rec.* prodita in eodem casu, de quo *d. disc. 35*. Tum clarius, quoniam aderat verbum pro hæredibus, & successoribus quibuscumque; Ac etiam quia ista dictio taxativa, tunc limitationem dictæ regulæ operari solet, quando adjecta esset in decreto, seu licentia ipsius Ordinarii, quasi quod noluerit aliàs concedere juspatronatus, quo casu fundator sibi imputet cur illam restrictionem acceptavit, juxta ea, quæ à simili habentur super restrictionibus, & clausulis, quæ adiiciuntur in fundationibus majoratuum Hispaniæ ex 4 deductis *disc. 161. de Regal.* & in illis feudis, quæ consistant in bonis propriis ejusdem feudatarii juxta casum, de quo *disc. 54. & seqq. de Feud.* cum similibus; Ideòque cum in licentia, seu sententia Ordinarii, quæ attendi debet utpotè informativa actus non adesset hæc dictio taxativa, sed solum deduceretur ex precibus porrectis Archiepiscopo prædecessori, qui negotium commisit prout de jure ejus Vicario Generali, qui in dicta sententia istam restrictivam non abjecit, ita videbatur hanc dubitandi rationem non cadere; Accedente potissimum ejusdem Vicarii proxima observantia in instituendo dictum Guaracinum de ordine Testatoris, præsentatum à præfatis hæredibus extraneis.

Et quidem cum revera ista non sit quæstio juris, sed po- 5 tius facti, & voluntatis, ideòque juxta sæpius insinuata in materia, non est decidenda cum regulis, & propositionibus juris, sed cum circumstantiis particularibus facti, istisque attentis clarum videbatur, quod hæc intentio restringendi juspatronatus ad lineam masculinam taxativè, adeòut ea defecta, beneficium efficeretur liberum, omninò aberat; Tum quia verisimiliter Vicarius Generalis in dicta sententia erectionis expressisset, dum tamen contrarium fecit, expresse reservando pro hæredibus, & successoribus quibuscumque; Tum etiam quia fundator erat in Sacris, atque ut supponebatur, non habebat conjunctos de linea masculina saltem contentiva proxima, neque est verisimile, quòd decedens instituto hærede loco pio pro salute, & suffragio ejus animæ, voluisset cum ejusdem animæ præjudicio præjudicare Ecclesiæ contra id, quod in fundatione habitum esset in animo hoc juspatronatus relinquere hujusmodi extraneis hæredibus, quo presupposuit in eo successores, dum ipsis injunxit, ut præfatum Caponicum præsentare deberent.

In eodem proposito restrictionis jurispatronatus ad genus vocatum, & an eo defecto efficeretur liberum, vel res- 6 pectivè transiret ad hæredes, idem pro veritate consultus, respondi pro veritate ad petitionem Comitis de Novellaria in una *Mantuana Jurispatronatus* super jurepatronatus Ecclesiæ S. Mariæ de Coriano concesso per plures Summos Pontifices ex causa augmenti dotis familiæ de Ubertis sub lege, ut seniori, & antiquiori de domo dumtaxat competere deberet, dubitandi rationem pariter excitante dicta dictione taxativa *dumtaxat*, quoniam istam percutere dixi restrictionem ad solum natu majorem, seu antiquiorem, ne alii de domo concursum cum eo prætendere possent, & rationabiliter quidem; Tum ob majorem honorificentiam domus; Tum etiam ad effectum tollendi illas lites, & rixas, quæ in concursu plurium ob votorum scissuram desuper cadere solent, ut comprobant tot quæstiones, de quibus *hoc eodem tit. & in Rotæ Romanæ decisionibus*, procedendo cum eadem regula, de qua supra attendendi scilicet potius substantiam veritatis desumendam ex circumstantiis facti, quàm formalitatem verborum juxta gramaticales significationes, quoniam juxta antiquiores Apostolicas concessiones Julii II. aliorumque Pontificum juspatronatus erat expresse hæreditarium; Ista verò dictio taxativa continebatur in ultimis litteris Sixti V. obtentis ex causa alterius notabilis augumenti dotis ad effectum obtinendi quamdam mutationem status Ecclesiæ, ita statuendo dictum majoratum; Ideòque prorsùs improbabile esse dicebam, ut id quod gestum erat pro augumento sui juris cum notabili sumptu, & jactura pro dicto novo augumento, operare deberet restrictionem, ac diminutionem, ideòque verius censendum esse dicebam, ut dicta dictio taxativa percuteret præfatum effectum restrictionis ad antiquiorem, seu natu majorem privativè ad alios de eodem genere, & in concursu, non autem pro dicta restrictione omnimoda, ob quam defecto genere beneficium efficeretur liberæ collationis, cum similibus casibus, quibus eædem congruant rationes, vel considerationes; Firma semper dicta regula, seu propositione remanente, quòd 7 cum ista non sit quæstio juris, sed facti, & voluntatis, idcircò evidens censendus est error in ea procedendi cum regulis, & propositionibus generalibus juris, vel cum decisionibus, & doctrinis, quæ diversòs percutiant casus, vel quæ generaliter, & in abstracto loquantur, & præsertim illæ collectorum, quoniam verius in singulis casibus decisio regulanda, ex ejus particularibus circumstantiis unam, vel respectivè alteram suadentibus voluntatem, cujus veritas, vel substantia perquiri debet, isteque videtur verus, ac germanus judicandi, & consulendi in omnibus hujusmodi ambiguæ voluntatis quæstionibus, ac propterea irrisione digni videntur illi Consulentes, vel Decisionantes, qui super Doctrinarum catervam congerunt, atque inutiliter cum consueta ineptia, improboque labore chartas replent, ut ita apud ignarum vulgum docti, & eruditi videantur, cum vera eruditio consistat in bene, & congruè applicando activa passivis juxta facti particula- 8 rem qualitatem, ac singulorum casuum circumstantias eodem modo, quo in materia fideicommissaria frequentius advertitur, dum ut patet ex pluries insinuatis *hoc eod. tit.* ista materia fideicommissorum, & patronatuum fraternizare videtur, eodemque penè jure circa successionis ordinem regulari.

Post datum responsum in dicto primo casu *in Neapolitana*, comperii, quod vacatio sequuta esset de mense reservato Febr. ideòque consului, quod Cardinalis indultarius illud conferret, ut sequutum fuit; Sed dictis Presbyteris, ac præsentato ab eis non acquiescentibus, ab eisdem appellatum fuit, commissa causa in Rota, ubi pendet, ideòque expectabitur exitus.

BRUGNATEN. ABBATIÆ
PRO JO: MARIA PAGGIO.

Responsum pro veritate.

An devolutio ob præsentationem non factam in tempore, impediatur ob legem fundationis, ut sit libito patroni non præsentare; Et quando ista lex adjecta in limine fundationis non valeat, & non attendatur.

SUMMARIUM.

1 2 *Acti series. Leges fundationis juri vehementer resistentes non debent attendi, sed habentur pro non scriptæ.*
3 *Episcopus non potest Ecclesiam liberam concedere in servitutem.*
4 *Error est assumere quæstiones juris, ubi difficultas tolli potest ex facto.*
5 *Verbum* videbitur *importat arbitrium, & fortius si adest dictio* benè.
6 *Quomodo conditiones, & leges exorbitantes debeant interpretari.*
7 *De invaliditate impetrationis ob non factam mentionem hujus legis.*
8 *De puncto principali, & quando ista lex concedens libertatem non præsentandi subsistineatur, necnè.*

DISC. XCIII.

Ecclesiam jam constructam, & ab antiquo extantem in statu, quod in ea sacra fierent, aliaque divina celebrarentur, ut supponebatur, indotatam Jo: Augustinus 1 Pinellus dotavit sub conventione approbata per Ordinarium acquisitionis jurispatronatus, attributa etiam per eumdem Ordinarium honorifica nuncupatione Abbatiæ, sub ea lege inter alias à fundatore adjecta, & ab Ordinario approbata, ut non teneretur patronus infra tempora à jure statuta præsentationem facere, sed id facere posset infra tempus sibi benè visum, interim verò fructus essent sub Oeco-

Oeconomi administratione, Cum itaque per matrimonium contractum per Franciscum filium Fundatoris, & primum Rectorem diuturna quinque circiter annorum vacatio sequuta esset, ac propterea ex capite devolutionis non facta mentione dictæ legis Jo: Marcus eam à Dataria impetrasset, litterarum exequutioni se opponente eodem Fundatore, assumptaque coram Ordinario, vel alio Exequutore in litteris deputato disputatione, Scribentes pro Apostolico proviso ad evitandam objectam nullitatem dic- 2 tæ legis fundationis, dicebant, quod ista lex tanquam turpis, & à jure reprobata servari, ac attendi non deberet juxta *dec. 10. de Testam. in antiquis n. 1. & per tot.* Felin. Lambertin. Covarr. Guttier. *& alios relatos per* Gonzal. *ad Reg. 8. glos. 5. in princ. n. 42. & 43.* Tondut. *quæst. benef. c. 5. n. 4. per tot. lib. 1.* Potissimè verò ad ligandum manus Pa- 3 pæ; Neque dubitandum esse dicebam quod ista lex esset in jure reprobata utpotè inducens diuturnam vacationem Ecclesiæ, & fortiùs cum non ageretur de Ecclesia ex integro fundata; sed de jam extante, & libera in qua sacra fiebant; & divina celebrabantur, ideòq; non poterat Episcopus huic servituti illam supponere, quæ saperet speciem alienationis ex iis quæ habentur *disc. 33. & 35. de Paroch & disc. 1. de alien. & Contr. proh.* & alibi pluries.

Desuper autem ex parte ejusdem provisi Apostolici consultus, dicebam non videri opus assumere hanc altiorem inspectionem juris, dum difficultas magis de plano tolli poterat ex facto; Semper etenim malum, ac impru- 4 dens censendum videtur consilium assumendi ambiguas, & disputabiles quæstiones juris, ubi cum facto dirimi possit difficultas, quoniam causæ quæ consistunt in puncto juris ob tantam opinionum scissuram, ac ingeniorum varietatem, magis verò ob illam involutionem quam induxerunt tot invicem pugnantes decisiones, & consilia, semper sunt periculosæ. Siquidem juxta verba transmissa in notula non dicebatur quod in libera voluntate fundatoris repositum esset præsentare, vel non præsentare, sed quod non arctaretur ab illo termino qui est in jure determinatus, adeòut id agere possit infra illud tempus, quod sibi benè visum fuerit juxta illa verba præcisa in Italico Idiomate *se non fra quel tempo à lei ben visto*, quoniam 5 istud verbum *videbitur* denotat arbitrium potius quam liberam voluntatem juxta celebrem doctrinam Bart. *in Extravag. ad reprimendum verbo videbitur cum concord. collect.* per Barbos. *d. 424. n. 4.* & apud Cavaler. *dec. 373. nu. 2.* apud Bich. *dec. 152. n. 8. & sæpius*.

Clarius verò accedente illa dictione *bene* quæ magis denotat arbitrium regulandum tanquam boni viri, juxta traditionem Bart. *in l. fideicommiss. §. quamquam ff. de leg. 3. cum concordan. collect.* per Barbos. *d. 118.* & benè advertitur ad rem apud Pæniam *dec. 216. num. 11. & dec. 243.* ac etiam conferunt ea quæ habentur apud Gizarel. *dec. 257.*

6 Prout in idem satis conferre observabam ea quæ benè discurrendo habentur *in d. dec. 10. de Testam. in ant* quod scilicet aliud est assumere quæstionem rigorosam super omnimoda reprobatione vel respectivè validitatis hujusmodi legum, & conventionum; Aliud tenere viam mediam super earum interpretatione ut scilicet intelligi debeant discretè, & compatibiliter quo magis fieri potest cum dispositione juris, & cum cessatione inconvenientium, & exorbitantiarum eodem modo quo generaliter habetur *disc. 35. de Testam.* super conditionibus adiectis per disponentes an debeant servari necnè cum similibus, & sic quod ista lex temperaret quidem rigorem juris, ut propterea aliquo majori termino potiri deberet, sed discretè pro arbitrio Ordinarii, vel aliorum superiorum, non autem ut in perpetuum, & diuturnum tempus Ecclesia in statu vacationis esse debeat.

7 Quamvis autem præmissa de jure vera videantur; Attamen ad rem sentiebam difficultatem ob non factam mentionem dictæ legis, quoniam aliud est an superior possit ejus arbitrium interponere pro moderatione dictæ facultatis differendi præsentationem; Aliud verò an priusquam dictum arbitrium interponatur, atque patronus constituatur in mora fiat locus devolutioni quæ est species pœnæ, à qua excusare debet illa crudelitas, quam ipse habebat ut ad formam conventionis possit differre præsentationem pro quocumq; sibi benè viso tempore, & per consequens vitium subreptionis, vel obreptionis videbatur clarum, dum interpretatio facta erat in forma ordinaria ob non factam præsentationem in tempore, quod Papa presupposuit ad limites juris, ideòque si hujus legis fundationis mentio facta esset non concessisset, sed verisimiliter mandasset audiri Patro-

num ad effectum audiendi ejus excusationes, & quatenus istæ non essent sufficientes illum monendi ad præsentandum cum præfinitione alicujus moderati temporis, adeòut constitueretur in culpa, & contumacia, sine qua hanc pœnam luere justum non est, ideòque advertebam posse simul stare dictum intellectum, & tamen quod provisio esset invalida, & subreptitia; Adinstar eorum quæ habentur *in Januen. Abbatiæ disc. 83.* ac etiam *disc. 65. hoc eod. tit.* circa invaliditatem resignationis ad favorem vel alterius provisionis beneficii de jurepatronatus laicali non factæ illius mentione, quamvis esset talis naturæ quod caderet sub reservationibus, vel quod Papa soleret illi derogare cum similibus.

Motivabatur per eosdem Scribentes quod cum non ageretur de Ecclesia ex integro constructa, sed jam existente, & libera non poterat Episcopus ex causa augmenti dotis illam redigere in servitutem nisi constaret de omnimoda depauperatione, adeout concurreret justa causa necessitatis, Attamen advertebam quod motivum esset verum, & solidum de jure ut pluries advertitur, cum tradere Ecclesiam liberam alteri sub hac servitute, sit species alienationis, quæ exigit causam, fallacia vero esset in applicatione, quia non constabat quod prius aliquam dotem haberet, sed potius præsupponebatur omninò indotata; Et quod magis est id non respiciebat punctum quæstionis super invaliditate dictæ legis, super ipsa substantia jurispatronatus, & invaliditate concessionis, ideoque extra punctum de quo agebatur.

Quatenus vero pertinet ad punctum validitatis hujusmodi legum, quæ adjiciuntur in limine juxta quæstionem disputatam *d. dec. 10. de testam. in antiq.* cum qua procedunt Lambertin. Fælin. & alii ubi supra adeout videatur Magistra materiæ; Quando lex est talis quod licet sit à jure exorbitans, attamen non percutit substantiam vel essentiam beneficii, neque ejus intrinsecæ naturæ adversatur, utpotè quod non possit cadere sub reservationibus, neque possit conferri nisi per certum Prælatum, & certo generi personarum; Et tunc receptum est illam valere juxta auctoritates de quibus *disc. 6. de benef. nu. 10. & supra disc. 65. nu. 40.* & alibi; Aut vero, est talis quod percutit substantiam, sive destruit naturam beneficii, aut alias contineat rem turpem, & illicitam, & secus juxta *dictam dec. 10. de testam. cum concord.* apud Gonzal. *dicta gl. 5. nu. 42. & 43.* & Tondut. *dicto cap. 5.* adinstar eorum quæ habentur *disc. 45. de Testam.* de præcepto testatoris, quod Episcopus vel tribunal Fabricæ non possit se ingerere in legato pio cum similibus.

Punctus verò ad rem esse videtur in applicatione, an scilicet ista lex, ut esset in libera facultate patroni non præsentare pro quocumque tempore sibi placito, esset de prima, vel de secunda parte distinctionis; Atque in hoc advertebam erroneum videri procedere cum generalitatibus, & in abstracto, sed potius procedendum esse cum sacra anchora distinctionis casuum; Aut enim agitur de Ecclesia Cathedrali, vel parochiali, aut alias tali quod indigeat sponso, & Rectore ob sibi annexam curam, & administrationem sacramentalem, vel jurisdictionalem, & tunc versari dicamur in posteriori parte; Aut verò de Ecclesia simplici constructa ad solam devotionem, & commoditatem pro sacrorum, & divinorum celebratione adeout stare possit, atque de facto per prius diu steterit sine sponso, & rectore; Et tunc versari dicamur in priori parte, & hic videbatur casus, quoniam prius nullum ista Ecclesia habebat rectorem, quia nullam habebat dotem, nullamque annexam administrationem.

Considerabam an conferrent ea quæ *supra disc. 2.* & in aliis habentur de commendis, & bajulivatibus Religionis S. Stephani cum hac lege ut diu vacare possint sub œconomi administratione, sed revera exemplum non adaptatur, cum ista non sit propriè religio, neque illæ commendæ vera, & propria beneficia ut ibidem; Adhuc tamen à simili conferre videtur.

PISTORIEN. BENEFICII
PRO HONUFRIO PANUTIO.

Responsum pro veritate.

De concursu fœminarum cum masculis in præsentando, & de Curatore dato patrimonio absentis, cujus vita sit incerta, an habeat jus præsentandi.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 An juspatronatus sit familiare vel gentilitium sive hæreditarium, & masculinum.
3 Non potest dici familiare ex eo quod aliquando masculi de familia præsentaverint, & alii neglexerint.
4 An curator datus patrimonio vel hæreditati habeat jus præsentandi.
5 De administratione, & tenuta debita venientibus ab intestato bonorum absentis, cujus incerta sit vita.
6 De concursu præsentationum titularis, & pupilli vel curatoris, & administratoris.
7 Damnantur mores hispaniarum super illis concursibus.
8 An præsentatio facta per curatorem patrimonii decocti prævaleat præsentationi factæ per ipsum principalem decoctum.
9 Quale jus habere dicantur creditores in jurepatronatus competente eorum debitori.

DISC. XCIV.

1 COnsolidato jurepatronatus oratorii SS. Justi, & Luciæ in Tanerede, Philippo, & Bello fratribus de Vergiolesiis, defuncto Tancrede superstitibus aliquibus filiabus, cum Bellus à patria abesset, solus Philippus in duabus vacationibus Rectorem præsentavit, defunctoq; etiam Philippo superstitibus etiam aliquibus filiabus, cum ad istarum, ac filiarum Tancredis instantiam deputatus esset curator bonis dicti Belli absentis per annos 30. & ultra cum incertitudine ejus mortis, vel vitæ, sequuta vacatione beneficii, omnes dd. mulieres concorditer præsentarunt Honufrium earum avunculum, dictus verò Curator præsentavit ejus fratrem; Unde desuper consultus,
2 Respondi quod ubi etiam dictus curator haberet jus præsentandi, quinimò ipsemet Bellus viveret, ac præsentaret, adhuc institutio debita esset Honufrio, quoniam ubi non diceretur ex lege fundationis, vel ex diuturna observantia quod esset juspatronatus præcisè familiare masculinum; Sive esset hæreditarium, ut in dubio præsumitur, sive gentilitium contradistinctum à familiari juxta distinctionem, de qua *suprà disc.* 60. & *in Mediolanen. Prioratus disc.* 76. semper sive dd. mulieres venirent in capita, sive in stirpes, constituerent majorem partem.

Qualitas autem præcisa masculinæ, & familiaris deduci non poterat ex dd. duabus præsentationibus factis per
3 solum Philippum, neglectis filiabus Tancredis; quoniam ubi etiam istæ fuissent in ætate adulta, & perfecta, adhuc ad id inferri non posse dicebam, vel quia vacationem ignoraverint, vel quia non curaverint præsentare, se referentes ad præsentationem factam à patruo per quam hoc jus utpotè individuum, & exercibile à quolibet insolidum, aliis non curantibus conservatur, ut apud Merl. *dec.* 898. *n.* 9. *dec.* 73. *p.* 13. *rec.* & *pluries in præcedentibus*. Clarius verò, & extra omne dubium ex eo quod dd. fœminæ erant in pupillari ætate; Ac proptereà idem Philippus patruus probabiliter esset juxtà juris ordinem earum tutor, vel si iste esset diversus, tamen istius negligentia eis præjudicare non potuit.

Cæterum dicebam quod casus haberet de indubitabili, quoniam quidquid sit de puncto, de quo apud Barbos. *de*
4 *Episc. alleg.* 71. *n.* 7. & 8. Vivian. *de jurepatr. lib.* 4. *c.* 5. *n.* 6. & *lib.* 12. *c.* 9. *n.* 44. an curator iste habeat jus præsentandi ubi etiam opinio affirmativa recipienda esset, quod formiter in hoc responso examinare neglexi utpotè extra sensum, inhærendo commendabili stylo non evagandi in superfluis, id procederet in eo Curatore, qui à lege, vel à Judice datus esset alicui viventi, qui ob decoctionem, vel prodigalitatem, sive aliud impedimentum non valeret proprium patrimonium administrare, vel etiam datus esset hæreditati jacenti in gratiam creditorum vel aliorum, non sint compatroni concurrentes in diversa præsentatione, adeòut si certa diversitas personæ, quàm ipse Curator repræsentat, quasi quo ita per legem, vel per judicem tali curatori datum sit amplum mandatum ad faciendum totum id, quod principalis facere possit, & ne 5
aliàs negligendo exercere illud jus præjudiceretur personæ, vel patrimonio administrato in ejus competentia. Secus autem in hac facti specie, quod ob diuturnam absentiam dicti Belli, ac incertitudinem ejus vitæ vel mortis, ipsemet neptes ex fratribus tanquam proximiores ab intestato venientes potuissent de jure petere sibi decerni tenutam, & administrationem patrimonii, ac bonorum, & jurium tanquam in causam propriam, quatenus sequuta esset mors ut probabilius credendum erat juxta ea, quæ inspe- 6
cie habentur *disc.* 37. *de succeff. ab inteft.* quoniam ita eisdem instantibus deputatus iste curator gerere videtur personam administratoris, & ministri earumdem mulierum, quibus hæc successio debita erat, & per consequens ipse non poterat præsentationi factæ per eas se opponere, vel quod ejus præsentatio prævaleret alteri quam fecerant principales juxta ea, quæ habentur *suprà disc.* 52. super concursu præsentationis factæ per principalem, & per Procuratorem, sive Curatorem minoris, & ipsum minorem, quinimò inter tutorem, & pupillum cum similibus; Ideòque respondi quod casus habere videretur de indubitabili.

In hoc autem proposito curatoris dati patrimonio debitoris adhuc viventis decocti, vel aliàs juxta parum commendabiles mores Hispaniæ dati ipsimet debitori efformanti in 7
ejus bonis concursum, & super quo adeo magnum volumen composuit Salgad. *in labyrint. creditorum*, cum iste usus conjunctus cum altero assignationis alimentorum privilegiatorum ipsi debitori foveat, ac nutriat prodigalitates, & dissipationes; Cadere potest dubium an ipsomet principali adhuc vivente, atque alias quam ratione concursus habili, 8
idoneo ad suorum bonorum, & jurium administrationem, faciente præsentationem medietatis vocum, *non præjudicatur Patronis, & de ratione.*

Episcopus, *vel Prælatus Ecclesiam liberam concedere non potest in patronatum.*

Juspatronatus *ex gratia dicitur non solum ubi est ex puro privilegio, sed etiam ubi ex sola præscriptione, & quando secus.*

De modis acquirendi juspatronatus ex justa ratione fundationis, dotationis & fundi.

Ita concurrentes efficiuntur omnes patroni æqualiter non curato concursu inæquali.

Requiritur tamen consensus Ordinarii, qui potest præcedere, & subsequi.

Ad dictam acquisitionem non est necessaria expressio animi.

An hæres, vel alter fundans ex præcepto testatoris acquirat juspatronatus.

An & quando per restaurationem, vel redotationem Ecclesiæ jam constructæ, & in quo hoc differat à fundatione, vel dotatione ex integro.

Quid ubi juspatronatus est partim ex privilegio, & partim ex causa onerosa, quæ qualitas præponderet.

Quomodo sit regulandus antiquus valor ad effectum dictæ præponderantiæ.

Consensus Ordinarii de quo n. 16. *potest præcedere, & subsequi, & sufficit implicitus, vel præsumptus.*

Non sufficit ille Vicarii Generalis, & quando sufficiat.

An & quale juspatronatus ex fundatione, vel dotatione acquiratur in Ecclesia Regulari.

De modis per quos juspatronatus jam in esse productum, & quæsitum ab alio acquiritur, ac de uno in alium transfertur ex successione, donatione, fideicommisso, legato, & alio titulo particulari; Et quando sit hæreditarium, vel familiare, seu gentilitium vel mixtum.

Juspatronatus jam existens transit ab eo qui jam est patronus in alterum ex titulo universali, vel particulari.

SUM-

SUMMA SIVE COMPENDIUM

Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in hac I. Parte Lib. XIII. de Jurepatronatus.

De introductione Jurispatronatus, & an illud sit ex gratia vel justitia, ad effectum præsertim potestatis illi in genere, vel in specie derogandi.

SUMMARIUM.

1 AN vocabulum Juspatronatus Ecclesiasticis mutuatum à jurepatronatus prophano libertorum.
2 De legum civilium historia & inventione.
3 Quod juspatronatus Ecclesiasticum non benè reguletur, cum altero prophano.
4 Quomodo introductus sit usus jurispatronatus Ecclesiastici ex fundatione, vel dotatione.
5 Id quod conceditur ex gratia revocari, vel moderari potest præsertim ex causa.
6 Quod Princeps possit derogare, vel dispensare testamentis, & ultimis voluntatibus.
7 De casibus in quibus Papa solet derogare juspatronatus & de ratione ob in quam derogat in casu vacationis in Curia.
8 Juripatronatus ecclesiastico passim derogatur, imò censetur derogatum sine necessitate, & de ratione.
9 Idem de jurepatronatus ex privilegio, vel præscriptione.
10 Jurispatronatus laicali ex fundatione, vel dotatione non solet derogari nisi ex causa, neque censetur derogatum, & quando soleat.
11 Per derogationem medietatis vocum, non præjudicatur Patronis, & de ratione.
12 Episcopus, vel Prælatus Ecclesiam liberam concedere non potest in patronatum.
13 Juspatronatus ex gratia dicitur non solum ubi est ex puro privilegio, sed etiam ubi ex sola præscriptione, & quando secus.
14 De modis acquirendi juspatronatus ex justa ratione fundationis, dotationis & fundi.
15 Ita concurrentes efficiuntur omnes patroni æqualiter non curato concursu inæquali.
16 Requiritur tamen consensus Ordinarii, qui potest præcedere, & subsequi.
17 Ad dictam acquisitionem non est necessaria expressio animi.
18 An hæres, vel alter fundans ex præcepto testatoris acquirat juspatronatus.
19 An & quando per restaurationem, vel redotationem Ecclesiæ jam constructæ, & in quo hoc differat à fundatione, vel dotatione ex integro.
20 Quid ubi juspatronatus est partim ex privilegio, & partim ex causa onerosa, quæ qualitas præponderet.
21 Quomodo sit regulandus antiquus valor ad effectum dictæ præponderantiæ.
22 Consensus Ordinarii de quo n. 16. potest præcedere, & subsequi, & sufficit implicitus, vel præsumptus.
23 Non sufficit ille Vicarii Generalis, & quando sufficiat.
24 An & quale juspatronatus ex fundatione, vel dotatione acquiratur in Ecclesia Regulari.
25 Juspatronatus jam existens transit ab eo qui jam est patronus in alterum ex titulo universali, vel particulari.
26 Juspatronatus regulariter est hæreditarium, & transit cum hæreditate.
27 An transeat in fideicommissarium, ac veniat in restitutione fideicommissi.
28 An requiratur consensus Ordinarii, ut veniat sub fideicommisso.
29 Gentilitium & familiare, an importet idem, vel quid diversum.
30 Quod discernatur, an sit hæreditarium, vel familiare, seu gentilitium, & de adminiculis.
31 Vocata familia, quæ veniant? an etiam cognati, & quatenus sint vocati etiam agnati, an veniant illi de familia etiam contentiva.
32 In familiari, vel gentilitio defecta familia, vel genere non cessat juspatronatus, sed transit ad hæredes.
33 An patronus possit ex intervallo mutare naturam juspatronatus, & de hæreditario facere gentilitium, vel è contra.
34 De modo computandi voces remissivè.
35 De jurepatronatus mixto, & quæ hæreditaria qualitas desideretur.
36 Jus nominandi, vel præsentandi relictum executori testamentario, an sit personale, vel transeat ad ejus hæredes.
37 An juspatronatus veniat in contractu emptionis, & venditionis, seu aliàs correspectivè, quomodo, & quando.
38 Ecclesiæ vel compatrono, sine consensu Ordinarii juspatronatus licitè donatur, seu legatur.
39 In extraneum, sine consensu Ordinarii, cum dictis titulis transferri non potest.
40 Consensus potest præcedere vel subsequi, ac etiam sufficit præsumptus.
41 Non præstatur per Vicarium Generalem, & quando secus.
42 An ex successione transeat in illegitimos.
43 An & quando transeat in fiscum distinguitur.
44 De præscriptione.

Quando juspatronatus dicatur ecclesiasticum, laicale vel mixtum, & de effectibus exindè resultantibus.

45 An & quando juspatronatus fundatum per personam ecclesiasticam, sit ecclesiasticum, vel laicale, distinguitur.
46 Est ecclesiasticum illud, quod possidetur ab ecclesiasticis licèt fundatum de bonis laicalibus, nisi ex lege fundationis aliter cautum sit.
47 De mixto partim scilicet ecclesiastico, & partim laicali, de qua qualitate magis participet, ac judicandum sit.
48 Quid ubi exercitium est penes ecclesiasticos tantum.
49 Quando juspatronatus est fundatum partim de bonis laicalibus, & partim ecclesiasticis, de qua qualitate participet.

De probatione jurispatronatus privatorum ad formam juris communis absque eo, quod intret forma S.C.T.

50 In privatis Concilium nil innovavit, minusque in Potentibus, ubi habetur titulus explicitus fundationis.
51 In privatis immemorabilis, vel centenaria sufficit ad probationem tituli fundationis, vel dotationis, & quando secus.
52 Immemorabili, vel centenaria æquipollet quadragenaria, cum titulo colorato, vel cum fama, seu adminiculis.
53 Quæ regulæ tenenda sit in pondere adminiculorum.
54 Recensentur plura adminicula.

55 *Quando agitur de jurepatronatus incidenter minor probatio sufficit.*
56 *Quæ interrumpant centenariam, vel immemorabilem, & quæ non.*

De rigorosa forma probationis inducta per S. C. T. in jurepatronatus Potentium.

Antiqua specie jurispatronatus hæc forma inducta est, & de ratione.
58 *Qualis sit forma inducta in potentibus.*
59 *Testes Vassalli, an admittantur ad probationem immemorabilis.*
60 *Immemorabilis probatur etiam per scripturas.*
61 *An centenaria in hoc æquivaleat immemorabili.*
62 *An præsentationes effectum sortitæ possint probari per testes, vel requiratur scriptura.*
63 *Sufficit tamen scriptura privata.*
64 *An requirantur plures præsentationes, vel sufficiat una effectum sortita per 50. annos.*
65 *An effectuativa probari possit per testes.*
66 *An media præsumantur probatis extremis.*
67 *An tempus centenarium, & 50. annorum præsentationum debeat esse duplicatum.*
68 *Non sufficit, quod præsentationes enuncientur in institutionibus.*
69 *An titulus explicitus fundationis, vel dotationis in potentibus probari possit per scripturam.*
70 *De materia causæ, vel probationis universalis, an probatio in aliquibus beneficiis suffragetur quoad omnia.*
71 *An sententia canonizatoria sine actis attendatur si est antiqua.*
72 *Barones, & possidentes castra, & loca cum jurisdictione sunt personæ potentes.*
73 *An Duces, & Principes veniant sub hac forma, vel sub exceptione.*
74 *Si jurispatronatus origine est privatum, tale reputatur apud potentem, & è contra, & quando in privato dicatur purgata macula.*
75 *Personæ ecclesiasticæ habentes jurisdictionem temporalem non dicuntur potentes.*
76 *An & quando universitates sint personæ potentes.*
77 *Quid de universitatibus Ecclesiasticis.*
78 *Forma rigorosa non procedit etiam in potentibus, ubi agitur de solo jure honorifico non autem præsentandi, vel ubi incidenter.*

De possessione jurispatronatus, ac præsentandi quomodo acquirat, ac probetur, & de effectibus ex illa resultantibus.

79 *De effectibus ad quos de possessione quæri solet.*
80 *Patronus admittens non patronum ad præsentandum illum constituit in quasi possessione, & quomodo.*
81 *Potest tamen Ordinarius non admittere, & quod potius interfit admittere.*
82 *De requisitis ad legitimam possessionem, & de differentia, ubi agatur de solo prædicto admittentis, & aliorum non admittentium, vel Ordinarii.*
83 *De concursu possessoris & petitoris ad materiam* text. in cap. consultationibus de jurepatronatus.
84 *Possessio non transmittitur ad hæredem, & non suffragantur statuta laicalia de continuanda possessione.*
85 *Transfertur, ubi est ratione dignitatis, vel officii.*
86 *Item per actum inter vivos, vel per clausulam constituti in ultima voluntate.*
87 *Possessio suffragatur successori ad effectum descendentiæ.*
88 *De actibus æquipollentibus præsentationi, & de actibus honorificis, an per eos acquiratur possessio.*
89 *Conservatur possessio per præsentationem compatroni, & quando hæc præjudicet.*

De alio concursu privativo plurium ex eodem jure, sed diverso titulo præsentantium, quænam præsentatio attendi, ac prævalere debeat.

90 *In concursu præsentationum factarum à viro, & uxore qualis attendi, ac prævalere debeat, distinguitur.*
91 *Quid in concursu tutoris, & pupilli.*
92 *Et de concursu procuratoris & principalis, & an dari possit mandatum irrevocabile.*

De concursu cumulativo plurium compatronorum, & de vocum dinumeratione ad majorem partem concludendam.

93 *Quomodo voces præsentantium numerari debeant ad majorem partem concludendam, distinguuntur plures casus, ubi jus præsentandi competit pluribus uti singulis, non autem collegialiter.*
94 *Quando competit uti singulis fiunt præsentatione diversis locis & temporibus, & non oportet vocare absentes.*
95 *Computantur solùm illi qui præsentant, atque major pars dicitur comparatione minoris non autem omnium.*
96 *Secus ubi fiat collegialiter, & tunc absentes sunt vocandi, & quando.*
97 *Quid ubi sint plura Collegia, vel plures Universitates.*
98 *Si jus præsentandi competit natu majori, an attendatur major natu in ætate, & naturaliter, vel major in linea.*

De requisitis ad validam præsentationem obligatoriam Superioris tam circa tempus, quàm circa modum, ac circa personam coram quo facienda est, & qualitates personæ præsentandæ, Et qua occasione agitur de jurepatronatus passivo.

99 *Valida præsentatione obligat Superiorem ad instituendum, aliàs potest appellari.*
100 *Infra quantum tempus præsentatio facienda sit.*
101 *A quo tempore currat, an à die vacationis, vel à die scientiæ.*
102 *Suffragantur justa impedimenta, etiam illud litis & quomodo.*
103 *Quid in prima fundatione.*
104 *An infantes, vel pupilli impediant lapsum tempori.*
105 *Quomodo fieri debeat præsentatio, & an in forma judicii, vel per scripturam.*
106 *An simultaneè, vel disjunctivè.*
107 *De conditionibus, quæ in præsentatione adiici possunt, præsertim circa reservationem pensionis.*
108 *Sub quo Superiore fieri debeat, & an coram Vicario Generali vel Capitulo Sede vacante.*
109 *An possit inhabilis sub conditione habilitatis, & pro quando erit habilis.*
110 *De jurepatronatus passivo, ac necessaria præsentatione certi generis personarum.*
111 *Accumulatio datur patronis laicis, & qualis, non autem ecclesiasticis.*
112 *Præsentatio fieri debet de præsente, & an fiat de absente.*
113 *Fieri non potest ad beneficium vacaturum.*
114 *Non potest fieri de seipso, & an possit supplicare.*
115 *Ad materiam beneficii litigiosi, quod impediat facultatem præsentandi.*
116 *Potest Ordinarius præsentatione quamvis defectivam remittere, & quando non.*

De attentatis ratione ordinis judiciarii in hac materia cadentibus.

117 *Lite pendente in Rota super beneficio non potest alibi tractari, & cessant alii executores.*
118 *An præsentatio sit actus judicialis, vel extrajudicialis, & quando appellatio suspendat, & intrent attentata.*
119 *Quid ubi adest Apostolica provisio, cum derogatione medietatis vocum, & de materia legitimi contradictoris.*

De provisionibus beneficiorum de jurepatronatus absque istius mentione respectivè, sive cum ista quando valeat necnè; Et generaliter de jurispatronatus revocationibus, & derogationibus generalibus, vel specialibus.

120 *Provisiones factæ per Ordinarium, vel alium inferiorem de beneficiis jurispatronatus spretis patronis sunt invalidæ.*
121 *Jurispatronatus ecclesiasticum, ac etiam laicale ex privilegio, vel consuetudine cadit sub reservationibus Apostolicis, eique derogatur etiam tacitè præterquam si sit Regium.*
122 *Laicale autem ex fundatione, vel dotatione generaliter non cadit.*
123 *Quid de specialibus provisionibus, vel resignationibus, aut permutationibus non facta mentione, vel derogatione jurispatronatus.*
124 *Potest Papa huic etiam derogare, & ex gratia.*

125 *Quid in jurepatronatus mixto, ideſt partim Ecclesiastico, & partim laicali, vel ubi est partim ex privilegio, & partim ex causa onerosa.*
126 *Invalida est provisio de jurepatronatus, quatenus patronus contradicat.*
127 *Quid de pensionibus quæ reservantur.*
128 *De Constitutionibus revocatoriis* Innocentii VIII. & Hadriani VI. *& de revocatione Conc. Trid.*

De legibus, & conditionibus per fundatorem, vel alium possessorem in limine, vel ex intervallo adjectis, an & quæ valeant, vel adjectæ revocari, seu alterari possint.

129 *Leges, & conditiones Ecclesiæ, vel Superieri præjudiciales, seu contra jus apponi possunt in limine cum consensu Ordinarii, non autem ex intervallo, & de diversis legibus.*
130 *An patronus possit beneficium perpetuum facere manuale.*
131 *Quid de legibus alterativis in præjudicium successorum.*

De amissione, vel cessatione jurispatronatus.

132 *De amissione per alienationem.*
133 *De alia per præscriptionem.*
134 *Quando amittatur per delictum, & quando transeat in fiscum.*
135 *Amittatur per alienationem simoniacam, vel per occupationem bonorum, vel fructuum appropriationem.*
136 *Per mutationem status Ecclesiæ non admittitur jurispatronatus, & si fiat Cathedralis, vel Collegiata, qualem habeat patronum.*

De juribus honorificis patrono competentibus.

137 *Rubrica est loco summarii, & de materia.*
138 *De jure nominandi in Cathedralibus, Metropolitanis non agitur, & de ratione.*

PROOEMIALIA.

Super origine, vel introductione jurispatronatus, & an illud sit ex gratia, vel justitia ad effectum præsertim potestatis illi in genere, vel in specie derogandi.

1 IN decisam utpotè foro parum proficuam relinquendo quæstionem, An jus Canonicum istud jurispatronatus Ecclesiastici vocabulum mutaverit ab antiquo prophano libertorum jurepatronatus, quod apud Romanorum leges civiles habetur; Qui enim res metitur ex tempore quo gestæ sunt, indubiè hanc mutuationem credet, cum dictæ leges civiles ante canones, ac jurispatronatus Ecclesiastici introductionem prodierint; Contrarium verò dicendum erit si reflectatur ad legalem historiam docentem dictas leges præsertim in Italia, ubi ob Sedis Apostolicæ residentiam canonum usus initium habuit, jam oblitas esse, atque per plura sæcula in obscuro fuisse, inventionem autem, ac successivè usum fuisse de recenti,
2 atque post hanc introductionem. *a*

Nulla enim ratio subesse videtur, cur illud vocabulum, quod conditores legis civilis adhibuerunt super eo jure, quod patrono erga libertum remanet, adhibere non potuerint canonum conditores ex linguæ latinæ professoribus, quorum usus & notitia habebatur, magis quàm ex legibus mutuantes. Id autem neque omninò extraneum, vel inutile est ponderare, ad dignoscendum scilicet com-
3 mendabilem non videri aliquorum scribentium sensum, præsertim verò legistarum, quamvis antiquorum, quos in parentes, ac primos magistros agnoscimus, regulandi hanc materiam ecclesiasticam, ac spiritualem cum dictis prophanis terminis jurispatronatus libertorum, seu cum eo Sepulchrorum jure, quod apud Ethnicos usu receptum erat, ob longè imparem rationem inter unum casum, & alterum, quod præsertim ponderari solet in proposito quæstionis, de qua infra in suo loco super jurispatronatus comprehensione sub fideicommissaria dispositione. *b*

Attento autem primitivæ Ecclesiæ usu, fundatio, vel dotatio Ecclesiarum, seu præbendarum, vel datio territorii pro fundatione, istius juris acquisitionem non producebat, cum totum tunc fieret ex solo impulsu pietatis, ac amore Religionis pro ejus propagatione, & conservatione; Paulatim verò charitate frigescente, ex prudenti consilio Ecclesiæ ad alliciendos fideles ad Ecclesias fundandas, ac dotandas, tanquam per viam gra- 4
tiæ, & privilegii, introduxit illa prius jurispatronatus honorifici tanquam per solam speciem protectionis, quæ aliàs sub Advocationis vocabulo explicari solebat, postmodum verò etiam jus præsentandi, quod hodie melior, ac major jurispatronatus fructus reputatur, & super quo magis quàm super reliquis effectibus, ac præeminentiis forenses controversiæ circumferri solent.

Hinc resultat manifesta oblocutio ignari vulgi, aliorumque has materias non benè callentium, utpotè in so- 5
la grammaticæ, seu politioris litteraturæ eruditione vim constituentium, super potestate Papæ derogandi jurispatronatus, atque ista beneficia pro libito providendi quando si placeat, vel oportunum videatur, quoniam si illud non competit de jure divino, vel naturali, seu gentium, sed ex mera gratia & privilegio, nulla subest ratio, cur qui ex benignitate gratiosè concessit, quandoque tollere, vel moderari non valeat. *c*

Si enim juxtà opinionem in foro magis receptam, licitum redditur Supremo Principi sæculari potestatem 6
habenti derogandi, vel dispensandi legi positivæ, quoties Ecclesiæ vel piæ causæ ratio, potestatis defectum non inducat, derogandi, vel dispensandi supremis defunctorum voluntatibus, ac legibus, ex ea ratione quod facultas disponendi de bonis post mortem tanquam in tempore inhabili quo mortuus jam annihilatus est, neque amplius illorum dominium habet, proveniat à gratia, & benignitate legis positivæ cui Princeps derogare potest. *d*

Multò magis id facere potest supremus Princeps Ecclesiasticus, cujus absque dubio major est potestas commutandi supremas defunctorum voluntates, vel eis derogandi præsertim verò contra hæc jura spiritualia non competentia ex privatis dispositionibus, vel contractibus, neque sub eis absque Ecclesiæ assensu cadentibus, unde duplex adesse dicitur gratia.

Potissimè verò ob hujus potestatis nimium rarum, ac circumspectum usum in solo casu vacationis per obitum 7
in Curia, seu apud sedem, ex eo congruentiæ motivo, ut indecorum videatur, Pontificiam majestatem privati patroni voluntati subjacere debere in iis, quæ ab ipsusmet Pontificis gratia privatus obtinet, quamvis cum Regibus ac Principibus jura Regni habentibus, non tamen (quamvis possit) solet hanc potestatem exercere.

In aliis verò casibus in quibus hæc derogatio in frequentiori usu est, nulla dignosci videtur exorbitantia, Ubi etenim agitur de jurepatronatus Ecclesiastico, quod sive competat jure speciali, sive etiam jure communi, 8
cadit sub Apostolicis reservationibus, ac affectionibus generalibus, & cui etiam per specialem provisionem derogatum censetur quamvis nulla ejus mentio fiat, Papa utitur jure suo, ac nemini præjudicat; Cum enim ex veriori, atque in foro recepta opinione Canonistarum sit omnium bonorum, ac jurium ecclesiasticorum supremus moderator, & arbiter, cujus vice inferiores Prælati, aliæque ecclesiasticæ personæ talia jura exercent, Hinc proindè conquerri non potest minister, quod dominus faciat per se ipsum id quod aliàs ministro commissum est.

Idemque in eo laicali jure jurepatronatus, quod jure speciali privilegii, vel consuetudinis, aut præscriptionis competit, quoties præscriptio non est talis, quod titulus 9
veræ fundationis allegari valeat (qualis est immemorabilis) quoniam cum tunc totum referatur puræ gratiæ non autem justitiæ, pariter ad concedentis gratiam arbitrium non est restringendum eam revocandi, vel moderandi, potissimè quia in hac specie acquisitionis aliquod usurpationis, vel gratiæ & consultivæ nominationis initium frequentius adesse dignoscitur.

Ubi autem agatur de patronatu laicali competente de 10
jure communi, quod de justitia, ad differentiam competentis ex privilegio dici solet, ex causa scilicet fundationis, vel dotationis, tunc excepto dicto singulari, ac rarò contingibili casu vacationis apud sedem aliquam peculiarem rationem, ut supra habente, Papa profitetur illud conservare, dum non comprehendit sub ejus Cancellariæ regulis, aliisque generalibus reservationibus, ac affectionibus, excepta illa litigiosi ut infra, minusque sub specialibus provisionibus absque ejus mentione, ac speciali derogatione rarò sequi solita sine justa causa, quæ antiquitus

tus forsan esse solebat illa providendi aliquem ex ipsis compatronis ut extraneis præferatur qui ab aliis præsententur, quod tamen moderno tempore in usu non est.

In casu autem permutationis, ac etiam resignationis ad favorem solebat, quandoque in totum derogari, quod neque præjudicium considerabile habenti jus præsentandi causare videbatur, ob incertitudinem, an ex unius, vel alterius persona casus vacationis, ac novæ præsentationis contingere deberet, adhuc tamen moderno tempore non conceditur etiam istis casibus nisi derogatio pro medietate; Super his autem utpote pendentibus à voluntate, secus de stylo Pontificis ejusque Datarii pro tempore, certa & determinata regula non datur.

Ubi verò possessori conceditur dispensatio retinendi beneficium non obstante vacatione, quæ alias contingere deberet per mutationem status incompatibilis puta Episcopalis, vel Regularis, præsertim in aliqua regulari militia, cujus professores more sæcularium de facto extra claustra vivunt, sive ob assequutionem alterius beneficii incompatibilis, non est conferre, vel providere, neque tollere patrono jus præsentandi, sed solum occurrere principio vacationis, ne illa sequatur tanquam per remotionem obstaculi decernendo, ut non sequatur vacatio, unde propterea dispensatus assequi, vel obtinere non dicitur ex novo jure, sed retinere, seu continuare jure primævo, neque patronus conqueri potest, quod continuet ille cujus persona per eum jam probata est, minusque Papa, vel alter Superior dispensandi facultatem habens se ingerere dicitur in ipso beneficio retinendo, sed potius in altero novo statu incompatibili, quem ita modificat, ejusque consuetam naturam alterat. *f*

Et si qui alii contingunt quamvis nimium rari casus derogationis, justam habent causam, puta expellendi intrusum, qui aliàs non de facili expelli posset, sive provisionaliter ad tollendas lites, & scandala, seu scandalorum occasionem inter contendentes de pertinentia juris præsentandi, vel nominandi cum similibus. *g*

Illa verò frequens, & quotidiana species derogationis quæ conceditur actu, vel habitu, seu spe habenti medietatem vocum, super altera medietate, & quatenus id verificetur, & non alias, cum sine tali justificatione
11 gratia remaneat inutilis, ac si facta non esset, verè derogationem patronis præjudicialem continere non dicitur, neque eorum jus tollere, quoniam si quod continet præjudicium, illud solum est Ordinarii, vel alterius, cui jus instituendi, vel respectivè conferendi competit, ita eum præveniendo in ea gratificandi, seu alias conferendi facultate, quam hic haberet, dum data plurium coæquali præsentatione, nulla dicitur concluſa, quæ Superioris arctativa sit ad instituendum, ideòque tali casu patroni eorum discordantiæ totum referant, sibique imputent, cur concordes non fuerint ad concludendam præsentationem pro majori parte. *h*

a *lib.4.de servit disc.*1.b *disc.*19.*& disc.*39.*ac etiam dis.*56.
c *hoc tit. disc.*65.*& lib.2.de Regal disc.* 148.
d *d.disc.*148.*de Regal.disc.*1.*de testam. & de fideicom. disc.* 141.*& sub tit. de feud. disc.* 14.*& in aliis.*
e *infrà in rubrica derogationum*, *& provisionum*, *& disc.* 65.*& seq.*
f *eod.disc.*15.*& seqq.* g *ibid.* h *eod.disc.*65.*& seq.*

De modis, per quos juspatronatus adhuc in esse non Productum effornatur, & acquiritur.

AD duplicem generalem speciem restringitur juspatronatus nova efformatio, & acquisitio; Primò scilicet ad illam, quæ dicitur de jure speciali; Et secundò ad alteram, quæ dicitur de jure communi.

Prima species verificatur in eo jurepatronatus, quod
12 concedatur ex privilegio Sedis Apostolicæ, seu alterius, cui eadem Sedes talem facultatem communicaverit, non verificatur autem hæc species in Ordinariis locorum, aliisque Prælatis, quoniam istis denegatur facultas cessante justa causa, ob quam ut infra, juspatronatus de jure communi acquiritur, & competit faciendi servam Ecclesiam liberam ejusque juspatronatus concedendi. *i*

Istaque species exemplificatur etiam in eo jurepatrona-
13 tus, quod ex consuetudine, vel præscriptione acquisitum prætendatur, quoniam ubi non sit præscriptio inimemorabilis bene probata, cum exclusione præsertim initii infecti incompatibilis, unde propterea cesset illa facultas quæ data immemorabili competit allegandi meliorem titulum fundationis, vel dotationis, semper dicitur juspatronatus ex jure speciali magis, quam communi, sive, ut alii dicunt, potiùs gratiæ, quàm justitiæ.

Juxta verò alteram speciem acquisitionis de jure communi, tres sunt modi, qui etiam disjunctivè, vel discretivè, ac singulariter ad hujusmodi acquisitionem sufficiunt; Primò scilicet ex fundatione, seu constructione Ecclesiæ, vel cappellæ, Secundò ex dotatione ex integro; Et ter- 14
tiò ex dotatione fundi, seu soli pro dicta constructione facienda, unde propterea, si plures diversis respectibus ut supra in idem opus concurrant, quia nempè unus construat, alter dotet, & alter det fundum, omnes efficiuntur æqualiter patroni jure communionis, non attento inequalis concursu, quoniam stante juris individuitate, ille 15
qui plus erogat, sibi præjudicare dicitur, atque consensum accommodare, ut sibi æqualis socius fiat ille qui minus erogat; Denegato de consuetudine hoc jure ipsimet Ecclesiæ alicui privato, solum vel situm concedenti pro constructione cappellæ, vel altaris, quoniam non per hoc efficitur compatrona, nisi alias caveatur.

Ad hunc autem effectum, omninò necessarius est consensus Ordinarii, vel alterius Superioris ad id potestatem 16
habentis, quo accedente dicta acquisitio resultat, quamvis nulla fiat expressio animi, sed voluntatis acquirendi juspatronatus, nisi expressa, vel conjecturalis diversa voluntas accedat non acquirendi, vel acquirendi limitatè. *m*

Cadente quæstione in eo qui non ex ejus libero impul- 17
su; ac voluntate, sed in alienæ voluntatis exequutionem dictum opus faciat, an scilicet exinde patronatum acquirat, quod decisionem recipit à distinctione, an sit purus exequutor non habilis ad præsentandam personam demandantis, vel sit ejus hæres & successor, qui personam defuncti repræsentet, ut primo casu non acquirat, 18
secus autem in secundò; nisi ita coactè, ac invitus opus impleat, ut pro facti qualitate tali beneficio indignus reputari mereatur. *n*

Procedunt hæc, ubi agatur de nova constructione, vel respectivè dotatione ex integro Ecclesiæ non constructæ, vel non dotatæ; Ubi verò agatur de Ecclesia jam constructa, quæ ruinam passa sit, vel nisi reparetur collapsura esset, sive ad alias dotata, sed depauperata, unde propterea quis restauret, vel redolet, dubitari solet an per unum, vel alterum actum acquiratur juspatronatus de jure communi, seu de justitia; Atque præ- 19
supposito tanquam necessario antecedenti consensu Ordinarii, vel alterius Superioris ad id potestatem habentis, si enim necessarius est in præcedenti casu, in quo actus fiat ex integro, multo magis in præsenti in quo duo copulativè concurrere debent; Primò scilicet expressio animi, seu voluntatis id faciendi ad effectum dictæ acquisitionis, cum aliàs actus charitati, ac motivo benefaciendi deterendus veniat; Et secundò, ut Ecclesiæ præcisa necessitas ita exigat, quia nempè omnimodam ruinam passa sit, vel eam minetur ita & taliter, quod refecta nova indigeat consecratione; non autem ubi in suo statu, vel genere valida, & perfecta, ad majorem, vel pulchriorem structuram reducatur, seu aliàs ornetur; Et quoad dotationem, ut amissa priori dote omninò indotata sit, seu ita ejus dotis conditione deteriori effecta, quod pro indotata reputetur ad effectum ejus cultus aliàs deferendi, quia ministri cum ea substentari non valeant; Cum enim Ordinario, ut supra denegetur potestas Ecclesiam liberam faciendi servam, cum id judicetur species alienationis, hinc proindè ut ista validè fiat, juxta causa necessitatis desideratur, dictisque requisitis non concurrentibus, ille qui restaurabit, vel dotis augmentum præbebit, benefactor non autem patronus dicendus erit. *o*

Datur etiam species mixta, partim scilicet de jure speciali, seu ex gratia, partim verò de jure communi seu ex 20 21
justitia, ubi scilicet agatur de jurepatronatus concesso per privilegium Sedis Apostolicæ, vel alterius ab eadem Sede hanc potestatem habentis ex causa tamen onerosa restaurationis, vel augmenti dotis, quo species mista dicitur, unde propterea ad plures effectus illum præsertim supra insinuatum, ac etiam infra subjectionis Apostolicis reservationibus, ac affectionibus, seu etiam derogationibus generalibus, vel specialibus, de qua specie magis participet.

Receptum verò est actionem fieri à præponderanti; Si enim dotis augmentum præponderat, quia nempè antiquam dotem excedat, totum refertur justitiæ seu causæ onerosæ, ideòque dicitur ex dotatione, idemque in casu restaurationis; E'converso autem si augmentum est minus

minus totum refertur gratiæ, ac dicitur juspatronatus ex privilegio, seu jure speciali; Ubi verò concurrat æqualitas, quia scilicet augmentum sit coæquale antiquæ doti, tunc pars, quæ patrono seu redotanti favorabilior est præponderat, ideòque pariter dicitur ex justitia seu causa onerosa, & de jure communi. *p*

Cadente, quæstione super antiquæ dotis valore regulando, ad effectum dignoscendi dictam præponderantiam, an scilicet habenda sit ratio distributionum quotidianarum
21 incertorum emolumentorum, quæ ratione personalis laboris Ecclesiæ rectori, vel ministris competant; Et quamvis in hoc nimia variatio inter scribentes dignosci videatur, verius tamen est id pendere ex facti qualitate, ac incertitudinis natura vel specie; Si enim emolumenta omninò incerta sint, à merè voluntaria populi devotione, seu elargitione provenientia, & principaliter intuitu laboris personalis ministrorum potius quàm ratione ipsius Ecclesiæ, tunc ista non veniant in valore, ut esse solent illa emolumenta, quæ pro regionis consuetudine tradi solent clericis ex voluntate, ac pro libito partium invitatis ad funera & anniversaria, seu alias solemnitates, in quibus nullum interveniendi jus habeant; Secus autem si emolumenta proveniant à fructibus bonorum, vel jurium Ecclesiæ, seu etiam ab eleemosynis & oblationibus, quæ ipsi Ecclesiæ fiant, Rectori autem, aliisque Beneficiatis, ac ministris dentur ad formam distributionum quotidianarum ratione melioris cultus, & servitii Ecclesiæ, atque ad istius ratam seu proportionem; Vel agatur de illis funerum seu anniversariorum, aliarumque solemnitatum, & functionum emolumentis, quæ magis necessaria quàm voluntaria sint, & ad quæ Rector vel Beneficiati, seu ministri ex ipsius Ecclesiæ prærogativa, vel jurisdictione inviti tur, ac jus interveniendi habeant, quoniam hæc inter Ecclesiæ dotes omninò computanda videntur, dum ita impletur finis seu effectus, ob quem Ecclesia libera servituti tradenda non est, quod scilicet cum his emolumentis, sive certis sive incertis Beneficiatos, seu Ministros ac servientes habeat, qui ejus cultui operam dantes congruè substentari valeant, ita claro æquivoco laborantibus illis, qui valoris materiam ad hunc effectum regulare volunt; Cum beneficiali regula de valore pro solutione annatæ, sive pro necessitate expressionis ad ejusdem regulæ normam, ob nimis longam differentiam inter unum casum, & alterum. *q*

Ordinarii verò vel alterius superioris consensus, ut supra requisitus, præcedere, ac subsequi potest, ideoque
22 nulla subest necessitas, ut in ipso constructionis, vel dotationis actu interveniat, quinimo etiam post fundatoris mortem accedere potest, dum mortui successor non potest actum retractare, ideòque nullus ejus novus consensus ad dicti actus revalidationem est necessarius.

Neque opus est, ut de illo expresè constet, quoniam etiam tacitus, ac virtualis seu implicitus sufficit, qui deducatur ab admissione præsentationum, ac subsequutis institutionibus, & admisso exercitio aliorum actuum patronalium; Prout etiam sufficit præsumptus deductus à longæva observantia, vel adminiculis. *r*

Non tamen sufficit consensus Vicarii Generalis ad id
23 speciale mandatum, seu facultatem non habentis, quamvis Episcopi seu prælati absentia concurrat; De facili tamen istius mandati, seu facultatis præsumptio admittenda est etiam ex levibus adminiculis, ubi præsertim dicta absentiæ circumstantia accedat, dum actus potius utilis Ecclesiæ geri dicitur; Ac etiam ratione præjudicii, quod ex mora posset resultare, dum interim, ille qui habet animum fundandi, vel dotandi mori seu pœnitere posset, ideòque notabilis differentia est circa præsumptam Vicarii Generalis facultatem ad istum effectum, ac alium dotationis seu translationis juspatronatus in extraneum. *s*

In Ecclesia verò Regulari, juspatronatus ex dictis cau-
24 sis non acquiritur ad effectum juris præsentandi, vel nominandi Prælatum absque Apostolico privilegio in limine fundationis, secus autem quoad jura honorifica, aliasque patronales præeminentias, ac etiam pro jure præsentandi in Ecclesiis inferioribus, vel annexis cum sola prohibitio cadat in ipsa Ecclesia Conventuali.

l *disc.* 11. *& 12. & disc.* 55. *& seq.* m *ibidem.*
n *disc.* 14. *ac etiam disc.* 55. o *d. disc.* 55.
p *disc.* 10.*& disc.* 65. *& seqq.* q *eod.disc.*10.*& disc.* 65.
r *disc.* 55. *& seqq.* s *disc. ibidem ut proximè.*
t *eod. disc.* 55.

De modis per quos juspatronatus jam in esse productum; & quæsitum, ab alio acquiratur, atque de uno in alium transferatur, ex successione, donatione, fideicommisso, legato, alioque titulo particulari; Et quando sit hæreditarium, vel familiare, seu gentilitium, vel mixtum.

POstquam juspatronatus per aliquem ex supra recensitis modis in esse productum est; & quæsitum pro ipsomet fundatore, seu altero cui ipse reservasset, tunc 25
nisi de ejus expressa, vel conjecturali voluntate constet faciendi acquisitionem personalem taxativè ad suam, vel alterius personam, qua cessata, Ecclesia remaneat libera, dupliciter illud transferri potest in alterum; Primò scilicet jure successionis univerialis; & secundò ex titulo seu jure particulari, per actum inter vivos, vel etiam per ultimam voluntatem.

Quod primam speciem, Regula est juspatronatus esse 26
hæreditarium, atque cum universa hæreditate transitum facere ad testatos, vel intestatos hæredes universales, patroni personam repræsentantes, sive de illo expresè disponatur, sive non, quoniam reputatur de juribus seu membris hæreditatis, cum cujus universitate venit.

Cadente quæstione, ubi hæreditas jure fideicommissi restituenda sit, an illud veniat sub restitutione, itaut tran- 27
seat ad fideicommissarium, vel potius remaneat penes primum hæredem gravatum, ac in ejus hæreditate; Atque nostri majores Legistæ, regulando hanc materiam cum iis, quæ in jure civili dispositi sunt super jure sepulchrorum, vel super prophano jurepatronatus libertorum verius crediderunt non venire sub restitutione fideicommissi; Et quamvis hæc opinio omni careat probabilitate, attamen quia Rota antiqua eam sequta est hinc in antiquitatis obsequium, Rota & Curia moderna eam quoque statuit pro regula, de facili tamen ex levibus adminiculis & conjecturis limitanda, adeòut quodammodo idealis regula remanere videatur, ex ea nimium probabili ratione, quod qui ad propriam memoriam conservandam, vel ob suæ posterioritatis, aut alterius generis decorem, privata bona, cum aliqua perpetuitate fideicommisso mediante conservare voluit, multò magis conservare voluisse credendum sit hoc jus per quod unus, vel alter finis, vel uterq; obtinetur. *u*

Et quamvis aliqui crediderint pro hujusmodi transitu, vel subjectione fideicommissi requiri consensum Ordina- 28
rii, prorsus tamen erronea est hæc opinio, quoties agatur de fideicommisso universali continente quemdam necessarium succedendi ordinem in hæreditate, cum qua accessoriè & consequutivè juspatronatus transeat, eo modo quo sine dicto consensu, cessante comprehensione sub fideicommisso, in quemcumque extraneum testatum, vel intestatum hæredem transitum faceret, unde propterea nullus dignoscitur defectus potestatis quam dictus consensus supplere debeat, sed totum pendet à voluntate, an ad liberum, vel fideicommissarium hæredem spectare debeat; Cadente solùm dicto defectu in fideicommisso particulari, quod jure legati censetur in prima tamen dispositione, ut infra. *x*

Cessat verò dicta regula super transitu ad hæredem rei familiaris, ex diversa voluntate fundatoris, vel alterius unici possessoris disponentis, ut juspatronatus pertinere debeat ad suam, vel alterius familiam, vel aliud genus personarum, quo casu ad differentiam hæreditarii, (qua- 29
le regulariter censetur,) dicitur familiare seu gentilitium; Licèt enim aliqui hos terminos habeant pro synonymis, eisque promiscuè utantur, verè tamen diversi sunt, quoniam familiare dicitur illud, quod pro una seu pluribus familiis, vel agnationibus reservatum est, exclusis cognatis, gentilitium verò est illud quod pro uno seu pluribus personarum generibus est reservatum, nulla data agnationis, vel cognationis discretione. *y*

Quando autem desuper habetur lex fundationis, quæ dictam gentilitiam, seu familiarem qualitatem regulæ limitativam clarè inducat, omnis quæstio cessat; Ubi 30
verò tenor fundationis non habetur, sive ille ambiguus est, tunc observantiæ nimium defertur pro una, vel altera qualitate imprimenda, cum consueta observantiæ differentia, inter istum casum, in quo interpretativa sit ambiguæ seu incertæ voluntatis fundatoris, & alterum in quo tanquam præscriptiva eamdem aliàs claram voluntatem destruat vel immutet, ut primo casu faciliùs inducatur, neque rigorosa præscriptionis requisita desiderentur, in altero autem verificari debeant præscri-

ptionis requisita circa tempus, ac bonam fidem, Et fortiùs circa actus univocos dictam qualitatem præcisè concludentes.

Quales verò sint hujusmodi actus, seu quæ adminicula id concludant necnè, tanquam in quæstione potius facti, ac voluntatis quam juris, non de facili certa; & determinata regula generalis tradi potest, sed decisio pendet à singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, ex quibus juxta generales ultimarum voluntatum terminos, in uno minora sufficiant, in altero autem eadem, ac majora non.

Inter hujusmodi adminicula, magni fieri solet illud simultanei concursus patris, & fili seu proximiorum, ac remotiorum perverso ordine hæreditariæ successionis, seu quod constet, ut extante hærede rei familiaris, isto neglecto, agnati seu gentiles hæreditariam qualitatem non habentes præsentare aliosque patronales actus exercere consueverint, atque ista dicuntur adminicula univoca, & concludentia, reliqua verò in idem considerari solita, quod scilicet solum agnati, vel descendentes præsentaverint, sive solùm legitimi non autem illegitimi, aut solùm masculi non autem fœminæ cum similibus, æquivoca reputantur, quoniam casus præbere potest, ut illi tantum hæreditatem obtinuerint, ut de jure frequenter contingit in legitimis, in quorum concursu illegitimi non admittuntur, vel in masculis ob frequentia statuta, quæ præsertim in Italia habemur exclusiva fœminarum, quæ etiam frequenter cessantibus statutis, dote provisæ, masculis extantibus, per privatas dispositiones excludi solent, cum id antiquis Romanorum, ac Italiæ moribus nimium adaptatum sit, unde propterea nostrorum majorum simplicitas fuit novissimas Grecorum leges istos mores innovantes recipere, ut in successionum materia advertitur.

Posita qualitate familiari, plures cadere solent quæstiones pariter certam, ac determinatam regulam generalem non recipientes, sed singularem pro facti qualitate, Primò scilicet, sub nomine familiæ, quinam ve-
31 niant, an etiam cognati; Et quatenus veniat ea familia, quæ pro sola agnatione capitur, quænam vocata censeatur, an scilicet si solùm effectiva, vel etiam contentiva; Et regula est pro effectiva, quatenus in dispone nte sit verificabilis, aliàs universa venit contentiva, super qua etiam cadit quæstio, quoties hæc in diversos ramos divisa est; Sive an veniant fœminæ vel illegitimi, vel saltem legitimati, vel servari debeat ordo gradus & proximitatis, vel potiùs omnes indistinctè veniant, cum similibus, de quibus in propria sede, cum ut dictum est, non de facili regula desuper tradi valeat, cum tot sint decisiones, quot sunt casus. *a*

Defecta verò familia seu gente, pro qua jurispatrona-
32 tus reservatio facta est, crediderunt aliqui illud expirare, atque Ecclesiam liberam effici; Contraria verò opinio magis recepta est, ut illud transeat cum hæreditate ultimi de familia, vel gente in ejus hæredes, ac propterea efficiatur hæreditarium, nisi contrarium suadeat diversa voluntas fundatoris, vel illius, qui dictam gentilitiam seu familiarem qualitatem impressit, quæ voluntas à verbis, vel dictionibus taxativis desumi solet. *b*

Dubitatum quoque fuit, an ille qui non esset funda-
33 tor, vel idem ex intervallo semel impressam qualitatem immutare possit, & quoties agitur de hæreditario, commutando in gentilitium vel familiare, extra controversiam est, id fieri posse, quoniam si ad quoscumque extraneos, ac ignotos hæredes, vel eorum successores transmittere poterat, multò magis ad certam familiam, vel gentem ad quam Ecclesiæ potiùs interest illud restringi, secus autem in casu conversò ob jus quæsitum illis de familia, vel gente independenter ex propria persona venientibus, quoties tamen validè, ac perfectè tale jus quæsitum sit, undè remaneat irrevocabile; Super quo scribentes procedentes, cum terminis juris civilis in materiis indifferentibus, plures adhibent distinctiones inter parentes & extraneos, non de facili in hac spirituali materia admittendas, ut in sua sede. *c*

Super modo item succedendi, vel successorum voces
34 computandi, omnium frequentiores in hac materia esse solent quæstiones, de hoc tamen agitur infra super requisitis validæ & obligatoriæ præsentationis concludendæ à majori parte, quomodo scilicet vocum concursus, vel computatio fiat ad istam partem concludendam.

Adest quoque succedendi modus mixtus, quod scilicet jusPatronatus reservatum sit pro personis de certo genere, hæreditariam qualitatem habentibus, quo casu ad effectum successionis, utraque qualitas, sanguinis, ac rei fa- 35
miliaris copulativè necessaria est, adinstar eorum, quæ frequentia habemus in feudali, seu emphyteutica materia.

Utramque tamen qualitatem, juxta veriorem & in Romana Curia receptam opinionem, metimur ex persona fundatoris seu primi disponentis, metiendo solùm proximitatem gradus ex persona ultimi morientis seu possessoris, cujus non tenetur successor esse hæres; Et quatenus juxta alteram opinionem, istius quoque hæreditaria qualitas requiratur, sufficit successori sanguinis per eum non stare, quominus sit etiam hæres rei familiaris; Vel si esset illi suffragaretur inventarii beneficium, ex quo jure suo tanquam præcipuum detrahere potest, id quod ex maioris providentia obvenit; Licèt enim in aliquibus feudis hujusmodi mixtam qualitatem habentibus, ultimis quoque morientis hæreditaria qualitas requiratur, cum onere adimplendi factum defuncti pro integro valore, qui in hæreditate ultimo morientis esse dicitur, attamen id provenit ex jure vel stylo particulari, non autem ex juris communis dispositione. *d*

An autem jus nominandi, vel eligendi relictum executori testamentario sit personale, vel transmissibile ad hæ- 36
redes, Regula est juxta primam partem, limitanda ex disponentis etiam præsumpta & conjecturata voluntate. *e*

Altera species transferendi jurispatronatus de uno in alterum est per titulos particulares, qui tripliciter sequi possunt; Vel scilicet per contractum emptionis & venditionis, seu aliàs oneroſum & correspectivum; Vel per actum gratuitum inter vivos sub donationis vocabulo explicari solitum, aut per alium pariter gratuitum actum in morte sub legati, vel fideicommissi particularis, seu etiam donationis causa mortis vocabulo explicatum.

In prima specie contractus oneroſi, & correspectivi, quoties ille principaliter fiat super ipso jurepatronatus, dari non potest casus validæ translationis, nisi dispenset Apostolica auctoritas, quæ potest, sed non solet id concedere, ob simoniæ laben ita cadentem in concessione juris spiritualis pro re temporali, neque in hoc suffragatur Ordinarii auctoritas, qui desuper dispensandi potestatem non habet; Minuique intrat distinctio inter compatronum & extraneum; Quinimò ex ista specie translationis resultat ipsius jurispatronatus pœnalis amissio, cum Ecclesiæ libertate, quoties agitur de hæreditario, in quo possessoris delictum successoribus præjudicare valeat, secus autem, ubi de gentilitio vel familiari, in quo successores jure proprio independenti veniant.

Si verò idem contractus correspectivus non cadat principaliter, seu specialiter in ipso jurepatronatus, sed super alia re vel Universitate, cui illud annexum sit, puta super hæreditate, vel super feudo vel castro, seu prædio &c. Tunc nisi constet ipsius jurispatronatus rationem in pretio 37
habitam esse, quo casu pariter simoniaca labes, ut supra intrat, receptum est illud venire absque necessitate desiderandi contensum Ordinarii, cum veniat accessoriè & consecutivè ad rem tanquam ejus membrum non attento, quod ejus specialis mentio in contractu habeatur, quoniam non constito, ut supra, quod ejus ratio in pretio habita sit, id actum censetur gratia majoris declarationis, explicando id quod de jure inest. *f*

In aliis autem actibus gratuitis, qui jure donationis, vel legati ut supra fiant; Cum Ecclesia licitè fiunt, neque consensum Ordinarii desiderant; Idemque si cum compa- 38
trono, cum enim jurispatronatus tanquàm individuum penes omnes, ac singulos insolidum residere dicatur, talis actus novum jus non tribuit, neque aliquid de novo transfert, sed solum ita numerum minuit, atque removendo alterius obstaculum, seu concursum, majorem operatur proprii juris consolidationem. *g*

Quatenus verò id sequatur ad favorem extranei, certum fieri non posse sine Ordinarii, vel alterius Superio- 38
ris consensu revalidante, ac informante actum, & sine quo adeò invalidus remanet, quod jus non abdicatur à donante seu disponente, cujus vel ejus hæredis præsentatio, non autem donatarii, vel legatarii admitti, ac prævalere debet; Etsi post primam, quamvis irrevocabilem, ac juratam donationem inter vivos altera fiat, quæ consensum Ordinarii habeat, hæc posterior prævalebit, cum desumendo initium ab acto perficiente, seu revalidante, ista dicatur prima, atque in hac specie dispositionis capienda est opinio desiderantium dictum consensum in fideicommissi

missi ordinatione, ubi scilicet agatur de fideicommisso particulari, quod jure legati censendum est. *h*

Consensus prædictus potest præcedere, & subsequi, absque necessitate, quod sit instantaneus; ac etiam implicitus, vel præsumptus sufficit eo modo quo supra in fundatio-
40 ne dictum est, non tamen sufficit ille Vicarii Generalis speciale mandatum ad id non habentis, non obstante Episcopi absentia, vel majori facultate conferendi beneficia, cum hæc sint argumenta, ex quibus facillius illud præsumatur, non
41 autem quod exinde de jure resultet; Atque Episcopo seu prælato mortuo, vel impedito ista potestas transfertur in Capitulum, vel Officialem ab eo deputatum. *i*

In casu successionis universalis, ut supra, quamvis aliqui dubitaverint, an jurispatronatus transire valeat ad illegitimos, attamen quoties isti sunt capaces principalis successionis recepta est affirmativa, cum ratio dubitandi cadat
42 in patronatu gentilitio, vel familiari, ex eo quod illegitimi, vel eorum descendentes non dicantur de agnatione, vel genere vocato, non autem quod ista qualitas hujusmodi incapacitatem inducat. *l*

In fisco successore quoque dubitari solet, an in eum transeat jurispatronatus, atque distinctio est inter fiscum pœna-
43 lem delinquentis bona publicantem, ac fiscum succedentem decedenti absque testamentario, seu legitimo hærede utpotè in bonis vacantibus; Primo casu licèt non desint contradicentes, magis communis & recepta est sententia exclusiva fisci, in secundo autem reliqua major dignoscitur opinionum diversitas, sed probabilior est illa, quæ contra fiscum concludit, ut Ecclesia libertatem acquirat, solumque in primo casu remanet quæstio inter Ecclesiam de libertate contendentem, ac legitimos delinquentis hæredes, atque ubi non agatur de delicto in ipsam Ecclesiam, verius est pro legitimis hæredibus esse respondendum.

Quatenus verò agatur de jurepatronatus reali seu annexo castris, villis, ac prædiis, quæ uno vel altero modo transeant in fiscum, & tunc pro eo respondendum venit, cum non principaliter, sed accessoriè, cum re in ejus possessorem jurispatronatus transeat. *m*

Adest quoque altera species acquisitionis per præscriptionem, quæ faciliùs circa pertinentiam contra compator-
44 num, difficilius autem circa existentiam contra Ordinarium, vel Ecclesiam datur, sed ob plura requisita difficilè verificabilia, rarus est hujus acquisitionis casus, de quo in sua sede.

u *disc.* 36. & 39. & *disc.* 56. & 60. x *dict. disc.* 19 & 56.
y *disc.* 60. & 61. & *disc.* 22. *cum pluribus seqq.* z *sub tit. de successionibus, ac etiam sub tit. de testamentis.*
a *locis proximè sup. cit. disc.* 37. *de illegitimis.* b *disc.* 35. & *disc.* 60. c *disc.* 16. *cum plur. seqq.* & *dicto disc.* 60.
d *disc.* 22. & *seqq.* & *disc.* 60. e *disc.* 39. f *disc.* 56.
g *dict. ibidem disc.* 56. h *disc.* 19. 56. & 60. i *eisd. disc.* 56. & 19. l *disc.* 37. & 60. m *disc.* 30. & 60.

Quomodo dicatur jurispatronatus laicale, vel Ecclesiasticum, seu mixtum, & de effectibus exinde resultantibus.

Ecclesiastica seu laicalis qualitas derivat à bonis ex quibus fundatio, vel dotatio fiat, sive à personis quibus jurispatronatus reservetur, aut in quas transeat; Ipsius
45 autem fundantis, vel dotantis qualitas in hoc non attenditur nisi quoad præsumptionem, an ex una, vel altera bonorum specie opus factum sit; Si enim persona in ecclesiastico statu, vel dignitate constituta Ecclesiam construat, vel dotet de bonis patrimonialibus, seu aliàs quam Ecclesiæ intuitu quæsitis jurispatronatus erit laicale, cum persona facientis in hoc non attendatur, sed attendantur bona quorum ratione idcirco jurispatronatus fit Ecclesiasticum, quia clericus in iis, quæ Ecclesiæ, vel beneficiorum intuitu acquirit, habet Ecclesiam hæredem, ideòque jure hæreditario ista qualitas resultare videtur, Et consequenter ubi hæc ratio cessat, quia nempè in vim indulti testandi etiam de ecclesiasticis clericus liberè disponat, ad hæredes transmitat id cessat; Prout etiam cessat si in statu valido, sive dum opus perficit pro hæredibus *prophanis* fundator acquirere velle *profiteatur*, cum vivens liberam habeat hujusmodi bonorum dispositionem, unde propterea nimium rara hæc species jurispatronatus ecclesiastici ratione bonorum, quorum respectu aliàs dubitatum fuit, an si originaliter essent laicalia per disponentem destinata in pios usus, qui Apostolica auctoritate communitati fuerint in Ecclesiæ fundationem, vel dotationem, resolutum verò fuit adhuc esse laicale. *n*

Frequentiùs autem ecclesiasticum est ratione personarum illud possidentium, quibus ab initio reservatum fuerit, seu in quas ex successione, vel alio titulo, deinde à 46
laicis translatum sit, intelligendo tamen de illis personis ecclesiasticis, quæ tales existant ratione officii, vel dignitatis cui jurispatronatus competat, non autem si possessio obtinens jurispatronatus jure privato, ac laicali, accidentaliter in statu clericali reperiatur.

Datur verò tertia species quæ mixta dicitur, ubi scilicet, vel ex reservatione ab initio, vel ex accidentali transitu, jurispatronatus in parte possideatur per laicos, & in parte per ecclesiasticos, Sive ubi per eundem fundatum est 47
partim de bonis laicalibus, partim verò de Ecclesiasticis, juxta modum de quo supra; Vel quod laicus construxerit, seu dotaverit, Ecclesiasticus verò dederit solum, seu fundum, &c. Atque in casu istius mixturæ cadunt quæstiones circa effectus ex una, vel altera qualitate resultantes, cum in casu simplici res videatur plana; Quandoque siquidem magis expedit jurispatronatus esse ecclesiasticum quam laicale, puta ob longiorem terminum sex mensium ad præsentandum, cum in laicali sit brevior quatuor; Sive ob cessantem malam præsumptionem, quæ resultat in personis potentibus, de quibus infrà occasione rigorosæ formæ inductæ per Concilium Tridentinum super illius probatione, quia non procedit in ecclesiastico, quamvis habente jurisdictionem temporalem, cum similibus.

E' converso autem magis expedit jurispatronatus esse laicale quam Ecclesiasticum, ubi agatur de competente de jure communi, non autem speciali, Tum quia non subjacet Apostolicis affectionibus, ac reservationibus, Tum etiam quia provisiones Apostolicæ absque illius speciali mentione, & derogatione non substinentur; Ac etiam ob facultatem accumulandi, quæ omnia cessant in ecclesiastico cum similibus.

Ideoque dubitari contingit in casu mixto, quænam quælitas ad prædictos effectus proficuos, vel præjudiciales attendi, seu prævalere debeat; Atque ubi mixtura est æqualis, concors videtur sententia attendi debere illam partem, seu qualitatem, quæ majorem præbeat favorem, ideoque practicatur limitatio illius axiomatis, quod una & eadem res diverso jure censeri non debet, quoniam idem jurispatronatus pro diversitate effectuum, seu respectuum quandoque ecclesiastici, & quandoque laicalis jure metitur.

Ubi verò mixtura sit inæqualis, tunc aliqui scribentes regulando istos terminos cum illis alterius supra insinuatæ mixturæ gratiæ & justitiæ, seu privilegii & augmenti dotis, credunt partem præponderantem, seu majorem suffocare, vel ad se attrahere minorem totumque regulare; Probabilius autem, magisque receptum est, dicendum esse idem, quod supra de mixtura æquali dictum est, ut scilicet attendatur semper ea pars quæ favorabilior est, magisque expedit pro respectuum diversitate, adinstar illius mixtura quæ in individuis adest inter ecclesiasticos, & sæculares in proposito competentiæ fori, sive inter pivilegiatos, quoad alios effectus & privilegia. *p*

Procedunt hæc, ubi jurispatronatus, tam in habitu, quam in usu, seu exercitio pro æqualibus, vel inæqualibus portionibus pertineat, partim ad laicos, partim vero ad eccle- 48
siasticos, secus autem si penes laicos resideat quoddam jurispatronatus habituale, seu honorificum, actuale vero circa jus præsentandi sit penes ecclesiasticos tantum, quoniam tunc jure ecclesiastici quoad dictos effectus totum censetur Quinimò etiamsi laici in exercitio aliquam habeant participationem, puta jus nominandi unum, vel plures præsentandos à personis ecclesiasticis, quoties tamen nominatio non sit coactiva, sed de illa specie quæ consultiva, seu prudentialis dici solet, ut persona laicis gratia præsentetur, seu promoveatur, ut antiquiori tempore practicabatur, ac etiam moderniori, commendabile quoque esset, ut practicaretur, nisi laici sibi ipsis hoc malum intulissent per abusum Ecclesiasticæ indulgentiæ, dum ea quæ consultivè, & ex dicto motivo practicari solebant, prætendere cæperunt importare jus coactivum inalterabile, unde provenit ratio, quod Ecclesiastici Superiores nimium cautè, ac parcè se habere debeant concedendi gratias, seu aliquas indulgentias adhibendi cum laicis potentibus, quamvis illius personæ qualitas, seu rei gestæ benemerentia de condigno id exigeret, ex dicta ratione, quod semel ex benignitate, seu justa tunc militante causa concessum, perpetuum prætendi solet, atque semper in futurum concedi debeat. *q*

Plures quoque habentur in hoc propsito quæstiones ubi fun-

fundatio, vel dotatio fiat ab eo qui laicalium, & ecclesiasticorum bonorum, vel reddituum possessor esset, an scilicet actus ex una, vel altera specie bonorum sequutus
49 esset ad effectum regulandi unam, vel alteram qualitatem, seu naturam. Atque super hoc scribentes varias adhibent distinctiones, seu plures ponderant conjecturas, & adminicula, aut verborum formalitates; Verius tamen videtur istam quæstionem esse potius facti, & voluntatis, quàm juris non de facili certam, ac determinatam recipientem decisionem pendentem ex facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis, prudentis judicis arbitrio ponderandis, juxta illam generalem regulam, quam habemus in omnibus aliis ambiguæ voluntatis quæstionibus, præsertim verò in materia fideicommissaria, in qua adeo frequentes cadunt hujusmodi quæstiones conjecturalis probationis, seu interpretationis incertæ voluntatis, quamvis, ut dictum est, in praxi nimium sint rari casus, in quibus hæc mixtura ex sola bonorum qualitate ad praxim deducatur. *r*

n *disc.59.* o *eodem disc.59.*
p *eodem disc.59. & 64. cum seq.* q *locis proximi citatis.*
r *ibidem proximè.*

De probatione juris patronatus privatorum ad formam juris communis, absque eo quod intret forma Concilii Tridentini.

SUper jurepatronatus possessor per illos, qui personæ potentes non sunt, ideoque ad earum differentiam dicuntur personæ privatæ, nil per Concilium Tridentinum innovatum fuit circa modum, seu formam probationis, ideoque proceditur cum regulis seu terminis generalibus juris
50 communis, quibus attentis ubi constat de explicito titulo fundationis, vel dotationis, vel de altero privilegii, seu mixto, tunc nulla cadit quæstio circa probationem, dum etiam in potentibus aliquid innovatum non est, solumque cadit differentia circa effectus ex una, vel altera tituli specie resultantes. *s*

Ubi verò titulus explicitus non habetur, unde propterea ad præsumptivam, seu adminiculativam probationem recurrere oportet, si adest immemorabilis, vel centenaria
51 (quæ immemorabili in hoc æquipollet) benè probata, absque eo quod constet de initio infecto incomparibili, planum est sufficientem probationem resultare, etiam fundationis, vel dotationis, ea etenim est immemorabilis, vel centenariæ virtus, ut ejus vigore titulus melior, ac validior allegari valeat, nisi hæc præsumptio à contraria probatione, vel fortiori præsumptione elidatur, quia nempè qualitas personę dictam præsumptam possibilitatem excludat, ut exempli gratia, quod jus præsentandi Rectorem Hospitalis esse consueverit penes pauperes mendicantes ibi existentes *t* eum similibus. Multò verò magis ubi cum dicta immemorabili, vel centenaria concurrerent adminicula, vel alia, quæ quadragenariam ad id efficacem reddunt. *u*

Cessante autem dicta centenaria, vel immemorabili, ei æquipollet quadragenaria juncta cum titulo colorato seu
52 cum fama fundationis, vel dotationis, aut ex indiciis eandem fundationem, vel dotationem suadentibus, cum præsertim in antiquis adminiculativa probatio in hac materia attenditur. *x*

Qualia verò sint hæc adminicula, & quæ sufficiant, quæ autem non, certa & determinata regula dari non potest, sed pro facti qualitate decidendum venit, attentis scilicet more regionis, qualitate Ordinarii, seu Superioris
53 Ecclesiastici, & qualitate personæ prætendentis patronatum, an ei magis, vel minus congruat, seu approximatur ratio, quæ movit Concilium Tridentinum ad præscribendam rigorosam formam in Potentibus, ideoque stant benè simul aliqua adminicula in uno casu admittenda esse ac sufficere, in altero autem eadem, ac majora insufficientia reputari ponderando præsertim, an alia in contrarium urgeant necnè; Cum enim præsumptio assistat libertati in exclusionem hujus servitutis in dubio non præsumendæ, eaque si non positivam resistentiam, juris tamen assistentiam non habeat, hinc proinde ubi adminicula hinc inde confluerent, resultare potest, quod, Vel eis invicem conquassatis, sev debilitatis firma manet juris præsumptio, seu regula pro libertate; Vel quod adminicula in patrono debeant esse longè majora, & urgentia ob duplicem operationem, quam facere debent, destrundi scilicet regulam, seu præsumptionem juris ac etiam suffocandi adminicula contraria, secus autem his non concurrentibus juxta ea, quæ generaliter habemus in hujusmodi adminiculativis probationibus præsertim in dicta fideicommissaria materia, ideoque ut ibi pluries advertitur, manifestus pragmaticorum error est insistere in sola littera auctoritatum, seu decisionum, an aliquod adminiculum admissum vel rejectum sit quoniam stante benè simul eadem in uno casu approbari, & in altero reprobari pro facti qualitate ut supra, ac etiam pro eorumdem adminiculorum numero, cui nimium deferendum est, cum vulgari regula in ambiguis, & conjecturalibus perpetuò attendenda, ut singula quæ non prosunt, unita juvent. *y*

Inter adminicula verò, seu præsumptiones non quidem præcisè, ac taxativè, sed demonstrativè, ac ratione majoris frequentiæ enumerari solent; Denominatio Ecclesiæ sub nomine illius familiæ, vel personæ, quæ patronatum 54
ex fundatione, vel dotatione prætendit; Lapideæ antiquæ inscriptiones, ac etiam antiquæ & probatæ historiæ, non autem confictæ, seu de affectione suspectæ; Insignia sculpta, vel depicta in Ecclesiæ vel cappellæ, parietibus, aliisque locis; Liber seu codex, Visitationum, seu Ecclesiæ, qui contineat statum Ecclesiarum; Fama publica; Negativa, quod scilicet nunquam appareat beneficium fuisse provisum tanquam de libero; Apostolicæ provisiones cum reservatione consensus patronorum, seu derogatione jurispatronatus; Enunciativæ Ordinariorum, quibus utpotè interesse habentibus deferri solet; Possessio aliquorum jurium honorificorum, cum similibus pro facti qualitate pensandis. *z*

Spectari quoque nimium debent effectus ad quos hujusmodi probatio facienda est an scilicet principaliter cum Ordinario, vel altero de Beneficii libertate contendente, vel potius incidenter in lite quæ sit inter duos præsentatos, præsertim occasione Apostolicæ provisionis concessę ad favorem præsentat cum derogatione medietatis, vel alterius 55
partis vocum, stante clausula de stylo apponi solita, *verificato jurepatronatus coram Ordinario ex fundatione vel dotatione*, ad hunc enim secundum effectum longè minor, seu levior probatio sufficit, quàm ad primum; Sive ubi de solo jurepatronatus honorifica agatur, absque jure præsentandi, cum pariter levior probatio attendatur. *a*

In ea verò probationis specie, quæ deducitur ex centenaria, vel immemorabili, si aliquod modicum tempus deest ad centum annorum spatium, adhuc tamen pro judicis 56
prudenti arbitrio attenditur, dummodo tamen una cum tempore concurrat quoque effectuatio, seu observantia continua, & pacifica, sine qua tempus nihil prodest, admittendo tamen circa continuationem, præsumptionem mediorum resultantem à probatione extremorum, de quo in potentibus dubitatur; Ac etiam non attenta interruptione litis, quatenus in ista possessor victor extiterit, cum id potius tuam bonam fidem, ac possessionem confirmet; Minusque attentis intermediis Apostolicis provisionibus, præsertim ex causa resignationis quamvis effectum fortitis, cum istæ non mutent statum, nisi de contrario animo constet, multoque minus, ubi jurispatronatus mentio cum ejus derogatione habeatur, cum id potius confirmet jus patroni quoties de laicali agitur; Ubi verò de Ecclesiastico, etiam sine dicta mentione, vel derogatione, vel quia cadat sub affectionibus, & reservationibus Apostolicis, vel quia mentio non requiratur, ideoque Apostolicæ provisiones non alterant, nec præjudicant. *b*

t *disc.3. 57. & 58.* u *dicto disc.57. & disc.9.*
x *disc 57* y *locis proxime cit.* z *disc.9. & 57.* a *ibidem.*
b *ibidem.*

De rigorosa forma probationis inducta per Concilium Tridentinum in jurepatronatus Potentium.

QUando adsit titulus explicitus jurispatronatus, de jure communi quod aliàs solet nuncupari de justitia ratione fundationis, vel dotationis, vel de jure speciali ex privilegio, vel mixtum ex utroque tunc nihil Concil. Trident. in potentibus innovavit, sed in omnibus pro- 57
cedit idem, quod in privatis juxta generales terminos juris, vel Apostolicarum Constitutionum, & reservationum habetur; Concilium etenim respectu potentium, juris dispositione alteravit, novamque rigorosam formam induxit in eo jurepatronatus, quod ex sola diuturna possessione, seu præscriptione acquisitum prætenditur, quo casu ob malam usurpationis præsumptionem militantem contra personas potentes præsertim ob Romanæ Ecclesiæ absentiam ab Italia, seu schismatum accidentia, novam rigorosam formam in personis potentibus induxit. *c*

Forma verò prædicta est, ut personæ potentes justificare teneantur, non solum immemorabilem benè probatam, sed etiam docere per scripturas de pluribus præsentationibus effectum fortitis continuato spatio annorum quinquaginta; Super his autem requisitis plures cadunt quæstiones, præsertim super primo immemorabilis, an probari valet per
59 testes subditos, seu vassallos, atque affirmativa est verior potissimè vero ubi non subditorum mixtura vel testium qualitas, aut numerus, seu alia circumstantia suppleat illum defectum qui ab ista qualitate resultare posset. *d*

60 Sive an eadem immemorabilis probari possit per scripturas; Et pariter affirmativa recepta est, quinimo in hac peculiari materia reputatur probatio melior. *e* Circa vero alia immemorabilis requisita nil videtur specialiter statutum, sed intrant termini generales cuicumque materiæ congrui ad hanc præscriptionem benè concludendam.

An autem immemorabili isto casu æquivaleat centenaria, eo modo quo in privatis æquivalet, adhuc est sub quæstione, probabilior autem videtur affirmativa ob rationis
61 identitatem, sive ob eandem virtutem, vel operationem, ut ejus vigore allegari possit titulus fundationis, vel dotationis, ideoque eadem urgere videtur ratio, quæ non congruit quadragenariæ, de qua neque dici potest, quod esset terminus synonimus, sive promiscuè adhiberi solitus cum immemorabili, dummodo tamen non constet, quod ante tempus centenarium beneficium esset in diverso statu libero.

Quo verò ad alterum requisitum plurium præsentationum effectum fortitarum 50. annorum spatio, dubitari solet, an probari possit aliàs quam per scripturam, atque
62 una opinio tenet negativam, quasi quod Concilium in verbis exigat scripturam de forma præcisa, ideoque non admittat æquipollens, quia non confidat de testibus; Altera vero admittit probationem per testes, ubi verè intercesserit scriptura quæ sit amissa, & de cujus tenore deponant; Et quamvis prima opinio majores habeat sequaces, hæc tamen posterior probabilior videtur, quoties præsertim testium dicta aliorum adminiculorum, seu verisimilitudinis fomentum habent. *f*

Posità verò scriptura, opus non est eam esse publicam, ut una nimium rigorosa opinio non credit, sed receptum est sufficere privatam etiam per epistolas familiares, quo-
63 niam scripturis etiam privatis recognitis congruit terminus authentici documenti. *g*

Cumque decretum Conciliare utatur numero plurali, magis receptum est non sufficere unam, quamvis toto dicto spatio quinquagenario effectum fortita fit, quasi quod nu-
64 merus pluralis verificari non valeat in singulari, sed exigit saltem duos actus quos sufficere creditur; Quamvis verò huic opinioni tanquam magis receptæ cedere oporteat in auctoritatis obsequium juxta hujus facultatis miseriam, quamvis auctoritas Doctorum necessaria non sit. Ratio tamen in contrarium esse videtur, quoniam spectato fine, seu effectu, in jure habetur numerum pluralem verificabilem esse in singulari, ac singularem in plurali, & quemadmodum in quadragenaria ad hunc aliosque effectus, etiam unicus actus, qui tanto tempore durationem habuit, ac effectum fortitus sit, sufficit, ita à pari; Non sufficiunt
65 autem præsentationes, nisi concurrat earum effectuatio, circa quam adhuc quæstio est, an per scripturam quoque justificari debeat, vel admittantur testes, seu aliæ species probationis, Et pariter adsunt opiniones hinc inde, licet probabilis videatur illa quæ excludit præcisam necessitatem scripturæ, quæ in verbis desideratur in præsentationibus non autem in hac circumstantia effectuationis.

Et quoad alterum continuationis requisitum, cadit etiam quæstio, an admittenda sit præsumptiva probatio medio-
66 rum probatis extremis, pariter diversitas habetur opinionum, probabilior autem videtur affirmativa.

Neque desunt volentes duplex tempus requiri, Unum scilicet centenariæ, vel immemorabilis, Alterum vero
67 quinquagenarium præsentationum tanquam disserum, quod tamen nullatenus recipiendum est. *h*

Adeoque exactè in ista forma litteraliter insistitur, quod si constat de pluribus institutionibus dicto ac majori spatio effectuatis, in quibus præsentationes enuncientur; Sive
68 quod de illis constet aliàs quam per scripturam non constet, id non sufficiat, quod tamen asperum videatur, quoties præsertim talis enunciativa in institutionibus contenta aliorum adminiculorum fomentum habet, seu alias ex facti circumstantiis est verisimilis. *i*

Atque ubi personæ potentes non se restringant ad titulum resultantem à sola diuturna possessione, quo casu per
69 nova forma inducta est, sed allegent ac probare velint titulum explicitum fundationis, vel dotationis, quo accedente ut supra potentes non differunt à privatis, neque Concilium aliquod statuit, si hujus tituli probatio per scripturam non habeatur, sed fiat per testes, vel alias probationis species, una opinio credit id admittendum non esse, quasi quod in potentibus Concilium in aliis probationibus, quam per scripturam inefficacem, seu diffidentiam induxerit; Diversum autem tenet altera opinio atque utraque respective pro facti qualitate recipienda videtur, ubi scilicet militet, seu è converso benè excluditur illa suspicio, ob quam in potentibus hæc rigorosa forma introducta est pro Judicis, vel Superioris prudenti arbitrio, quoniam in iis, quæ certum finem percutiunt, seu certam habent rationem, non de facili admittendus est rigor formæ præcisæ, vel sensus litteralis. *l*

Quatenus verò in eadem Ecclesia plura adsint ejusdem naturæ, seu qualitatis beneficia unum Collegium constituentia, vel quasi & adinstar, unde cadat possibilitas, 70
quod omnia contextualiter, ac in ipso fundationis, vel dotationis limine erecta fuerint, unde non urgeat illa inverisimilitudo, quæ intrat in universitate beneficiorum totius loci, si in aliquibus ex hujusmodi ex beneficiis benè & concludenter dicta forma justificetur, atque aliqua urgeant fundationis, vel dotationis adminicula, non improbabile videtur, ut intret ratio, seu causa universalis, ideoque hujusmodi justificatio suffragetur quoad reliqua. *m*

Accedente autem sententia canonizatoria hujusmodi jurispatronatus antiqua, effectumque fortita, dubitari solet, an non repertis actis illam justificantibus, sufficiat, ac pro- 71
babilis videatur affirmativa, quamvis dubitatione non careat; Dictaque forma non justificata ob decretum irritans in Conciliari decreto contentum, possessio non suffragatur, ideoque remedia possessoria non competent, neque possessorem revelat major Episcopi potentia, per quam excludatur illa suspicio, cui decretum Conciliare innixum est, verum ista qualitas majoris potentiæ Episcopi nimium considerabilis est super modo regulandi probationes, ac supra insinuatas quæstiones decidendi.

Personæ potentes dicuntur extra controversiam Baro-
nes, ac Domicelli, vel nobiles viri jurisdictionem habentes in loco Beneficii, secus autem si alibi habeant, in ipso autem loco jure privatorum censeantur, nisi ratione anti- 72
qui dominii, & jurisdictionis, seu ex alia facti circumstantia eadem potentiæ ratio urgeat; Sub quæstione vero est an veniant Principes, Duces, & Marchiones veræ non autem abusivæ dignitatis, feuda habentes etiam cum supremo Imperio, ac Regalibus etiam majoribus, stante exceptione Regum, aliorumque jura Regni habentium, ut an scilicet isti sub hoc vocabulo habentium jura Regni veniant, ut una opinio credit, verior autem magisque recepta negat, nisi talis esset Principatus cum jure belli, ac potentia exercitus, aliisque circumstantiis, quod jus Regni de facto habeat. *o*

Stante verò hujusmodi exceptuatione Regum, ac aliorum jura Regni habentium, dubitari contingit, an jusjurepatronatus originariè possessum per Baronem seu domicellum inferiorem, ut supra ratione feudi, ob cujus devolutionem, seu aliàs quam per consolidationem transierit ad habentem 74
jus Regni, cadat sub hac limitatione, atque probabilior est negativa, quodque priorem naturam retineat.

In hac etenim materia spectatur origo sive initium; unde propterea quamvis jurispatronatus possideatur à privato, si tamen provenit à potente, huic rigorosæ formæ quoque subiacet, nisi adeo diuturna privati possessio hujusmodi maculam purgaverit pro facti qualitate; Et è converso nil refert jurispatronatus possideri à potente, quem constet habuisse causam à privato, penes quem in esse productum sit, ac ab eo possessum. *p*

A dicta vero regula inductiva potentiæ ratione dominii, ac jurisdictionis temporalis, excipiuntur personæ ecclesiasticæ ratione ecclesiasticæ Diginitatis, vel beneficii seu offi- 75
cii, tale dominium, vel jurisdictionem temporalem habentes, cum in eis non intret mala præsumptio, quæ causa fuit ut dicta forma induceretur, adeout eius mixtura suffragetur compatrono quamvis potenti, dictæque formæ subjecto nisi constet de malo initio, quod scilicet persona ecclesiastica dominium temporale, cum sibi annexo jurepatronatus à domino temporali habuerit. *q*

Sub potentium quoque nomine venit Communitas, seu Uni-

Universitas, quamvis dominium, ac jurisdictionem non ha-
76 beat, quoties agatur de Universitate, seu Communitate totius loci, seu populi repræsentativa; Ubi verò esset alicujus partis, tunc distinctio est, an sit partis talis, quæ respectivè constituat Universitatem absque restrictione ad certum initium, puta quia sit Universitas parochianorum, non attento, an sint antiqui vel moderni, sive habitantium in certa contrada, seu certis viis cum similibus ob claram inverisimilitudinem, quod ab eis fundatio, vel dotatio sequi potuerit, secus autem ubi ageretur de Vniversitate ad certū genus restricta, certumque initium habente; Puta ad aliquas familias, quarum stipites fundare, ac dotare potuerint. *r* Eadem verò limitatio, quæ in habentibus dominium, ac jurisdictionem temporalem superiùs habetur, ut non procedat in ecclesiasticis, locum quoque fortitur in Universitatibus, quæ ecclesiasticæ sint, puta Capitulis Collegiis, Cōfraternitatibus, & similibus, in quibus ultra præsumptionem
77 resultantem à jurisdictione, vel visitatione Episcopi, cadit etiam possibilitas fundationis, vel dotationis quinimo etiam parvæ Universitates quamvis ecclesiasticam qualitatem non habentes, in quibus eadem possibilitas detur, sub hoc decreto non cadunt, ut sunt Collegia, vel Universitates aliquorum professorum, seu mercatorum, vel artificum &c. Quamvis enim aliquando etiam in hujusmodi parvis Universitatibus ecclesiasticis, vel piis sub Ordinarii jurisdictione, seu visitatione existentibus excludatur jus patronatus, attamen id non provenit ratione potentiæ, & ex hoc Conciliari decreto, sed potius ad limites juris communis ratione impossibilitatis seu omnimodæ inverisimilitudinis, quod talis Universitas fundare, vel dotare potuerit, unde possessio consuetudini magis referenda sit juxta superiùs insinuatum exemplum juris præsentandi Rectorem Hospitalis, quod penes illius pauperes esse consuevit, cum similibus. *s*

Demum ista rigorosa conciliaris forma desideratur ad effectum juris præsentandi, quod præfert veram Ecclesiæ servitutem, non autem ad effectum juris honorifici, seu
78 ubi non principaliter, sed incidenter de jurepatronatus ad alium effectum, quam illum libertatis Ecclesiæ, vel beneficii agi contingat. *t*

c *disc.*58. & *disc.*1. *cum seqq.* d *d.*3. & 58. e *eodem d.*58. f *d. disc.*3. & 58. g *ibid.* h *eodem d.*58. i *d. disc.*3. & 58. l *d. disc.*3. & 4. m *eodem disc* 3. n *d. disc.*3. & 4. & 58. o *d.*2. & *seqq.* & 58. p *d* 2. 5. & 6. & 58. q *d. d.*5. & 58. r *dict. disc.*58. s *disc.*9. & *locis proximè sup.* t *eod. d.*58.

De possessione jurispatronatus, ac præsentandi quomodo acquiratur ac probetur, & de effectibus ex illa resultantibus.

POssessionis quæstio ad tres effectus in foro disputari solet; Primò scilicet præsupposita jurispatronatus existentia, & Ecclesiæ servitute, itaut nemo contendat de statu
79 libero, super cumulativo, vel simultaneo concursu patroni, cum eo qui non patronus prætendat acquisivisse possessionem in jure præsentandi, ex eo ad id per patronum admissus fuerit; Secundo, eodem præsuppositoretento super privativo concursu possessoris cum petitore quorum unus alteri præferri contendat; Et tertio in concursu Ordinarii, vel alterius negantis jurispatronatus, ac præsentandi existentiam, atque contendentis de Ecclesiæ libertate.

In primo in quo agatur de solo præjudicio illius patroni,
80 qui non patronum secum admisit ad præsentandum, de facili hæc possessio acquiritur, etiam per unicum actum quamvis non effectuatum, seu improbatum, aut ab aliis compatronis contradictum, Neque attenditur, an hujusmodi possessio, cum bona vel mala fide quæratur, quoniam sibi imputet patronus admittens non patronum ad secum præsentandum, quasi quod id implicitam continere videatur concessionem participationis, non quidem jurispatronatus, cujus substantia non transfertur in admissum, qui propterea non efficitur patronus, sed exercitui tanquam fructus, dummodo tamen actus, dolo fraude vel circumventione, aut falso præsupposito non laboret, seu admittens non sit imperfecti judicii, sed ille ex parte admittentis sit validus, & perfectus. *u*

Ista possessio non præjudicat compatronis, minusque successoribus ex proprio jure propriaque persona venientibus, ut contingit in familiari, vel gentilitio, minusque obligat
81 Ordinarium, vel eum ad quem institutio pertinet, qui potest hujus non patroni ita admissi præsentationem respuere. *x*

Potius tamen Ordinarii interest illam admitti, cum ita admisso & admittente (quatenus sit unicus) in diversa vota abeuntibus in præsentando aperiatur sibi locus, vel facultas gratificandi, seu etiam liberè conferendi pro ea vice.

In duobus autem aliis casibus, seu effectibus supra distinctis, ubi scilicet contentio sit inter possessorem, ac petitorem non admittentem, quorum unus alterum excluderet prætendat, unde agatur de concursu privativo; Sive inter possessorem & Ordinarium, vel alium de Beneficii libertate contendentem, quamvis cadat regula generalis, ut posita possessione decernenda sit ad favorem possessoris manutentio, donec in petitorio videatur de bono jure, attamen 82
plura desiderantur requisita in præcedenti casu non necessaria, ut possessio sit manutenibilis, illud præsertim bonæ fidei, circa quod isti duo posteriores casus in eo differunt, quod ibi posita existentia jurispatronatus contentio est inter compatronos contendentes de pertinentia, bona fides præsumitur, donec probetur mala, secus autem ubi contentio est cum Ordinario, vel altero contendente de libertate, ob præsumptionem huic assistentem, transferentem onus probandi in allegantem possessionem servitutis, validæ possessionis requisita.

Alterum est in præcedenti pariter non desideratum effectuationis; Tertium, quod tam possessio quàm ejus effectuatio fuerint pacificæ, non contradictæ, ac univocæ, non autem deductæ ex actibus æquivocis, seu dubitativis vel provisionalibus; Quartum, quod possessor cedat jure suo, præsentando privativè ad contendentem; Et quintum, ut actus ex quibus possessio acquiritur sint, cum scientia, & patientia ejus contra quem possessio quæsita prætenditur, cum incorporalibus, in quibus vera possessio naturalis prout facti est, non datur, scientia & patientia stet loco possessionis, ideoque necessaria est præterquam ubi concurreret titulus coloratus, seu bonæ fidei putativus; Cadente quæstione, an unicus actus id sufficiat, quod pendet à facti circumstantiis, dictorumque requisitorum majori, vel minori justificatione, ac etiam an ille qui scit, & patitur, de facili præjudicare possit necne, ideoque nimium difficile est, ut per unicum actum acquiratur valida manutenibilis possessio adversus Ordinarium, sive adversus successores compatronos independenter venientes ab eo, ob cujus scientiam, ac patientiam possessio quæsita sit.

Prout quæstio cadit circa dictum scientiæ requisitum, an illa desideretur vera, & expressa, vel sufficiat præsumpta & conjecturalis, quod pariter à facti qualitate & circumstantiis decisionem recipit. *y*.

Posita possessione, ut supra legitimè quæsita, frequens cadit quæstio, an proprietas, de qua clarè ac incontinenti petitor doceat, illa absorbeat necnè, & quænam præ-
83 sentatio possessoris, vel petitoris debeat prævalere; Et quamvis inter antiquiores nimium desuper certatum sit inter moderniores tamen recepta est distinctio nimium probabilis, an *petitor* de jure suo doceat integra Beneficio adhuc vacante, prius quam ad unius, vel alterius præsentati effectuatam pacificè institutionem processum sit, vel potius re non integra, post scilicet jam validè sequutam, ac pacificè effectuatam institutionem, adeòut agatur de repellendo possessorem, ut hoc secundo casu canonizatio juris petitoris deferviat pro futuris vacationibus, non autem pro jam consumpta cum provisione, ex ea probabili ratione, quod fructus bona fide perceptus, & consumptus à non domino, qui se credebat dominum, detecto non jure non restituitur; In primo autem casu quo res sit integra, intrat distinct o, super qua magis antiquiores insistere consueverunt, an bonum jus petitoris sit clarum, & incontinenti probatum, vel potius turbidum & altioris indaginis, ut primo casu proprietas absorbeat possessionem, secus autem altero. z

Quæsita possessio non transmittitur in hæredem, vel possessorem ipso jure, nisi ab isto apprehendatur, quoniam ea quæ facti sunt factum exigent, in hoc non suffraganti- 84
bus laicalibus Statutis decernentibus continuationem possessionis defuncti in hæredem, cum non detur laicis potestas in hujusmodi spiritualibus decernendi. *a*

Nisi possessio, non ratione personæ, sed ratione dignitatis vel officii, aut beneficii quæsita sit, cum tunc in successorem ipso jure transeat, dum non personæ possessoris, 85
sed ipsi Dignitati, vel Beneficio, aut officio possessio quæri dicitur. *b*

Benè tamen inter privatos transfertur possessio sine actua- 86
li apprehensione per cessionem, quæ fiat per actum inter vivos, vel etiam per ultimam voluntatem, ubi adjiciatur clausula constituti effectum fortitura præambula hora constituentis, cum solita clausula *ex nunc pro tunc*, quod non est

est hujus materiæ peculiare, sed normam recipit à terminis generalibus. *c*

Suffragatur item possessio auctoris successori, ad effectum probationis pertinentiæ seu descendentiæ, quoniam
87 ubi principalis quæstio non sit pertinentiæ ratione gradus, ac majoris proximitatis, (quo casu necessaria est probatio descendentiæ à stipite per gradus distinctos,) sed agitur de existentia, vel pertinentia in genere, tunc sufficit probare descendentiam ab existente in quasi possessione præsentandi. *d*

Acquiritur item, ac respectivè conservatur possessio, non solùm per actus præsentationis, sed etiam per æquipollentes, puta per consensum præstitum permutationi,
88 vel resignationi ad favorem, cum similibus concernentibus provisionem Ecclesiæ seu Beneficii non autem per actus honorificos, per quos neque ipsimet patrono admittenti non patronum præjudicatur, vel aliqua possessio contra eum acquiritur, cum hujusmodi actus ex facultativa urbanitate, quandoque fieri debeant, ideoque non sint in futurum obligatorii, nisi constet jure servitutis id gestum esse. *e*

Conservatur item possessio unius compatroni per actus possessorios alterius, nisi expresè, vel præsumptivè con-
89 stet illum non cumulativè, & pro solo ejus jure, sed insolidum, ac privativè illos actus gerere voluisse, quo casu attendenda sunt eadem requisita pro amissione, quæ supra pro acquisitione ponderantur, illud præsertim bonæ fidei, ac alterum scientiæ & patientiæ, super quorum utroque cadere solent quæstiones, an præsumpta; vel administrativa probatio sufficiat, ex facti circumstantiis, præsertim vero ex actuum multiplicitate particularem decisionem recipientes, unde propterea non de facili certa, & indefinita regula generalis desuper tradi potest, sed pendet à prudenti arbitrio ex singulorum casuum circumstantiis regulando, attentis terminis generalibus, quos in materia possessionis jurium incorporalium habemus, cum quibus ista quoque materia regulanda videtur. *f*

u *disc.*63. x *eod. disc.*63. y *eodem disc* 63. z *disc.*36. & 63. a *eod. disc.*63. b *ibidem.* c *ibidem.* d *ibidem.* e *ibidem. eodem disc.* 63. & 56.

De alio concursu privativo plurium ex eodem seu diverso titulo, ac jure præsentantium, quænam præsentatio attendi, ac prævalere debeat.

ULtra proximè insinuatum concursum possessoris, & petitoris, datur etiam concursus privativus plurium etiam ex eodem fonte vel jure, cum diverso tamen titulo
90 suam facultatem metientium, adeout nulla cadat quæstio super existentia, vel pertinentia jurispatronatus, sed super solo exercitio juris præsentandi, præsertim vero, ac frequentius inter virum & uxorem, ubi agatur de jurepatronatus annexo bonis dotalibus, vel extradotalibus mulieris, itaut illud accessorie veniat, cum non de facili in praxi detur casus, ut ipsum juspatronatus principaliter, ac de per se in dotem detur, benè tamen, ac frequenter contingat alter dationis bonorum, quibus ipsum annexum sit, & tunc respectu extradotalium nulla cadit difficultas, ut neglecta præsentatione viri; illa mulieris tanquam dominæ attendi debeat, quoniam muliere dissentiente, nullum jus vir hujusmodi bonis eorumque fructibus habeat, solumque reluctante muliere substentabilis esse posset præsentatio facta per virum, quando scilicet ipsius mulieris contradictio esset re non integra post jam sequutam, ac effectuatam institutionem concessam in vim præsentationis factæ à viro administrante bona extradotalia de expresso, vel etiam tacito, & conjecturali consensu mulieris, ita & taliter quod bona fide, & communi reputatione crederetur legitimus administrator, qui ad fructuum perceptorum ex bonis extra dotalibus restitutionem non teneatur juxta ea quæ in dotalibus materia habentur, quoniam præsentatio est fructus, ac fructuum nomine seu jure ut supra reputatur.

Respectu verò bonorum vere dotalium, quæ in dotem data sint inæstimata tanquam species plures habentur opiniones quotiens conjuges non concordant; Una est singularis, ut coæquale sit jus utriusque, ideoque sit locus præventioni; Altera vero, ut prævaleat præsentatio uxoris; Et tertia magis vera, & recepta, ut spectet ad virum cujus præsentatio prævaleat, cum jus præsentandi sit in fructu, ideoque pertineat ad eum ad quem pertinent fructus.

Ubi verò bona data sunt æstimata loco quantitatis in quados consistat, extra omnem controversiam est, jus præsentandi spectare ad virum tanquam plenum dominum, quo-
ties actus sit validus, eo modo quo supra habetur in exceptione, & vindicatione bonorum quibus annexum est hoc jus. *g*

In concursu autem tutoris, ac pupilli, receptum est, illam pupilli habentis usum rationis tanquam Domini debe- 91
re prævalere, quod tamen discretè pro facti qualitate intelligendum venit, quatenus actus immunis existat ab illa fraude, vel circumventione, cui actus pupillorum, vel adolescentium subjacet. *h*

In concursu autem principalis, & procuratoris, seu mandantis, & mandatarii, quoties res est integra, itaut præsentato per procuratorem cum valida institutione jus quæsitum non sit, certum est mandantis, seu principalis præsentationem attendi, ac prævalere debere quamvis 92
mandatum contineret juratam obligationem non revocandi, incurrente solum ipso mandante perjurii reatum, quatenus absolutionem à juramento prius non obtineat, quod pro cautela traditur. *i*

g *disc.*62. h *ibidem.* i *ibidem.*

De concursu cumulativo plurium compatronorum, de vocum dinumeratione ad majorem partem concludendam.

CUm præsupposito quod omnes, qui præsentant sint compatroni, sive jus aut possessionem præsentandi habeant, adeo, ut sola quæstio sit numeri, seu computa- 93
tionis vocum ad majorem partem constituendam, quæ præsentationem concludat, Et tunc, Aut adest lex fundationis, seu dispositio ejus, qui concurrentium auctor est, ab eis non impugnabilis, & cessat omnis quæstio juris cujus dispositio in his, quæ pendent ab alicujus voluntate huic non data prohibitione semper cedit; Cessante vero lege expressa recurritur ad tacitam resultantem à consuetudine seu observantia, vel interpretativa in casu ambiguo, vel præscriptiva in claro juxta facti qualitatem; Ipsaque etiam cessante, adeout ad solam juris dispositionem recurrere oportet; Quatenus pertinet ad primos vocatos per fundatorem in limine fundationis, seu etiam per unicum possessorem liberam disponendi facultatem habentem, qui jure fundatoris quoad successores ab eo causam habente censendus est, & tunc nulla videtur adesse differentia inter jurispatronatus hæreditarium, vel gentilitium, seu familiare circa obligationem servandi legem fundatoris vel auctoris, ad instar eorum, quæ habentur in feudo novo quamvis in forma pacti, & providentiæ respectu primi acquirentis, quoties particulares circumstantiæ juris regulam generalem non limitent, seu cessare non faciant.

Pluribusque appellativis, seu propris nominibus ab initio vocati, decisio pendet à forma vocationis, an scilicet omnes pariformiter unica oratione conjuncti sint, ut tunc omnium æquale sit jus, ad proprios hæredes, si est hæreditarium, vel ad propriam descendentiam seu lineam, si est gentilitium transmissibile, secus autem si sub diversis orationibus, aut alias disjuncti sint, puta quia dicatur reservari, vel relinqui jurispatronatus Titio, Cajo, & Sempronio, ac etiam Mevio, quoniam tunc, nisi aliæ conjecturæ, vel circumstantiæ diversam suadeant voluntatem, tres in prima oratione conjuncti unam intellectualem personam, seu unam vocem efformant cœqualem uni in altera oratione vocat, adeout tanta sit vox istius, vel ejus successorum eum repræsentantium, quanta est illorum trium in stirpes non autem in capita, & sic similiter, quotiesde speciali reservatione, vel dispositione ipsius jurispatronatus principaliter, ac de per se considerati agatur; Si enim plures, vel conjunctim, vel disjunctim per partes, seu quotas inæquales vocati sint, non dubitatur inæqualitatem attendi debere.

Ubi verò agatur de ipsis primis fundatoribus diverso jure insimul jurispatronatus acquirentibus, puta quia, unus ex fundatione, alter ex doratione, & alter ex datione soli, & tunc licet inæqualis esset concursus in opere perficiendo; quia nempè unus plus altero erogasset, nisi alias ab initio inter eos cautum sit, æqualis est omnium conditio, & coæquale jus ad successores respectivè transmissibile, quoniam qui plus impendendo, vel erogando alterum minus erogantem ad hoc sociale opus, ac jus individuum admittit, sibi præjudicat.

Si autem unius fundatoris, vel auctoris sint plures primi successores in jurepatronatus accessorio, seu consecutivo hæreditati, vel feudo seu rei, in qua principaliter successio consistat quæ tamen non sit æqualis, (cum tunc omnis quæstio cesset) sed inæqualis; Quamvis antiquio-
res,

res in hoc nimium se involvant super æquali, vel inæquali successione, distinguendo locorum consuetudinem à jure generali scripto, attamen attento communi usu, seu praxi, verius est in ipso jure habituali abstractè sumpto tanquam individuo, quod sine portionum discretione penes omnes, & singulos insolidum residere dicitur, omnium coæquale jus esse; Secus autem quoad exercitium juris præsentandi, aliorumque patronalium jurium dividuorum, ut inæqualitas per quotas, vel uncias attendi debeat, atque si agatur de exercitio, vel fruitione jurium individuorum, quæ non omnibus, sed uni, vel aliquibus tantum conveniant, tunc per alternationem vitium, vel temporum, seu per alium dividendi modum aptari debet proportionata divisio per eas quotas, vel uncias per quas ipsum jus habituale competat, eo modo quo habemus in fruitione, vel exercitio jurisdictionis aliorum jurium feudi dignitatis habitualiter individui, quod ex regionis more per plures obtineatur cum similibus.

Quoverò ad ulteriores successores, vel descendentes, sive agatur de hæreditario, sive de gentilitio, vel familiari ab initio constituto pro plur ibus familiis; seu pluribus lineis, vel descendentiis, quoties ex lege fundationis, vel ab altera inducta per observantiam, omnium concursus in exercitio juris præsentandi, aliorumque jurium patronalium non sit collegialis, & tanquam per repræsentationem unius corporis, vel unius universitatis, tunc successio inter ipsas lineas, vel descendentias, aut singulorum primo vocatorum respectivè hæredes, erit in stirpes non autem in capita, ut scilicet tot sint voces quot sunt primi stip.tes, atque successores quamvis respectivè inæquales æqualiter efforment, seu repræsentent suum stipitem, adeout reservato jurepatronatus Titio, & Sempronio, tanta sit vox unius hæredis, vel successoris Titii, quanta sit illa centum hæredum, vel successorum Sempronii ipsorum stipitum, seu stirpium ratione solum habita.

In discreto autem singulorum stipitum, seu stirpium concursu inter ipsos successores, intrat distinctio inter hæreditario concursus pariter est per viriles, seu quotas hæreditatis, adeout dari valeat casus, ut unius, in quo aliquorum cohæredem portiones, seu viriles consolidatæ sint, major sit vox, quàm plurium unam hæreditariam portionem possidentium, cum similibus.

In gentilitio autem, seu familiari, quoties lex fundationis, vel observantia non inducat ordinem gradus, vel proximitatis, omnium est concursus æqualis in capita, non autem in stirpes, nulla data gradus, vel successorii ordinis discretione, adeout simul concurrant pater, & filius, &c. Idemque ubi ab initio unus sit stipes, eadem sit proportio unius tantùm, ac plurium stipitum à singulis respectivè descendentibus, vel successoribus efformandorum. *l*

Procedunt hæc, quoties juxtà regularem hujus exercitii naturam, ac frequentiorem usum præsentatio omnibus respectivè competat, non collegialiter, ac unitivè, sed
94 singulariter, ac discretivè, quo casu non attenditur diversitas temporum, & locorum; Nil enim refert, quod aliqui initio termini à jure præscripti, ac uno loco, alii verò diverso loco, ac in fine termini præsentent, dummodo in ipso termino, ac etiam in legitimo superiore concordent. *m* Neque in hujusmodi computatione facienda habenda venit ratio omnium, quibus jus præsentandi competat, sed solùm eorum qui illo utantur, ac ad exercitium deducant, neque absentes vocandi, vel expectandi sunt; Atque ma-
95 jor pars non attenditur comparatione omnium, juxtà ordinem electionis, sed comparatione minoris, In electionibus enim aliisque actibus capitularibus, vel collegiativis (nisi legitima consuetudo aliter statuat,) ex pluribus vocalibus congregatis, major pars dicitur illa, quæ omnium medietatem excedat in uno, vel saltem in dimidio voto; In hoc autem actu singulari attenditur sola major pars comparatione minoris, unde si sint decem præsentantes, ex quibus duo præsentent unum, unus alium, tres alium, & quatuor alium, isti quatuor concludent majorem partem, istaque præsentatio admittenda erit, quamvis comparatione omnium decem, quatuor sine dubio majorem partem præsentantium non constituant. *n*

Si verò actus est collegiativus adinstar electionis, universali jure explicandus, tunc non intrat id quod proximè de attendendo majorem partem comparatione minoris dictum est, sed major pars dicitur comparatione omnium;
96 Atque circa concursum plurium membrorum ad unum corpus, seu unam Universitatem efformandam, intrant termini generales, quos habemus in materia electionis, ut scilicèt habeatur ratio præsentium in Capitulo, seu comitiis legitimè intervenientium, dummodo tamen præcedat legitima vocatio absentium, qui sint in loco, vel in diœcesi; Atque major pars, quæ concludat attenditur comparatione omnium, non autem minoris, quatenus tamen à majori, actus validè fiat, ac de persona digna, cum aliàs jus totum devolvatur ad partem minorem, validè, vel dignè actum explicantem, juxta eosdem generales terminos electionis aliorumq, actuum capitularium, seu comitialium. *o*

Quatenùs autem essent plures Universitates, seu plura diversa corpora, non conjunctivè ad unam vocem efformandam, sed disjunctivè concurrentia, tunc in qualibet discretivè præmissa procedunt, atque major pars suffocat 97
minorem, illamque totam ad se attrahit, perindè ac si ab omnibus actus gestus esset, adeout si minor pars unius corporis, vel Universitatis adhæreret alteri coæquale jus, seu æqualem vocem habenti, non per hoc illa vox augetur, neque redditur major, cum de hac adhæsione nulla ratio habenda sit, atque generaliter intrant alia quæ in materia electionis, vel actum capitularium, seu comitialium habentur, in quibus non intret aliqua ratio peculiaris, ob quam certa forma in jure præscripta sit, puta ubi agatur de eligendo Prælatum, seu Pastorem Ecclesiæ viduatæ, cum similibus aliquam peculiarem rationem habentibus.

Ubi verò juris præsentandi exercitium non omnibus competat, sed aliquibus tantum, puta uni, vel pluribus natu majoribus, vel gradu proximioribus, intrant quæstiones, an major natu dicatur ex sola prærogativa ætatis, & naturæ, 98
vel potiùs ex prærogativa lineæ; Idemque circa proximitatem gradus, an scilicèt hæc generaliter attendatur inter omnes, vel potiùs juxtà linearum, vel generum discretionem, quodque sufficiat esse natu major, vel proximori in propria linea comparatione aliarum personarum ejusdem, non attenta majori ætate, vel proximitate aliarum diversarum linearum, super quo aliquid peculiare in hac materia non habemus, ideoque procedendum est tanquam in quæstione potiùs facti, ac voluntatis quàm juris, cum terminis, ac distinctionibus generalibus cadentibus in materia fideicommissaria, seu majoratuum, ac primogenitorum, cum ea tamen differentia considerabili, quod cum jus præsentandi concernat potiùs actum intellectus, quàm successionem rei familiaris, hinc facilius intrat præsumptio, ut attendi debeat potiùs veritas naturalis deducta ex prærogativa ætatis ratione majoris prudentiæ, quàm fictio legalis ob prærogativam lineæ. *q*

l *de his omnibus disc.*61. & *disc.*22. *cum pluribus seq.* & *disc.*54.
m *ibidem*. n *ibidem*. o *ibidem*. p *ibidem*. q *tit. de fideicommissis d.*1. & *seqq.* & *d.*50. & *hoc tit. d. disc.*61.

De requisitis ad validam præsentationem obligatoriam Superioris, tam circa tempus, quàm circa modum, ac circa personam, coram qua facienda est, ac etiam circa qualitates personæ præsentandæ; Et qua occasione agitur de jurepatronatus passivo.

NUlla cadit de jure dubitatio, quod posita competentia jurispatronatus, ac præsentandi non subjecti re- 99
vocationibus, vel derogationibus, aut reservationibus Apostolicis, ubi per Patronos validè ac servatis servandis fiat præsentatio. ista sit Ordinarii, vel alterius Collatoris arctativa ad instituendum præsentatum, quodque alias à denegatione detur appellatio ad Superiorem qui instituere potest, ac debet; Ideoque posito dicto jure, quæstiones cadere solent circa præsentationis validitatem, quæ à pluribus requisitis pendet. Primò ut sit concluſa à majori parte ut supra; Secundò, quod illa fiat in tempore à jure præfi- 100
nito, quod in jurepatronatus Ecclesiastico est sex mensium, idemque in mixto, quamvis mixtura sit inæqualis, quoniam portio Ecclesiastica licèt minor communicat omnibus hanc prærogativam; In laicali verò est quatuor mensium, præterquam in Regio, in quo usu receptum videtur talem præcisam temporis limitationem non urgere, nisi uno, vel altero casu lex fundationis, aut legitima consuetudo, sive etiam ipsorum patronorum conventionalis restrictio aliter suaderit; Cadente quæstione, an Ordinarius illud abbreviare possit in edictis desuper affigi solitis, adeout elapso termino in edictis contento; quamvis infrà tempus juris præsentationes admittendæ non sint, quod aliquas recipit distinctiones, de quibus in sua sede. *r*

Tempus prædictum est continuum, non autem utile, ideoque currit de momento ad momentum; Et quamvis una opinio, quam in mente habere videntur Officiales, ac

101 ac Expeditores Datariæ, credat illud currere statim à die vacationis; In foro tamen recepta est diversa opinio, ut non currat nisi à die veræ scientiæ, adeout ignorantio probabilis aliquorum, quamvis pro minori parte, imò unius conservet jus aliorum, ac devolutionem impediat; Quod etiam sequitur in casu scientiæ, concurrente justo impedimento carcerationis, vel simili, sive alia justa excusatione
102 resultante ex eo quod præsentatus nollet, vel non posset acceptare, Sive quia ex justo errore præsentatio facta sit coram alio, quàm eo coram quo fieri debebat, cum similibus; Ac etiam inter impedimenta numeratur illud litis inter ipsos compatronos super pertinentia, vel possessione in jure præsentandi, quoties tamen non agatur de lite impeditiva, quia nempè reddat beneficium litigiosum ut infrà; Idemque circa terminum, procedit in prima præsentatione facienda ad beneficium noviter erectum; Cadente isto ca-
103 su quæstione, an terminus computari debeat à die constructionis, vel dotationis Ecclesiæ, vel potiùs ab illo consecrationis, super quo habentur opiniones hinc inde. *s*

Ubi verò inter compatronos adsint infantes, vel pupilli, seu aliàs perfecti judicii expertes, cadit quæstio, an isti impediant lapsum termini, ac successivè devolutionem,
104 stante hoc justo ac notorio impedimento, vel potiùs tutoris, vel alterius administratoris culpa præjudicet, quod non de facili certam regulam generalem recipit, sed pro facti qualitate singulorumque casuum particularibus circumstantiis decidendum est, nisi agatur de jure competente in forma universitatis magis quàm singulorum, quo casu statui posse videtur regula generalis, ut hujusmodi personarum imperfectum judicium habentium ratio habenda non sit, neque eorum impedimentum excuset. *t*

Pro tertio requisito enumerari solet illud, ut fiat penes acta in forma judicii, cum libello, seu alia comparitione;
105 Verùm licèt ista sit tutior via, nihilominùs verius est, etiam oretenus coram Superiore sedente pro Tribunali fieri posse, cum Notarius qui Superiori assistit possit de hoc rogari; Quinimò receptum est ipsam præsentationem fieri posse in forma extrajudiciali, per scripturam non solùm publicam, sed etiam privatam, seu epistolam familiarem, ac etiam oretenùs coram testibus, dummodo tamen, vel ex parte præsentantium, vel ex parte præsentati infrà terminum juris hæc deducantur apud Superiorem instituere debentem, ac penès ejus acta, putà exhibendo scripturam, seu curando examinari testes; Pluribus desuper cadentibus quæstionibus super perfectione, vel impefectione voluntatis, quando contingat præsentationem fieri oretenus coram testibus, sive quando præsentatio dici valeat obscura, seu dubitativa, aut aliàs incerta, cum similibus, in quibus utpotè facti potiùs quàm juris, certa regula generalis non cadit, sed decisio pendet ut suprà à facti qualitate, ac terminis generalibus, perfectionem, vel imperfectionem voluntatis regulantibus in quacumque materia indifferenti. *u*

De modo autem præsentandi, an scilicèt debeat esse si-
106 multaneus, vel sufficiat discretus factus à pluribus diversis loco & tempore, habetur actum supra, cum id pendeat ab hujus juris pertinentia an jure singulari, vel potiùs universali, seu collegiativo competat. *x*

Quartum est requisitum, ut præsentatio non contineat conditiones illicitas, ac à jure reprobatas, cùm non dubitetur fieri posse sub licitis, ac expressè non improbatis con-
107 ditionibus, quarum tamen purificatio intra juris terminum sequatur; Cadente quæstione, an improba conditio vitiet actum, vel potiùs ipsa vitiata remaneat, unde pro non scripta habenda sit, quod præsertim in praxi contingere solet in conditione reservationis pensionis; Regula tamen est conditionem potiùs vitiari, potissimè verò, ubi sub reservatione Apostolici beneplaciti adjecta sit, dictaque regula limitatur, quando conditio ità præcisè adjecta fuerit, quod omninò adimat consensum ab actu. *y*

Quintum est requisitum, ut fiat coram illo Superiore,
108 ad quem de jure, vel ex lege fundationis pertinet jus instituendi, sive jus recipiendi præsentationes, ac pretendi ab alio institutionem; Atque sub hoc superioris nomine venit Vicarius Generalis, vel Capitulum sede vacante. *z*

Sextum est habilitatis, seu capacitatis personæ præsentatæ, cum adinstar electionis factæ de indigno, vel incapaci, quoties scienter fiat, nõ solùm actus infectus remaneat,
109 sed etiam inducat pro ea vice privationem sui juris, & causet, vel consolidationem favore aliorum dignè præsentantium, vel devolutionem ad Superiorem; Non tamen prohibitum est præsentare inhabilem, sub conditione habilitatis, seu capacitatis, dummodo hæc intra juris terminum superveniat, ac verificetur, cum censeatur præsentationem fieri de hoc tempore quo conditio purificatur, nisi agatur de præjudicio illius habilis, cui sequuta vacatione jus quæsitum esset, quod per supervenientem alterius habilitatem tolli non debeat, quod potiùs percutit pertinentiam inter plures vocatos ad jurispatronatus passivum, quàm hanc materiam requisitorum ad præsentationis validitatem. *a*

Septimum est, magis pro jure partium, quàm pro jure Superioris, proximè insinuato super persona præsentanda, ut scilicèt sit de genere, de quo ex lege fundationis præ- 110
sentatio fieri debeat, adeout concurrat utrumque jurispatronatus activum, & passivum, quo concurrente extra controversiam est, habentem activum non posse suum jus exercere extra eos, quibus debitum est passivum, quodque aliàs actus habendus veniat pro infecto, atque ille, cui ex passivo debita erat præsentatio, rectè petit à Superiore institutionem jure præsentationis de eo factæ per fundatorem, seu alium auctorem, cum pariter sit receptum hanc legem jurispatronatus passivi facultatem præsentandi restringentem ad certum personarum genus adjici posse, non solùm in limine fundationis, sed quandocumque, nedum per fundatorem, sed per quemcumque possessorem, à quo successores suum jus metiantur, eumque in auctorem agnoscant, unde facultas habentis jus activum, quoties præscriptus non sit ordo proximitatis, seu alterius qualitatis, versatur in gratificatione, seu prælectione inter plures ejusdem generis; Quatenùs verò dictus ordo proximitatis præscriptus esset, non tenetur patronus præsentare proximiorem inhabilem, neque ejus habilitatem expectare, sed præsentare potest remotiorem, quinimò extraneum, quatenùs in universo genere nemo actualiter habilis existat: *b*

Octavum est requisitum, ut in patronis Ecclesiasticis præsentatio sit unica, cum eis accumulandi facultas non 101
detur, in laicis verò ex dicta facultate admittitur secunda, non autem ulterior, quod plures recipit declarationes, de quibus in sua sede. *c*

Nonum, ut fiat de præsente non autem de absente, quod intelligendum venit, non physicè, & contemporaneè, sed 111
moraliter, ut scilicèt præsentatus infrà terminum juris per se, vel per procuratorem se præsentet coram Superiore, atque præsentationem acceptando, institutionem petat. *d*

Decimum est illud vacationis beneficii, cum fieri non possit præsentatio ad vacaturum, minusque constitui pro- 113
curator ad præsentandum pro futura vacatione, nisi agatur de patrono possidente jus præsentandi ad plura beneficia qui ex justa causa procuratorem generaliter deputaverit ad præsentandum in genere. *e*

Undecimum est, quod præsentatio sit de alio non autem 114
de seipso, cum nemo possit seipsum præsentare, benè tamen valeat aliis ipsum præsentantibus adhærere, vel si unicus est, pro seipso Superiori preces porrigere, cum declarationibus, de quibus in sua sede. *f*

Demum duodecimum requisitum est, ut non adsit infectio realis in ipso beneficio, unde juris præsentandi im- 115
pedimentum resultet, quia nempè illi effectum sit litigiosum, quoniam receptum est, ut ea quæ in beneficiis liberæ collationis, vel in electivis in jure disposita sunt, ut pendente super eis tali lite quæ illa reddat litigiosa, conferri per inferiores non valeant, seu ad ea eligi, procedant etiam in illis de jurepatronatus quamvis licali, quinimò etiam Regio in certis casibus de quibus in sua sede; Quoties tamen lis ipsis patronis imputari potest, quia nempè discrepantes in præsentando liti causam dederint, secùs autem ubi nulla eis culpa imputabilis est, cum declarationibus de quibus in sua sede.

Lis autem ad hunc effectum inducit dicitur quando sit super substantia, seu adjudicatione beneficii, de qua litigantes principaliter contendant, quamvis patroni pro eorum jure secundario assistant, secùs autem ubi lis principaliter esset inter compatronos super jure, vel possessione præsentandi, sive inter patronum, & Ordinarium super statu, & natura beneficii accessoriè autem pro eorum jure essent in causa præsentati, vel provisi respectivè, cum in hoc attendatur id quod principaliter agitur.

Quia verùm nil habetur in hac materia peculiare, quod urgeat generalem juris prohibitionem, seu dispositionem in beneficiis liberæ collationis, ad quorum instat per extensionem, vel intensionem id in hac beneficiorum specie procedit, hinc proindè totum id quod in hoc proposito habetur in beneficiis in genere, procedat in hac specie, tam circa litis inductionem, quam ejus extinctionem, seu cessationem, vel calumniam; Ea differentia vigente in his beneficiis de jurepatronatus, quod in istis impedimentum cessa-

re

re potest ex lege de Ordinarii consensu adjecta in limine fundationis, vel legitima consuetudine. *g*

In omnibus autem illis casibus in quibus ob non bene factam præsentationem, locus esset devolutioni ad Ordina-
126 rium, vel alium Superiorem, cui libera remanet collatio, potest idem Ordinarius, vel Superior, nullitatem remittere, atque præsentationem quamvis extra terminum, seu aliàs invalidam admittere, vel terminum prorogare quoties nemine præsentato, ipse liberè ob devolutionem beneficium conferre posset; Secùs autem in iis quæ tertii præjudicium continent, vel sunt ita contrà jus, quod Ordinarii, vel alterius Superioris auctoritas dispensare non valeat, vel nisi ob defectum præsentationis non factæ in tempore Apostolica auctoritas conferat. *h*

r *disc.*63. & 49. s *eodem disc.*64. t *ibidem*. u *ibidem*. x *supra nu.*94. & *seqq*. y *dicto disc.*64. & *sub tit. de pension.* z *eodem disc.*64. a *ibidem*.
b *ibid. & disc.*18. *cum plurib. seqq*. c *d. disc.*64. & *d.*43.
c *d. disc.*64. & *disc.*43. d *eodem disc.*64. e *ibidem*.
f *eodem disc.*64. & *disc.*31. g *d.*1. & 67. h *eodem d.*64.

De attentatis ratione ordinis judiciarii in hac materia cadentibus.

ULtra jam dictam speciem attentatorum in ipsa præsentatione ex litigiosi vitio resultantem; Altera est species attentatorum ratione ordinis judiciari inter ipsos de beneficio litigantes; Id autem dupliciter contingere solet,
127 vel scilicèt ubi lite pendente coram uno judice, alterius judicis auctoritate per collitigantem aliquid præjudiciale geratur, quod nil in hac materia peculiare habet, sed cum terminis generalibus attentatorum lite pendente regulatur, ea solùm specialitate quoad Rotam Romanam in beneficialibus concurrentem, quod ubi lis in hoc Tribunali introducta est, omnes alii judices cessant, ac etiam Apostolicarum litterarum executores, quamvis in eisdem litteris specialiter dati, quorum partes ipsa Rota implet, vel supplet, adeout attentati vitio laboret quidquid per alium gestum sit. *i*

Secundò verò & frequentius circa ea attentata, quæ pro exequutione institutionis uni ex præsentatis in aliorum exclusionem post interpositam appellationem, vel ejus termino pendente gerantur, Quamvis enim in plurium sensu præsentati institutio reputetur actus extrajudicialis potiùs quam judicialis, ideoque sit illicò exequibilis absque neces-
128 sitate expectandi lapsum termini a jure dati ad appellandum, vel quod appellatio impediat, attamen id procedit in institutione præsentati alium coæquali jure venientem in contradictorem non habentis, quia nempè concorditer ab uno, vel pluribus patronis præsentatus esset, undè propterea alium non habeat contradictorem nisi ipsum Ordinarium, vel ejus promotorem fiscalem ex officii debito invigilantem super libertate Beneficiorum, ac legitima justificatione jurispatronatus, cum tunc iste dicatur potiùs oppositor, quàm contradictor, & collitigans; Secùs autem ubi inter plures præsentatos contentio judicialis sit super institutione, ac Beneficii adjudicatione ubi in alterius exclusionem concedenda ratione majoris partis vocum, sive ratione omnimodæ pertinentiæ juris præsentandi unius magis, quàm alterius ex præsentantibus &c. aut ratione jurispatronatus passivi, seu qualitatis, ob quam Beneficium uni potiùs, quàm alteri debitum debeatur, tunc enim sine dubio unus dicitur alteri legitimus contradictor in lite petitorii, in qua Ordinarius, vel alter Superior formales judicis partes assumit, ac explet, & consequenter locus est appellationi suspensivæ, neque ad executionem procedi potest, nisi in vim trium conformium, vel rei judicatæ per commissionem restitutionis in integrum ante ceptam executionem non suspensæ, atque aliàs totum, quod geritur attentatum est. *l*

Idque non solùm, ubi contingat litem, & controversiam tractari coram Ordinario, vel altero inferiori Præla-
129 to, ad quem jus instituendi pertineat; Verùm etiamsi coram executore litterarum Apostolicarum provisionis Apostolicæ uni ex præsentatis concessæ occasione derogationis medietatis, vel alterius partis vocum, seu præsentationis factæ coram Papa; Quamvis enim litteræ Apostolicæ de sua regulari natura paratam executionem habeant, atque spreta appellatione, vel non expectato lapsu termini juris ad appellandum, executioni demandari valeant, neque dicatur legitimus contradictor habilis ad limitandum dictam regulam ille, qui parem titulum ab eodem fonte non habeat, juxtà generales terminos legitimi contradictoris, de quibus in sua beneficiali materia, attamen inter plures præsentatos, de numero vocum, seu jure præsentantium contendentes, certum est, quod unus est alteri legitimus contradictor, quamvis prævenienti in dicta Apostolica provisione, quam solus habeat, sive habeat anteriorem in proposito attendendam; Tum quia hujusmodi litteræ, juxta earum consuetam formulam continent clausulas, quæ mixtum executorem reddunt; Tum etiam, quia substantia gratiæ pendet nedum à verificatione jurispatronatus, quæ pro conditione per ablativum absolutum adjici solet, sed etiam à numero vocum legitimarum, ac existentium in quasi possessione præsentandi, & cum cujus numeri præsupposito alteri vocum parti deficienti Papa deroget, ideoque hæc justificatio, seu vocum computatio formale judicium exigit, in quo executor judicis partes assumit, ac propterea mixtus non autem merus dicendus est, ex quo de consequenti resultat judicium ordinarium, vel appellabile non autem exequutivum; Quamvis enim regulam habeamus, quod Papa non attentet, neq; in ejus gratiis, ac litteris attentatorum vitium cadat in executore, seu modo exequendi. *m*

i *disc.*67. & *sub tit. de Benefic.* l *ibid. & disc.*31. & *tit. de Benefic.* m *ibidem*.

De provisionibus Beneficiorum de jurepatronatus absque illius mentione, ac derogatione respectivè, sive cum ista, quando valeant necnè, Et generaliter de jurispatronatus revocationibus. vel derogationibus, vel specialibus.

POsita jurispatronatus, vel præsentandi existentia, adeout Beneficium careat ejus consueta, seu connaturali libertate, cui illud non restituerint, generales revocationes contentæ in Concilio Tridentino, vel in Constitutionibus Innocentii VIII. & Adriani VI. de quibus infrà; Quatenùs pertinet ad Ordinarium, sive alterum qui 120
Papa sit inferior, extra controversiam est, quascumque provisiones de hac Beneficiorum specie factas absque patronorum consensu nullius esse roboris ac momenti, sive jurispatronatus sit laicale, sive Ecclesiasticum, ac sive ex jure speciali privilegii, vel consuetudinis, vel ex jure communi fundationis, vel dotationis, cum Ordinario, vel cum cui ipse fuam in hoc potestatem communicaverit, facultas non detur juris dispositioni derogandi, vel dispensandi, neque tollendi jus tertii, undè Ordinariorum provisiones in hac Beneficiorum specie sequuntur solùm, vel jure devoluto, patronis in termino præsentare negligentibus, seu aliàs malè præsentantibus, validamque præsentationem non concludentibus, vel ex patronalis qualitatis negatione conferendo tanquam de libero.

Quæstiones igitur cadere solent in provisionibus Apostolicis, circa quas recepta distinctio est superiùs insinuata in procemialibus occasione agendi de absoluta Papæ potestate in materia, quod; Aut agitur de jurepatronatus Ecclesiastico, & tunc nisi obstet lex fundationis, ut illud laicalis naturam retinere debeat (quo casu lex servanda est,) non solùm hujusmodi Beneficia cadunt sub regulis Cancellariæ, ac generalibus Apostolicis reservationibus, vel affectionibus ad instar Beneficiorum liberè collationis, sed quæcumque provisiones particulares validæ sunt, quamvis nulla jurispatronatus mentio facta sit, vel specifica derogatio, quæ in esse censetur, adeout quoad Papam ex ratione loco citato insinuata, nulla dignosci videatur differentia inter hæc Beneficia, & alia liberæ collationis. *n*

Idemque in omnibus quoad illa jurispatronatus laicorum ex jure speciali privilegii, vel consuetudinis, præterquam quoad jurispatronatus possessum per Reges, vel Principes 121
jus Regium habentes, idque licèt amplum sit privilegium, & quamvis clausulas contineat, quod ex fundatione, vel dotatione censeri debeat, perinde, ac si verè, & realiter fundatio, vel dotatio accesserit, siquidem juxtà Beneficialistarum dicterium, quo magis hujusmodi clausularum amplitudo accedit, eo magis gratia, & privilegium est. *o*

Si verò sit jurispatronatus laicale ex fundatione, vel dotatione, de cujus explicito titulo constet, seu etiam de implicito, seu præsumpto juxta eas diversas probationis species, de quibus habetur supra inter potentes, & privatos, 122
tunc receptum est hujusmodi Beneficia non cadere sub Apostolicis reservationibus, vel affectionibus quamvis primariis, sive contineantur in Regulis Cancellariæ, sive in corpore juris, etiam illa apud Sedem, quæ omnium major reputatur, cum hæc soleat, quidem causare specialem derogationem, non tamen reservationem inducit. *p*

Prout quæcumque speciales provisiones, quamvis ex causa resignationis, vel permutationis non facta hujus qualitatis

litatis mentione (quæ ubi sit secum trahit derogationem
123 invalidæ remanent, ac nullius momenti; Cadente solum quæstione in casu resignationis ad favorem, vel permutationis, an hic actus nullus abdicet necnè jus à faciente, itaut fiat locus vacationi, ac successivè novæ præsentationi, vel potiùs resignanti, vel permutanti detur regressus ad suum Beneficium; Et quatenùs detur, an requiratur nova provisio, quod non de facili certam generalem recipit determinationem utpotè à singulorum casuum qualitate, ac circumstantiis pendentem, ex concursu scilicèt, vel negatione dolosi, vel culposi spretus patronorum, juxtà distinctiones de quibus in sua sede. *q*

Quamvis verò, ut supra in procemialibus advertitur, absoluta sit Papæ potestas circa hujusmodi derogationem, cum etiam laicale jurispatronatus ex fundatione, vel dotatione, utpotè ab Ecclesiæ benignitate introductum non au-
124 tem de jure naturali, vel gentium, sed ex mera gratia competat, non tamen solet nisi ex causis supra insinuatis, quæ ibi videri possunt, nè eorumdem super illa repetitio fiat. *r*

Quo verò ad comprehensionem sub generalibus Apostolicis reservationibus, sive quoad particulares implicitas
125 derogationes. Quæstiones cadunt in casu mixturæ, quæ dupliciter datur; Primò scilicèt laicalis, & Ecclesiasticæ qualitatis ob possessionem, vel pertinentiam utriusque generis personarum, quamvis totum ipsum jurispatronatus in genere de justitia, seu ex jure communi competat, Atque isto casu, ut etiam superiùs advertitur, ubi mixtura est æqualis, extra controversiam est, laicalem in proposito magis proficuam, & privilegiatam præponderare, ac attendi debere; Cadente quæstione in casu inæqualitatis, quia laicalis magis privilegiata qualitas esset minor, an scil. à majori, vel præponderanti Ecclesiastica suffocetur, ut una opinio credit; Probabilior autem videtur altera, ut mixtura dictæ laicalis qualitatis, talis qualis illa sit, etiam minor, ab hoc præjudicio præservet. *s*

Altera est mixtura gratiæ, & justitiæ, seu juris communis, & specialis in eodem jurepatronatus laicali, quod partim ex privilegio, partim verò ex causa onerosa restaurationis, vel augmenti dotis competat: Et tunc intrat dicta consideratio præponderantiæ, ut scilicèt si major est gratia ultrà medietatem, quia nempè dotis augmentum non adæquet antiquam Ecclesiæ dotem, totum censeatur ex gratia, & privilegio, ideòque cadat sub reservationibus, secus autem è converso, si causa onerosa præponderet; Cadente aliàs quæstione in casu omnimodæ æqualitatis, quia nempè tanta esset antiqua dos, quanta nova, quæ scilicèt pars præponderare debeat, sed receptum est præponderare illam, quæ causa fuit concessionis pro dicta subjectione evitanda, ideòque totum jurispatronatus ex justitia, seu causa onerosa competere dicitur, quæstione remanente circa valoris, vel antiquæ dotis computationem, an scil. veniant incerta, quod plures habet distinctiones non de facili sub compendio cadentes, in sua sede videndas. *t*

Eatenus verò intrat super às insinuata nullitas Apostolicæ provisionis factæ spretis patronis, quatenus isti contradicant, atq; se contemptos dicant, secus autem si scientes taceant, ita implicitè ratum habentes, multòque magis si explicita ratificatio accedat, undè propterea dicitur hæc nul-
126 litas eventualis, implicitum habens statum validitatis, quatenus dicta contradictio non sequatur, quod nedum in Apostolicis provisionibus locum vendicat, sed etiam in illa provisione, quæ dari potest in Ordinario, seu Prælato inferiori ex causa permutationis, cum resignatio ad favorem, aliàs quàm Apostolica auctoritate sequi non valeat. *u*

Pensionis autem reservatio, quæ pariter Apostolicæ au-
127 ctoritatis speciale est, etiam in hac specie laicalis jurispatronatus justitiæ, tale mentionem non exigit, nisi agatur de Patronatu Regio, vel jus Regium habente, super quo difficiliùs Papa pensiones reservat, licèt neque in privato moderno tempore id soleat practicari. *x*

Quo verò ad generales revocationes ipsius jurispatrona-
128 tus in genere, una continetur in Concilio Tridentin. quæ percutit competens ex puro privilegio absque aliqua causa onerosa, cujus modica mixtura sufficit ad dictam revocationem evitandam; Concurrente verò aliqua mixtura, intrat revisio per idem Concilium demandata, cum distinctione ab annis 40. citrà.

Constitutiones autem revocatoriæ Innocentii VIII. & Adriani VI. aliquas continent distinctiones, de quibus nimium rerum est in foro agere, nisi quando contingeret casus, in quo non intraret Apostolicæ reservationes, vel affectiones, quoniam cum istæ magis de plano intrent in casibus in dictis Constitutionibus cadentibus, hinc supervacaneum est de illis quærere, vel agere. *y*

n *disc.*65. & 66. o *ibidem. & disc.*10. p *d. disc.*65. & 66. q *sup. n.*5. & *seqq. & d. disc.*65. & 66. r *sup. d. n.*5. & *seqq.* s *disc.*59. & *d. disc.*65. & 66. t *disc.*10. & *d. disc.*65. u *disc.*66. & 44. x *d disc.*66. y *disc.*65.

De legibus, & conditionibus per Fundatorem, vel alium posse ssorem, in limine, vel ex intervallo adjectis, an & quæ valeant, vel adjectæ revocari, seu alterari possint.

TRiplex præjudicium respicere solent leges, & conditiones; Unum est Ecclesiæ cujus onus, vel servitutes amplient, Alterum est Ordinarii, vel alterius Superioris cujus potestatem restringat; Et tertium est patronorum, seu aliàs ad utrumque activum, ac passivum jurispatronatus vocatorum.

Primò, & secundò casibus certum est attendendas non esse nisi illas leges, & conditiones quę in limine fundationis, de Ordinarii, vel alterius legitimi Superioris consensu 129
adjectæ sint, cum isto solùm casu dictoque consensu accedente concedatur adjicere leges, & conditiones quamvis juri contrarias, non autem ex intervallo quando Episcopus, vel Prælatus quemadmodum alienare non potest, ita neque pati novas servitutes, vel juris quæsiti præjudicium, Nisi id quod ex intervallo agitur, non sit per viam novæ legis, vel conditionis, sed per viam declarationis ambiguæ fundationis, quoniam etiam in actibus obligatoriis, ac irretractabilibus admittitur declaratio donatoris, vel alterius contrahentis, dummodò primus actus ità sit ambiguus, quod rectè cadat terminus declarationis, seu interpretationis, ac etiam declaratio sit verisimilis, vel aliàs adminiculata, nè aliàs indirectè ęquatur, id quod est directè prohibitum.

Ubi verò de consensu Ordinarii leges adjiciantur in limine fundationis, receptum est eas, quamvis juri contrarias esse servandas, ideòque statui potest, ut in casu derogationis jurispatronatus, seu cujuscumque provisionis aliàs quàm ad præsentationem, redditus, vel emolumenta aliis usibus applicentur.

Item, quod præsentatio fieri possit ultra terminum juris; Ac etiam quamvis esset litigiosum; Vel quod prædecessor eligat successorem; Sive quod sufficiat minor ætas, quàm præscripta per S.C.T. cum similibus. *z*

Credunt aliqui posse fundatorem ex intervallo immuta-
re naturam beneficii, illudque de perpetuo facere manua- 130
le, quod tamen non videtur utile, quoniam est minuere jus Ecclesiæ, adhuc tamen casus non est formaliter discussus, nec decisus, Datariæ autem stylus probat veriorem esse negativam. *a*

In tertio autem casu, quo novarum legum adjectio, vel antiquarum alteratio percutiat solùm præjudicium successorum in jurepatronatus, atque nova lex percutiat solùm accidentia super modo in eo succedendi, puta quia de hæreditario efficiatur gentilitium, vel familiare, extra con- 131
troversiam est, sive per fundatorem, sive per quemcumque possessorem fieri posse, cum successores non possint ob hæreditariam qualitatem, auctoris factum impugnare; Idemque ubi adiicitur qualitas passiva, inducendo scilicet necessitatem præsentandi personas de certo genere, seu certam qualitatem habentes cum similibus; Secùs autem ubi successores veniant jure proprio independenter ab alterante, ut supra quoque advertitur; Cadentibus quæstionibus in primo fundatore de quibus etiam supra. *b*

z *disc.*64 & 67. a *disc.*15. b *disc.*15. *cum plur seqq.*

De amissione, vel cessatione jurispatronatus.

DUpliciter de amissione jurispatronatus agi contingit; Primò scil. ejus existentia firma remanente atque Ecclesia in statu servitutis continuante, circa amissionem pertinentiæ ad favorem compatroni, vel alterius; Et secundò circa existentiam, seu omnimodam cessationem ob quam Ecclesia contendat de libertate.

Primò casu non intrant illæ species amissionis ex delicto, quæ intrant in secundò, ideòque amissio restringitur, vel ad alienationem juxta modos de quibus supra circa translationem de uno in alterum *c*, vel ad præscri- 132
prionem, in qua procedendum venit cum terminis generalibus, quos in omni jure indifferenti præscribendo habemus, attenta principaliter persona negligentis contra, quam præscriptum esse prætenditur; an scilicèt sit talis, quod fuum jus remmittere, vel alienare possit in præjudicium successorum, vel è contra, ut primo casu benè pro- 133
cedant dicti termini generales præscriptionis adimentis jus ubi eius requisita concurrant, secùs autem in altero, quoniam qui alienare non potest minus pati potest præscri-

ptionem, quæ proindè inducta contra prædecessorem non præjudicat successori ab eo independenter venienti ex propria persona, Tum ex dicta ratione, Tum ex altera quod non valenti agere non currit præscriptio; Adeout aliqui credant; quod etiam si centenaria concurrat, ea successoribus in gentilitio, *vel familiari* præjudicare non debeat, quòd tamen *circumspectè* intelligendum venit, quatenus scilicet constet de initio infecto, quodque possessor alium non alleget titulum nisi illum, quem ibi tribuit præscriptio ex sola dispositione legis, ita ad tollendam incertitudinem dominiorum diuturnam negligentiam punientis; Secus autem, ubi allegaretur aliquis legitimus titulus, quem centenarius possessor justificari non tenetur, stante hac possibilitate alleganti titulum de mundo meliorem, ex centenaria, vel immemorabili resultantem.

Idemque quoad præscriptionem procedit, si illa allegaretur per Ordinarium, vel alterum de beneficii libertate contendentem, seu illam ex parte Ecclesiæ, allegantem; Iste autem casus in parte majorem, in parte verò minorem patitur difficultatem ad præscriptionem inducendam, Majorem scil., quoniam actus collativi facti per superiorem præsertim verò per Papam solent esse æqui voci, utpotè ad devolutionem, vel ad derogationem pro ea vice referibiles, ubi præsertim essent ex causa resignationis, vel permutationis, ideòque constare debet de animo privandi, eodem modo, quo supra dictum fuit de illa præscriptione, quam compatronus alleget contra compatronum, cujus non præsentantis jus, non constito de dicto animo, potiùs à præsentatione compatroni conservatur; Minorem verò ob minus rigorosè justificanda, cum non agatur de præscriptione odiosa continente quandam speciem punitionis negligentiæ, ob quam rei dominium ab uno abdicetur, & alteri acquiratur, sed de favorabili, per quam Ecclesia suæ naturali libertati restituatur; Ac etiam quia ea potius continere videtur remissionem, quàm formalem alienationem, ideoque magna differentia est inter unum casum, & alterum super modo discutiendi præscriptionis requisita, quæ, & qualia sint illud præsertim bonæ fidei ac scientiæ, & patientiæ, habetur supra in altera rubrica super modo acquirendi per hujusmodi præscriptionis viam. *d*.

Per delictum Patroni in ipsam Ecclesiam in specie, seu grave in Ecclesiam in genere, amittitur jus patronatus, in præjudicium tamen hæredum, & successorum, quibus
134 ipse delinquens præjudicare potest, non autem venientium independenter jure suo, in quorum præjudicium expressam alienationem, vel remissionem facere non posset; Ubi verò delictum esset indifferens, quamvis tale quod ipso effecto servo pœnæ, locus esset bonorum publicationi, seu confiscationi non acquirit Ecclesia libertatem, sed remanet quæstio inter fiscum hæredem anomalum, ac legitimos delinquentis ab intestato successores, pro quibus potius respondendum est, quatenus extent, quoniam eis non extantibus, secluso etiam delicto, fiscus favorabilis hæres, & successor probabilius non succedit in jurepatronatus; principaliter stante de per se, secùs autem in consecutivo utpotè, Castro seu prædio annexo, cum quo transit in fiscum, uno vel altero modo succedentem, ut supra etiam advertitur. *e*

Admittitur quoque per ipsius jurispatronatus simoniacam alienationem, pecunia, vel alia re temporali median-
135 te, quæ principaliter pro eo data sit tanquam pretium; Ac etiam ex novo jure Concilii Tridentini, ubi Patronus se ingerat in perceptione fructuum, seu occupatione bonorum pertinentium ad ipsam Ecclesiam cujus patronatum habet, cum eadem tamen distinctione, an ita delinquens præjudicare possit, nonè successoribus dependenter, vel respectivè independenter venientibus, cum similibus, quibus pro facti qualitate eadem ratio congruat. *f*

Mutatio verò status Ecclesiæ non causat jurispatronatus amissionem, ideoque si fiat Cathedralis, vel Collegiata,
136 Patrono remanet jus præsentandi Canonicos, vel alios Beneficiatos, respectu tamen Canonicatuum, & Beneficiorum, quæ ex ipsius Ecclesiæ antiqua dote, & redditibus erecta sunt, ut supra advertitur, excepto tamen Episcopo, seu majori Prælato, cujus mensæ bona Ecclesiæ patronatæ applicata sint, nisi aliàs in ipsa erectione ex Apostolica auctoritate cautum sit, ut quandoque præsertim in Ecclesiis de Regio patronatu praxis docet. *g*

c *sup. num. 25. & seqq. & disc. 56.* d *ibidem, & disc. 63.* e *disc. 28. & sup.* f *disc. 56.* g *disc. 55 56. & 66.*

De juribus honorificis patrono competentibus.

ILlud in proposito jurispatronatus honorifici, ac patronalium præeminentiarum præ omnibus considerabile est, ut non requiratur ad justificationem illa concludens, & exacta probatio, quæ requiritur ad effectum juris præsentandi, ex quo verè, ac propriè formalis Ecclesiæ servitus resultare dicitur, sed leviores admittantur probationes etiam in personis potentibus, quæ in hoc non differunt à privatis, dum rigorosa forma per Concilium Tridentinum inducta istum casum solius jurispatronatus honorifici non percutit.

Inter hujusmodi jura, frequentiùs, ac principaliter per scribentes collocatur illud alimentorum Patrono inopi præstandorum, ad instar eorum, quæ de prophano patronatu libertorum in jure civili statuta sunt, nimium tamen rari sunt hujusmodi casus in foro, seu praxi, cum frequentiùs jurispatronatus divitum Ecclesiarum, quæ Rectorem, ac ministros congruè subsistentare, ac ulteriùs Patrono alimenta suppeditare valeant, ut plurimum penès Magnates, & Potentes, sive nobiles, ac divites viros esse soleant, in exiguis autem Beneficiis à personis privatæ fortunæ fundari solitis rarus videtur casus hujusmodi exuberantiæ; Adhuc tamen isto casu nimium reflectendum videtur ad ipsius patroni inopiam quatenus ipse solus pro se supplicet, ut preces aliàs facultativæ ita efficiantur necessariæ, sive ubi majori parte legitimam præsentationem non concludente, locus esset gratificationi, in quo data æquali idoneitate præsentatorum, libertas est Superioris unum, vel alterum instituendi, cum sanguinis, vel proximitatis circumstantia ad effectum prælationis in concursu, sit motivum congruentiæ non autem præcisæ necessitatis, cujus isto casu esse debeat dum ita eodem tempore æquè benè Ecclesiæ ministro, ac patrono indigenti de alimentis provideturr, ac aliàs injustitiæ, seu iniquitatis species esset, à qua appellatio, vel recursus ad majorem admitti deberet.

Super aliis præeminentiis, seu juribus honorificis, quamvis scribentes pro casuum contingentia, vel collectores plura referant, puta sedes in loco honorifico, vel jus privativum ingrediendi locum, in quo aliis sæcularibus aditus non datur; admitti adj osculum pacis; Habere primum locum post Principem, vel Magistratum primam figuram facientem in distributione palmæ, vel candelæ supra alios sæculares digniores, & similia; Nihilominus cerra, & determinata regula generalis desuper tradi non potest, sed decisio pendet ab observantia particulari, vel à regionis more generali, aliisque facti circumstantiis illa præeminentia potissimum de jure admittenda pro regula generali circa jus privativum reficiendi, vel ornandi, nè occasione mixturæ aliorum reficientium, vel ornantium tractu temporis ipsi patrono præjudicari valeat *h*

Reliqua ad materiam, vel communia sunt alteri magis generali materiæ beneficiali, vel nimium rarò in foro audiuntur, de quibus apud eos, qui materiam ex professo tractare profitentur; Et licèt sub ista pleraque spheræ altioris cadant, super jure scil. nominandi, quod aliqui Reges, & Principes habent, vel habere prætendunt in provisionibus Cathedralium, & Metropolitanarum, seu Monasteriorum, Attamen istæ inspectiones cadere non solent sub forensibus disputationibus, de quibus, non autem de formali totius materiæ tractatione agitur, & quia pleræque regulæ prudentiales non de facili concedunt has, aliasque similes quæstiones, licèt frequenter actas apud supremos, publicitati exponere.

h *disc. 52. & 53.*

Finis Partis Primæ Libri Decimitertii.

JO:

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Decimitertii Pars Secunda,

DE PENSIONIBUS ECCLESIASTICIS.

RAVENNATEN. PENSIONIS, PRO ARCHIEPISCOPO. CUM PRINCIPE CAMILLO PAMPHILIO.

Casus disputatus in Rota, & in possessorio decisus pro Camillo.

De reservatione pensionis eventualis, & per speciem expectativæ post mortem alterius pensionarii, vel reservatarii fructuum. An & quando valeat; Et an gratia dicatur pura, & perfecta ab initio, dilata executione ad tempus mortis alterius pensionarii, vel reservatarii, vel potiùs sit conditionalis, ad effectum inspiciendi, An gratia expiret per contingentem intermediam mortem Papæ.

Et incidenter, An matrimonium, præsertim cum bigamia cessare faciat pensionem; Et quando Indultum desuper concessum suffragetur, & ad quos effectus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ in possessorio cum rejectione aliquarum exceptionum.*
3 *Gratia solo verbo perficitur, atque ad ejus essentiam necessaria non est scriptura.*
4 *Quomodo intelligatur conclusio, quod supplicatio non registrata non tribuit jus, neq; importat gratiam perfectã.*
5 *Instrumento publico non præjudicat, quod non reperiatur originalis, imbreviatura, seu matrix. quæ solet negligi.*
6 *Litteræ pensionis possunt expediri in vim cedulæ Concist.*
7 *In actibus publicis Concistor. cessat suspicio falsitatis.*
8 *Per bigamiam non cessat pensio, si præcedit indultum.*
9 *Atq; prima cedula bancaria adhuc durat pro dispensato.*
10 *Quod indultum retinendi non obstante mutatione status non tribuat novum jus, sed conservet antiquum.*
11 *Quod dispensatio retinendi beneficium jurispatronatus non eget istius derogatione.*
12 *Concilia Generalia egent nota speciali, & non veniunt sub derogationibus generalibus, & quando secus.*
13 *Gratia conditionalis est imperfecta expectans perfectionem à conditionis purificatione.*
14 *Gratia imperfecta expirat per mortem Papæ concedentis.*
15 *Gratia conditionalis dicitur perfici de tempore purificatæ conditionis.*
16 *De concessione præventiva, seu abusiva in supplantationem successoris, & num. 24.*
17 *Quando gratia dicatur conditionalis.*
18 *Substantia pensionis residet in fructibus beneficii, declaratur num 28.*
19 *Non possunt duo insolidum habere ejusdem rei dominium, vel jus coæquale.*
20 *Clausula, ex nunc pro tunc, quid operetur.*
21 *Conclusio casus pro validitate reservationis, & de aliis similibus casibus.*
22 *Quando conditio non percutiat substantiam, sed potiùs executionem actus, qui proindè dicatur purus, & perfectus.*
23 *Dantur exempla in gratiis expectativis, in unione, & coadjutoria.*
24 *De conclusione, de qua num. 16.*
25 *Gratia solo verbo perficitur, & non expirat per mortem concedentis.*
26 *De argumentis, ob quæ pensio eventualis substinetur.*
27 *Respondetur contrariis, quod hæc gratia sit conditionalis.*
28 *De conclusione, de qua num. 18.*

DISC. I.

DImissa per Card. Capponium Eccl. Metropolit. Ravenn. cum reservatione fructuum ad ejus vitam, assignata successori Archiep. competenti congrua, juxtà stylum, de illa provisus fuit Lucas Torregianus ejusdem Card. ex sorore nepos per Inn. X. qui in ipsa provisione, vel præcedenter, ad favorem Camilli Pamphilii ejus ex fratre nepotis, tunc Card. super ejusdem Eccl. fructibus reservavit annuam pensionem sc. 6. m. consequendam post mortem d. Card. seu aliàs dictam fructuum reservationem cessatam. Cum autem iste casus cessationis reservationis per mortem reservatarii, contigisset post jam sequutam mortem d. Pont. reservantis, atq; in diverso statu d. Camilli, qui dimisso Cardinalatu, uxorem viduam duxerat Principissam Rossani; Hinc dictus Lucas Ecclesiæ possessor prætendere cœpit, reservationem prædictam, sive per mortem Papæ, sive per dictam mutationem status cum matrimonio, & bigamia cessasse; Vel ipsam reservationem invalidam esse ex defectu consensus d. Card. reservatarii, & ex aliis, de quibus infrà; Unde introducta causa in Rota cor. Alberg. cum ex parte pensionarii, suspenso petitorio, assumptum esset solùm possessorium manutentionis, stante cautela initio 2
adhibita solutioni cujusdam modicæ summæ, per quam ex tunc decretum fuit legitimam possessionem exigendi acquiri debere, sub die 1. Jun. 1660. in possessorio prodiit resolutio pensionario favorabilis, impress. post Zuff. *de legit. proc. dec. 55. repet. post colluctat. Bondeni dec. 81.* Deindeque altera pensionario prodiit resolutio pro pensionario informante 1. Dec. 1662. cor. eod. arq; Titularis acquievit.

In dicta disputatione, magis verò in Advocatorum congressibus ex parte Archiep. desuper habitis, tres fuerunt puncti; 1. sc. an adesset vitium in ipsa reservatione ob defectum consensus d. Card. reservatarii, seu per alium defectum; 2. an per mortem Papæ ante purificatam conditionem gratia evanuerit; Et 3. an per matrimonium contractum à pensionario, præsertim in qualitate bigamiæ, pensio extincta esset.

Primus punctus prætendebatur ex parte actoris sopitus cum solo facto, quia doceretur de consensu tam Archiep. noviter provisi, quàm dicti Card. reservatarii; Et quamvis in originali matrice instrumenti dictorum consensuum, ille Card. esset per apostillam, super qua aliqui defectus, ac suspiciones per causæ Patronum considerabantur, attamen per Rot. neglectum fuit; Tum ob legalitatem, ac probatam fidem Notarii; Tum ob vehemens verisimilitudinis adminiculum, & fortiùs, quia in alio instrumento nullam patiente suspicionem inito per ipsum Card. dictus consensus enunciatur, sed de his incidenter in quæstione possessorii.

Alter deducebatur defectus, quod adesset quidè litteræ, sed non adesset supplicatio; Rejectum tamen fuit motivũ; Tum quia hujusmodi exceptio non admittitur in hoc summariissimo possessorio, pro quo sufficit possibilitas justificationis in judicio ordinario petitorii; Tum etiam, quia ut ego motivando in congressu dicebam, ubi etiam in disputatione petitorii de dicta supplicatione non doceretur, non tamen exinde inferri posset ad gratiæ nullitatem, quoniã in puncto 3
juris, ad reservationis pensionis essentiam, seu validitatem, præcisè necessaria non est scriptura, cum gratia solo Papæ verbo perfici dicatur, supplicatio autem signata deserviat ad faciliorem probationem concessionis, ac perfectionis voluntatis, non autè ad substantiã gratiæ, Cassad *dec. 4. n. 2. de caus. poss. & prop.* Gomez. *ad reg. de non jud. jux. form. supplic. qu. 5.* Gigas *de pens. q. 34.* Lotth *l. 3. q. 1. n. 4. cum seq. & q. 2. per tot.*

Et quamvis in materia beneficiali, neque supplicatio signata sufficiat ad gratiæ perfectionem, ac certitudinem, nisi etiam sequatur registratio, per quam & non prius resultare dicitur jus quæsitum; Attamen ut in sua materia *sub tit. de benef.* pluries advertitur, id provenit ex eo, quod 4

ante regiſtrationem, ſupplicatio detineri, ac etiam lacerari poteſt per Datarium ob aliquam deſectam ignotam circumſtantiam, ſeu ex alio motivo, non autem ut ſupplicatio ſit præcisè neceſſaria ad ſubſtantiam, & probationem, ut ita diſtinguendo advertitur in Romana legati pii 4. Februarii, & 12. Maii 1628. coram Coccino, & apud Celſum *deciſ. 161. num. 8. & ſeqq. & in aliis*; Ideoque aliud eſt agere, an ſupplicatio cum ſola ſignatura ante regiſtrationem tribuat jus, necne, aliud verò, an amiſſio ſupplicationis ſuper gratia aliundè per litteras juſtificata illi præjudicent; Licèt enim litteræ non expediantur ſine prævia ſuplicatione, attamen poſtquam per manus tot officialium ſunt reviſæ, & plumbatæ, potiſſimè ex aliquo temporis intervallo, non exiſtentia ipſius ſupplicationis originalis, quæ in medio fólio volanti de facili peremptioni ſubjecta eſt, non tollit ſubſtantiam gratiæ, quia præſumptio eſt pro officialibus, ut *deciſ. 313. par. 11. rec. num. 8.* Et adinſtar eorum, quæ in jure habemus de matrice, ſeu originali imbreviatura inſtrumenti, quæ negligi ſolet, & poſtquam illud in publicam formam redactum eſt, ejuſque non exiſtentia non præjudicat, quamviſ eſſet matrix, Oldo *conſ 78. num. 22. & ſeqq.* Rot. *deciſ. 349. num. 24. par. 10. recent.*

Clariùs verò in hac facti ſpecie ex duplici circumſtantia; Primò ſcilicet, quod aderat cedula Conciſtorialis, cujus vigore poſſunt etiam expediri litteræ, Pariſ. *de reſignat. lib. 8. quæſt. 5. num 25. & 28.* Et ſecundò, quia non agebatur de gratia facta per Papam in camera, unde cadere poſſet ſuſpicio falſitatis, vel ſuppoſitionis, ſed facta in publico Conciſtorio, ac etiam ab initio fuit res in Curia notoria.

Tertium fundamentum ceſſationis, ſeu extinctionis penſionis ratione matrimonii, & bigamiæ, pariter modicam habuit juris inſpectionem, utpotè ſublatum incontinenti cum facto ampliſſimi Indulti ante matrimonium, ac dimiſſionem Canderalatus præventivè conceſſi cum facultate retinendi penſiones, bigamia, vel militia, ac non inceſſu in habitu non obſtantibus; Et de quo indulto poſt præſentem diſputationem actum quoque fuit in Patavina penſionis coram Celſo *inter ſuas deciſ. 355. & 395.* occaſione diſputandi, an cedula bancaria per camplorem facta pro aſſecuratione ſolutionis penſionis reſervatæ ad favorem ejuſdem Camilli in ſtatu Cardinalitio ſuffragaretur, ac duraret pro eadem penſione, ad favorem ejuſdem effecti ſæcularis, ac bigami, & deciditur contra camplorem, ex ea ratione, de qua particulariter agitur infrà in Cæſarauguſtana *diſcurſ. 44.* quod ſcilicet hujuſmodi indulta non tribuant novum jus, neque important novam reſervationem, ſed ſolùm præventivè removent impedimentum futuræ vacationis, aliàs ex mutatione ſtatus reſultandæ, ejuſdem vacationis principio ſe opponendo, ideòque perſeverat antiqua gratia per ſolam remotionem obſtaculi, ac ſi aliàs præjudicialis mutatio ſtatus non contigiſſet, eo modo, quo ante Conſtitutionem Urbani VIII. habebamus de indultis conferendi reſervata, & affecta Cardinalibus Epiſcopis, vel Archiepiſcopis.

Et ob quam rationem habetur, quod licèt in proviſionibus beneficiorum de jurepatronatus laicorum ex fundatione, & dotatione, multò verò magis ſi eſt regium, neceſſaria eſt dicti juris mentio ſpecialis cum ejus derogatione ſine cauſa non ſolita concedi, quòdque aliàs proviſio ſit nulla, non tamen id procedit in facultate, quæ poſſeſſori beneficii conceditur ſuper retentione non obſtante promotione ad Epiſcopatum, vel aſſequutione alterius incompatibilis, ut advertitur in ſua materia *ſub tit. de jurepatronat. diſc. 66.* quoniam id non importat novam proviſionem, ſed continuationem ſtatus antiqui, removendo ſolùm obſtaculum vacationis, illique præventivè occurrendo.

Minùſque in congreſſibus dicebam, tutum videri motivum ab aliquibus ex congregatis excitatum ſuper dicti indulti inefficacia ob non factam ſpecialem derogationem Concilii Generalis Lugdunenſis regiſtrati *inc. 1. de bigamis in ſexto*, ex recepta propoſitione, de qua præſertim frequenter *ſub titul. de decimis, ac alibi*, quod Concilia Generalia non veniunt ſub derogatoriis generalibus, ſed indigent nota ſpeciali, quoniam cum idem indultum contineret ſpecialem derogationem Concilii Lateranenſis peohibentis reſervari penſiones ſuper Eccleſiis Cathedralibus, & Metropolitanis, deindè verò ſubſequeretur derogatio generalis, non obſtantibus quibuſcumque Conciliis, vel Conſtitutionibus, iſta generalitas comprehendit etiam Concilia Generalia, cum ita conſtet de intentione Papæ, quod cogitaverit ad Concilia Generalia, eiſque derogaverit, dum dicta concluſio fundata eſt ſola juris præſumptione veriſimiliter deficientis voluntatis, quæ præſumptio ceſſat ex contraria probatione etiam præſumptiva, ut in his ſpecialibus terminis bigamiæ advertitur *deciſ. 7. num. 4. par. 5. recent.* cum aliis in hujus cauſæ deciſione, & habetur pluries *ſub dicto titul. de decimis*, occaſione agendi de validitate privilegiorum ſuper exemptione à decimis non continentium ſpecialem derogationem Concilii Generalis regiſtrati *in cap. nuper de decimis*.

Unicè igitur in puncto juris inſpectio cum aliqua opinionum diverſitate, in congreſſibus Advocatorum, magiſquam in diſputatione habita in Rota fuit ſuper ſecundo ſupra inſinuato puncto expirationis gratiæ per ſuperventam mortem Papæ, adhuc pendente conditione, ſub qua iſta reſervatio facta erat.

Super hoc autem motivo illius promotores, qui conſtanter in eo inſiſtebant, cum magno etiam apparatu allegationum, in diſcurſu deſuper habito deducebant; Primò, regulam ſeu propoſitionem generalem, quod gratia conditionalis ante conditionis eventum nullum jus, neque in re, neque ad rem tribuit, utpotè imperfecta expectans perfectionem à purificatione conditionis, ut ultrà generalia, quæ habemus in actibus conditionalibus indifferentibus inter vivos, vel per ultimam voluntatem, in terminis ſpecialibus gratiæ præventivæ de beneficio, cum prius per ceſſum, vel deceſſum vacaret, Pariſ. *conſil. 82. num. 6. & 7. lib. 4.* Garz. *par. 5. cap. 1. num. 153.* Gabr. *conſil. 186. num. 25. & 26. lib. 1.* Rota *deciſ. 1311. par. 3 diverſor. lib. 3. deciſ. 614. num. 45. par. 4. recent. tom. 3.*

Quà concluſione poſita, inferebant ad aliam concluſionem reſultantem ex diſpoſitione textus *in cap. ſi cui de præbendis in ſexto*, de qua Gabr. *dicto conſil. 186. num. 14. & ſeqq.* & generaliter cæteris relatis Garz. *p. 6. cap. 2. num. 304.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſput. 28. num. 86. & ſeqq.* Fontanell. *de pactis clauſul. 4. gloſſ 13. num. 43. & ſeqq.* quod gratia adhuc imperfecta expirat per mortem Papæ concedentis, ſequutam ante conditionis purificationem.

Duplicem in hoc aſſignando rationem; Primò ſcilicet, quod gratia fieri, ſeu perfici dicitur non de tempore datæ, ſed de tempore purificatæ conditionis, ad text. *in cap. ſi pro de reſcriptis in ſexto, & Clement. unica de conceſſione præbendæ*, utrobique ſcribentes Gemin. *conſil. 107. num. 4.* Rota *deciſ 323 num 17. & 18. part. 6. rec. & in aliis*, & conſequenter impoſſibilis remanet gratiæ perfectio ob deficientiam perſonarum, quæ neceſſaria ſunt ad faciendam actum, ut in ſpecie ratiocinatur, Gabr. *d. conſil. 186.*

Et ſecundò, quod ita eſſet exercere poteſtatem poſt illam jam reſolutam, eamque conferre in tempus inhabile in ſupplantationem ſucceſſoris, deducendo ea, quę in materia abuſivæ, ſeu præventivæ inveſtituræ colligunt loquentes etiam de Papa, Schrader. *de feudis par. 3. cap. 2. num. 25.* & Roſenthal. *cap. 6. concluſ. 17. num. 1. cum ſeqq.* cum aliis pro ratione dubitandi deductis *lib. 4. tit. de emphyteuſi diſc. 1.*

Quod autem gratia eſſet conditionalis, rectè probari dicebant; Primò, ſtante dictione, *poſtquam*, quæ de ſui natura conditionem importat, ut *deciſ. 46. num. 2. par. 2. recent. deciſ. 323. num. 17. par. 6. & in aliis*; Secundò, ex ipſa qualitate actus, dum reſervatio penſionis facta erat, quando ceſſaverit reſervatio fructuum ad favorem Cardinalis prioris Eccleſiæ poſſeſſoris, & ſuper quo, ultrà deducta per Pariſ. *dict. conſ. 812.* & Gabr. *dicto conſil. 186.* dicebant nimiùm facere *deciſ. 11.* Mohed. *de locato*, ac etiam deductam per Rotam *deciſ. 614. num. 45 par. 4. recent. tom. 3. & deciſ. 602. num. 12. & 13. par. 5.*

Et tertiò pro omninò ſolido, ac inevitabili fundamento deducebant verum juris principium, quod dari non poſſunt eodem tempore ejuſdem rei duo domini, vel poſſeſſores, aut coæquale jus habentes inſolidum, cum enim, ut ipſi dicebant, ſubſtantia penſionis reſideat in fructibus, qui ſunt ejus ſubjectum, ex deductis apud Merlin. *deciſ. 732. in princip.* Tondut. *de penſion. cap. 65. num. 1. & ſeqq.* ubi concordantes, ita inferebant eſſe impoſſibile, atque implicare, ut vivente Cardináli reſervatario, ad quem libere fructus ſpectabant, dictus penſionarius jus perfectum, ac de præſenti habere poſſet, & conſequenter quod gratia

gratia remaneret conditionalis, & imperfecta; Deducendo in id auctoritatem Oldrandi *conſil. 229. num. 5.* & benè Zabarell. *in Clementina litteris de reſcriptis num. 2.* quod
19 ſcilicet idem jus uniformè competere non poteſt pluribus circa idem, ſed ſolum difformè, uni ſcilicet de præſenti, alteri verò de futuro, & ſic hodie uni, & cras alteri, ſive eodem tempore diverſis reſpectibus compatibilibus, quorum ratione datur plurium dominorum, vel poſſeſſorum concurſus, non autem circa idem, juxtà ea, quæ præſertim habentur deducta *ſub tit. de feud. diſc. 61. & 62.*

Et quamvis iſta gratia contineret clauſulam, *ex nunc pro tunc*, attamen retento dicto præſuppoſito, quod gratia eſſet conditionalis, & imperfecta; Replicabant, (& in hac parte benè,) id nil operari, quoniam virtus retrotractiva, quæ huic clauſulæ conceditur, benè procedit, quando extrema ſint habilia, ſecus autem, ubi res devenit ad caſum, à quo incipere non poteſt, ex deductis *dicta deciſ. 614. num. 49. & ſeqq. par. 4. recent. tom. 3.* ubi concordantes.

His tamen non obſtantibus, contraria fuit mea ſententia, cui major pars congregatorum adhæſit; Et quamvis in iſta cauſa deſuper formalis diſputatio in judicio
21 habita non eſſet, dum Archiepiſcopus opinioni majoris partis acquieſcere voluit, attamen motivis promotoribus in eadem opinione continuantibus, idem articulus diſputatus fuit in Tribunali Aud. Cam. in Beneventana, de qua *diſcurſ. proximè ſequenti*, deducendo adamuſſim eadem fundamenta, ut ſuprà in hujus cauſæ diſcurſu deducta, ſed motivum rejectum fuit, ut etiam in una Bononien. in eodem Tribunali coram diverſo Judice inter Archiepiſcopum, & Principem Joannem Baptiſtam dicti Camilli filium translatarium, in qua pariter contra Titularem judicatum fuit, atque judicium approbatum quoque per Signaturam, unde pariter Titularis acquievit.

Fundamentum autem erat in deficiente dicto præſuppoſito motivantium, quod iſta gratia eſſet conditionalis, & imperfecta expectans perfectionem à futura ceſſatione reſervationis fructuum, ſeu alterius penſionis, in cujus tempus ſubſtantia gratiæ collata eſſet; Quoniam verius eſt, gratiam eſſe puram, ac perfectam ab initio, di-
22 lata ſolùm executione ad tale tempus, juxtà communem, & receptam diſtinctionem, quam habemus in materia donationis effectum fortituræ poſt mortem donatoris, vel alterius, quod aliud eſt, quando ſubſtantia donationis in tempus, vel caſum confertur; Aliud verò, quando ſolùm ad illud differtur executio, illa ab initio perfecta exiſtente, ex deductis cæteris relatis apud Fontanell. *clauſul. 4. gloſſ. 3.* Galeot. *lib. 2. controv. 21.* Buratt. & Adden. *deciſ. 581.* Merlin. *deciſ. 664.* aliàs *deciſ. 9. par. 7 recent.* Rojas *deciſ. 314.* & ſæpiùs in ſua materia *ſub tit. de donationibus*.

Et in ſpecialibus terminis reſervationis penſionis effectum fortituræ poſt alteram ceſſatam, ut dicatur pura, & perfecta ab initio, fuit dictum in Burgen. penſionis de anno 1580. coram Cantuccio, & melius deindè in Salamantina penſionis 16. Februarii 1582. coram Bubalo, & reaſſumit Rub. *tom. 1. ſingular. fol. 424. in principio*, & in eiſdem terminis, vel proximis benè in Cæſarauguſtana penſionis 31. Januarii 1656. coram Bichio *impreſſ. deciſ. 121. par. 12. recent.* edita in caſu, de quo *diſc. 44.* ubi de hac materia gratiæ illicò perfectæ, quamvis executio, ſeu effectuatio ad aliud tempus dilata eſſet, ſive quamvis vivente ipſo Pontifice non fuiſſet expedita in ea forma, quæ ejus perfectionem denotat, unde propterea Pontifex ſucceſſor concedit expeditionem in ea forma, quæ dicitur, *rationi congruit*, quæ non ſubſtantiat, ſeu perficit gratiam, ſed illi jam validè, ac perfectè tribuit executionem.

Quod habemus in praxi etiam in ipſiſmet beneficiis, in quibus urget ratio incompatibilitatis, ut den-
23 tur inſolidum duo Beneficiati, ex ratione pluries inſinuata *ſub titul. de Beneficiis*, ne contemporaneè dentur duo viri unius mulieris, ac etiam ob incompatibilitatem ſupra in motivis inſinuatam, ut dentur duo domini inſolidum ejuſdem rei, ſeu duo in ea coæquale, & contemporaneum jus inſolidum habentes, quæ ratio non militat in penſionibus, ut infrà, & tamen in gratiis expectativis in illis partibus, in quibus etiam hodie ſunt in uſu, ac etiam quandoque (licèt rarò poſt Concilium Tridentinum) etiam practicantur in Italia, & aliis partibus, in quibus Concilium eſt in uſu, licèt gratia conceſſa ſit pro quando per ceſſum, vel deceſſum poſſeſſoris benefi-

cium vacaverit, adhuc tamen gratia dicitur perfecta ab initio.

Idemque in gratia futuræ ſucceſſionis in beneficio poſſeſſo per coadiutum, quæ conceditur coadiutori; Et in unione, quæ fiat de beneficio pleno ſine præjudicio poſſeſſoris, cum clauſula, *ſi & poſtquam per iſtius ceſſum, vel deceſſum beneficium vacaverit*, quoniam non dicitur gratia conditionalis, cujus ſubſtantia ad talem caſum dilata ſit, ſed perfecta, dilata ſolùm executione, ideòque ſequuta morte Pontificis, vel Epiſcopi unientis, antequam caſus fiat, nunquam dubitatum fuit de gratiæ validitate, vel perfectione, ſed frequentes quæſtiones, quæ deſuper cadunt, ſunt occaſione Regulæ revocatoriæ unionum effectum non ſortitarum, quæ fieri ſolet per Pontificem ſucceſſorem, ut pluries in ſua materia *ſub tit. de ben.* præſertim in Sorana *diſ. 43.*

In idem benè conferre obſervabam ea, quæ in materia præventivæ, ſeu abuſivæ feudi, vel emphyteuſis per viventem poſſeſſi habentur *ſub dicto titul. de emphyteuſi diſc. 1.* ac etiam in propoſito conceſſionis officii vacaturi habentur 24
ſub tit. de Regalibus diſc. 3. quod ſcilicet difficultates, quæ deſuper cadunt non percutiunt iſtos terminos perfectionis, vel imperfectionis gratiæ ab initio, adeòut exprimere debeat per mortem concedentis, ſed percutiunt terminos diverſos, defectu ſcilicet poteſtatis ſupplantandi ſucceſſorem, & conferendi ſuam poteſtatem in tempus inhabile, qui defectus benè conſiderabilis eſt in Prælato, vel altero inferiori Magiſtratu, ex deductis in locis proximè citatis, non autem in Summo Pontifice, ubi præſertim diſponit de plenitudine poteſtatis, ut cæteris relatis habetur *deciſ. 664. num. 13. part. 2. recent.* ubi reſpondetur omnibus contrariis, ac etiam in Foroſempronien. ſeu Eugubina bonorum 16. Junii 1636. & 7. Junii 1638. coram Coccino, quarum poſteriori eſt *deciſ. 39. par. 8. recent. & in aliis*, quidquid in contrarium etiam in Papa dicant Schrader. & Roſenthal. *ſupra citati*, & alii Germani, quorum opinio paſſim reprobata eſt; Ultrà quod ipſi agentes de abuſiva inveſtitura feudali, agunt de prophanis, ſeu temporalibus, conſiderando Papam in ditione temporali tamquam ſimplicem Principem electivum, non autem in beneficialibus, aliiſque ſpiritualibus, in quibus diſponit tanquam Papa, & Chriſti Vicarius omnimodam habens poteſtatem, præſertim in beneficialibus.

Ideòque receptam habemus propoſitionem deductam, ex textu *in cap. ſi gratia de præbendis in ſexto*, quod 25
gratia ſolo verbo, ſeu ſola ſignatura perficitur, eaque non expirat per mortem, quamvis re integra, ut apud Peniam *dec. 244. & 249. dec. 336. nu. 27. cum ſeqq. par. 4. recent. tom. 2.* in dicta Cæſarauguſtana penſionis 31. Januarii 1656. coram Bichio *dec. 121. par. 12. recent.* edita in cauſa, de qua infrà *d. diſc. 44. & in aliis*, cum ſola difficultas cadat in gratiis conceſſis in forma commiſſaria.

Quemadmodum enim dominus fundi, ſeu alterius rei, cujus uſusfructus ad alterum pertineat, non prohibetur ejuſdem rei uſumfructum præventivè alteri concedere, pro quando eveniet caſus mortis præſentis uſufructuarii; Sive quemadmodum Papa poteſt penſionem ſuper Eccleſia reſervata ſimultaneè diverſis diſtribuere, pluresque penſio- 26
narios conſtituere, ita non videtur cur eandem diſtributionem facere non poſſit cum ordine ſucceſſivo, ut prius penſionem obtineat unus, & deindè alter.

Atque in his etiam terminis penſionis docet recepta praxis, circa indulta, ſeu facultates transferendi, quod paſſim exercentur poſt mortem Papæ, qui facultatem conceſſit, cum tamen in ipſo actu translationis nova penſio efformari videatur, & tamen de hoc nunquam dubitatum fuit, cum ſimilibus

Hinc dicebam corruere fundamenta ſupra in contrarium ponderata; Ad illud enim defectus poteſtatis ſupplantandi ſucceſſorem, & conferendi poteſtatem in tempus inhabile, reſponſum eſt ſupra, ut non procedat in Pontifice.

Et quoad deciſionem 11. Mohed. *de locato*, quæ inter omnes videtur magis proxima auctoritas ad probandum, quod hujuſmodi gratiæ dicendæ ſint conditionales, dum firmatur, quod in ſecunda reſervatione pura, facienda 27
non ſit mentio primæ penſionis eventualis, ſeu conditionalis, (ultrà quod continet potiùs ſimplicem diſcurſum hincindè, quàm deciſionem, atque Tondut. *de penſion. cap. 44. nimer. 22. & ſeqq.* credit contrarium, ſtante jure jam creato pro prima penſione,) id percutit diverſum effectum validitatis ſecundæ reſervationis ob caſum contin-

gibilem, quod prima effectum fortitura non sit per præcessum reservatarii, antequam fieret casus, in quem executio, vel effectus dilatus fuit, ideòque cesset ratio duplicis oneris, cui innixa est conclusio super necessitate in secunda reservatione faciendi mentionem de prima ex præsumpto defectu intentionis, non tamen exindè inferri posset ad assumptum, quod gratia sit conditionalis, & imperfecta, quæ in substantia validitatem, ac perfectionem à futuro eventu recipere debeat.

In decisione autem 614. *par.* 4. *rec. tom* 3. quæ pariter adducebatur tanquam auctoritas punctualis, vel satis proxima, non agitur de hoc puncto expirationis gratiæ per mortem Papæ, cum potiùs contrarium in ea supponatur, sed percutit diversum effectum, impediendi scilicèt jusptronatus, quod prætendebatur quæsitum, seu fundatum cum bonis, quæ ob adhuc non effectuatam gratiam, dici non poterant propria.

Demùm majus argumentum, seu ratiocinium, ut suprà deductum ex deficientia subjecti pensionis consistentis
28 in fructibus, in quibus intrat compatibilitas, ut eodem tempore esse possint duo reservatarii, & pensionarii; Advertebam illud continere fallaciam claram, quoniam propositio, ut pensio dicatur imposita super fructibus, eorumque quota sit, quæ assignetur pensionario ad dirimendas lites, ita taxata in portione quantitativa, percutit diversos effectus, illum præsertim, quod pensionarius non acquirat jus, vel titulum in Ecclesia, sive quod pensio non dicatur jus spirituale, quod tangat substantiam Ecclesiæ, seu ejus Rectoriam, & administrationem, sed sit temporale, utpotè onus impositum fructibus, ex quibus pensio solvenda est, non autem quod pensionarius acquirat fructuum dominium, quoniam illud insolidum pertinet ad Titularem habentem onus ex illorum valore, pensionem alteri præstare, adinstar census consignativi, vel reservativi solvendi per dominum, & possessorem fundi censiti.

Et ulteriùs, tunc incompatibilitas, seu veriùs incapacitas intraret, quando utrumque onus esset contemporaneum, seu simultaneum, quia scilicet eodem tempore solvenda esset pensio, & fructus ad alterum reservatarium spectarent, secus autem data distributione compatibili, eodem modo, quo possidens fundum capacem, cujus usufructus ad alterum spectaret, sive gravatum annuo censu vitalitio, non videtur prohibitus imponere super eo ex nunc validè, ac perfectè novum censum, effectum fortiturum ex tempore, quo cessato usufructu, vel altero censu per mortem, fundus remanebit capax, atque ex ejus fructibus alter census solvi poterit; Sunt etenim fructus subjectum pensionis, sed in genere non autem in specie, & sic non præcisè fructus istius, vel alterius anni, quoniam alias pro pensionibus decursis actio non competeret super fructibus futuris, & contra successorem, cujus contrarium receptum est, quoties non obstet exceptio negligentiæ cum similibus, ideòque sola difficultas restringebatur ad factum super consensu, ut suprà.

BENEVENTANA PENSIONIS, PRO FRATRIBUS DE MACULANIS, CUM ARCHIEPISCOPO.

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura, & resolutus pro Maculanis.

De eadem materia pensionis eventualis postquam alia pensio cessaverit, an cesset gratia per mortem Papæ antè purificationem conditionis.

Et incidenter, an exceptio, quod non remaneant mille pro Episcopo impediat processum pro solutione pensionis.

Et an pensio alicui reservata habenti certam qualitatem, expiret cessata qualitate.

SUMMARIUM.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *De reservatione pensionis eventualis post cessatam alteram pensionem, an sit pura, vel conditionalis, & an cesset per mortem Papæ remissivè.*
3 *Pensio reservata cum expressione, quod reservatarius esset miles Lauretanus, an cesset si dicta militia cesset, & ad quid dicta expressio fiat.*
4 *Quid de pensione reservata ad favorem Cardinalis, an cesset dimisso Cardinalatu.*
5 *Consensus præstitus pensioni eximit pensionarium à probationis onere, illudque transfert in Titularem consentientem.*
6 *Ubi agitur de pensione reservata motu proprio in Concistorio absque expressa conditione non eget justificatione.*
7 *Secus ubi est qualificata a clausula, dummodò, & de ratione differentiæ.*
8 *De differenti modo adjiciendi dictam clausulam in Ecclesiis liberæ provisionis, & illis de jurepatronatus.*
9 *Stylus probat voluntatem Papæ.*
10 *Consensus Titularis, an contineat eandem conditionem adjectam reservationi.*
11 *Quando clariùs justificatio non requiratur.*
12 *De alio puncto circa translationem remissivè.*

DISC. II.

METropolitana Ecclesia Beneventana dimissa per 1
Cardinalem Maculanum aliàs de Florentiola, sive Sancti Clementis nuncupatum, Urbanus VIII. providit Joannem Baptistam Foppam, cum reservatione pensionis annuorum scutorum 4500. ad favorem ejusdem Cardinalis, ultrà antiquam scutorum 1500. necnon ad favorem Cæsaris, Vincentii, & Cosmi præfati Cardinalis nepotum, pensionem scutorum 200. auri pro quolibet reservavit, effectum fortiturum, ac percipiendam post dicti Cardinalis mortem; Cùmque idem Cardinalis, in vim facultatis transferendi, prævia extinctione reliquæ pensionis, ut ita Ecclesiam capacem redderet, ac tolleret obstaculum Constitutionis 20. Urbani VIII. transtulisset in Cæsarem ratam scutorum 600. & in Vincentium aliam ratam scutorum 300. Archiepiscopus autem post sequutam Cardinalis mortem renueret solvere dictas pensiones translatas, ac reservatas respectivè, Hinc introducta causa coram Aud. Cam. pro pensionariis judicatum fuit, idque canonizatum per Signaturam, quæ solùm aliquam difficultatem habuit super rata Cosmi, quæ prætendebatur extincta ob ejus militiam, atque in hoc statu causa pendet in Rota absque ulteriori progressu, Archiepiscopo interim solvente.

In his autem disputationibus, ultrà quasdam exceptiones consistentes in nudo facto, ex quo etiam sublatæ fuerunt, ac etiam ultrà dictam exceptionem extinctionis ratione militiæ, quæ solùm Cosmum percutiebat, & de qua habetur actum infrà *disc.* 46. Tres erant exceptiones; Prima, expirationis dictæ reservationis conditionalis, seu eventualis per mortem Pontificis concedentis ante conditionis purificationem; Altera, quod aliqui ex eis non possiderent ampliùs militiam Lauretanam, cum cujus præsuppositio, seu qualitate reservatio facta fuerat; Et tertia, quod non remanerent mille pro Episcopo juxtà congruam taxatam à Sacro Concilio Tridentino, cui derogatum non fuit; Omnes tamen leves reputatæ fuerunt, præsertim in judicio executivo, quod pro pensionibus extra omne dubium competit.

Super prima exceptione; Scribentes pro Archiepiscopo, 2
inter quos aderant iidem hujus motivi promotores in Ravennaten. *discurs. præced.* deducebant adamussim eadem fundamenta deducta *disc. præced.* Ego verò scribens pro pensionarii, eodem veritatis sensu retento, deducebam responsiones, de quibus in dicta causa; Reliqua enim continebant propositiones generales, ad ornatum, sive ad inanem chartarum repletionem deduci solitas.

Verùm iste casus longè clarior erat, quoniam reservatio facta non erat sub dicta formula per cessum, vel decessum Cardinalis reservatarii fructuum, seu primi pensionariis, ut *dicto disc. præ.* sed verba reservationis, vel alterius Indulti ab eodem Pontifice concessi occasione mandandi expeditionem gratis explicitè erant de præsenti, dilata solùm executione, seu effectu post mortem Cardinalis, ibi, *reservavimus pensionem effectum fortituram, & percipiendam postquam Cardinalis viam universæ carnis, &c.* unde propterea litteraliter decisa remanebat quæstio, an ad tempus mortis primi pensionarii collata esset substantia reservationis, vel potiùs sola executivo, dum posita hac secunda parte, indubitatum remanet de jure dispositionem non esse conditionalem, quæ perfectionem expectet à conditionis purificatione, sed esse ab initio puram, ac perfectam, dilata solùm executione, ex deductis *dicto disc. præced.*

Faci-

Facilis quoq; fuit remotio secundæ exceptionis ob cessatam militiam Lauretanã, cum cujus præsuppositio ad favorem aliquorum ex dictis tribus pensionariis reservatio facta erat; Siquidem hujusmodi militia non continet officium, 3
quod annexam habeat aliquam administrationem, ita & taliter, quod qualificat personam, ejus intuitu principaliter de pensionibus provideri solitam, aliàs non providendam, cum sit officium venale, etiam per infantes, vel absentes ignotos obtinendum absque aliquo merito personali, ad solam industriam, seu emolumentum, juxtà officiorum Romanæ Curiæ distinctionem, de qua *sub titul. de Regalib. discurs.* 2. Sed quia inter ejus privilegia est illud capacitatis obtinendi, ac retinendi pensiones in certa summa, statu sæculari non obstante ex iis, quę habentur infrà *dicto disc.* 46. atque licèt pensio sit onus merè temporale super fructibus, quod non tangit substantiam Ecclesiæ, seu beneficii, super quo nullum jus in re, vel ad rem tribuit, unde propterea ipsius sunt capaces etiam sæculares, attamen de stylo reservari non solent, nisi Clericis, vel aliquam militiam hujusmodi habentibus, ut habetur infrà in hac eadem causa *dict. discurs.* 46. *& alibi*; Hinc proindè cum dicti reservatarii; tunc Clericali charactere insigniti non essent, narrata fuit dicta militia, utpotè vicem Clericatus in proposito habens ad denotandam capacitatem; Et consequenter superventa alia tutiori capacitate resultante à Clericatu postmodum suscepto, nulla suberat necessitas, quod dicta alia qualitas continuare deberet, dum illa non erat principalis, ac finalis causa reservationis, sed solùm enunciabatur pro habilitatione, eo modo, quo enunciari solet Clericatus.

Verùm ubi etiam fuisset causa concessionis, non tamen dicenda erat causa durationis; Vel ex regula, quod cessante causa non cessat effectus consumatus; Vel potius ex ea distinctione, quæ communiter per Legistas adhiberi solet, inter causam fiendi, & causam essendi, ut in prima non desideretur perseverantia, sed sufficiat, quod extiterit de tempore quo actus factus est, perseverantia verò desideretur in altera.

Ad quod deducebam casum, de quo in dicta Ravennat. *discurs. præced.* & in Patavina coram Cello *inter suas decis.* 355. & 395. super casu fortiori pensionum reservatarum ad 4
favorem Cardinalis, in quibus probabiliter dici potest, reservationem principaliter factam esse potiùs intuitu dignitatis, ac ad illius decorem substinendum, ut ejusdem reservationis formula comprobat, & tamen si casus daret per possibile, quod citrà occasionem matrimonii, vel alterius status incompatibilis, ille qui dimittit Cardinalatum, remaneret Clericus, seu aliàs in statu capaci retinendi pensiones, non per hoc dicendum esset, quod cessarent; Tum ex dicta ratione, quod dignitas fuit causa fiendi, ideòque non remanet causa præcisa essendi; Tum etiam ex interpretatione, quæ desumitur ex stylo concedendi Indulta, matrimonio etiam cum bigamia, militia & statu sæculari non obstantibus, dum ut dictum est, pensio est potiùs temporalis, quàm merè spiritualis, licèt spiritualitati annexa, ad effectum, ut non sit in commercio quoad ipsam substantiam, licèt sit quoad commoditatem, ut pluries infrà occasione agendi de cessione commoditatis.

Demum quoad tertiam exceptionem, punctus disputationis erat super onere justificationis, cuinam scilicet contendentium incumberet, an pensionariis actoribus probandi affirmativam, quod remanerent mille pro Episcopo, vel potiùs Titulari probandi negativam, quod non remaneret; Et in hoc, etiam cum sensu veritatis, per Judicem ac per Signaturam, ut supra agnitæ, dicebam quod cum dicta congrua expressè non esset reservata cum solita clausula, *dummodo remaneant mille, &c.* onus erat Titularis 5
probandi negativam, quodque ista exceptio, vel probatio, ubi etiam in petitorio esset relevans, apta non est retardare in judicio possessorio, seu executivo; Tum ex consensu per ipsum Titularem præstito, qui hunc effectum operatur, ex deductis per Adden. ad Gregor. *decis.* 57. *num.* 11. Adden. ad Borat. *decis.* 261. post *num.* 17. *decis.* 248. *num.* 1. post Zacchiam *de obligat.* cum aliis; de quibus *sub titul. de beneficiis discurs.* 90. ubi generaliter agitur de hac materia valoris etiam ad effectum pensionum.

Tum clariùs, quoniam agebatur de reservatione pensionis facta motu proprio in Concistorio, in quo providetur Ecclesia Cathedralis, vel Metropolitana prævio processu, qui Concistorialis dicitur super statu Ecclesiæ, ideòque 6
nulla requiritur justificatio ex parte pensionarii, quoniam ita dicitur justificationem præcessisse apud Papam mediante dicto processu, juxtà celebrem decisionem in

Ferentina coram Ottembergo *apud Marchesi. par.* 1 *fol.* 535. passim receptam, ut patet ex deductis per Adden. ad Buratt. & ad Gregor. *ubi supra*, Tondut. *de pension. cap.* 14. *num.* 32. *& seqq.*

Decisiones autem, quæ in contrarium desuper habentur, præsertim in Neritonen. coram Litta post eumdem Marchesi. *d. par.* 1. *fol.* 531. Cavaler. *decis.* 183. & in Mo- 7
nopolitana pensionis 2. Junii 1645. coram Bichio, procedunt ubi reservatio esset conditionalis, in quanto, vel in quota, quia nempè contineret clausulam, *dummodo remaneant mille, &c.* juxtà stylum in illis Ecclesiis, quæ sunt ad liberam provisionem Papæ, vel *dummodò pensiones tertiam partem fructuum non excedant*, juxtà stylum Ecclesia- 8
rum, quæ sunt ad Regiam nominationem, vel præsentationem, juxtà casum, de quo in dicta Monopolitana coram Bichio, & in Acerrana coram Albergato *decis.* 288. *par.* 11. *recent.* ac in aliis pluries; Ex ea clara differentiæ ratione, quod quando Papa dictam conditionem adiicit, signum est, quod sequi noluit fidem processus Concistorialis, atque se declaravit non benè certum de valore, secus autem, ubi reservatio est pura, cum tunc denotet se esse informatum, stante recepto vulgari axiomate super argumento voluntatis resultante à discretivo modo loquendi, sive à stylo, qui probat Papæ voluntatem faciendi, vel 9
non faciendi, ex deductis apud Mantic. *decis.* 214. Adden. ad Gregor. *decis.* 150. *& passim.*

Hinc proindè corruebat conclusio firmata in dicta Neritonen. coram Litta, & in dicta Monopolitana coram Bichio, ac in aliis, de quibus *d. disc.* 90. *sub tit. de benef.* quod consensus Titularis non alterat naturam reservationis, neque puram reddit gratiam conditionalem, eo quia consensus censetur præstitus ad limites reservationis, dicta 10
clausula, seu conditione firma remanente; Id enim rectè procedit, ubi gratia est expressè conditionalis cum dicta clausula per Papam adjecta, secus autem, ubi est pura, reservatio autem congruæ deducitur per Titularem ex dispositione juris, vel Sacri Concilii, quoniam interim præsumptio est pro reservatione.

Omnisque difficultas in proposito penitùs cessabat ex facto, dum super Ecclesia reservata fuerat pensio scutor. 6. 11
mil. hoc est 1500. antiqua, & 4500. de novo ad favorem dicti Cardinalis, unde propterea, extra principium dubitandi, declarata fuit capax dictæ alterius reservationis importantis solùm scuta 900. pro quando cessasset dicta major 4500. per obitum Cardinalis, ideoque meritò neglecta fuit dicta clausula, *dummodò mille, &c.* dum indubitanter aderat certificatio majoris valoris.

Actum etiam fuit, sed incidenter de validitate dictæ translationis contra formam Constitutionis 20. Urbani 12
VIII. in cujus fraudem præambulam cassationem reliquæ pensionis fieri non posse dicebatur, super hoc tamen ego non scripsi, sed alia occasione de puncto agitur infrà ad materiam translationis, de dict. Constitutione Urbani.

ADNOT. AD DISC. II. cum seqq.

DE eadem reservatione pensionis eventualis, & an cesset per mortem Papæ ante purificatam conditionem, vel sequutam nominationem, habetur quoque actum *in hoc tit. disc.* 82.

Decisiones enunciatæ *in disc.* 1. *sunt impress. part.* 13. *rec. decis.* 247. *& 512.*

SYPONTINA PENSIONIS, PRO PRINCIPE AUGUSTINO CHISIO, CUM ARCHIEPISCOPO.

Discursus in casu disputato coram A. C. & in Signatura, & resoluto pro Chisio.

De eadem materia pensionis eventualis post alterius antiquæ pensionis cessationem, An sit pura, & perfecta ab initio ad alios etiam effectus, vel potiùs conditionalis; Et præsertim, an antiqua pensio debeat cessare in totum, vel sufficiat, quod cesset in parte.

Et an hæc reservatio præjudicet facultati transferendi antiquam pensionem.

gibilem, quod prima effectum ſortitura non ſit per præceſſum reſervatarii, antequam fieret caſus, in quem executio, vel effectus dilatus fuit, ideòque ceſſet ratio duplicis oneris, cui innixa eſt concluſio ſuper neceſſitate in ſecunda reſervatione faciendi mentionem de prima ex præſumpto defectu intentionis, non tamen exindè inferri poteſt ad aſſumptum, quod gratia ſit conditionalis, & imperfecta, quæ in ſubſtantia validitatem, ac perfectionem à futuro eventu recipere debeat.

In deciſione autem 614. *par. 4. rec. tom* 3. quæ pariter adducebatur tanquam auctoritas punctualis, vel ſatis proxima, non agitur de hoc puncto expirationis gratiæ per mortem Papæ, cum potiùs contrarium in ea ſupponatur, ſed percutit diverſum effectum, impediendi ſcilicèt juſpatronatus, quod prætendebatur quæſitum, ſeu fundatum cum bonis, quæ ob adhuc non effectuatam gratiam, dici non poterant propria.

Demùm majus argumentum, ſeu ratiocinium, ut ſuprà deductum ex deficientia ſubjecti penſionis conſiſtentis
28 in fructibus, in quibus intrat compatibilitas, ut eodem tempore eſſe poſſint duo reſervatarii, & penſionarii; Advertebam illud continere fallaciam claram, quoniam propoſitio, ut penſio dicatur impoſita ſuper fructibus, eorumque quota ſit, quæ aſſignetur penſionario ad dirimendas lites, ita taxata in portione quantitativa, percutit diverſos effectus, illum præſertim, quod penſionarius non acquirat jus, vel titulum in Eccleſia, ſive quod penſio non dicatur jus ſpirituale, quod tangat ſubſtantiam Eccleſiæ, ſeu ejus Rectoriam, & adminiſtrationem, ſed ſit temporale, utpotè onus impoſitum fructibus, ex quibus penſio ſolvenda eſt, non autem quod penſionarius acquirat fructuum dominium, quoniam illud inſolidum pertinet ad Titularem habentem onus ex illorum valore, penſionem alteri præſtare, adinſtar cenſus conſignativi, vel reſervativi ſolvendi per dominum, & poſſeſſorem fundi cenſiti.

Et ulteriùs, tunc incompatibilitas, ſeu veriùs incapacitas intraret, quando utrumque onus eſſet contemporaneum, ſeu ſimultaneum, quia ſcilicet eodem tempore ſolvenda eſſet penſio, & fructus ad alterum reſervatarium ſpectarent, ſecus autem data diſtributione compatibili, eodem modo, quo poſsidens fundum capacem, cujus uſufructus ad alterum ſpectaret, ſive gravatum annuo cenſu vitalitio, non videtur prohibitus imponere ſuper eo ex nunc validè, ac perfectè novum cenſum, effectum ſortiturum ex tempore, quo ceſſato uſufructu, vel altero cenſu per mortem, fundus remanebit capax, atque ex ejus fructibus alter cenſus ſolvi poterit; Sunt etenim fructus ſubjectum penſionis, ſed in genere non autem in ſpecie, & ſic non præciſè fructus iſtius, vel alterius anni, quoniam alias pro penſionibus decurſis actio non competeret ſuper fructibus futuris, & contra ſucceſſorem, cujus contrarium receptum eſt, quoties non obſtet exceptio negligentiæ cum ſimilibus, ideòque ſola difficultas reſtringebatur ad factum ſuper conſenſu, ut ſuprà.

BENEVENTANA PENSIONIS, PRO FRATRIBUS DE MACULANIS, CUM ARCHIEPISCOPO.

Caſus diſputatus coram A. C. & in Signatura, & reſolutus pro Maculanis.

De eadem materia penſionis eventualis poſtquam alia penſio ceſſaverit, an ceſſet gratia per mortem Papæ antè purificationem conditionis.

Et incidenter, an exceptio, quod non remaneant mille pro Epiſcopo impediat proceſſum pro ſolutione penſionis.

Et an penſio alicui reſervata habenti certam qualitatem, expiret ceſſata qualitate.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries cum reſolutione.*
2 *De reſervatione penſionis eventualis poſt ceſſatam alteram penſionem, an ſit pura, vel conditionalis, & an ceſſet per mortem Papæ remiſſivè.*
3 *Penſio reſervata cum expreſſione, quod reſervatarius eſſet miles Lauretanus, an ceſſet ſi dicta militia ceſſet, & ad quid dicta expreſſio fiat.*
4 *Quid de penſione reſervata ad favorem Cardinalis, an ceſſet dimiſſo Cardinalatu.*
5 *Conſenſus præſtitus penſioni eximit penſionarium à probationis onere, illudque tranſfert in Titularem conſentientem.*
6 *Ubi agitur de penſione reſervata motu proprio in Conciſtorio abſque expreſſa conditione non eget juſtificatione.*
7 *Secus ubi eſt qualificata a clauſula, dummodò, & de ratione differentiæ.*
8 *De differenti modo adjiciendi dictam clauſulam in Eccleſiis liberæ proviſionis, & illis de jurepatronatus.*
9 *Stylus probat voluntatem Papæ.*
10 *Conſenſus Titularis, an contineat eandem conditionem adjectam reſervationi.*
11 *Quando clariùs juſtificatio non requiratur.*
12 *De alio puncto circa tranſlationem remiſſivè.*

DISC. II.

METropolitana Eccleſia Beneventana dimiſſa per 1
Cardinalem Maculanum aliàs de Florentiola, ſive Sancti Clementis nuncupatum, Urbanus VIII. providit Joannem Baptiſtam Foppam, cum reſervatione penſionis annuorum ſcutorum 4500. ad favorem ejuſdem Cardinalis, ultrà antiquam ſcutorum 1500. necnon ad favorem Cæſaris, Vincentii, & Coſmi præfati Cardinalis nepotum, penſionem ſcutorum 200. auri pro quolibet reſervavit, effectum ſortituram, ac percipiendam poſt dicti Cardinalis mortem; Cùmque idem Cardinalis, in vim facultatis transferendi, prævia extinctione reliquæ penſionis, ut ita Eccleſiam capacem redderet, ac tolleret obſtaculum Conſtitutionis 20. Urbani VIII. tranſtuliſſet in Cæſarem ratam ſcutorum 600. & in Vincentium aliam ratam ſcutorum 300. Archiepiſcopus autem poſt ſequutam Cardinalis mortem renueret ſolvere dictas penſiones translatas, ac reſervatas reſpectivè, Hinc introducta cauſa coram Aud. Cam. pro penſionariis judicatum fuit, idque canonizatum per Signaturam, quæ ſolùm aliquam difficultatem habuit ſuper rata Coſmi, quæ prætendebatur extincta ob ejus militiam, atque in hoc ſtatu cauſa pendet in Rota abſque ulteriori progreſſu, Archiepiſcopo interim ſolvente.

In his autem diſputationibus, ultrà quaſdam exceptiones conſiſtentes in nudo facto, ex quo etiam ſublatæ fuerunt, ac etiam ultrà dictam exceptionem extinctionis ratione militiæ, quæ ſolùm Coſmum percutiebat, & de qua habetur actum infrà *diſc.* 46. Tres erant exceptiones; Prima, expirationis dictæ reſervationis conditionalis, ſeu eventualis per mortem Pontificis concedentis ante conditionis purificationem; Altera, quod aliqui ex eis non poſſiderent ampliùs militiam Lauretanam, cum cujus præſuppoſito, ſeu qualitate reſervatio facta fuerat; Et tertia, quod non remanerent mille pro Epiſcopo juxtà congruam taxatam à Sacro Concilio Tridentino, cui derogatum non fuit; Omnes tamen leves reputatæ fuerunt, præſertim in judicio executivo, quod pro penſionibus extra omne dubium competit.

Super prima exceptione; Scribentes pro Archiepiſcopo, inter quos aderant iidem hujus motivi promotores in Ra- 3
vennaten. *diſcurſ. præced.* deducebant adamuſſim eadem fundamenta deducta *diſc. præced.* Ego verò ſcribens pro penſionarii, eodem veritatis ſenſu retento, deducebam reſponſiones, de quibus in dicta cauſa; Reliqua enim continebant propoſitiones generales, ad ornatum, ſive ad inanem chartarum repletionem deduci ſolitas.

Verùm iſte caſus longè clarior erat, quoniam reſervatio facta non erat ſub dicta formula per ceſſum, vel deceſſum Cardinalis reſervatarii fructuum, ſeu primi penſionariis, ut *dicto diſc. præ.* ſed verba reſervationis, vel alterius Indulti ab eodem Pontifice conceſſi occaſione mandandi expeditionem gratis explicitè erant de præſenti, dilata ſolùm executione, ſeu effectu poſt mortem Cardinalis, ibi, *reſervavimus penſionem effectum ſortituram, & percipiendam poſtquam Cardinalis viam univerſæ carnis, &c.* unde propterea litteraliter deciſa remanebat quæſtio, an ad tempus mortis primi penſionarii collata eſſet ſubſtantia reſervationis, vel potiùs ſola executivo, dum poſita hac ſecunda parte, indubitatum remanet de jure diſpoſitionem non eſſe conditionalem, quæ perfectionem expectet à conditionis purificatione, ſed eſſe ab initio puram, ac perfectam, dilata ſolùm executione, ex deductis *dicto diſc. præced.*

Faci-

Facilis quoq; fuit remotio ſecundæ exceptionis ob ceſſatam militiam Lauretanã, cum cujus præſuppoſito ad favorem aliquorum ex dictis tribus penſionariis reſervatio facta erat; Siquidem hujuſmodi militia non continet officium, 3
quod annexam habeat aliquam adminiſtrationem, ita & taliter, quod qualificat perſonam, ejus intuitu principaliter de penſionibus provideri ſolitam, aliàs non providendam, cum ſit officium venale, etiam per infantes, vel abſentes ignotos obtinendum abſque aliquo merito perſonali, ad ſolam induſtriam, ſeu emolumentum, juxtà officiorum Romanæ Curiæ diſtinctionem, de qua *ſub titul. de Regalib. diſcurſ.* 2. Sed quia inter ejus privilegia eſt illud capacitatis obtinendi, ac retinendi penſiones in certa ſumma, ſtatu ſæculari non obſtante ex iis, quę habentur infrà *dicto diſc.* 46. atque licèt penſio ſit onus merè temporale ſuper fructibus, quod non tangit ſubſtantiam Eccleſiæ, ſeu beneficii, ſuper quo nullum jus in re, vel ad rem tribuit, unde propterea ipſius ſunt capaces etiam ſæculares, attamen de ſtylo reſervari non ſolent, niſi Clericis, vel aliquam militiam hujuſmodi habentibus, ut habetur infrà in hac eadem cauſa *dict. diſcurſ.* 46. *& alibi*; Hinc proindè cum dicti reſervatarii; tunc Clericali characterę inſigniti non eſſent, narrata fuit dicta militia, utpotè vicem Clericatus in propoſito habens ad denotandam capacitatem; Et conſequenter ſuper venta alia tutiori capacitate reſultante à Clericatu poſtmodum ſuſcepto, nulla ſuberat neceſſitas, quod dicta alia qualitas continuare deberet, dum illa non erat principalis, ac finalis cauſa reſervationis, ſed ſolùm enunciabatur pro habilitatione, eo modo, quo enunciari ſolet Clericatus.

Verùm ubi etiam fuiſſet cauſa conceſſionis, non tamen dicenda erat cauſa durationis; Vel ex regula, quod ceſſante cauſa non ceſſat effectus conſumatus; Vel potius ex ea diſtinctione, quæ communiter per Legiſtas adhiberi ſolet, inter cauſam fiendi, & cauſam eſſendi, ut in prima non deſideretur perſeverantia, ſed ſufficiat, quod extiterit de tempore quo actus factus eſt, perſeverantia verò deſideretur in altera.

Ad quod deducebam caſum, de quo in dicta Ravennat. *diſcurſ. præced.* & in Patavina coram Ceſſo *inter ſuas deciſ.* 355. & 395. ſuper caſu fortiori penſionum reſervatarum ad 4
favorem Cardinalis, in quibus probabiliter dici poteſt, reſervationem principaliter factam eſſe potiùs intuitu dignitatis, ac ad illius decorem ſubſtinendum, ut ejuſdem reſervationis formula comprobat, & tamen ſi caſus daret per poſſibile, quod citrà occaſionem matrimonii, vel alterius ſtatus incompatibilis, ille qui dimittit Cardinalatum, remaneret Clericus, ſeu aliàs in ſtatu capaci retinendi penſiones, non per hoc dicendum eſſet, quod ceſſarent; Tum ex dicta ratione, quod dignitas fuit cauſa fiendi, ideòque non remanet cauſa præciſa eſſendi; Tum etiam ex interpretatione, quæ deſumitur ex ſtylo concedendi Indulta, matrimonio etiam cum bigamia, militia & ſtatu ſæculari non obſtantibus, dum ut dictum eſt, penſio eſt potiùs temporalis, quàm merè ſpiritualis, licèt ſpiritualitati annexa, ad effectum, ut non ſit in commercio quoad ipſam ſubſtantiam, licèt ſit quoad commoditatem, ut pluries infrà occaſione agendi de ceſſione commoditatis.

Demum quoad tertiam exceptionem, punctus diſputationis erat ſuper onere juſtificationis, cuinam ſcilicet contendentium incumberet, an penſionariis actoribus probandi affirmativam, quod remanerent mille pro Epiſcopo, vel potiùs Titulari probandi negativam, quod non remaneret; Et in hoc, etiam cum ſenſu veritatis, per Judicem ac per Signaturam, ut ſupra agnitæ, dicebam quod cum dicta congrua expreſsè non eſſet reſervata cum ſolita clauſula, *dummodo remaneant mille, &c.* onus erat Titularis
5 probandi negativam, quodque iſta exceptio, vel probatio, ubi etiam in petitorio eſſet relevans, apta non eſt retardare in judicio poſſeſſorio, ſeu executivo; Tum ex conſenſu per ipſum Titularem præſtito, qui hunc effectum operatur, ex deductis per Adden. ad Gregor. *deciſ.* 57. *num.* 11. Adden. ad Borat. *deciſ.* 261. poſt *num.* 17. *deciſ.* 248. *num.* 1. poſt Zacchiam *de obligat.* cum aliis, de quibus *ſub titul. de beneficiis diſcurſ.* 90. ubi generaliter agitur de hac materia valoris etiam ad effectum penſionum.

Tum clariùs, quoniam agebatur de reſervatione penſionis facta motu proprio in Conciſtorio, in quo providetur Eccleſia Cathedralis, vel Metropolitana prævio proceſſu, qui Conciſtorialis dicitur ſuper ſtatu Eccleſiæ, ideòque
6 nulla requiritur juſtificatio ex parte penſionarii, quoniam ita dicitur juſtificationem præceſſiſſe apud Papam mediante dicto proceſſu, juxtà celebrem deciſionem in *Card. de Luca Lib. XIII.*

Ferentina coram Ottembergo *apud Marcheſ. par. 1. fol.* 535. paſſim receptam, ut patet ex deductis per Adden. ad Buratt. & ad Gregor. *ubi ſupra*, Tondut. *de penſion. cap.* 14. *num.* 32. *& ſeqq.*

Deciſiones autem, quæ in contrarium deſuper habentur, præſertim in Neritonen. coram Litta poſt eumdem Marcheſ. *d. par.* 1. *fol.* 531. Cavaler. *deciſ.* 183. & in Mo- 7
nopolitana penſionis 2. Junii 1645. coram Bichio, procedunt ubi reſervatio eſſet conditionalis, in quanto, vel in quota, quia nempè contineret clauſulam, *dummodo remaneant mille, &c.* juxtà ſtylum in illis Eccleſiis, quæ ſunt ad liberam proviſionem Papæ, vel *dummodò penſiones tertiam partem fructuum non excedant*, juxtà ſtylum Eccleſia- 8
rum, quæ ſunt ad Regiam nominationem, vel præſentationem, juxtà caſum, de quo in dicta Monopolitana coram Bichio, & in Acerrana coram Albergato *deciſ.* 288. *par.* 11. *recent.* ac in aliis pluries; Ex ea clara differentiæ ratione, quod quando Papa dictam conditionem adiicit, ſignum eſt, quod ſequi noluit fidem proceſſus Conciſtorialis, atque ſe declaravit non benè certum de valore, ſecus autem, ubi reſervatio eſt pura, cum tunc denotet ſe eſſe informatum, ſtante recepto vulgari axiomate ſuper argumento voluntatis reſultante à diſcretivo modo loquendi, ſive à ſtylo, qui probat Papæ voluntatem faciendi, vel 9
non faciendi, ex deductis apud Mantic. *deciſ.* 214. Adden. ad Gregor. *deciſ.* 150. *& paſſim.*

Hinc proindè corruebat concluſio firmata in dicta Neritonen. coram Litta, & in dicta Monopolitana coram Bichio, ac in aliis, de quibus *d. diſc.* 90. *ſub tit. de benef.* quod conſenſus Titularis non alterat naturam reſervationis, neque puram reddit gratiam conditionalem, eo quia conſenſus cenſetur præſtitus ad limites reſervationis, dicta 10
clauſula, ſeu conditione firma remanente; Id enim rectè procedit, ubi gratia eſt expreſsè conditionalis cum dicta clauſula per Papam adjecta, ſecus autem, ubi eſt pura, reſervatio autem congruæ deducitur per Titularem ex diſpoſitione juris, vel Sacri Concilii, quoniam interim præſumptio eſt pro reſervatione.

Omniſque difficultas in propoſito penitùs ceſſabat ex facto, dùm ſuper Eccleſia reſervata fuerat penſio ſcutor. 6. 11
mil. hoc eſt 1500. antiqua, & 4500. de novo ad favorem dicti Cardinalis, unde propterea, extra principium dubitandi, declarata fuit capax dictæ alterius reſervationis importantis ſolùm ſcuta 900. pro quando ceſſaſſet dicta major 4500. per obitum Cardinalis, ideoque meritò neglecta fuit dicta clauſula, *dummodò mille, &c.* dum indubitanter aderat certificatio majoris valoris.

Actum etiam fuit, ſed incidenter de validitate dictæ tranſlationis contra formam Conſtitutionis 20. Urbani 12
VIII. in cujus fraudem præambulam caſſationem reliquæ penſionis fieri non poſſe dicebatur, ſuper hoc tamen ego non ſcripſi, ſed alia occaſione de puncto agitur infrà ad materiam tranſlationis, de dict. Conſtitutione Urbani.

ADNOT. AD DISC. II. cum ſeqq.

DE eadem reſervatione penſionis eventualis, & an ceſſet per mortem Papæ ante purificatam conditionem, vel ſequutam nominationem, habetur quoque actum *in hoc tit. diſc.* 82.

Deciſiones enunciatæ *in diſc.* 1. *ſunt impreſſ. part.* 13. *rec. deciſ.* 247. & 512.

SYPONTINA PENSIONIS, PRO PRINCIPE AUGUSTINO CHISIO, CUM ARCHIEPISCOPO.

Diſcurſus in caſu diſputato coram A. C. & in Signatura, & reſoluto pro Chiſio.

De eadem materia penſionis eventualis poſt alterius antiquæ penſionis ceſſationem, An ſit pura, & perfecta ab initio ad alios etiam effectus, vel potiùs conditionalis; Et præſertim, an antiqua penſio debeat ceſſare in totum, vel ſufficiat, quod ceſſet in parte.

Et an hæc reſervatio præjudicet facultati transferendi antiquam penſionem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Translatarius antiquæ pensionis præfertur secundo pensionario.*
3 *Reservatio eventualis pensionis novæ pro quando prima cessaverit non præjudicat facultati transferendi.*
4 *Quod materia pensionis sit dividua, & valeat pro parte.*
5 *An reservatio eventualis sit pura, vel conditionalis.*
6 *Eadem pensio reservata, quando altera extincta erit, an sufficiat quod extinguatur in parte.*
7 *De Constitutione 20. Urb. VIII. super validitate pensionis in parte.*

DISC. III.

1 IN provisione vacantis Metropolitanæ Ecclesiæ Syponti-næ gravatæ annua pensione scutorum 1750. ad favorem Cardinalis Columnæ, reservavit Alexander VII. aliam pensionem scutorum 500. ad favorem Augustini Chisii Farnesii Principis ejus nepotis, ex nunc pro tunc, & postquam cessaverit, seu extincta fuerit dicta antiqua pensio, dictæque reservationi consensum præstitit provisus; Cùmque dictus Cardinalis Columna in ultima infirmitate, vigore Indulti Apostolici, transtulisset scuta 1000. hoc est 500 ad favorem Abbatis Columnæ nepotis, ac reliqua ad favorem aliquorum familiarium, atque sequuta ejusdem Cardinalis morte, Chisius suæ pensionis solutionem peteret; Replicabat Archiepiscopus factum non esse casum, sive purificatam non esse conditionem cessationis dictæ antiquæ pensionis, utpotè adhuc vigentis ratione translationis, per quam ea existere, ac durare dicitur, licèt enim quoad translatarium dicatur nova, attamen quoad substantiam respectu Ecclesiæ, & Titularis dicitur eadem jure continuationis potiùs, quàm novæ impositionis, mutata solùm persona, ut pluries infrà ad materiam translationis habetur.

Hin dictus Chisius plures consuluit Advocatos pro veritate, qui concorditer pro eo responderunt, de quorum numero ego fui, dictorumque responsorum vigore judicium instituendo coram Aud. Cam. mandatum executivum obtinuit pro terminis decursis, à Signatura Justitiæ quoque canonizatum, unde sequuta solutione, causa pendet in Rota in devolutivo, atque in his disputationibus, scribentes pro Archiepiscopo, magis insistebant in incapacitate Ecclesiæ, quod potiùs in facto consistit, quàm in hoc puncto.

Duæ igitur in dicta petita consultatione cadebant inspectiones; Primò scil. an dicta novæ pensionis eventualis reservatio præjudicare potuerit facultati transferendi, quam antiquus pensionarius habebat; Et secundò, an ut suprà, factus esset casus dictæ novæ pensionis, stante quod illa in totum non cessaverat ratione translationis de ejus parte.

Super primo, ego non scripsi formiter, sed visis responsis aliorum in hoc concordantium super negativa, quod scil. dictæ facultati transferendi præjudicatum non fuerit, cum eorum sententia pertransi; Potissimè quia stante bo-2 no jure hujus partis in altero puncto, nil ejus intererat translationem substineri, necnè, nisi quoad illud interesse, quod in casu insufficientiæ fructuum Ecclesiæ resultaret in concursu ratione anterioritatis competentis antiquo pensionario ad translatarios transmissæ, juxtà firmata in Ferrarien. coram Dunozetto *inter suas decis. 999.* & habetur infrà in Melphiten. *disc. 19. & in aliis.*

Quemadmodum enim in Beneficiis receptum habemus, ut gratia expectativa, seu præventiva provisio, vel unio, 3 si & postquam beneficium per cessum, vel decessum possessoris vacaverit, non tollit eidem possessori facultatem ex Apostolica auctoritate competentem renunciandi beneficium ad favorem alterius, vel permutandi, ex deductis *decis. 614. part. 4. recent. tom. 3.* aliis in sua materia *sub. tit. de beneficiis*, Et in terminis abusivæ, seu prærentivæ investituræ feudi, vel emphyteusis habetur *sub tit. de emphyteusi disc. 1.* Ita per pariter hujusmodi præventivæ, seu eventualis novæ pensiones non tollunt jus antiqui translatarii circa facultatem transferendi juxtà firmata apud Merlin. *decis. 243.* aliàs *decis. 23. par. 5. recent.* & supponitur *in dict. decis. 999.* coram Dunozetto.

Quo verò ad alterum punctum, super quo principaliter scripsi; Resolutionem pendere advertebam ab eo, an dicta nova reservatio dicenda esset conditionalis, & imperfecta expectans perfectionem à purificatione conditionis illi adjecta cessationis, seu extinctionis antiquæ pensionis, vel potius esset pura, & ab initio perfecta, dilata solùm executione postquam ex dicta pensione antiqua talis rata cessasset, quod absque novi oneris augmento Ecclesia istud novum supportare possit; Posita enim hac secunda parte, de plano resultare concludebam, sufficere, cessationem antiquæ pensionis verificari in parte proportionata novo oneri, cum agatur de materia dividua, & quantitativa, in qua non intrat ratio individui, cum eadem sit ratio totius quoad totum, ac partis quoad partem, ut ultrà ea, quæ generaliter habentur in materia censuum, 4 & societatum officiorum in suis titulis *de censib. & de societate officii*, super puncto, an restituta, seu aliàs cessata parte sortis, contractus substineatur in reliqua parte, quæ remanet debenda cum similibus, In his specialibus terminis pensionis substinendæ in parte ex dicta ratione materiæ dividuæ, apud Merlin. *decis. 722. repetit. decis. 169. part. 7. rec.* & habetur *disc. seqq.*

Quamvis autem pro ratione dubitandi, ac ad ornatum deducerem eadem, quæ supra in Ravennaten. *disc. 1.* habentur, quod hujusmodi reservatio esset conditionalis, ac 5 imperfecta expectans perfectionem à purificatione conditionis, attamen ex eisdem fundamentis ibi deductis, contrarium esse verius concludebam, præsertim ob specialem decisionem ibidem allegatam in Salamantina pensionis 16. 6 Februarii 1582. coram Bubalo, cujus adhuc non impressæ, ac ob antiquitatem in Curia ratæ, dedi particulam, cum qua sola causæ Patronus, præsertim in Signatura, sine Advocatorum ope causam substinuit.

Ut enim ibi benè advertitur, Papæ reservantis intentio non est se restringere ad omnimodam cessationem antiquæ pensionis, eamque pro forma ponere in conditione, sed solùm spectato effectu noluisse gravare Ecclesiam novo onere contemporaneo, voluisse autem tanquam per speciem subrogationis novi pensionarii in locum antiqui, gravare ejus possessorem ad jam existentis oneris solutionem.

Quod benè comprobari observabam ex ipsa facti serie denotante, Papam cogitasse ad possibilem translationem antiquo pensionario competentem ad formam Constitutionis 20. Urbani VIII. quæ prohibet translationem fieri non posse ultra medietatem fructuum, siquidem processus Concistorialis firmabat huius Ecclesiæ valorem in scutis 2500. unde propterea facultas transferendi exercibilis non erat, nisi scutis 1250. & fortè minus, cum consueta Cardinalium Indulta restricta sint ad summam scutorum 1000. unde propterea dicta etiam translatione præsupposita, adhuc nova pensio antiquam non excedebat, ideòque non augebatur onus Ecclesiæ, sed solùm onus Titularis, ne ex morte primi pensionarii commodum sentiret, tanquam per speciem, ut dictum est, subrogationis, vel translationis.

Dictam verò Constitutionem 20. Urbani VIII. ejusque praxim, sive intelligentiam ponderabam ad comprobandum dictum fundamentum dividuitatis, quodque nihil referat pensionem extingui in totum, vel in parte capaci, ut suprà, quoniam in eadem Constitutione præscribitur tanquam per speciem formæ, seu conditionis, ut fieri non possit translatio pro summa excedente medietatem fructuum, & tamen si fiat, non per hoc actus corruit in totum, sed solùm in rata excedente, ideòque utile per inutile non vitiatur, sed tanquam in materia dividua spectatur effectus.

Quia verò, ut dictum est, dicta decisio Salamantina est rara, utpotè non impressa, idcircò ejus particula in partibus opportunis registratur, ut sequitur.

R. P. D. BUBALO.
SALAMANTINA PENSIONIS.
Veneris 16. Februarii 1682.

REservata fuerat annua pensio 480. ducat. super fructibus, & distributionibus quotidianis Canonicatus, & Præbendæ Ecclesiæ Salamantinæ in favorem Reverendissimi D. Don Francisci Sarmiento, tunc Rotæ Auditoris nunc Episcopi Giennen. ex causa resignationis, seu cessionis per ipsum factæ in favorem Joannis de Mendoza; Et quoniam dictus Canonicatus erat gravatus tribus pensionibus antiquis usque ad quantitatem 480. ducat. D. Franciscus supplicaverat sibi reservari dictam pensionem, & quod ipse teneretur ad solutionem pensionum antiquarum, quod quidem non fuit sibi concessum, sed in clausulis supplicationis fuit appositum, decretum sub his verbis videlicet; *Et quatenùs antiquæ pensiones* 480. ducat. super dicti Canonicatus, & Præbendæ fructibus, &c. ac distributionibus diversis personis reservatæ sint, desumpta pensio-

nis reservatione pro dicto Francisco, *postquam antiquæ cessaverint*, evenit postea cessatio unius pensionis antiquæ 360. ducat. quam ad sui favorem vacasse prætendebat dictus Reverendissimus Episcopus; Ideò proposui dubium. An stante dicto decreto omnes pensiones antiquæ cessare debeant, ad effectum, ut dicta pensio dicatur reservata, An verò una cessante subintret pensio reservata pro D. Episcopo pro illa rata, &c.

Ex his resolutum fuit, reservationem pensionis fuisse puram, effectum autem solutionis ad tempus fuisse dilatum, postquam antiquæ cessaverint, & ex quibus resolvitur etiam prior difficultas, quia cum reservatio sit pura ab initio, effectus solutionis potest dividi, itaut una pensione cessante, subintret reservatio pro illa rata, & sic cesset in favorem secundi pensionari, non autem Titularis.

Et ita, &c.

PANORMITANA PENSIONIS, PRO CARDINALI LUDOVISIO, CUM ARCHIDIACONO ECCLESIÆ METROPOLITANÆ.

Casus disputatus in Tribunali Monarchiæ, & postea concordatus.

An reservatio secundæ pensionis non factæ mentione primæ, qua beneficium gravatum erat; invalida remaneat necnè; Et quando omissio hujus mentionis, novæ reservationi non præjudicet.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Nova pensio non facta mentione antiquæ est nulla.*
3 *Non procedit in antiqua pensione perpetua.*
4 *Ut procedat conclusio, de qua nu. 2. Titularis, qui allegat nullitatem debet docere de prima pensione valida.*
5 *Constare debitur de validitate, si docetur de reservatione, & exactione.*
6 *Quando pensio non annulletur in totum, sed reducatur.*
7 *Si fiat mentio in parte, substinetur pro rata narrata.*
8 *De casu, in quo reputatum fuit prudens Consilium non facere mentionem pensionis antiquæ.*
9 *De alia limitatione conclusionis, de qua num. 2. quando Titularis sciens antiquam pensionem consentit novæ, quod declaratur.*
10 *Cessat item dicta conclusio, ubi adest clausula*, etiamsi aliæ.
11 *Exceptio dictæ nullitatis non admittitur in judicio executivo, vel possessorio.*
12 *Etiamsi super nullitate adsit sententia, vel res judicata adversus quam commissa sit causa restitutionis in integrum, quod declaratur.*

DISC. IV.

1 VAcante Archidiaconatu Metropolitanæ Ecclesiæ Panormitanæ, in illius provisione sequuta in persona Matthæi Staropoli, Innocent. X. super ejus fructibus reservavit ad favorem Cardinalis Ludovisii pensionem scutor. 525. cui idem provisus consensum præstitit, atque juxtà stylum cedulam bancariam præstitit pro aliquibus annis, quibus elapsis, cum idem provisus renueret continuare in oneris prædicti solutione, hinc in vim obligationis factæ in Curia, prævia citatione per diligentias in eadem Curia juxtà stylum, atque ut vulgò dicitur *per contradictas*, contra eum relaxatum fuit mandatam executivum, cujus executoriationi, (quæ de stylo regionis requiritur) dicto Titulari se opponente, ac allegante hujus pensionis nullitatem ob non factam mentionem alterius antiquæ pensionis scutor. 500. Apostolica etiam auctoritate ex causa resignationis reservatæ ad favorem Joannis de Angelo, hinc ejusdem Cardinalis Agentes, & ministri petierunt, quod huic objecto satisfieret, ideòque ex parte dicti Cardinalis requisitus scripsi ad causam, quod honestæ concordiæ aditum præbuit, ut scilicèt stante in effectu justificata diminutione fructuum, secundus pensionarius aliquam diminutionem pensionis pati deberet, donec antiqua extingueretur, dictaque extinctione sequuta in integra exactione continuaret, ut ad breve tempus sequutum fuit.

Non negabam igitur, sed expresè admittebam tanquam veram conclusionem, in qua fundabatur Titularis exceptio, quod scilicet secunda pensio, non facta mentione unius, vel plurium antiquarum pensionum, quibus 2 beneficium gravatum erat, invalida sit ex defectu verisimilis intentionis Papæ, quem præsumendum est noluisse duplici onere Ecclesiam gravare, juxtà *consil. 260. Soccini num. 2. lib. 2.* Gig. *de pension. quæst. 29. num. 1. & seqq.* Tond. *eodem tract. cap. 44. num. 1. & seqq.* & sæpè Rota præsertim apud Mantic. *decis. 93.* Millin. *dec. 279. num. 4.* Merlin. *decis. 722. num. 1. & seqq. repetit. decis. 169. par. 7. recent.* (ubi etiamsi sit motu proprio) benè *decis. 739. num. 1. par. 2. recent.* & admittitur *dec. 107. par 10.*

Quod declaratur procedere in pensionibus vacabilibus, quæ ad favorem certæ personæ reservantur, non 3 autem in perpetuis, quæ juxtà decreta Concilii Tridentini, seu aliàs validè reservantur pro seminario, vel alio pio loco, quoniam istæ in effectu non dicuntur pensiones, sed potiùs onera fixa, & realia minuentia fructum, eo modo, quo sunt canones, vel census perpetui, aliaque onera, ideòque inolevit stylus modernus non faciendi mentionem, ut *dicta dec. 107. par. 10. recent.* & infrà *disc. 77.*

Dicebam tamen, dictam conclusionem plures recipere limitationes ad rem applicabiles, præcipuè verò illam, quoties antiqua pensio esset invalida, seu aliàs exceptio- 4 ne elidibilis, quod ostendere non incumbit pensionario, sed onus est Titularis id allegantis pro fundamento suæ exceptionis probare illam esse validam effectuatam, ac sine dubio exigibilem, itaut verificetur ratio, cui conclusio, ut suprà innixa est, Mantic. *decis. 111. nu. 3. repetit. decis. 733. par. 4. diversor.* Martin. Andr. *decis 25. num. 4. repetit. dec. 666. par. 2. recent. dicta dec 739. eadem par. 2.* cum aliis per Lorther. *lib. 1. quæst. 38. num. 61.*

Hæc ita simpliciter more Advocati deducebam scribendo ad causæ opportunitatem; Verùm de motivi relevantia dubitabam, quoniam cum in facti notula non insinuaretur, quæ nullitas, vel relevans exceptio deduceretur, de facili hinc validitas justificari poterat per litteras Apo- 5 stolicas reservationis, ut advertitur *dicta decis. 169. par. 7. recent.* aliàs apud Merlin. *dec. 722. nu. 15.* fortiùs docendo de effectuatione per aliquorum terminorum solutionem, ut advertitur *dicta dec. 739. par. 2. rec. num. 4.*

Potissimè verò, quia idem antiquus pensionarius erat in causa, & petebat solutionem, unde quando deficeret probabile motivum objiciendi de nullitate, vel amissione, intrabat de plano conclusio principalis, vel ejus ratio, stante quod antiqua pensio novam adæquabat; Tunc enim data etiam valida antiqua pensione, cessare deberet nullius in totum, sed videretur esse locus illi æquitativæ reductioni ad proportionem, de qua habetur *decis. 536. par. 4. rec.* 6 *tom. 3.* cum aliis in Parmen. de qua infrà *disc. 12.* quando agitur, non quidem de pensione voluntaria beneficio pleno, (in qua tanquam odibili, & suspecta de fraude rigorosè proceditur, adeòut verificari valeat illud vulgare dicterium, ut qui cadit à syllaba cadit à toto, & habetur infrà *in pluribus discursibus sequentibus*; ad materiam hujus pensionis voluntariæ,) sed agitur de illa, quæ motu proprio reservatur super beneficio, vel Ecclesia vacante occasione illius provisionis, sive ex causa resignationis, quo casu, ubi non concurrit dolus, sed bona fides, 7 ac etiam verisimilis intentio Papæ, intrat saltem reductio, ex deductis in dicta Parmen. *discurs. 12.* Ac etiam habemus, ubi antiquæ pensionis mentio facta esset in parte, quoniam tunc substinetur pro rata narrata, ob cessantem rationem deficientis voluntatis Papæ, cum versemur in materia dividua, ex plenè deductis *dicta dec. 722.* Merlin. *aliàs 169. par. 7. recent.*

Unde propterea in quadam facti contingentia, Cum sequuta morte Cardinalis pensionarii, qui in vim Indulti fecerat translationem, quam cum probabili funda- 8 mento Titularis credebat, ac prætendebat invalidam, dictaque credulitas, vel prætensio nimium confirmata remaneret à longævo silentio translatarii, qui spatio annorum circiter 20. nunquam pensionem petiit, vel suo jure usus est, dum agebatur de Ecclesiæ resignatione sub reservatione pensionis ad favorem resignantis, vel alterius sibi grati; Hinc fui in sensu, quod dictæ antiquæ pensionis nulla mentio facienda esset, cum per mortem pensionarii, Titularis jam fundatam haberet intentionem credendi illam esse extinctam; Et quamvis aliquam haberet notitiam translationis, attamen justè credere potuit ejus invaliditatem; Tum ex dicto diuturno silentio, quod verisimile est sequutum non esse, nisi translatarius nullitatem actus agnoviset; Tum ob quoddam vitium intrinsecum,

cum, vel *clarè annullativum actus*, vel saltem inducens probabilem ejusdem nullitatis opinationem, ideòque dixi non teneri Tituiarem excitare dormientes, ac mentionem facere illius juris, quod ipse justè credebat non adesse, quodque propterea iste defectus non causaret nullitatem reservationis, sed ad summum detecta subsistentia antiquæ, locus esset moderationi, seu reductioni ad proportionem, ut suprà.

Deducebam quoque alteram limitationem firmatam per Rotam in Aquilana pensionis 27. Maii 1623. coram
9 Remboldo, quod scilicet, ubi Titularis habens scientiam antiquæ pensionis consensum novæ præstitit, tunc de hujusmodi nullitate opponere non potest; Verùm & hoc motivum parùm tutum erat; Tum ex facto, quia de hujusmodi scientia non docebatur, neque de facili justificabilis erat; Tum etiam ex jure, quoniam id obiter non discusso maturè articulo in dicta decisione firmatur, atque recipiendum pro meo sensu veniret in resignatario, qui mediante reservatione novæ pensionis beneficium à resignante obtinuit, aliàs non obtenturus, unde propterea videtur esse in aliquo dolo, vel fraude juxtà casum, de quo in dicta Parmen. *disc.* 12. Secus autem secluså istà circumstantia, quoniam si Titularis sciebat aliam adesse pensionem, dispositionem quoque juris non ignorabat, quod nisi mentio fieret, nova reservatio invalida esset, ideòque dictæ juris dispositioni fiscus consensum præstitit, ad ejus gratiam, seu gratiæ expeditionem facilitandam, rectè sciens facere actum inutilem, juxtà ea, quæ de se inutiliter obligante contra formam legis communis, vel municipalis habentur pluries deducta *sub tit. de alienationibus, & contractibus*, ac etiam *sub titul. de dote disc.* 22. *& alibi*.

Solidum autem, ac tutum motivum, (quod concordiæ causam præbuit) erat illud resultans à clausula, *etiamsi aliæ*,
10 *&c.* quæ frequentiùs apponi solet in reservationibus, quæ fiunt favore Cardinalium, aliorumque conjunctorum, seu familiarium Papæ, & quas Datariæ Officiales, ac expeditores pensiones Papalinas appellant, tunc enim cessat dicta ratio deficientis voluntatis Papæ, cui innititur dicta conclusio; Prout etiam ex eadem clausula cessat altera præsumptio deficientis voluntatis, quando pensio esset ultrà medietatem, ultrà quam Papa non est solitus gravare, quoniam id procedit in illis pensionibus, quæ reservantur ex causa resignationis, seu aliàs ex privatis conventionibus per Papam approbatis, non autem, ubi motu proprio, & cum dicta clausula, vel æquipollenti, seu quod aliàs ex contrariis probationibus, vel fortioribus præsumptionibus contrariam juris præsumptionem elidentibus constet cessare dictam rationem verisimiliter deficientis intentionis Papæ, cum cessante ratione conclusionis, illa quoque cesset, Paris. *de resignat. l.* 6. *q.* 2. *n.* 52. Lotther. *lib.* 1. *q.* 38. *n.* 63. *& seqq.* Caputaquen. *dec.* 195. *par.* 2. Adden. ad Crescen. *dec.* 1. *de reb. Eccles. non alien.* & admittitur apud Millin. *dict. dec.* 279. *n.* 8. & Mantic. *d. dec.* 93. *n.* 2. ideòque cum ageretur de Cardinali conjuncto, ac benevolo, atque adesset dicta clausula, *etiamsi aliæ*, ita cessare videbatur omnis difficultas.

Quando autem hæc disputatio haberi debuisset in Curia, nulla suppetebat necessitas assumendi hanc inspectionem, quoniam in judicio executivo in vim consensus, ac propriæ obligationis, vel in possessorio manutentionis ad favorem pensionarii existentis in quasi possessione, hujusmodi ex-
11 ceptiones non admittuntur, ut in terminis nullitatis pensionis voluntariæ resultantis à decreto annullativo in eadem reservatione contento, in casu, quo integra effectiva solutio terminorum non sequatur, firmatur apud Dunozett. *decis.* 859. *in fin. repetit.* apud Tondut. *de pension. decis.* 43. cum aliis generaliter deductis apud Buratt. *decis.* 552. *nu.* 4. *& seqq.* & collectis per Posth. *de manut. observ.* 42. *nu.* 50. *& seqq. & observ.* 62. *nu.* 5. & in Sipontina pensionis coram Peutingerio *decis.* 45. 119. *&* 203. *par.* 10. *rec.* & quarum prima, & ultima sunt etiam repetitæ post Tondut. *de pension. decis.* 84. *& finali*, in quibus firmatur, quod ubi etiam super nullitate adesset sententia transacta in judicatum, adversus quam ante cœptam executionem commissa esset causa restitutionis in integrum, adhuc illa non
12 obstaret possessori in hoc judicio; Licèt in ultima decisione duarum præcedentium revocatoria, contra possessorem respondeatur, non quidem ex fallacia conclusionis, sed ex defectu applicationis ob cœptam executionem, quæ juris ministerio à sententia absolutoria resultare dicitur; Quod tamen (me in causa non scribente, ipsoque professionis initio) scio apud peritos beneficialistas non habuisse plausum, quodque id contineret quamdam juris subtilitatem contra stylum Curiæ; Non tamen desuper maturum judicium efformare potui, dum occasio adhuc non dedit id formiter disputare.

ANNOT. AD DISC. IV. cum seqq.

AGitur in his disc. de materia pensionis voluntariæ beneficio pleno, de qua pariter *in hoc tit. disc.* 84. 86. *&* 90.

COMEN. PENSIONIS, PRO ABB. TURCONO, CUM JOANNE BAPTITSA PELLEGRINO.

Discursus pro veritate.

De eadem materia invalidæ pensionis novæ ob non factam mentionem antiquæ, ut non procedat quando antiqua sit invalida; Et incidenter de invaliditate pensionis voluntariæ beneficio pleno ob non solutionem terminorum; Et an solutio facta per Titularem, dum erat infirmus, ac morti proximus, in hoc attendatur, tam ad effectum evitandi dictam nullitatem, quàm etiam ad effectum constituendi pensionarium in quasi possessione exigendi.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
1 *Nova reservatio pensionis non facta mentione antiquæ est nulla.*
3 *Extinctio pensionis fieri potest gratis absque assensu Apostolico, qui est necessarius, ubi fiat mediante pecunia.*
4 *In pensione voluntaria, si non solvantur verè omnes termini vivente Titulari, qui consensit illa annullatur.*
5 *De actibus gestis ab infirmo, vel moribundo, ut præsumantur in fraudem.*
6 *In specie de consensu præstito reservationi pensionis voluntariæ.*
7 *Solutio pensionis facta per moribundum non constituit in possessione, & num.* 11.
8 *Conclusio, de qua nu.* 2. *intelligitur in pensione valida.*
9 *Mala extinctio pensionis sine beneplacito, adhuc præjudicat pensionario.*
10 *De differentia inter beneficiatum, & pensionarium.*
11 *Expenditur conclusio, de qua numer.* 7. *& quis dicatur moribundus.*
12 *De eadem conclusione, de qua num.* 5. *&* 6. *de actu facto à moribundo.*
13 *De differentia inter actum novum tribuentem novum jus, & actum præservativum, ne jus quæsitum amittatur.*
14 *Declaratur conclusio, de qua num.* 4. *Et quando apponatur decretum, ut constare debeat de effectiva solutione omnium terminorum.*
15 *Pensio reservata occasione resignationis unius beneficii super altero de consensu possessoris est nulla, si conventum est, consentientem debere relevari à resignatario.*

DISC. V.

UT N. Canonici Turconi benevolus obtineret resi- 1
gnationem Parochialis, stante quod super ista reservari non poterat tota pensio, quam resignans cupiebat, idem Canonicus fiduciarium consensum præstitit pensioni scutorum 25. super ejus Canonicatu, absque eo, quod unquam dictam pensionem solverit, dum provisus de Parochiali, ut dictum Canonicum omninò indemnem redderet, non solùm primos terminos punctualiter solvit, sed etiam mediante aliquorum terminorum anticipata solutione, curavit illam extinguere cum publico instrumento, super quo ad aliquod tempus obtentum fuit beneplacitum Apostolicum, Verùm ante impetrationem, ac tempore intermedio inter istud, & dictam extinctionem, idem Canonicus consensum præstitit reservationi novæ pensionis scutor. 60. auri ad favorem neporis ex fratre, nulla facta mentione dictæ antiquæ pensionis, quam jam extinctam credebat, dictæque novæ pensionis primo termino maturato sub die 25. Junii, illum Canonicus soluit pensionario in mense Augusti in statu infirmitatis, ex qua ad tres, vel quatuor dies obiit, unde propterea inter pensionarium, ac noviter provisum de Canonicatu, orta est extrajudicialis controversia, usque adhuc remissa judicio conspicui Cardinalis utriusque partis benevoli.

Duo

Duo igitur erant Titularis fundamenta, ex quibus præ-
tendebatur dictam pensionem debitam non esse; Primò scilicèt, ob non factam mentionem dictæ antiquæ pensionis,
2 non solùm ex dispositione juris ex decisionibus, & auctoritatibus, de quibus in Panormitana *disc. præced.* sed clariùs ex particulari decreto annullativo in ipsamet reservatione contento, quatenùs Canonicatus alia pensione gravatus esset, ita enim dicebatur cessare omnem difficultatem, quæ aliàs in puris terminis dictæ conclusionis cadere potuisset.

De existentia verò pensionis, eo tempore dicebant scribentes pro Titulari, non esse dubitandum, quamvis dicta conventio extinctionis accessisset, stante defectu beneplaci-
3 ti Apostolici omninò necessarii, dum in hac materia receptum est, quod pensionarius gratuitò pensionem remittere potest, ejusque cassationi consentire absque Apostolico beneplacito, secus autem, ubi fiat mediante pecunia, vel alia re temporali, quamvis dicatur solutionem fieri pro anticipata aliquorum terminorum solutione, quoniam sine dicto beneplacito actus est simoniacus, & invalidus, ut ita distinguendo habetur apud Buratt. *decis.* 469. Tondut. *de pension. cap.* 57. *nu.* 1. Talisque est recepta praxis, quod super hujusmodi extinctionibus obtinetur beneplacitum, pro quo sufficit sola supplicatio signata manu Papæ absque expeditione litterarum.

Alterum nullitatis fundamentum deducebatur ex alio decreto in pensionibus voluntariis hujusmodi apponi solito ad obviandum fraudibus, quod scilicet, nisi verè,
4 & effectivè, non autem simulatè, vel per solam confessionem, probetur Titularem, qui pensioni consensit solvisse omnes terminos, pensio corruat juxtà firmata *in decis.* 880. Dunozett. *repetit.* post Tondut. *decis* 43. & sæpiùs in aliis, cum sit principium planum, de quo habetur sæpiùs infrà.

Quamvis enim de solutione unici termini, qui maturavit vivente dicto Titulari doceretur per publicum instrumentum benè conceptum, quod scilicet solutio facta esset in pecunia numerata coram Notario, & testibus; Attamen dicebant scribentes pro Titulari, quod cum iste actus factus esset per moribundum, habendus esset pro non facto in præjudicium successoris, ac etiam ipsius Ecclesiæ, vel beneficii, ob fraudem præsumptam; Ut ul-
5 trà generalia, quæ habemus in materia prohibitæ sub infeudationis à feudatario infirmo, vel aliàs existente in limine devolutionis, plenè deducta *sub tit. de feud. disc.* 1. Et alterius prohibitæ dispositionis factæ in infirmitate, quamvis in statu valido fieri posset *dicto disc.* 1. *de feud. & sub tit. de dote disc.* 103. Et de resignatione officii venalis *sub tit. de Regal. disc.* 6. *cum similibus*.

In his specialibus terminis voluntariæ pensionis reservatæ super beneficio pleno de consensu Titularis existen-
6 tis in statu infirmitatis, ex qua objit, Rot. apud Merlin. *dec.* 701. *nu.* 1. *& per tot.* quasi quod ita deficiat voluntas Papæ, qui si id sciviſſet utique non admisisset, ad quod conferunt deducta *sub titul. de societ. offic. disc.* 1.

Ac etiam deducebatur specialis auctoritas, Posthii *de*
7 *manutent. observ.* 35. *nu.* 8. ubi quod solutio facta per Titularem post dimissum beneficium, non constituit in possessione, idemque dicit, si facta sit per moribundum.

Primum objectum, (etiam in sensu veritatis,) mihi videbatur, quod non haberet probabile fundamentum ob limitationem insinuatam supra in Panormitana *disc. præced.* quod scilicet conclusio procedit in pensione valida, & effectum sortita, unde verificetur ratio, cui innixa est, verisimiliter cessantis Papæ voluntatis non gravandi Ecclesiam duplici onere, Secus autem, ubi pensio sit nulla, vel aliàs ineffectuata, adeòut Titulari alleganti nullitatem incumbat onus probandi nullitatem, non autem pensionario probandi validitatem, ut *eod. disc. præced.* ubi habentur auctoritates.

De nullitate autem constare credebam ex ipsomet motivo deducto in secundo objecto, quod scilicet ageretur de pensione voluntaria reservata beneficio pleno, ideòque invalida ex eo, quod Titularis, qui consensum præstitit, nunquam solvit, quinimò de tempore hujus reservationis assecuratus erat de futuris molestiis, ac solutione ampliùs non facienda, stante extinctione, ut supra sequuta mediante aliquorum terminorum anticipata solutione facta per eum, qui verè debitor erat.

Alterum verò solidius erat illud jam sequutæ extinctionis, cui non obstare dicebam defectum beneplaciti Apo-
stolici in dicta extinctione necessarium, quoniam defe-
9 ctus beneplaciti percutit incursum simoniacæ labis tam Titularis, quàm pensionarii, vel alterius veri creditoris, in cujus gratiam hæc reservatio facta erat, & successivè incursum pœnarum, inter quas est illa amissionis, seu extinctionis pensionis à majoritate rationis, ob quam vacant etiam beneficia, ideòque quomodocumque dicatur, semper firmum est, quod dicta pensio non erat ampliùs in rerum natura; Cum enim certum sit, quod pensionarius absque dicto beneplacito ex solo gratuito consensu remittere possit pensionem, atque irretractabiliter gravatam Ecclesiam liberare, eamque pristinæ libertati restituere, ut suprà; Hinc idem fortiùs absque dubio dicendum est ad favorem ejusdem Ecclesiæ, vel beneficii, utpotè incapacis delicti; Et multò magis, ubi id proveniat, non à delicto Rectoris, vel possessoris, sed tertii; Nimium enim absurdum esset dicere, ut actus virtutis, qualis est gratuita remissio, facienti præjudicare debeat, & non debeat præjudicare actus vitiosus continens delictum, ex quo etiam de jure resultat privatio, seu amissio ejus, quod remissum est; Ideòque modus illicitus attendendus est in ordine ad crimen, ac pœnas facientium, atque ut pecunia, vel alia res temporalis illicitè data avocetur per fiscum tanquam ab indigno, seu Ecclesiæ, aut piis usibus applicetur, non autem ut consensus præstitus extinctioni ad favorem ipsius facientis haberi debeat pro non præstito, adeòut viva remaneat pensio ad favorem committentis talem actum, ex quo etiam privatio resultat, cum id nullo jure, nullaque ratione fundatum videatur.

Hinc licèt in materia beneficiali receptam habeamus conclusionem, quod resignatio nulla non abdicat jus à resignante, attamen ubi nullitas est culposa ex parte ipsius, secus dicendum est, ne crimen profit criminoso, ut pluries in sua materia *sub tit. de beneficiis*, præsertim in Hispalen. *disc.* 35. *cum ibi proximis*, & infrà *disc.* 74. Fortiùs verò, ubi crimen est tale, quod avocet jus etiam sine resignatione in pœnam.

Et tamen in beneficiis, quæ in titulum conferuntur, aliqua diversa militat ratio, ob quam dici potest, ut etiam à culposè, seu aliàs malè consentiente, beneficium non ab- 10
dicetur, eo quia inter beneficiatum, & Ecclesiam initus dicitur quasi contractus correspectivus, hinc inde obligatorius, stipulante pro Ecclesia collatore, ideòque dissolui non potest solo consensu beneficiati absque consensu Ecclesiæ, quæ est alter contrahens, cujus vice illum præstat Prælatus, qui jus destituendi habeat, ut pariter in dicta sua materia *sub tit. de benefic.* ad materiam resignationis; Hæc autem ratio non intrat in pensionibus continentibus purum lucrum, puramque donationem ad favorem pensionarii, cujus solus consensus quomodocumque præstitus inducit liberationem Ecclesiæ debitricis, cujus semper interest ejus libertati restitui, dum nulla quoad eam adest correspectivitas, sicut est cum beneficiato.

Et clariùs, quia hujusmodi extinctio, palàm publicè, & bona fide sequuta fuerat, sub expressa reservatione beneplaciti Apostolici, unde propterea actus, licèt ad dictos alios effectus non omninò validus, & perfectus, quemdam implicitum validitatis actum habere videbatur, unde non improbabiliter dici posset subsequutam revalidationem quamdam vim retrotractivam habere, ut propterea in hac secunda reservatione non intraret culposa taciturnitas antiqui oneris, quod ex pluribus in optimæ fidei statu judicatum fuit non adesse.

Aliquam majorem difficultatem mihi præbebat alterum fundamentum actus gesti de tempore infirmitatis, ex qua ad paucos dies mors sequuta fuit; Non quidem ex dicta auctoritate. Posth. *observ.* 35. *num.* 8. cum ipse loquatur de moribundo, qualis proprié, & ac de stricto jure dicitur ille, qui in eo medio statu inter mortem, & vitam positus est, quòd pro mortuo potiùs, quàm pro vivente reputari debet, ad text. *in l. statu, §. si ambo, ff. de donat. inter vir. & uxor.* cum concord. per Phenut. *de momento temporis cap.* 6. *post n.* 2. Polidor. Rip. *de actib. in articulo mortis cap.* 1. *num.* 1. *&* 3. & habetur *sub tit. de dote disc.* 27. Potissimè quia hic, de more potiùs diligens, ac elaboratissimus collector, quàm Doctor, nullatenùs desuper discurrendo, neque aliquam adducendo rationem, seu legis auctoritatem, æquiparat casum actus gesti per eum, qui jam civiliter mortuus est alteri gesto, per moribundum, ex sola auctoritate Rotæ in Spoletana pensionis coram Ubald. impress. *post eundem tract. decis.* 318. *num.* 10. ubi excitato motivo, respondetur cum solo facto, quod de hoc non constaret, non examinando articulum, quando quis dicatur in statu moribundi constitutus; Ac etiam, quia in facto supponebatur, quod

de

de tempore quo hujusmodi solutionis actus factus est, Titularis esset quidem infirmus, sed medicorum judicio, tunc levis, & non periculosa infirmitas reputaretur, quamvis deindè ingravescente morbo, ad tres, vel quatuor dies, quasi inopinato mors sequuta sit.

Quando autem ex hujusmodi actu gesto in infirmita-
12 te, talis qualis illa esset, resultaret dispositio Ecclesiæ præjudicialis, & ex qua pensionarius suum jus principaliter metiretur juxtà dictum casum decisionis 701. Merlini, tunc (reflectendo ad veritatem) pro actus infectione probabiliùs respondendum esse credidissem ex eisdem fundamentis, quæ habentur in dicta decisione, ac aliis, de quibus *dicto disc. 1. sub tit. de feudis, & disc. 103. sub titul. de dote*, quasi quod illi actus, qui liciti sunt in existentibus solùm in statu valido, semper illiciti censeri debeant, qui fiant ab infirmo ob fraudem à lege præsumptam, quæ dicitur potiùs fraus præjudicii, quàm fraus consilii, ducto etiam argumento à Regula, de infirmis resignantibus, aliàs de viginti nuncupata, cum ibi notatis per beneficialistas, præsertim per Gomez. ac habetur *dicto discurs. 6. sub titul. de Regalib.* de materia resignationis officiorum venialium, quasi quod spectandus veniat effectus mortis de proximo sequutæ, non attento, an de tempore quo actus geritur infirmitas esset gravis, & periculosa, necne, quoties ex illa sequuta est mors, quasi quod tunc recipienda sit opinio, ut moribundus indefinitè dicatur constitutus in infirmitate, ex qua obiit, ut hanc, & alias opiniones recensèt Capyc. Latr. *cunsult. 123.* ubi concordantes, *& dicto disc. 103. de dote.*

Hæc autem credebam non applicari ad hanc facti speciem, dum actus reservationis pensionis jam validus, ac perfectus erat ab initio, quo Apostolica gratia cum expeditione litterarum concessa fuit, nullumque alium actum ad sui perfectionem, & validitatem expectabat, adeout si casus dedisset, quod Titularis, qui voluntariæ pensioni consensum præstiterat, ante primi termini maturationem,
13 per mortem naturalem vel civilem defiisset esse possessor beneficii, unde propterea nulla solutio pensionis per ipsum facta esset, non per hoc intraret decretum, neque nullitas prætendi posset, ut *decis. 26.* post Merlin. *de pignor. nu. 4.* quæ est eadem apud Merlin. *dec. 478. nu. 4.*

Ideoque hujusmodi conditio potius resolutiva, quàm suspensiva dicitur, atque inducens potius amissionem juris quæsiti, quàm impedimentum juris quærendi, ejusdem implementum non infert Ecclesiæ novum gravamen, neque per illud novum jus pensionario quæritur, ut contingit in subinfeudationibus, vel resignationibus ad favorem, seu donationibus, aliisque dispositionibus, quæ fiant per disponere prohibitum, dum est infirmus, cum hujusmodi actus percutiat solum impedimentum futuræ vacationis, vel resolutionis alias resultantis, ad effectum ut eo non sequuto, primævum jus pensionarii duret, & sic potius per speciem præservativæ à futuro præjudicio, quàm per speciem novæ dispositionis, quæ novum jus tribuat; Ideoque magna differentia est inter unum casum, & alterum, neque ea, quæ disposita sunt in actu novo, seu novi juris vel gravaminis inductivo, trahenda sunt ad alterum simpliciter præservativum, in quo nulla in jure habetur prohibitio; Adinstar eorum, quæ in his terminis pensionis habentur supra *in Ravennaten. disc. 1.* quod licet in reservatione pensionis super Cathedralibus, vel Metropolitanis requiratur specialis derogatio Concilii Lateranensis, attamen si pensione legitimè reservata concedatur Indultum illam retinendi, non obstante diverso futuro statu, ob quem ejus amissio resultare deberet, hujusmodi derogationes non desiderantur; Idemque in Indultis seu dispensationibus retinendi beneficia de Jurepatronatus Laicorum etiam Regio non obstante promotione ad Episcopatum, seu assequutione alterius incompatibilis absque necessitate consensus patroni, qui in provisione beneficii, est necessarius, seu absque necessitate illius specialis mentionis Jurispatronatus præsertim Regii, quæ desideratur in reservatione novæ pensionis, ex deductis in sua materia *sub tit. de Jurepatronatus præsertim disc. 66.* ubi generaliter de invalidis provisionibus, quæ fiunt absque consensu patroni, cum similibus, quoniam magna differentia est inter novum actum novi juris inductivum, & inter actum simpliciter præservativum juris jam quæsiti, Ideoque nisi ageretur de actu gesto ab eo qui ita moribundus dicendus sit, ut potius inter mortuos, quàm inter vivos reputandus, perfectum consensum non habeat, juxta ea quæ in proposito habemus in materia validitatis, vel invaliditatis testamentorum, sive translationis pensionis nulla videtur adesse prohibitio; Multò magis stante dicta circumstantia, quod infirmitas tunc non reputaretur gravis ex qua mors timenda esset, & quia notabile tempus non effluxerat post cessam solutionis diem vel maturatum terminum.

Corruere autem ex facto compertum est dictum motivum nullitatis antiquæ pensionis ob non justificatam solutionem omnium terminorum, cum non adesset istud 14
decretum, quod solùm adjici solet in pensionibus merè voluntatis sine causa, secus autem in iis, quæ occasione resignationis reservantur ad favorem resignantis in parte super alio beneficio de consensu Titularis, juxta frequentem contigentiam, quoniam tunc adest causa, & non intrat suspicio, ut possessor beneficii collusivè pensioni consenserit ad supplantandum successorem absque ejus incommodo.

Ex dicta verò anticipata solutione plurium terminorum facta, non per possessorem beneficii grati, sed per resignatarium alterius beneficii, in cujus gratiam possessor consensum præstitit, probari observabam, saltem præsumptivè, quod consensus præstitus per alterius beneficii possessorem fuisset simulatus, sive cum conventione relevationis à resignatario, in cujus gratiam præstitus erat; Unde propterea resultabat altera clara nullitas ex defectu intentionis Papæ benè probato à stylo datariæ id non admittendi; Verùm quia hæc erat præsumptio non sufficiens, cum dictus resignatarius id facere, potuerit sponte sua, & ex motivo gratitudinis, quod non inficit actum, cum ad infectionem requiratur conventio ab initio, juxta ea, quæ habentur infrà in proposito continuationis exactionis pensionis in transferente, ac etiam *sub tit. de benefic.* in proposito simoniæ, Idcircò dixi, un dicta convention justificaretur, vel saltem alia darentur adminicula conjungenda cum prædicto quod à solutione resultat.

ROMANA PENSIONIS CANONICATUS S. ANGELI, PRO JULIO MARTINO, CUM JOANNE BAPTISTA DE PERBENEDICTIS.

Casus variè decisus per Rotam.

De eadem materia pensionis voluntariæ reservatæ beneficio pleno cum circumstantia fiducialitatis circa illius invaliditatem ob malam expressionem valoris; Et de differentia inter istam speciem reservationis, & alteram, quæ fiat ex causa resignationis.

Et de modo probandi valorem; Et præsertim an in eo habenda sit ratio domus canonicalis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Reservationis causæ.*
3 *Census Titularis transfert in eum onus probandi diversum valorem.*
4 *Acceptans beneficium pensione gravatum dicitur quasi contrahere cum pensionario.*
5 *Solutio pensionis per tempus notabile est argumentum capacitatis, ac etiam quod consimilia beneficia ità quoque gravari soleant.*
6 *Domus canonicalis est in fructu, & venit in valore, & n. 15*
7 *Quod si valorem non ascendit ad summam narratam, de æquitate pensio non annulletur, sed reducatur pro rata, & quando, & nu. 11.*
8 *Voluntas Papæ desumitur à stylo.*
9 *Quod prima resolutio non placeat, & de ratione.*
10 *Distinguuntur plures species reservationis, & de illa quæ fit motu proprio beneficio vacante, in quo differat ab ea, quæ reservatur beneficio pleno, & voluntaria dicitur.*
11 *De eadem reductione, de qua supra nu. 7.*
12 *De pensione voluntarta beneficio pleno, & non intret æquitas, sed annulletur in totum.*
13 *Quomodo sit probandus valor ad annullandam pensionem.*
14 *Valor Canonicatus probatur per libros Capituli.*
15 *De conclusione, de qua nu. 6.*
16 *Monitum, quomodo deferendum sit doctrinis.*

DI-

ISC. VI.

1 HIeronymus Tornabonus convenit cum Ugolino de Perbenedictis, de resignatione ad sui favorem Canonicatus S. Angeli in foro piscium, cum pensione ducat. 62. reservanda ad favorem Joannis Baptistæ Ugolini nepotis; Quia verò Dataria hujusmodi pensiones ex causa resignationis non admittit nisi infra medietatem fructuum; Hic Cæsar Papottus possessor alterius Canonicatus ejusdem Ecclesiæ in gratiam dicti Hieronymi, sub narrativa valoris ducatorum 100. consensum præstitit pensioni ducat. 31.
2 cum pro reliquis 31. reservata esset super ipso canonicatu resignato; Cumque Cæsari mediatè in Canonicatu successerit Julius Martinus, qui pensionem solvere nolebat; Hinc introducta causa *in Rota coram Celso*, datoque dubio, an pensio debeatur, *sub die 1. Aprilis 1661.* ad favorem pensionarii affirmativa prodiit resolutio, *inter illas Celsi decis. 346.* à qua tamen factis interim aliquibus probationibus super valore, *sub die 3. Junii 1665. coram Albergato subrogato*, à decisis recessum fuit, incertumque est, an causa interioris progressum habuerit, cum ob sequutam mortem Julii, successor in canonicatu, ut frequenter contingit, alios assumperit defensores.

In his autem disputationibus; Scribentes pro pensiona-
3 rio, quibus adhæsit Rota in prima decisione coram Celso, principaliter insistebant in eo fundamento, quod prædecessor, qui consensum pensioni præstitit, juxta modernam cautelam, dixit se benè informatum narrati valoris assumendo in se suosque successores onus justificandi contrarium, quo casu fundata remanet intentio pensionarii, donec Titularis de contrario doceat, Gigas *de pensionibus quæst. 44. in princip.* Paris. *de resignat. lib. 1. quæst. 8. nu. 31. cum sequen.* cum aliis *in dicta decision. 346. Celsi.*

Et quamvis Julius tale onus in se non assumperit, atque esset successor independenter à prædecessore jure suo, ad-
4 huc tamen dicti scribentes dicebant, atque in decisione admittitur, quod provisus de beneficio gravato, acceptando provisionem, consensisse censetur oneri pensionis, & cum pensionario quasi contraxisse ex deductis per Lotther. *lib. 1. qu. 39. num. 101. & sequen.* Adden. ad Greg. *decis. 57.* Merlin. *dec. 478. nu. 2. & sequen.*

Nimiumque ad hujusmodi resolutionem capiendam impulit duplex consideratio, ob quã Rota credidit narrativam esse veram, ac pensionem substineri; Primò scilicèt, quod
5 hæc pensio soluta fuerat longævo spatio annorum 18. quod magnum est argumentum capacitatis, cum aliàs verisimile non sit, quod illa soluta fuerit si expressus valor non esset verus, ut ponderatur apud Buratt. *dec. 261. nu. 6. & per* Rotam *dec. 186. num. 16. & 17. par. 6. recent. & in Romana pensionis 29. Januarii 1646. coram Cerro*, quæ prodiit in individuo super pensione reservata super alio ejusdem Ecclesiæ Canonicatu, ideoque juxta contentis sæculi morem, tanquam decisio individualis magnam fecit impressionem.

Et secundò, quia justificabatur alios Canonicatus ejusdem Ecclesiæ consimilis redditus, eadem, ac majori pensione gravari consuevisse.

Atque his fundamentis, quæ solum in prima decisione deducuntur, duo alia scribentes pro pensionario addebant; Primò scilicet, quod ultra fructus, ex quibus Titularis prætendebat probari minorem valorem, addendum esset emo-
6 lumentum, quod obtinetur ex domo Canonicali, quæ venit etiam in fructu seu valore juxta firmata *in Mediolanen. Canonicatus 4. Februarii 1636. coram Ghislerio, & in alia Mediolanen. Canonicatus S. Marzarii 28. Maji coram Dunozetto* inter suas *decis. 497.*

Et secundo, quod stante dicta circumstantia superius considerata, ut isti Canonicatus, in eadem, ac majori summa gravari soleant, ac etiam stante infantili ætate pensionarii de tempore, quo reservatio facta fuit, unde
7 propterea omnis doli suspicio aberat, in omnem eventum, ubi etiam benè concluderetur narratum valorem non esse verum, adhuc locus esse deberet reductioni proportionabiliter, & pro rata juxta firmata per Rotam *dec. 536. par. 4. recent. tom. 3.* & habetur etiam infra *in Parmen. disc. 12.* Ita enim dicebant concurrere duo requisita *in eadem Parmen.* examinata, quibus concurrentibus non intrat rigor annullativus in totum, sed potius æquitas moderandi, ac substinendi pensionem pro rata, ob deficientiam scilicet doli ob infantilem ætatem pensionarii, & ob
8 verisimilem Papæ voluntatem deductam ex solito gravandi in eadem, ac etiam majori quantitate, ex recepta, & frequenti propositione, quod ex stylo desumitur voluntas ad effectum regulandi subreptionem vel defectum intentionis Mantic. *dec. 214.* cum aliis per Adden. ad Greg. *dec. 150. & sæpius.*

His tamen non obstantibus; Scribens pro Julio Titulari, cum sensu etiam veritatis, dicebam pro invaliditate pensionis ob malam expressionem valoris per ascensum 9
respondendum esse, ideoque non placuit dicta prima resolutio innixa regulis seu conclusionibus in suis respectivè casibus veris, non benè tamen ad illum præsentis controversiæ applicatis, ideoque advertebam æquivocum consistere in applicatione, quamvis posterior resolutio novis probationibus magis innixa videatur.

Ad æquivocum autem convincendum advertebam, reflectendum esse ad distinctionem trium diversarum specierum reservationis pensionis, quæ per Papam fiant cum narrativa certi valoris; Prima liquidem est illa reservatio, 10
quæ per Papam motu proprio fit super Ecclesia vel beneficio vacante, antequam provideatur vel in actu providendi, sub narrativa valoris, quod sequi solet in beneficiis, in quibus non præcedit processus Concistorialis, & tunc si provisus consensum præstat reservationi, fortius verò si accedit dicta moderna cautela narrandi se informatum, ac assumendi in se suosque successores onus justificationis contrarii, tunc rectè procedunt conclusiones, 11
de quibus in dicta decisione, ut sit onus Titularis impugnare volentis pensionem, probare contrarium atque interim fundata sit intentio pensionarii; Tum quia in hac specie reservationis non cadit illa præsumpta fraus, quæ cadit in infrascripta tertia specie pensionis voluntariæ, in qua magis rigorosæ proceditur circa valoris justificationem; Tum fortius, quia magna differentia est inter illam reservationem, quæ motu proprio fiat super Ecclesia vacante in actu providendi vel antea, & illam quæ fiat, approbando solum privatas conventiones; Primò enim casu Papa reservat pro ejus arbitrio, non attendendo, an pensio sit infrà vel ultra medietatem, præsertim ubi non agatur de parochialibus, in quibus ad formam Concilii Tridentini reservari solet congrua cum clausula, *dummodo centum*, cui quandoque etiam derogatur, ut in Cathedralibus, in quibus congruæ derogari, frequens moderna praxis docet. In altero autem casu, stylus est moderatè gravandi infra dimidiam, ideoque ab uno ad alterum non bene infertur, Et sic, non ex eo quod alii Canonicatus juxta hanc primam speciem, consimili vel majori pensione gravari consueverint, inferri potest ad voluntatem ita gravandi isto casu reservationis voluntariæ beneficio pleno ob maximam differentiam inter unum & alterum.

Alia species reservationis est illa quæ fit occasione resignationis super ipsomet beneficio resignato ad favorem ipsius resignantis vel alterius in ejus locum subrogati, juxta casum, de quo infra dicta *Parmen. disc. 12.* & tunc, ubi præsertim agitur cum ipsomet resignatario, non autem cum alio successore independente, itaut non intrent 12
considerationes, de quibus infra *in Majoricen. regressus disc. 13.* benignè proceditur, atque dicta moderativa æquitas admitti solet, quoties dicta requisita concurrant juxta *dictam dec. 536. par. 4. recent. t. 3.* Et fortè non tam in gratiam & commiserationem pensionarii, à quo dolum abesse constet, quam in odium resignatarii, ne aliàs detur aditus fraudibus, ita cum hujusmodi malis assertionibus studiosè factis captandi aliena beneficia, ut advertitur in eadem *Parmen. disc. 12.*

Tertia demum est species reservationis voluntariæ, quæ fiat super beneficio pleno de consensu Titularis in gratiam pensionarii seu tertii, frequentius autem fiducialiter juxta casum, de quo *disc. præced.* ac etiam immediatè sequenti, & aliis proximis, illamque speciem, de qua habetur *decis. 342. part. 3. recent. tom. 2. decis. 880.* apud Dunozett. *repetit. decis. 43.* post Tondut. *de pension. decis. 55. post eumdem, & in aliis pluries.*

Et tunc ista specie ob præsumptam fraudem, vel simulationem, quæ inesse dicitur nimium rigorosè proceditur, non solum circa probationem solutionis omnium terminorum decursorum in vita consentientis per solutionem veram & effectivam non autem præsumptam, vel fictam resultantem à confessione, vel compensatione, aut confusione actionum, sive ex dispositione textus *in l. quicunque Cod. de apocis publicis lib. 11.* Sed etiam circa justificationem valoris narrati per ascensum, illoque non verificato in toto, etiamsi in modico, indè falsa deduceretur narra-

tiva,

tiva, pensio corruit in totum, & non admittitur dicta æquitas moderativa ad proportionem veri valoris, adeout in hac specie intret Beneficialistarum dicterium, ut qui cadit à syllaba, cadat à toto, & consequenter pensio omninò corruat, juxtà superius allegatas decisiones, in quibus concordantes; Et consequenter cum in hac tertia specie versaremur, clarum remanere videbatur æquivocum applicandi dictas conclusiones percutientes dictas alias species.

Non fuit verò opus formiter examinare punctum, an in casu quo onus probandi incumbat Titulari, oporteat facere illam rigorosam probationem, quæ desideratur, ubi defectus valoris allegatur per viam objecti, quod scilicèt justificari debeat in forma rigorosa cum decennali peræquatione, per quinque scilicet annos antea, & quinque
13 postea de qua Gomes. *in reg. de valore qu.*12. Lotther. *lib.*1. *qu.*43. *nu.*22. *& sequ. & lib.*3. *qu.*20. *num.*89. *& sequ. & sub tit. de Beneficiis disc.*90. ubi generaliter, agitur de materia valoris, cum jam in hac facti specie ista probatio ita facta esset, præsertim per libros Capitulares, per quos Ca-
14 nonicatuum valor justificari solet, ut cæteris relatis Lotter. *d. qu.*43.*nu.*9. *& d. disc.*90. *de Beneficiis*.

Quoverò ad alterum punctum supra insinuatum domus Canonicalis, an computanda esset in valore, adver-
15 tebam procedi pariter cum æquivoco circa applicationem *dictarum decisionum Mediolanen. coram Ghislerio, & Durazetto*; In hac enim materia recepta est distinctio, per quam benè conciliantur decisiones, quæ desuper pro utraque opinione habentur; Aut enim domus est fixè annexa prædendæ Canonicali, & rectè venit in valore juxtà dictas decisiones; Aut obtinetur ex beneficio antianitatis, & per opinionem & secus, juxtà *decis.*116. Cavaler. *& in d. Romana pensionis* 10. *Januarii* 1646. *cor. Cerro*, ac habetur particulariter actum infra *in Mediolanen. disc.*15.

Hinc proinde, (ut aliàs frequens est mea dicendi consuetudo) monemur, ac docemur, quàm cautè, & occultè procedendum sit in deferendo decisionibus, aliisque auctoritatibus, præsertim autem Consulentium; Vel quia contrarius fuerit causæ exitus; Vel quia contineant propositiones in suis casibus veras, non tamen cuicumque casui applicabiles ob facti circumstantias, ad quas principaliter, ac attentè reflectendum est, cum sæpius etiam modica diversitas maximam producat alterationem.

Et licèt verè & propriè iste casus non contineat pensionem sine causa ad effectum decreti super vera & effectiva solutione omnium terminorum, ut *disc. præced.* attamen ad effectum rigorosæ probationis valoris ex rationis identitate, idem dicendum est.

VITERBIEN. PENSIONIS PRO FRANCISCO ZOLLA ARCHIPRESBYTERO CATHEDRALIS, CUM HIERONYMO VANNIO.

Responsum pro veritate.

De eadem materia pensionis voluntariæ beneficio pleno reservatæ de consensu possessoris, super ejus nullitate, tam ex defectu valoris, quàm ex altero non solutionis integræ omnium terminorum; Et in specie, an ista solutio probetur per apocas privatas, & quomodo.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De justificationibus necessariis ad subsistinendam pensionem voluntariam beneficio pleno.*
3 *An primus terminus debeat solvi integer, si antè modicum tempus, quo ipse maturaret reservatio facta sit.*
4 *Præsumptio resultans* ex l. quicumque *ob solutionem trium ultimorum annorum, vel terminorum an sufficiat.*
5 *Probatio valoris debet esse concludens, & percutere tempus reservationis.*
6 *Ubi solutio probatur per instrumentum publicum numerationis actualis cessat quæstio.*
7 *Non ex eo quod testes recognoscant veritatem scripturæ probat contenta in ea.*
8 *Probatio solutionis fieri potest etiam per testes.*
9 *An admittantur præsumptiones, & adminicula.*
10 *De forma servanda in impositione census, quod probetur, etiam per testes.*
11 *De forma* text. in l. scripturas, *ut impleatur per æquipollens.*
12 *Relicitur opinio, ut probatio solutionis debeat fieri præcisè per instrumentum.*

DISC. VII.

TImotheus Vannius Archipresbyter Cathedralis, de anno 1639. consentiit reservationi pensionis ducat. 1
60. ad favorem Hieronymi nepotis super fructibus dicti Archipresbyteratus, qui narrati fuerunt in ducatis 180. Sequuta verò vacatione de anno 1641. atque noviter proviso renuente solvere pensionem, introducta causa cor. Auditor Cameræ prodiit sententia absolutoria Titularis declarans pensionem invalidam, à qua pensionarius appellavit, & commisit causam in Rota, ubi diù pendet indecisa; Cumque nuper dicto Archipresbyteratus provisus esset Franciscus, atque pensionarius à longo somno excitatus petiisset in Rota litteras remissoriales pro faciendis probationibus, Hinc titularis desuper consilium pro veritate petiit, ad effectum deliberandi, an litem substinere, vel potius aliquam honestam concordiam ampletti deberet.

Respondi quod hodie hujusmodi quæstiones non sunt, amplius juris, sed nudi facti, an scilicet probationes benè 2
concludant necnè, tam circa justificationem valoris narrati, quàm circa alteram justificationem, veræ, ac effectivæ solutionis omnium terminorum decursorum tempore possessionis illius beneficiati, qui voluntariè pensioni consensum præstitit; ex iis quæ habentur cæteris relatis *dec.* 306.*p.*10. *rec.decis.*880.*coram Dunozetto*, & in aliis de quibus *in disc. præced. & seq.* Barbos.*voto* 5. Tondut. *de pension. c.* 3. Adeòut videantur hodie principia, sine auctoritatibus præsupponenda, ut scilicèt, non justificato integro valore narrato per ascensum de tempore reservationis, pensio corruat in totum, neque intret æquitativa moderatio, seu reductio, quamvis falsa narrativa esset in modico; Ac pariter corruat, si de vera & effectiva solutione mediante pecunia numerata, omnium terminorum non doceatur.

Adeòut si pensio reservata esset de tempore proximo maturationi primi termini in litteris Apostolicis præfiniti, 3
atque Titulari non solvisset illum integrum, sed solùm ratam pro tempore intermedio, adhuc dictum fuit non esse satisfactum decreto in eadem reservatione contento, quia integer terminus erat solvendus Rota *dec.* 620.*p.*4.*rec. tom.* 3. Barbos. *d. voto* 5. & reassumit Tondut. *de pension.d. capit.* 3. Ubi etiam examinat quæstionem, an constito de vera, & effectiva solutione trium ultimorum terminorum, intret necnè præsumptio resultans ex dispositione textus *in l. quicumque Codic. ad apocis publicis lib.* 11. at- 4
que decidit negativè, quoniam in materia odiosa, & de fraude suspecta, in qua habetur decretum speciale præscribens formam præcisam, non admittitur præsumptio; Licèt ipse procedat cum requisitis generalibus, quæ desiderantur pro verificatione *d.l.quicumq;* non examinando particularem rationem hujus decreti; Cumque adhuc occasio non dederit id disputare, ideò judicium reservatur, benè tamen id servire posset pro uno ex adminiculis.

Applicando autem ad rem, quatenus pertinet ad primum caput nullitatis ex defectu valoris; Dixi nullum 5
judicium dari posse nisi præcedant probationes per ipsum pensionarium auctorem faciendæ, quibus deindè factis ac visis, dari potest judicium, an benè concludant necnè de tempore reservationi, quod præcisè percutere debent juxtà *dec.* 123. Merlin. *& passim*.

Quoverò ad alteram nullitatem resultantem à non justificatione solutionis omnium terminorum; Illa primi termini maturati de mense Martii 1640. benè justificabatur per instrumentum publicum, continens numeratio- 6,
nem veram, & realem factam coram ipsis Notario, & testibus, adeòut adimpleta videretur sine dubio dicta forma, eo modo quo illa adimpletur in creatione censuum juxta formam præscriptam per Constitutionem Pii V. super forma creandi census, & admittitur apud omnes allegatos.

Difficultas verò cadebat super solutione reliquorum duorum terminorum, qui maturaverant in mensibus Septembris, & Martii successivè, quoniam solutiones erant per apocas privatas à duobus testibus subscriptas, in quibus apocis, narrabatur eadem forma solutionis in præsentia testiū, Verùm dixi id non sufficere, nisi testes formiter examinarentur, qui nullam patiendo exceptionem, tam in legitimo exa-

examine, quàm in persona, & dicto, benè concluderent
7 de ipsa vera, & reali solutione coram eis facta, adeout non sufficiat, quod recognoscant apocam, ac dicant veram esse eorum subscriptionem, quoniam ita verificare dicuntur veritatem scripturæ, non autem veritatem contentorum in ea, Et consequenter semper remanet confessio, quę non sufficit.

Quatenus verò testes (nullam ut supra exceptionem patientes,) benè concluderent; Tunc dixi, quod eis defe-
8 rendum esset, quoniam necesse non est hujusmodi solutionem justificari per scripturam præcisè, sed sequi potest etiam per testes, ut firmatur apud Merlin. *dec.*867.*nu.*11. *& in Parmen. pensionis* 23. *Martii* 1640. *cor. Coccino*, quæ reputatur in materia magistralis.

Quinimò apud Dunozett. *dec* 859.*n.*9. admittuntur etiam adminicula; & præsumptiones, licèt incidenter ad effectum,
9 ut in possessorio respondendum esset pro pensionario, cum in eo judicio non quæratur de justitia, vel injustitia, neque exceptio nullitatis illud retardet, levioresque probationes admittantur, dum sufficit possibilitas magis perfectæ, & concludentis probationis in alio Judicio petitorii; Verùm in eadem causa postea disputata in petitorio, pro annullatione responsum fuit, sed quiquid sit de casu probationis præsumptivæ, seu adminiculativæ, ex eo quod in hac materia non admittitur fictio; Quando concurrant duo testes regulariter cessante relevanti exceptione habiles ad concludendam perfectam probationem, vel si aliquas exceptiones patiuntur, illæ suppletæ remaneant, vel à numero, vel ab adminiculis, tunc non videtur dubitandum quod sufficiant, dum nullibi statutum est requiri scripturam, vel aliam speciem præcisè probationis, dum etiam in dicta forma per
10 Constitutionem Pianam prescripta in creatione censuum, quamvis eadem Constitutio enunciet numerationem faciendam coram Notario, & testibus, unde propterea aliqui crediderunt, necessarium esse instrumenta publicum, verùs tamen est contrarium, scilicet justificari per testes, aliasque species probationis, ut in sua materia *sub tit. de censibus*; Atque licèt per *text. in l. scripturas, C. qui potior. in pign. habeantur*, præscribatur numerus trium testium certas
11 qualitates habere debentium, unde propterea aliqui credant illam esse formam precisam, attamen magis receptum est, esse formam probatoriam, unde sufficiat æquipollens, ut pluries in sua materia *sub tit. de credito*.

Et licèt Barbos. *dicto voto* 5. *nu.*30. dicat, solutiones probari non posse, nisi per publica instrumenta, in quibus di-
12 catur eas verè factas esse coram ipsis Notario, & testibus. Attamen in hoc æquivocat, quoniam decisiones quas ipse allegat, dicunt quidem, quod non sufficiant confessiones, & quietantiæ quamvis per instrumentum publicum, in quo coram Notario, & testibus dicatur, quod verè, ac per effectivam numerationem pecuniæ solutio facta sit, quia semper est confessio, juxta ea, quæ pariter habemus circa dictam formam pecuniæ numeratæ in contractu censuali, non autem quod sit forma præcisa, adeout per testes, aliasque species probationis id justificari non valeat, ut etiam pro absoluto habitum fuit *in Lucana pensionis* 15. *Februarii* 1669. *Priolo, de qua disc. seq.* dum concessa fuit remissoria ad faciendam istam probationem per testes, quod utique factum fuisset, nisi hæc species probationis relevaret; Ideoque concludebam totum pendere ex facto, ejusque probatione.

LUCANA PENSIONIS PRO ANDREA PIEROTTO CUM DOMINICO SCANNABECCO.

Casus decisus per Rotam pro Dominico, & pendet.

De eadem materia pensionis voluntariæ reservatæ beneficio pleno, tam circa probationem solutionis terminorum, quàm circa justificationem narrati valoris; Et in specie, an obstet non solutum esse ultimum terminum maturatum de tempore proximo vacationi beneficii per mortem naturalem, vel civilem possessoris pensioni consentientis, qui nullos perceperat fructus; Et circa valorem, an & de quibus incertis habenda sit ratio.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quod probatio veræ solutionis pensionis voluntariæ fiat per testes.*
4 *An debeat decori de solutione illius termini in quo non sint percepti fructus, sive sit primus, sive ultimus.*
5 *In pensione voluntaria debet benè justificari totus valor de tempore reservationis, alias pensio corruit in totum.*
6 *De differentia valoris ad effectum congruæ, & ad effectum nullitatis pensionis.*
7 *Quod pretia fructuum probentur per publicas tabellas.*
8 *Quod incerta non veniant in valore.*
9 *Declaratur, & in quibus incertis id procedat.*

DISC. VIII.

DE consensu possessoris Ecclesiæ parochialis S. Mariæ 1
ad Colles; cujus valor narratus fuit in ducatis 120. reservata fuit pensio ducat. sexdecim ad favorem Andreæ, cum clausula, *dummodo remaneant centum pro Rectore*. Cumque sequuta dictæ parochialis vacatione, successor, juxta solitum, pensionem solvere recusaret. Hinc post litem habitam in partibus, introducta causa in Rota coram Priolo, sub die 13. Aprilis 1668. Titulari solùm informan- 2
te, in contumaciam pensionarii, prodiit resolutio super nullitate pensionis ex defectu utriusque requisiti ad eam substinendam necessarii, justificationis scilicèt narrati valoris de tempore reservationis, ac alterius justificationis veræ & effectivæ solutionis omnium terminorum. Qua decisione ædita, pensionarius cum formali disputatione, ac prævia decisione *sub die* 15. *Februarii* 1669. remissoriam obtinuit ad justificandum utrumque factisque probationibus, ac assumpta disputatione coram eodem, super dubio, an esset standum, vel recedendum a decisis, eoque proposito *sub die.... Junii* 1670. ad supplicationem Titularis non informantis, dilata fuit resolutio.

In hac igitur disputatione, in qua solum ego scribebam pro Andrea pensionario, distinguendo causam in dictas duas inspectiones, Unam scilicèt super justificatione solutionis omnium terminorum & alteram super justificatione valoris; Quatenus pertinet ad primam, probatio benè per testes contestes de loco, & tempore præciso concludebatur de visu numerationis pecuniæ coram eis sequutæ, specificando etiam monetæ qualitatem, 3
istamque speciem probationis in proposito sufficere, habetur *disc. proximè præced.* ubi concordantes.

Difficultas autem residebat in ultimo termino maturato de mense Junii 1652. in quo sequuta fuit mors Titularis, ad modicos tamen dies post dicti termini maturationem, quando nullus fructus recollectæ illius anni adhuc perceperat, an scilicet deficientia solutionis istius termini causaret nullitatem ob non adimpletum decretum in ipsa reservatione contentum.

Pro negativa, quod scilicet iste defectus attendi non deberet, ponderabam *decis.*478. Merlini repetitam *decis.* 26. post alterum Merlin. *de pignor.* & advertitur etiam supra *in Commen. disc.*5. in qua decisione firmatur, quod si 4
Titularis, qui voluntariè pensioni consensum præstitit, ad breve tempus, antequam aliquis pensionis terminus maturet, per mortem naturalem, vel civilem, desinat esse possessor beneficii, nihil refert, quod ipse nullam pensionis solutionem fecerit, quoniam cessat ratio, cui decretum innixum est, fraudis scilicet seu collusionis quod consentiens pensioni nullum incommodum sit passurus, sed solùm fiat ad supplantandum successorem, sive ad inducendam quamdam speciem indirectæ successionis in beneficio, si non in totum ac præcisè, saltem in parte, & per æquipollens, Et quæ fraudis præsumptio fortius urget, quando concurrit arcta sanguinis consunctio, ut advertitur apud Merlin. *dec.*123. *nu.*7. & in aliis apud Adden. ad Buratt. *dec.*156. Barbos. *voto* 5. Tondut. *de pension. cap.*3. *& communiter*; Dum enim constat quinque terminos præcedentes vere, & realiter statutis temporibus esse solutos, ita cessat dicta præsumptio, sed potius intrare videtur altera continuationis, si Titularis vixisset, cum fructibus, quorum perceptio in dies imminebat.

Adhuc tamen difficultatem mihi inferebant firmata per Rotam *decis.* 620. *par.*4. *recent. tom.*3. quam decisionem reassumit Tondut. *dict. cap.*3. *num.*16. quod scilicet si primus terminus maturasset ad paucos dies post sequutam reservationem, & sic incœptum annum pensionarium,

ita

ita ut intrare poſſet eadem ratio non perceptionis fructuum illius anni, adhuc tamen, ſi ille terminus non ſolvatur, ſatisfactum non eſt decreto, quamvis conſtaret de vera & & effectiva ſolutione plurium terminorum ſubſequentium, quinimò etiamſi ſoluta ſit rata illorum dierum, qui decurrerunt inter reſervationem & terminum: Et quamvis videatur nimius rigor, attamen ob dictas auctoritates abſq;eo quod aliæ adſint in contrarium, ſuberat occaſio timendi.

Quoverò ad alterum punctum valoris; Deciſio ut ſupra, una tantùm parte informante edita attendendo Ti- 5 tularis juſtificationes juxta fructuum valorem præſentem non aſcendentem ad dictam ſummam narratam ſcutorum 120. procedit cum recepta concluſione, de qua apud Merlin. *dict. dec.* 123. ac pluries *in diſcurſibus præcedentibus*, quod non juſtificato benè, & concludenter integro valore narrato per aſcenſum, gratia corruit in totum, quamvis deficientia eſſet in modico, cum in hujuſmodi nimium odibili, ac ſuſpecta ſpecie penſionis voluntariæ non admittatur æquitativa reductio ad proportionem, ſed procedatur cum omnimodo rigore, ut qui cadit, à ſyllaba cadat à toto.

Conſequens eſt verum, ſed antecedens continet fallaciam, quam convinci obſervabam ex pleriſque auctoritatibus, & deciſionibus in ipſa deductis, procedentibus cum præſuppoſito valoris de præſenti, ſed in terminis diverſis, ad effectum ſcilicet moderationis reſultantis à dicta clauſula, *dummodo centum pro Rectore*, ad quem effectum attenditur etiam temporum variatio, ac ſubſequuta di- 6 minutio adeòut non ſufficiat, quod de tempore reſervationis valor eſſet major, ſi deinde aliquibus annis efficeretur minor, quoniam cum iſta ſit congrua aſſignata pro alimentis attendi debent ſinguli anni, in quibus illa percipiuntur.

Id autem non influit ad nullitatem penſionis, cum ad hunc effectum attendendum veniat tempus reſervationis, tam pro, quàm contra penſionarium, quoniam ſi de tempore reſervationis valor erat minor, deinde verò efficiatur major ex ſupervento fructuum augmento, vel, ut frequentius contingit, ex altero frugum pretio, non per hoc penſio revalidatur, ita è converſo ex regula, *ſecundum naturam* &c. ut ita diſtinguendo inter effectum, & alterum, cæteris relatis habetur *dec.*187. *num.* 24. & 25. *part.* 11. *recent.* atque dictos terminos congruæ percutiunt deducta apud Lotther. *lib.* 1. *quæſt.* 38. *num.* 69. & 70 ac alii in hujus cauſæ deciſione allegati; Licèt enim ubi non remanet congrua expreſsè reſervata, attento valore de tempore præſenti, in aliquibus deciſionibus adhiberi ſoleat terminus annullationis penſionis, attamen id dicitur per quemdam improprium modum loquendi ſpectato effectu, quia ſcilicet penſionarius pro eo tempore nihil prætendere poteſt, non autem quod gratia annulletur, ſed benè remanet ſpes, quod valor redeat ad primævum ſtatum, ac etiam majorem, unde propterea, detracta congrua Rectoris, poſſit Titularis, non ſolùm obtinere terminos currentes, ſed etiam ſatisfieri in parte de decurſis, pro quibus extra controverſiam eſt, etiam fructus futuros affectos eſſe, ut infra *in Melphiten. diſc.* 19. & in aliis, ideòque magna differentia eſt inter omnimodam annullationem, ac temporaneam, ſeu accidentalem moderationem.

Valor autem de tempore reſervationis benè probari videbatur, nè dum per teſtes, ſed etiam per tabellas Epiſcopatus, & cujuſdam conſpicui, benè adminiſtrati Hoſpitalis, in quibus diſtinctè victualium & frugum pretia juxta ſingula tempora denotata ſunt, ideòque ex eis probationem reſultare firmatur apud Seraph. *deciſ.* 1245. *num.* 8. apud Peniam *dec.* 1261. *num.* 3. apud Buratt. *dec.* 921. *nu.* 7. *dec.* 467. *nu.* 8. *cum ſeq.* apud Poſth. *de manut. dec.* 223. *n.* 8. *par.* 11. *rec.* & in aliis.

Prætendebat Titularis quod in valore calculari deberet quoddam columbarium poſitum in prædio, minuſque emo- 8 lumenta funeralium, & anniverſariorum, aliarumque functionum, quaſi quod hæc eſſent incerta, quæ non veniunt in valore juxta celebre *conſil.* 118. Oldradi paſſim receptum ex deductis *ſub tit. de Beneficiis diſcurſ.* 90. ubi de materia valoris, ac etiam *in Lucana Prioratus ſub tit. de Jurepatronatus diſc.* 10. & frequenter.

Verum in hoc (etiam cum ſenſu veritatis) dicebam improbabilem eſſe Titularis prætenſionem, quoniam reſpectu columbarii, illud eſt prædium fixum Eccleſiæ unde propterea nulla ſubeſt ratio, cur ejus fructus & emolumenta non veniant in valore. Et quamvis diceretur quod id ponderat ab incertitudine columbarum, quæ juxta ſingulorum annorum contingentias obtineantur; Non exinde tamen reſultat eſſe fructum incertum, dum in om- 9 nibus aliis fructibus, ob ſterilitatem vel alia accidentia, eadem incertitudo cadere poteſt, atque in pleriſque partibus redditus beneficiorum, & Eccleſiarum, vel in totum, vel pro notabili parte conſiſtit in majori, vel minori incerto tranſitu avium, ut ex adagio dici ſolet de Epiſcopo Capritano, quod ejus redditus pendent à tranſitu coturnicum; Ideòque attenditur experientia plurium annorum, quorum peræquatio ita fructum certum etiam ex incertis conſtituere dicuntur, dum etiam arrendatarium ſeu conductorem, ita ementem incertam aleam invenirent juxta celebrem doctrinam Ancharan. *in Clement. unic. num.* 4. *de conceſſ. præben.* ubi de oblationibus fieri ſolitis in Eccleſiis S. Antonii Venetiarum, & S. Mariæ de Florentia, & ſequuntur cæteri, de quibus Lotthèr *lib.* 1. *quæſt.* 42. *numer.* 63. Rota *dec.* 222. *num.* 7. *par.* 11. *rec.* Multaque habemus vectigalia ſeu pedagia, quæ ſingulis annis vel temporibus locantur, ſeu ut vulgò dicitur, arrendantur pro magna penſione, quæ ſolvitur pro emptione incertæ aleæ tranſitus mercium & animalium a plurium annorum experimento certificatæ juxta exemplum poſitum per Bart. de animalibus venientibus ab Apulia, & tranſeuntibus per pontem Peruſii, ex frequenter deductis *ſub tit. de Regal. ad materiam vectigalium*.

Quo verò ad alia emolumenta funerum, & anniverſariorum, aliarumque Eccleſiaſticarum functionum; Deducebam eamdem diſtinctionem, quæ licèt ad aliud propoſitum habetur *in dicta Lucana Prioratus ſub tit. de Jurepatronatus diſcur.* 10. quod ſcilicèt alia ſunt emolumenta, quæ proveniant à merè voluntarla devotione populi, qui poteſt eas functiones non facere, vel faciendo non invitare beneficiatum, qui proinde emolumentum principaliter obtineat ratione laboris perſonalis, & in his benè dicitur, quod tanquam incerta non veniunt in fructu ſeu valore; Alia verò ſunt emolumenta debita ratione beneficii ſeu juris parochialis, quod viciſſitudinariam continet neceſſitatem inter parochos, & parochianos ratione funerum ſeu exequiarum, ſeu baptiſmatum, & matrimoniorum, aliorumque ſacramentorum, & tunc, quia perneceſſe naſcimur, ac morimur, & matrimonia contrahimus, aliaque ſacramenta, & divina percipere debemus à parocho, cujus interventus eſt neceſſarius, idcircò id venit in fructu *juxta deciſ. Maurianen. penſionis* 13. *Junii* 1625. *coram Pirovano*, quæ reputatur in materia magiſtralis, & cum qua procedit Lotther. *lib.* 1. *qu.* 42. *num.* 63. *cum ſeq.* ubi de quarta funerali cum aliis *d. diſc.* 90. *ſub tit. de beneficiis*, ubi de materia valoris etiam ad effectum penſionis, ad quod comprobandum deducebam caſum de quo agitur *ſub tit. de parochis diſc.* 28. Eccleſiæ S. Joannis majoris Neapolis, quod ejus Abbatia ſeu Rectoria notabilis redditus, Cardinali commendari ſolita, & duodecim hebdomadariatus etiam ntoabili penſione gravari ſoliti, & in titulum proviſi, totum penè redditum habent ex emolumentis exequiarum ſeu funerum, non per hoc tamen ſunt incerta, cum ratione juris parochialis, eorum convocatio ſit neceſſaria.

ARIMINEN. PENSIONIS
INTER
SACCHETOS ET VAINOS.

Votum ſeu diſcurſus arbitramentalis.

De eadem materia penſionis voluntariæ beneficio pleno ſuper neceſſitate ſolvendi veram ſolutionem omnium terminorum, An hæc probatio reſultet ab obſervantia 30. annorum.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Penſionarii ſuper fructibus beneficii præfertur creditoribus beneficiati, & num.* 5.
3 *De materia ceſſionis commoditatis.*
4 *De prælatione habentis aſſenſum adverſus creditores anteriores in locis non exiſtentibus in commercio.*
5 *De eadem concluſione, de qua n.* 2.
6 *Quod in penſione voluntaria debeat conſtare de vera & effectiva ſolutione omnium terminorum.*
7 *Gratia obſervantia per annos* 30. *non auget juſtificationem, & dantur ſimilia.*
8 *De adminiculis comprobantibus præſumptionem reſultantem a longiſſima obſervantia.*
9 *Januenſes præſumuntur induſtrioſi.*

DISC. IX.

1 Reſervata de anno 1609. penſione voluntaria ſcutorum 300. ad favorem Georgii Ludovici Blanchetti ſuper Abbatia Savignani de conſenſu Cardinalis Blanchetti patrui, & poſſeſſoris, atque ſequuta ejuſdem Abbatiæ vacatione de anno 1612. renuit Cardinalis Rivarola de illa proviſus, ad aliquod tempus dictam penſionem ſolvere, ſed habita aliqua extrajudiciali amicabili diſcuſſione, agnoſcendo ſe debitorem, de anno 1614. ſolvit quinque terminos ac ſucceſſivè continuarunt in ſolutione, tam dictus Titularis uſque ad annum 1626. quam Cardinalis, & Abbas Magalottus ſucceſſores uſque ad annum 1655. partim dicto Blanchetto penſionario, & partim Vaino ejuſdem penſionis commoditatis ceſſionario; Ceſſata verò dicta penſione per obitum Blanchetti, cum dictus Abbas Magalottus Titularis remaneret aliquorum terminorum debitor, atque Vainus ceſſionarius, ſeu ejus filii & hæredes curarent ſatisfieri ſuper ejuſdem Abbatiæ fructibus ſequeſtratis ad inſtantiam illorum de Sacchettis creditorum ejuſdem Titularis; Hinc orta inter eos ſuper anterioritate, vel potioritate controverſia, concorditer meum votum deſuper petierunt, duabus deſuper cadentibus quæſtionibus; Prima ſcilicèt anterioritatis, ſtante quod creditum dictorum de Sacchettis contractum erat priuſquam maturarent termini, de quibus erat controverſia; Et ſecundò ſuper nullitate penſionis voluntariæ beneficio pleno, ſtante quod non conſtabat de vera, & effectiva ſolutione omnium terminorum facta per dictum Cardinalem Blanchettum, qui penſioni conſenſerat pro tempore, quo vixit.

Quatenus pertinet ad primam quæſtionem; Reſpondi, quod ſuppoſita validitate penſionis, extra controverſiam erat, penſionarii potioritas, dum agebatur de concurſu ſuper fructibus beneficii gravati, qui pro terminis etiam decurſis affecti ſunt penſionario adverſus omnes Titularis creditores quantumvis anteriores & privilegiatos, ut in 2 ſpecie de concurſu penſionarii cum aliis Titularis creditoribus cæteris relatis probat. Salgad. *in labyr. par.* 1. *cap.* 42. ex ea clara ratione, quod ipſe habet affectos hos fructus ex diſpoſitione Papæ, & ſic per quamdam ſpeciem hypothecæ, vel alterius ſimilis juris, ſuper beneficio & cauſa productiva fructuum; E' converſò autem alii creditores beneficiati nullum jus habent ſuper eodem beneficio ejuſque fructibus, adhuc non ſeparatis, ſuper quibus eatenus aliorum creditorum beneficiati ex cauſa indifferenti jus competit, atque hypotheca cadit, quatenus jam ſeparati à cauſa productiva effecti ſint de patrimonio beneficiati tanquam bona privata & laicalia; Et ob quam rationem, ipſum jus exigendi penſionem non eſt in commercio ſine beneplacito Apoſtolico, ſine quo eſt in commercio commoditas tanquam nudi facti ſuper ipſis fructibus ab ejus cauſa productiva ſeparatis, & non prius ex iis quę ad hanc materiam ceſſionis commoditatis penſionis haben- 4 tur infra pluries pręſertim *in Albanen. diſc.* 68. Et generaliter, in feudo, emphyteuſi, ac bonis fideicommiſſis vel majoratus, ac aliis alienari prohibitis, atque in commercio non exiſtentibus habetur *ſub tit. de feudis diſc.* 61. & 62. & ſub altero *de emphyteuſis diſc.* 44. ac etiam *ſub tit. de dote diſc.* 146. & *ſeq.*

Ideòque ſicuti creditores feudatarii, vel emphyteutæ, cum aſſenſu domini hypothecatam habentes ipſam rem feudalem, vel emphyteuticam, ſine dubio vincunt alios creditores ſine aſſenſu quantumvis anteriores, & hypo- 4 thecarios, quoniam reſpectu hujuſmodi bonorum ſub eorum hypotheca non cadentium, habentur tanquam puri chirographarii, ſic à pari; Ad quod conferunt ea quæ plenè habentur *eodem tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum diſc.* 78. ſuper potioritate eorum quibus jure ſpeciali legis, vel Principis affecta ſunt bona fideicommiſſi, vel majoratus, adverſus eos, qui nullum jus ſuper dictis bonis habentes, ad illa concurrunt ex beneficio Bullæ Baronum; Ac etiam ad rem faciunt; pluries habentur *ſub tit. de Regal.* circa potioritatem creditorum habentium reſervationem decreti ſuper officii venialibus adverſus alios creditores illo carentes, cum ſimilibus.

Quodque penſionario, tanquam per ſpeciem hypothecæ, affecti ſint fructus Eccleſiæ gravatæ cum ordine ſeu prioritate temporis, adeout intret regula, *qui prior*, non ſolùm adverſus alios creditores indifferentes beneficiati, quorum reſpectu caſus eſt indubitatus, præterquam ubi agatur de fructibus jam à ſolo ſeparatis, & confuſis cum reliquo debitoris patrimonio, ſive ubi concurſus eſſet ſu- 5 per eorum pretio, quod ceſſante aliqua ex limitationibus (juxta regulam non ſuccederet loco rei adinſtar eorum, quæ habentur *ſub tit. de emphyteuſi diſc.* 58. ſed etiam idem ordo intrat inter ipſoſmet penſionarios, ut anteriores vincant poſteriores juxta *dec.* 999. Dunozetti, cum aliis infra *in Melphiten. & in Romana ſeu Hiſpana diſ.* 9. & 20.

Quo verò ad alterum punctum ſeu quęſtionem nullitatis penſionis ob non juſtificatam ſolutionem veram & realem omnium terminorum decurſorum de tempore Titularis, qui penſioni conſenſum præſtitit, Dixi in puncto ju- 6 ris extra controverſiam eſſe, ut hoc non probato ex parte penſionarii, corrueret penſio, & conſequenter ceſſaret creditum ob expreſſum decretum annullativum in eadem reſervatione contentum, ex deductis per Cavaler. *dec.* 179 *dec.* 342. 546. & 620. *p.* 4. *rec. tom.* 2. & 3. *dec.* 524. *p.* 5. *dec.* 306. *p.* 10. apud Dunozett. *dec.* 880. cum aliis per Barboſ. *voto* 5. Tondut. *de penſion. cap.* 3. & pluries in præced.

Verùm quia agebatur de facto antiquo mortuis omnibus informatis, atque concurrebat diuturna continuata ſolutio per tres ſucceſſores ſpatio annorum 40. & ultrà, juxtà præmiſſam facti ſeriem, hinc proindè in voto deſuper edito, ſeu verius in motivis quæ partibus ad veritatem indagandam communicavi, credebam pro penſionario reſpondendum videri.

Quamvis enim pariter receptum ſit juxta præmiſſas auctoritates, ac pluries in præcedentibus quod in iſta materia non admittitur ficta, vel præſumpta probatio reſultans à confeſſionibus, & quietantiis, vel compenſatione, ſeu 7 confuſione actionum cum ſimilibus, neque adhibita exacta diligentia per utriuſque partis Advocatos, reperta eſſet auctoritas, quę deſcenderet ad hos terminos ſpeciales, adhuc tamen credebam quod longiſſima tricennalis obſervantia ſufficeret ad hujuſmodi probationem.

Ad quod probandum ponderabam concluſionem, quam habemus in his ſpecialibus terminis juſtificationis gratiæ incumbentis penſionario quamvis in poſſeſſione exiſtenti, in judicio negatorio intentato per titularem, quod iſta obſervantia ſufficit ad juſtificationem, quoniam gratia diu obſervata præſumitur juſtificata ex deductis per Lotther. *lib.* 1. *quæſt.* 38. *num.* 121. Gregor. & Adden. *diſc.* 57. & 431. Buratt. Adden. *deciſ.* 169. *Cotronen. penſionis* 24. *Januarii* 1656. *Veroſpio*; Et in ſpecie hujuſmodi penſionis voluntariæ, quamvis incidenter articulo non diſcuſſo Burat. *d. dec.* 759. *n.* 7.

Et ſecundò ponderabam ea quę habemus *ſub tit. de alienati. diſc.* 1. de beneplacito deſumpto in alienationibus bonorum Eccleſiæ reſultante à tricennali obſervantia attentis juris communis regulis, quoties non obſtet moderna Conſtitutio Urbani VIII. Et tamen iſto caſu concurrit poſitiva reſiſtentia juris etiam cum decreto irritanti contento *in Extravag. Ambitioſæ*, quoniam hæc ſpecies probationis quamvis præſumpta habenda videtur pro vera, quoties contraria probatione, vel efficacioribus præſumptionibus non elidatur.

Fortiùs verò in hac facti ſpecie ad alia adminicula, undè propterea probatio non deſumebatur tantùm ex obſervantia; Primum etenim vehemens adminiculum reſultabat à qualitate dicti Cardinalis Blanchetti periti J.C. prius Rotæ Auditoris, ut pluries ejus deciſiones oſtendunt, cum enim iſtud ſit juris principium notorium in Curia, prorſus improbabile eſt, quod obtinendo à Pontifice hujuſmodi gratiam ſpecialem, ut nepotem provideret, voluiſſet deinde ita illam reddere inutilem cum hac negligentia; Et ſecun- 8 dò fortius ob qualitatem ſucceſſoris in dicta Abbatia pariter J. C. cui hæc benè innoteſcebant, qui de facto difficultatem promoverat, renuendo ſolvere per quinque terminos, quos deinde agnita veritate ſolvit contra omnem veriſimilitudinem, quando verè, & realiter tunc, & de tempore recenti iſtud requiſitum non fuiſſet benè juſtificatum cum ultra peritiam in jure in eodem concurreret induſtria, & peritia naturalis, quæ præſertim in Italia ſuper omnes pręſumitur in illis de patria, de qua ipſe erat ex de- 9 ductis per Rovit. *conſ.* 103. *num.* 10. *lib.* 2. Rot. Genuen. *deciſ.* 139. *n.* 9. & 10. Rot. Romana apud Dunozett. *dec.* 992. *n.* 7. Ac etiam Cardinalis Magalottus nationis pariter induſtris, & ſacris, Pontifici nimium gratus, ac ſecretarius

Status in hujusmodi oneris solutione non continuasset, nisi agnovisset hanc veritatem, alia etiam juris propositione suffragante, quod in antiquis minores, seu leviores probationes ob difficultatem admittuntur; Ideoque ex his omnibus credebam, quod ita dicto decreto satis factum remaneret.

NUCERINA PENSIONIS PRO VINCENTIO FRANCONO CUM EPISCOPO.

Casus disputatus coram Datario, & sopitus per concordiam.

De eadem materia pensions voluntariæ, in quo differat ab aliis speciebus circà perfectionem gratiæ resultantem à consensu Titularis; Et in specie reservationis factæ ad favorem ejus qui in supplicatione narratur clericus, de tempore quo non erat, an sufficiat eum esse talem de tempore præstiti consensus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De probatione indentitatis personæ remissivè.*
3 *Error in nomine non vitiat gratiam.*
4 *De incerta persona hæredis instituta in testamento remissivè.*
5 *Laici & infantes sunt capaces pensionis.*
6 *De stylo Curiæ non solet reservari, nisi clericis, vel sub conditione clericatus.*
7 *Quod mala expressio ætatis absque dolo non præjudicet.*
8 *Quod non soleat reservari pensio, nisi clerico ut supra.*
9 *Requiritur clericatus de tempore gratiæ, & non sufficit quod superveniat.*
10 *Procedit ubi agitur de pensione reservata beneficio vacante.*
11 *Etiamsi non sint expeditæ litteræ.*
12 *Secus beneficio pleno, quia attenditur tempus præstiti consensus, & de differentia inter unam, & aliam speciem consensus.*
13 *Papa potest reservare pensionem super beneficio pleno, sed non solet sine consensu Titulari.*
14 *Qualitas clericatus necessaria est de tempore, quo gratia perficitur.*
15 *In specie pensionis reservatæ ad nominationem Regis, ut sufficiat habilitas tempore nominationis.*
16 *De abusu circa doctrinas punctuales.*
17 *Quod soleat reservari pensio laico sub conditione futuri clericatus.*

DISC. X.

2 POstquam Hipolytus Franconus Episcopus Nucerinus de proprio, cum anticipata solutione aliquorum terminorum, Apostolica auctoritate extinxit pensionem scutorum 200. qua Ecclesia gravata erat, obtinuit ab Urbano VIII. consimilem reservari ad favorem Antonii Vincentii nepotis, qui in supplicatione signata sub die 27. Junii 1664. asserebatur clericus in decimo ætatis anno constitutus; cum tamen neutram qualitatem haberet, expeditisque litteris ab Innocentio successore in forma *rationi congruit*, consensus dicti Episcopi præstitus fuit sub die 18. Martii 1645. de quo tempore pensionarius utramque qualitatem prædictam habebat, dum interim clericatum susceperat, ac decimum ætatis annum ingressus fuerat; Defuncto autem dicto Hipolyto de anno 1653. atque immediato successore continuante in solutione dictæ pensionis, cum alter successor mediatus eam solvere renueret, introducta lite coram A. C. pensionarius obtinuit manuteneri in quasi possessione exigendi, commissaque causa in Rota cum clausula *sine præjudicio mandati de manutendo*, deventum est ad honestam concordiam, super cujus revalidatione, seu confirmatione, officiales Datariæ difficultatem habebant, quasi quod militante nullitate, esset concedere novam reservationem pensionis. Unde propterea magis cum dictis officialibus, quam cum Episcopo, coram Datario diiputatum fuit de illis nullitatibus, quas etiam Episcopus coram A.C. & in Signatura incidenter occasione dicti judicii possessorii deduxerat, adhuc tamen concordia revalidata fuit.

Ex pluribus autem dicta pensio nulla prætendebatur; Primò ob non benè justificatam veram, & effectivam solutionem omnium terminorum in vita dicti Episcopi, qui consensum præstitit; Secundò circa identitatem personæ, stante quod Episcopus quatuor habebat nepotes, quibus omnibus ex particulari devotione, alteri diverso nomini, illud Antonii adjecit, unde cum eorum primogenitus, qui (Antonius simpliciter nuncupatur) esset uxoratus, ita dicebatur pensionem cessasse, ut potè hinc reservatam; Tertiò ob falsam expressionem ætatis, & quartò ob aliam falsam expressionem clericatus quod pensionarius de tempore signabat supplicationis carebat.

Primum objectum tollebatur ex solo facto, ex quo pariter alterum circa identitatem personæ, dum adjectum erat nomen Vincentii, quod alteri non conveniebat, pluresque aliæ concurrebant circumstantiæ identitatem certificantes; Ad quod deducebam scribens pro pensionario ea quæ circa hanc materiam identitatis personæ deducta habentur in curioso casu, de *quo sub tit. de fideicommissis disc.* 193. Addendo in specialibus terminis beneficialibus conclusionem, de qua Lotter. *lib.* 3. *quæst.* 34. *num.* 20. & 21. & Rota *dec.* 146. *part.* 4. *divers.* quod scilicet error in nomine, vel cognomine non vitiet gratiam, neque illi præjudicet, si aliàs de identitate, seu certitudine personæ constat; Ad quod conferre pariter dicebam ea quæ habentur *in Cathacen. sub tit de testamentis* in qua prodierunt *decis.* 310. & 350. *part.* 10. *recent.* super certitudine scripti hæredis ex præsumptionibus, & adminiculis desumpta, quamvis vocabulum, quo testator usus est incertam redderet hæredis personam, unde propterea facilè fuit hæc duo objecta superare.

Prout pariter facilè fuit superare tertium circa narratam ætatem; Tum ob responsionem, de qua infrà, super quarto objecto clericatus; Tum etiam quia hæc narrativa non continebat aliquam substantialem circumstantiam, quæ faciliorem, vel respectivè difficiliorem reddere potuisset Papam in concessione gratiæ, unde resultaret surreptio, vel defectus intentionis, quoniam cum pensio sit quid merè temporale super fructibus absque aliqua participatione juris spiritualis, vel administrationis Ecclesiæ, hinc de jure sunt illius capaces etiam laici, & infantes, juxta decisiones relatas per Gratian. *discept.* 508. *num.* 17. Buratt. & Adden. *decis.* 53. *num.* 5. Quia tamen de stylo Curiæ illa reservari non solet, nisi clerico, seu laico, si postquam clericali charactere insignitus fuerit, ut advertitur infra *in Beneventana disc.* 46. & in aliis ibi proximis, occasione agendi de extinctione pensionis ob militiam, vel matrimonium clericatus autem regulariter non obtinetur ante septimum annum, hinc proindè ista solum ætas considerabilis est, & consequenter ea expleta, nil referebat, an pensionarius magis in nono quam decimo anno constitutus esset, unde fuit potius error expeditoris absque aliquo dolo, cujus incapax erat ille qui gratiam obtinebat, quod de jure non præjudicat; Ut ultra generalia, in specialibus terminis pensionis habetur *dec.* 526. *nu.* 3. & *seq.* & *per totam par.* 4. *rec. tom.* 3. Et benè in idem conferunt ea quæ habentur apud Duran. *dec.* 434. *nu.* 5. & *dec.* 270. post secundum volum. cons. Farinac. potissimè, quia variatio erat solum in paucis mensibus, ut advertitur *d. dec.* 270. *num.* 4.

Major igitur, ac plenè tota difficultas fuit super quarto objecto clericatus, qui ex supra insinuato Curiæ stylo ad pensionis capacitatem necessarius est, cum reservari non soleat, nisi clerico, vel militi alicujus Ecclesiasticæ militiæ ut advertitur *in d. Beneventana d. disc.* 46. ac etiam supra *disc.* 2. sive laico cum dicta clausula *si & postquam clericali charactere insignitus fuerit*, ut infra.

Idque adeò verum, quod non sufficiat clericatum supervenire ante expeditionem litterarum, si non adest de tempore gtiæ, Gig. *de pension. quæst.* 22. *n.* 16. cum aliis per Adden. ad Buratt. *dec.* 791. *nu.* 6 & 7. & Rot. *in Abulen. pensionis* 27. *Junii* 1608. coram Lancellot. & *dec.* 158. *par.* 1. *recent.* ubi individualiter, quod non sufficit adesse clericatum de tempore quo expediuntur litteræ *rationi congruit*, si non aderat de tempore signatæ supplicationis.

Pro isto objecto removendo, (etiam cum aliquo sensu veritatis,) innixus auctoritati Rotæ *in dicta Abulen. pensionis* 27. *Junii* 1608. coram Lancelloto, cujus non impressæ copiam dedi; Dicebam quod ad duplicem speciem reservationis in hoc proposito reflectendum esset, unam scilicet, quę fiat motu proprio super Ecclesia vacante in actu illam providendi, vel antea, & alteram, quæ fiat ad supplicationem super beneficio pleno de consensu beneficiati, seu Titularis; Primo casu gratia est perfecta illicò quod signata est supplicatio, neque alter actus perficiens desideratur; Licèt enim exigi soleat consensus Titularis in expeditione litterarum, vel ad satisfaciendum Regulę 45. Cancellariæ, vel pro majori cautela pensionarii attamen iste non respicit substantiam, vel perfectionem gratiæ, juxtà auctoritatem, de quibus proximè infra.

Prout licèt omninò necessaria sit expeditio litterarum, sine qua pensio exigi non potest sub pęna amissionis pen-
11 sionis, juxta ea quæ habentur infrà *in Turritana disc.* 30. Attamen id procedit ratione decreti, quod eadem reservatione adjici solet pro juribus, ac emolumentis officialium, sed pariter non percutit substantiam, vel perfectionem, quoniam expeditis litteris, exigi possunt, ac debentur termini ante expeditionem decursi, computando tempus à die signatæ supplicationis, ex quo gratia perfecta est, ut *disc.* 30 Et consequenter ex tunc intervenire debet habilitas.

In secunda verò specie pensionis, quæ ad supplicationem reservatur beneficio pleno, gratia recipit perfectio-
12 nem, ac validitatem à consensu Titularis, qui proindè per beneficialistas dicitur causalis, tanquam causa productiva gratiæ, quæ sine illo concessa non esset, & ad cujus differentiam alter consensus, qui præstatur juxta speciem precedentem, dicitur formalis, utpotè ad quamdam formalitatem potius, quam ad necessitatem requisitus; Licèt enim extrà controversia sit Papæ potestas reservandi
13 pensionem super beneficio pleno, nullo desiderato Titularis consensu, quoniam si potest eidem Titulari tollere beneficium tanquam supremus dominus, & arbiter, juxta ea quæ habentur *sub tit. de Regal. disc.* 148. ac etiam *sub tit. de benefic.* multò magis hujusmodi onus, vel servitutem imponere, potest facere plus, absque dubio facit minus; Attamen nisi expresè dicat, non solet id facere sine possessoris consensu, qui proindè causalis dicitur, utpotè perficiens gratiam alias imperfectam ex deficiente intentione Papæ, quæ à stylo regulatur, Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 35. *n.* 65. *cum sequen.* & *num.* 59. Tondut. *de pension cap.* 41. *numer.* 1. & *sequent.* ex auctoritate Rotę apud Cassador. *decis.* 4. *n.* 6. *de pension. & in Elboren. pensionis* 19. *Januar.* 1596. *coram Corduba.*

Cum igitur versaremur in hac secunda specie gratię aliàs imperfectæ recipientis perfectionem à dicto consensu, hinc resultare dicebam generalem conclusionem, quod qualitas necessaria desideratur de tempore perfectionis gra-
14 tiæ, vel actus, non autem de tempore initii, seu præparationis, ut apud per Crescent. *dec.* 10. *de privilegiis*, & *dec.* 11. *de concess. præbend.* in quarum secunda firmatur conclusio, de qua *sub tit. de jurepatron.* quod scilicèt præsentari potest laicus, si & postquam erit clericus, quia sufficit eum esse talem infra terminum juris; in quo presentationem accepter, atque institui petat, cum similibus; Et ideò cum in hac specie voluntariæ pensionis, consensus Titularis perficiat, ac validet gratiam continentem dictam implicitam conditionem, sufficit habilitas de tempore, quo istius purificatio sequitur, ut benè *in dicta Elboren.*

Dicebant officiales Datariæ, dictam decisionem non percutere terminos præcisos clericatus, qui non aderat tempore signatæ supplicationis, sed supervenit ante con-
15 sensu, ac expeditionem litterarum, cum illa percutiat casum diversum pensionis scilicèt reservatę super Ecclesia de Regio jurepatronatus personis incertis à Rege nominandis quod sufficiat nominatum esse clericum, & capacem de tempore nominationis, quamvis non esset talis de tempore reservationis; Verùm frivola erat exceptio, quamvis hodie nil frequentius in foro audiantur quàm hujusmodi oppositiones, quod scilicet non videntur ad rem facere auctoritates, quæ non percutiant casum præcisum, ac indivi-
16 duum, quasi quod si agatur de lite super canneto, vel vinea, non valeant nisi auctoritates, quæ loquantur de vinea, vel canneto, & quando ita loquuntur habentur tanquam Evangelium S. Joannis, non reflectendo, an faciant necnè ad propositum.

Siquidem dicebam, vim non esse in casu præciso, de quo decisio loquitur, sed in rationibus, ac principiis, quibus illa inniterur, dum procedit cum *dict. decis.* 11. Crescent. *de concess. præben. & decis.* 10. *de privil.* percutientibus terminos diversos quam casum illius quæstionis, sed adducuntur, quia eadem est ratio, idemque principium; Unde propterea in dies occurrit occasio irridendi, vel deplorandi hanc legalis facultatis miseriam, ob quam partes Democriti, seu Eracliti explicare opor-

teret; Stultitiæ verò species est id amplius deplorare, vel declarando increpare, quia malum commune est irremediabile, quod in dies crescit, ac fit majus, ob crescentem ignaviam in studendo per principia, & methodicè, ut advertitur *sub tit. de judiciis*, in relatione Curiæ Romanæ, occasione agendi de modo scribendi.

Idem ex abbundanti, ad surreptionem excludendam ponderabam, quod Papa solet etiam reservare pensionem laico
17 sub conditione clericatus cum supra insinuata clausula, si & postquam clericali charactere insignitus fuerit, Gabr. *conf.* 189. *num.* 7. *lib.* 2. Tondut. *de pension. cap.* 31. *n.* 3. Rot. *dec.* 539. *p.* 5. *rec.* Verùm non videbatur tutum fundamentum, quoniam non ex eo, quod Papa sciens defectum, soleat illum non curare, illiusque implemento contentus esse priusquam gratia exequtioni demandetur, exinde resultat, quod si gratia obtineatur cum præsupposito habilitatis, illa inhabili suffragari debeat; Benè tamen id considerabile erat ad coadjuvandum dictum alterum fundamentum, ut attendi deberet tempus consensus perficientis gratiam; atque his satisfactum Datarius relaxavit supplicationem super dictæ concordiæ confirmatione, ac respectivè per eam reducta pensionis revalidatione.

MEDIOLANEN. SEU CREMONEN. PENSIONIS PRO ABB. AIROLDO CUM ABB. VICECOMITE

Casus decisus per Rotam pro Vicecomite.

De invaliditate pensionis ob falsam narrativam valoris; & an concordia inita super pensione exigat præcisè beneplacitum Apostolicum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Pensionario incumbit onus probandi valorem per ascensum, alias pensio corruit etiamsi sit in possessione.*
4 *Ac etiamsi adsit consensus, qui non præjudicat successori.*
5 *Secus si adsit observantia triginta annorum.*
6 *Transactio venit sub nomine alienationis prohibitæ.*
7 *Et in specie de transactione super pensione.*
8 *De diligentiis quas in hujusmodi transactionibus adhibent officiales Datariæ.*
9 *Quod super diminutione pensionis possit transigi sine beneplacito Apostolico.*
10 *Potest pensio gratis remitti.*
11 *Declaratur quomodo, & quando procedat conclusio, de qua num.* 9.
12 *Quando transactio præjudicet successoribus venientibus ex persona propria.*
13 *De fundamento ob quod placet resolutio.*
14 *De differentia inter consensum præstitum pensioni ex causa resignationis, & alteri sine causa beneficio pleno.*

DISC. XI.

OB professionem quam emittere intendebat in Religione Hierosolymitana Franciscus Maria senior Sfortia de Vicecomitibus, resignavit ad favorem Francisci 1
Mariæ nepotis Pręposituram, seu Abbatiam S. Abundii Cremonę, super qua sibi reservata fuit pensio ducat. Camerę 1612. sub narrativa valoris ducat. 3224. Et Prioratum seu Commendam B. Mariæ de Campo sub reservatione pensionis ducat. 625. cum narrativa valoris pariter per ascensum ad ducat. 1710. deindeque resignatarius dicta beneficia resignavit Lazaro Spinolæ sub reservatione novæ pensionis ad sui favorem ducat. 300. Cumque per obitum Lazari, beneficia collata essent Carolo Francisco Airoldo, hic impugnare cępit dictas pensiones, atque post diuturnam litem deventum est ad concordiam initam sub reservatione beneplaciti Apostolici, per quam illæ redactæ fuerunt ad scuta 2300. librarum 6. Imperialium pro quolibet; Verum dicto Titulari neque dictę concordię acquiescente, introducta causa coram A.C. terminata fuit in possessorio ad favorem pensionarii, sibi concedendo mandatum de manutenendo in quasi possessione exigendi, commissaque juxtà solitum, ad solum effectum devolutivum causa in Ro-

ta *coram Priolo*, assumptaque disputatione super negotio principali, sub dubio, an pensio subsistineatur *sub die 7. Novembris 1662.* affirmativa prodiit resolutio pensionario favorabilis, incertumque est, an causa ulteriorem progressum habuerit, dum de illa amplius actum non audivi, forsan Titularis succumbens acquievit, vel concordia eam terminavit, nisi defensores mutati sint.

In his igitur disputationibus, tam coram A.C. ubi juxta stylum, licèt ageretur de solo possessorio, incidenter de meritis actum fuit, quam etiam in Rota; Scribens ego pro Titulari, tanquam Advocatus deducebam conclusionem de jure veram, quod ubi etiam pensionarius sit in quasi-possessione exigendi, id ei suffragatur ad obtinendum in possessorio, quodque donec causa petitorii terminetur per rem judicatam vel tres conformes, sibi denegari non possit solutio; In petitorio vero, quoties agitur de hujusmodi pensionibus ex causa resignationis ad supplicationem partium, & in approbationē earum conventionibus reservatis cum narrativa valoris per ascensum, sufficit Titulari intentanti actionem super libertate beneficii, tanquam per speciem illius negotiorum, quæ per dominum, vel possessorem fundi ad terminos juris civilis competit adversus possessorem servitutis juxta deducta per Rotam *dec. 101. p. 4. rec. tom. 2.* & pluries in sua materia *sub tit. de servit.* negare veritatem narrati valoris, ut pensionario volenti pensionem subsistinere, incumbat onus perfectæ, & concludentis probationis qua non facta pensio corruit in totum, neque subsistinetur in parte ex deductis per Lotther. *lib. 1. q. 38. num. 71.* Rota *dec. 144 num. 1. par. 4. rec. tom. 2. dec. 278. n. 1. & 2. apud* Post. *de manut.* latè *dec. 306. par. 10. rec.* cum aliis per Add. ad Burat. *dec. 261. num. 17.*

Idque verum, quamvis in reservatione pensionis accesserit consensus Titularis, quoniam iste ipsi consentienti præjudicat, non autem successori, utpotè suum jus directè, ac immediatè metienti è Papa independenter à prædecessore, cujus jus cessavit per annihilationem, *ut dicta dec. 144. n. finali par. 4.* tom. 2. *dicta dec. 306. p. 10.* Burat. *dec. 296. n. 2. & dec. 437. n. 13. & seq.* Lotther. *lib. 1. q 42. n. 5. & seqq.*

Unico tantum casu hujusmodi conclusionibus cessantibus, quando scilicet concurreret diuturna continuata observantia 30. annorum, per quam, adinstar præsumptionis beneplaciti Apostolici, aliarumque solemnitatum ex hujusmodi observantia resultantis, gratia præsumitur justificata, unde propterea resultat consuetus præsumptionis effectus transfundendi onus probationis in alterum ex deductis per Adden. ad Gregor. *dec. 57. & 431.* Burat. & Add. *dec. 296. & 364.* Lotther. *lib. 1. quæst. 38. num. 122. & sub. tit. de Benefic. disc. 90. de valore.*

Ad fundamentum verò transactionis, in qua insistebant scribentes in contrarium pro pensionario veritatem dictarum conclusionum non negantes; Respondebam, quod quamvis aliquorum opinio sit, ut in bonis, vel juribus alienari prohibitis transactio non sit specie prohibitæ alienationis, attamen quoties præsertim prohibitus bona prohibita in parte dimittit, vel super eis servitutem, aut aliud onus, imponit, quod ipsam rem afficiat, tunc extra controversiam est, transactionem venire sub prohibita alienatione, ex iis quæ habentur in sua materia *sub tit. de alienationib. & contractibus disc. 1.* ad materiam alienationis bonorum Ecclesiæ, ac etiam *sub tit. de feud. disc. 49.* & alibi: Et in specialibus terminis transactionis, per quam firma remaneat pensio, quæ prætendatur invalida, faciunt dedu- cta per Rotam *decis. 78. num. 3. cum seq. apud* Post. *de manut.* cum qua pertranſit Tondut. *de pension. cap. 34. num. 20.* ut scilicet conventio beneficiati validare non possit pensionem, quæ aliàs de jure subsistineri non debet, quoniam in ejus facultate repositum esset, ita quandam novam speciem pensionis reservare.

Magisque id probari observabam ex recepta praxi, quod non solùm super hujusmodi transactionibus passim impetratur beneplacitum Apostolicum, verum officiales Datariæ in ejus concessione nimis circumspectè, & oculatè procedunt, atque gustare volunt de meritis causæ, & an nullitas sit adeo dubia quod dici valeat transactio inita bona fide ut pluries practicavi, præsertim in casu de quo supra *disc. proximè præced.*

E' conversò scribentes in contrarium, (quibus Rota adhæsit cum hoc motivo simpliciter procedendo in decisione 9 desuper edita) fundamentum constituebant *in decisione 69. post Fenzon. ad Statut.* per quam firmatur, quod ubi concordia importat pensionis aliàs reservatæ diminutionem actus dicendus est licitus ac validus, utpotè diminuens onus, & concernens potius Ecclesiæ favorem, ob quem recepta conclusio est, in præcedentibus etiam insinuata, quod ubi non intervenit pecunia, vel alia res temporalis, licitè & absque beneplacito pensio extingui potest per gratuitam remissionem, vel etiam ad minorem summam reduci ex 10 deductis per Burat. *dec. 469. & 528.* & habetur infra *in Calaguritana pensionis disc. 36. & pluries in præcedentibus.*

Quamvis autem dicta resolutio, mihi ad veritatem reflectenti ex alio fundamento probabilis visa esset ut infra, non tamen placuit supradictum, quod ejus causa fuit; Dicta enim *dec. 69. post Fenzon.* procedit in casu converso, quando scilicet ipse pensionarius, vel ejus successor jure translationis, impugnare vellet concordiam pensionis diminutivam ex defectu beneplaciti Apostolici, quoniam si absque illo poterat integra pensio remitti, atque Ecclesia liberari; multò magis potuit reduci onus ad minorem summam; Non tamen ita est in casu converso, ubi successor in beneficio Ecclesiæ, quæ ob pensionis invaliditatem prætendit habere libertatem, impugnat actum, per quem firma remaneat servitus, quam non debere prætendatur, quoniam ita remanet species alienationis, vel impositionis servitutis prohibitæ, rectèque intrant dicti termini generales cadentes in transactionibus bonorum, vel jurium Ecclesiæ ad terminos *Extravagan. Ambitiosæ de regul. Eccles. non alienan.*

Et quamvis in alis bonis laicalibus prohibitis, & in commercio non existentibus, in præjudicium successoris venientis independenter, ac jure suo, ut sunt bona fideicommissaria, seu feudalia, & emphyteutica pacti, & providentiæ, quoties non obstet lex, vel stylus particularis, (ut est in majoratibus Hispaniæ, ac etiam in feudis utriusque Siciliæ) recepta sit distinctio, de qua *d. tit. de feudis disc. 49. & sub tit. de emphyteusi disc. 52. & sub tit. de fideicomiss. disc. 140.* & in aliis pluries; Attamen aliud est agere, an successor in hujusmodi bonis laicalibus obligetur ab illa transactione quam prædecessor tanquam prudens administrator fecit juxta ponderationes, quæ locis citatis habentur; Aliud verò quod contrahatur super bonis, & juribus ecclesiasticis, quorum alienatio ultra justam causam, quæ ut supra sufficit ad obligandum successorem independentem, exigit etiam copulativè solemnitatem, atque una sine alia non sufficit.

Probabilis autem visa est resolutio contra ipsum Titularem, qui transactionem init ratione effectus Titularis præjudicialis, qui resultat à præstatione consensus, quoniam & si ille non revalidet absque Apostolica auctoritate pensionem alias invalidam, attamen operatur supra insinuatum effectum transfusiionis oneris probandi contrarium in ipsum Titularem consentientem, ideòque istum effectum operatur concordia resolvenda in consensum inductivum dicti præjudicii, quod est potius ipsius Titularis consentientis, quam Ecclesiæ.

Ponderando etiam, quod non agitur de illo odibili consensu de fraude suspecto, qui consideratur in eo consensu, qui sine causa præstetur pensioni voluntariæ, sed ex justa 14 causa, justoque motivo, dum agebatur de pensione reservata ex causa resignationis cum regressu, unde pensionarius, vel regressum intentare posset, vel non improbabiliter prætendere moderationem isto casu adversus resignatarium concedendam de æquitate, juxta ea quæ habentur infra *in Parmen. disc. sequenti*, ideòque magna differentia est inter unam, & alteram speciem consensus.

ADNOT. AD DISC. XI. cum seqq.

De invaliditate pensionis ob falsam narrativam valoris habetur quoque actum in *disc. 91. & 93.*

De regressu in eodem supplemento *disc. 65.*

Decisio prodita in casu de quo *disc. 11.* habetur impressa *dec. 507. par. 13. rec.*

Aliæ decisiones proditæ in casu de quo *disc. 12. habentur impress. part. 4. rec. dec. 310. & 419.*

PARMEN. PENSIONIS

PRO JACOBO ZANDEMARIA

CUM JOANNE BAPTISTA GUARESCO.

Casus decisus per Rotam pro Jacobo, & posteà concordatus.

De eadem materia impugnationis pensionis reservatæ ob resignationem ex defectu narrati valoris, An corruat in totum, vel potius subsistineatur ad pro-

portionem, & pro rata; Et an talis impugnatio fieri posset per ipsum resignatarium.

Et de regressu in casu impugnationis competente resignanti, an competat etiam translatario.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Ubi valor narratus per ascensum non benè justificatur pensio ad partis supplicationem corruit in totum.*
4 *Pensio reservata occasione resignationis cum clausula, & non aliàs non admittit reductionem neque in obolo.*
5 *Locus est reductioni, quando non adest dolus, & adest verisimilis Papæ voluntas.*
6 *Quando dicatur abesse dolus, ut mala expressio sit ex errore expeditionis.*
7 *Et quando dicatur adesse verisimilis Papæ voluntas.*
8 *An dolus convincatur ex eo, quod quis usus sit gratia cum mala expressione.*
9 *Declaratur conclusio, de qua num. 3.*
10 *Et altera de qua num. 4.*
11 *Regressus, an sit practicabilis in translatario.*
12 *De eodem.*
13 *Quod sit verificabilis ingressus.*
14 *Non tamen prodest omni pensionario, sed solum capaci beneficii.*
15 *Quod resignatarius non audiatur ad impugnandam pensionem, sed solvat, vel dimittat.*
16 *De ratione ob fraudis. quæ fieri possent.*
17 *De differentia inter primum resignatarium, & successorem ex vacatione remissivè.*
18 *Quando non detur regressus, vel ingressus, & non intret ratio, de qua num. 16.*

DISC. XII.

Resignavit Marius Zandemaria ad favorem Joannis Baptistæ Guareschi beneficium in Ecclesia Cathedrali, sub expressione valoris duc 75. certorum, cum reservatione pensionis ad ejus favorem ducat. 25. in cujus pensionis impugnationis, vel reductionis casu amplissimè reservatus fuit regressus, ac ingressus; Cumque Marius in vim Indulti dictam pensionem transtulisset in Jacobum nepotem, Titularis autem illam solvere nolle t tanquam invalidam ob falsam narrativam valoris narrati in fructibus certis tantùm, quamvis computatis etiam incertis, ad eam summam ascendere supponeretur; Hinc introducta causa coram A. C. prodiit sententia Titulari favorabilis dictæ pensionis annullativa; Introductaque causa in Rota *coram Ottalora*, & dato dubio, an pensio subsistineretur *sub diebus 15. Junii 1665. & 15. Febr. 1666.* affirmativa prodiit resolutio ad favorem pensionari, & deinde per concordiam ejusd. pensionis aliqualiter moderativam, controversiâ finèhabuit

In hujusmodi disputationibus duo fuerunt puncti; Primo scilicet, an præsuppositа mala narrativa valoris restricti ad fructus certos, pensio corrueret in totum, vel potius moderari deberet, seu reduci proportionabiliter, & pro rata; Et secundo, an ipse primus resignatarius, qui beneficium obtinuit sua eadem narrativa, de hoc defectu dare posset, vel potius non solvendo pensionem, deberet pati regressum, vel ingressum pensionarii ad ipsum beneficium.

Quatenus pertinet ad primum; Scribentes pro Titulari, (quibus adhæsit judex primæ instantiæ) insistebant in pluries supra insinuata vera conclusione, quod ubi agitur de pensione reservata, non motu proprio, sed ad partis supplicationem, ac in approbationem privatæ conventionis inter eas, & cum narrativa valoris per ascensum tunc valor concludenter ac perfectè probandus est in totum, aliàs actus totus corruit ex deductis per Garz. *part. 1. c. 5. num. 422. & 500.* Tondut. *de pension. cap. 15. num. 3. & 6. cap. 45. num. 21.* Mantic. *dec. 173.* latè *dec. 306. part. 10. rec. & frequenter in præcedentibus.*

Fortius verò, ubi agitur de pensione reservata ex causa resignationis factæ, cum clausula, *& non aliàs, nec aliter, nec alio modo*, quoniam tunc non intrat reductio neque in obolo, sed actus cornit in totum, non solum ex defectu, individui consensus Papæ, qui generaliter assignatur pro ratione in quacumque pensione reservata ad supplicationem, sive approbando privatas partium conventiones, sed etiam ex deficiente consensu resignantis, ut ceteris relatis habetur *dec. 286. par. 2. rec.* & apud Otthob. *dec. 61. ac in aliis.*

His tamen non obstantibus (etiam cum sensu veritatis) dicebam quod ubi etiam non ageretur cum ipso primo resignatario, in quo intrat peculiaris ratio, de qua infra in altero puncto ingressus, vel regressus, sed cum ejus successore directè à Papa proviso ex vacatione per mortem naturalem vel civilem, & cum quo dicta alia ratio non ita de facili intrat, adhuc tamen esse deberet locus correctioni dictæ restrictivæ ad fructus certos ut supra *disc. præc.* Vel saltem reductioni ad ratam, seu proportionem veri valoris ex con- 5 clusione firmata in celebri *Lucana pensionis coram Pirovano*, quæ in hoc reputatur magistralis *impress. decis. 536. p. 4. rec. tom. 3.* quod scilicet ubi duo copulativè concurrunt, deficientia scilicet doli in pensionario, & verisimilis voluntas Papæ, locus fiat dictæ equitativæ reductioni proportionabiliter, & pro rata, non autem corruat in totum, ut etiam firmatur in hujus causæ decisionibus.

Utrumque requisitum verificabatur, quoniam justificabatur quod resignans, ad cujus favorem pensio reservata fuerat absens à Curia, ubi supplicatio cum dicta narrativa concepta fuit, in mandato dato ad resignandum fecit ve- 6 ram expressionem ejusdem valoris absque dicta restrictiva ad certos, sed computatis tam certis, quam incertis, eamdemque expressionem fecerat ipse resignatarius in mandato dato ad consentiendum pensioni, unde propterea clarè constabat de illo errore expeditoris, qui ponderatur *in dicta dec. 536. p. 4. t. 3.* quodque abesset dolus, ut ad aliud propositum ponderatur *dec. 270. post secundum volum. cons. Farinac.* & admittitur *disc præced.*

Et quoad alterum requisitum verisimilis voluntatis Papæ, docebatur in facto de pluribus consimilibus resignationibus beneficiorum ejusdem Ecclesiæ Cathedralis sub narrativa ejusdem valoris, computatis tam certis, quàm 7 incertis, & cum reservatione consimilis, ac etiam majoris pensionis concessę per eumdemmet Pontificem, aliosque prædecessores, unde ita constare dicitur de voluntate, quę ut pluries advertitur, à stylo, seu consuetudine concedendi regulatur juxta *dec. 214.* Mantice, Burat. & Adden. *dec. 510* Gregor. & Adden. *dec. 150. & frequenter*, aliasque dabantur facti adminicula convincentia errorem expeditoris, seu cujusdam ejus amanuensis in efformatione supplicationis.

Replicabant scribentes in contrarium, quod cum in litteris desuper expeditis eadem narrativa ad formam supplicationis contineretur, ipse autem pensionarius illis usus esset, exigendo pensionem per plures annos, ac patiendo resignatarium adipisci possessionem beneficij absque contradictione, ita sibi præjudicasset; Verum de facili hæc objectio, quę judici primę instantię visa est considerabi- 8 lis, & rejecta fuit in Rota; Tum quia si gratia erat, valida & perfecta de tempore concessionis, non poterat exinde in validari, cum factum partium in hac materia hunc effectum producat, quando desuper accedat decretum annullativum in ipsa reservatione adjectum, puta exigendo pensionem litteris non expeditis, vel quod in pensione voluntaria non fieret omnium verborum vera, & effectiva solutio per eum qui pensioni consensit, cum similibus; Tum clarius, quia volentibus Datarię officialibus retinere antiquum stylum scribendi litteras Apostolicas Gothico, seu Gallico caractere, rari sunt extra Curiam, qui illum intelligant, sed in fide ac relatione expeditorum, seu correspondentium Urbis, cum sola inspectione materiali ipsarum litterarum, hujusmodi provisione, in quibus non adest contradictor, neque exequutio fit in forma contentiosa, exequutioni demandantur; Fortiùs vero circa litteras super reservatione pensionis, quibus non datur illa positiva executio, quæ contingit in beneficio per adeptionem possessionis à manu executoris, in quo tamen, ubi est merus, receptum quoque est, extrajudiciales ac tales quales informationes sufficere, sed absque aliquo actu positivo executionis, ubi Titularis pacificè solvit pensionem, neque adest occasio eas legendi, ideòque prorsus vanum videbatur, quod exinde inferri posset ad dolum dictæ æquitatis exclusivum.

Ad conclusionem verò supra in objectum primo deductam, quod ubi convincitur minus vera narrativa valoris per ascensum, pensio corruit in totum, potissimè ubi in reservatione ex causa resignationis adest clausula, *& non aliàs &c.* quo casu receptum est Beneficialistarum axioma, ut neque in obolo moderatio admittatur; Respondebam conclusionem esse veram, fallaciam verò esse in applica- 9 tione. Prima enim pars, quæ respicit defectum voluntatis Papæ, percutit casum pensionis voluntariæ, & sine causa

beneficio pleno, in qua ob præsumptam fraudem, ac odi-
bilitatem quæ illi ineſt, intrat rigoroſa propoſitio, quod qui
cadit à ſyllaba, cadit à toto, ut pluries in præcedentibus, &
in his terminis procedunt deſuper allegatæ auctoritates, &
deciſiones, præſertim *dec.* 306. *par.* 10. *rec.*

Ad alteram verò concluſionem, quod ſcilicet ubi agitur
de penſione reſervata ex cauſa reſignationis concepte cum
clauſula, *& non aliàs*, neque intret reductio juxta *dictam*
dec. 61. *Otthob.* cum aliis allegatis; Dicebam procedi cum
æquivoco claro in applicatione; Siquidem percutit gra-
tiam, & favorem ipſius reſignantis, ac penſionarii reſpecti-
10 vè contra reſignatarium, vel ejus ſucceſſorem, ut allegare
non poſſit hanc reductionem, ejuſque prætextu impedire
regreſſum, vel ingreſſum reſervatum, ſed debeat, vel to-
tam penſionem ſolvere, vel regreſſum pati, ideòque id quod
favorem reſignantis eſt introductum ex deficiente ejus ani-
mo alias reſignandi, contra eum retorqueri non debet; Et
tamen pluries, ac pluries, per inferiores præſertim judices,
ad hoc validè dubitari vidi, capiendo (juxta commune vi-
tium) concluſiones, vel doctrinas in ſolo ſenſu litterali,
non attendendo has diſtinctiones, vel animadverſiones,
que Advocatorum ſubtilitas, ac ratiocinia, cum ineptia
manifeſta, reputari ſolent.

Quoverò ad alterum punctum regreſſus, ſeu ingreſſus
per penſionarium intentati, magna fuit diſputatio, præ-
ſertim in ſecunda repropoſitione, ex eo præſertim, quod
regreſſus præſupponit præcedentem poſſeſſionem tanquam
per ſpeciem reintegrationis competentis antiquo poſſeſſori,
11 qui cum vera, vel interpretativa violentia, ſeu alias dolo,
vel cum falſo præſuppoſito ſua poſſeſſione privatus fuerit,
aut eam ſub conditione reſolutiva tranſtulerit; Id autem
verificari non poteſt in translatario, qui nunquam benefi-
cii poſſeſſionem habuit, & conſequenter in eo impracticabi-
lis eſt terminus regreſſus non dandi in beneficio nunquam
habito, nec poſſeſſo, *ut dec.* 287. *n.* 17. *cum ſeq. par.* 5. *rec.*
& deciſ. 249. poſt Zacch. *de oblig. Camer.*

Quamvis enim, ut pluries adverti ur infra ad materiam
translationis, penſio translata (certis effectibus ſecluſis)
non ſit nova, ſed eadem, ac antiqua, atque translatarius
12 ſuccedat in omnibus juribus, & privilegiis transferentis.
Attamen id recipiendum videtur circa effectus compatibi-
les, non autem quod dari valeat reverſio ad ſtatum, qui
nunquam fuit, cum id naturaliter impoſſibile ſit, neque
practicabilis videatur fictio, quæ det reſtitutionem ad id,
quod nunquam obtentum fuit; Ideòque licèt ſcribendo
tanquam Advocatus, iſtos terminos regreſſus deducerem
ex *dec. Guidobon. relat. per* Pariſ. *de reſignat. lib.* 6. *q.* 4. *n.* 51.
& Rot. *dec.* 119. *n.* 6. *par.* 4. *rec.* ut ſcilicet cenſeretur etiam
translatus regreſſus; Attamen reflectendo ad veritatem, id
omninò improbabile videbatur.

Magis autem placebat altera reſponſio, quam ego ſcri-
bens pro penſionario deducebam, & quæ in ſecunda deci-
ſione magis admittitur, (ſtante penſionarii capacitate)
13 quod ſcilicet, non ſolum reſervatus eſſet regreſſus, ſed
etiam ingreſſus; Et conſequenter, quod ubi primus termi-
nus, utpotè reſpiciens jus de præterito, intrare deberet,
utpotè practicabilis, dictus alter terminus ingreſſus, utpo-
tè reſpiciens novum jus, & de futuro per ſpeciem immiſſio-
nis magis quam reintegrationis, *ut dec.* 457. *n.* 10. *p.* 1. *div.*
Bracaren. *Theſaurariæ* 22. *Junii coram Pirovano impreſſ. poſt*
Amayden. de ſtylo Dataria lib. 1. *c.* 26. *num.* 75. In quo ſenſu
capienda venit *dicta dec. Guidobon.* atque in hac reſponſio-
ne in ſecunda deciſione magis inſiſtitur, licèt reſolutio non
eſſet abſque contradictione, unde propterea ego libenter
conſului concordiam.

Verùm quia iſtud motivum ſuffragari ſolùm poſſet pen-
ſionario capaci regrediendi ad beneficium, ſeu illud ingre-
14 diendi; quod non ſemper contingit, cum frequentiùs di-
mittentes beneficia ſub reſervatione penſionis, id agant, ut
ſe conſtituant in diverſo ſtatu ſeculari cum Indulto reti-
nendi penſiones, matrimonio, vel alio incompatibili ſtatu
non obſtante, ob magnam differentiam inter capacitatem
penſionum, & illam beneficiorum.

Hinc proinde, (etiam in ſenſu veritatis,) advertebam
iſtos terminos regreſſus, vel reſpectivè ingreſſus, conſide-
randos eſſe non tam pro jure affirmativo penſionarii rede-
15 undi ad beneficium, quàm pro jure negativo Titularis, ubi
præſertim eſt primus reſignatarius, ut non audiatur adver-
ſus id quod promiſit occaſione obtinendi beneficium, niſi il-
lud dimittat, quaſi quod ſub iſta conditione obtinuerit,
ideòque, vel totum actum prout jacet impleat, vel totum
diſſolvat, dimittendo beneficium, ubi præſertim non ur-
get ratio veri matrimonii ſpiritualis, ut eſt in Epiſcopatu,
vel parochia, unde propterea intret vulgare beneficiali ſta-
rum dicterium, vel ſolvas, vel dimittas juxta *dec.* 17. Cre-
ſcent. *de reſerv.* Lotther. *lib.* 1. *quæſt.* 41. *num.* 38. Tondut. *hoc*
tract. cap. 61. *num.* 11. & 12. Buratt. *dec.* 409. *num.* 2. & 3. ad-
mittatur *dicta dec* 287 *num.* 17. *par.* 5. *recent.* ac advertitur
etiam *in Camerinen. regreſſ. 5 primâ Decembr.* 1645. & 19.
Junii 1647. *coram Peutingerio.*

Et quidem rationabiliter, quoniam aliàs eſſet aditum
præbere fraudibus, & circumventionibus, dum ita pin-
guia beneficia ab invito poſſeſſore malis artibus callidè au-
cupari poſſent, affectando cum expeditore falſas narrati-
vas, ſeu alios defectus, ad quos extra Curiam de facili ad-
vertitur; Et de differentia notabili inter ipſum primum reſi-
gnatarium, ac alium ſucceſſorem directè proviſum à Papa
tanquam de vacanti habetur *diſc. proximè ſequ.*

Magnum conſtituebatur pro ſcribentibus in contrarium
fundamentum ad excludendum regreſſum, vel ingreſſum,
ſive dictam prohibitionem Titularis opponendi *in dicta*
dec. 187. *par.* 5. *rec.* ſed verè non obſtabat, cum illa percu-
tiat caſum diverſi beneficii non reſignati, ſuper quo per
ſpeciem penſionis voluntariæ reſervatio facta erat ad favo-
rem reſignantis alterum beneficium juxta caſum, de quo
ſupra *diſc.* 6. *& diſc. ſeq.* & ſic in terminis diverſis, in qui-
bus non intrat dicta ratio.

MAJORICEN. DECANATUS SEU REGRESSUS PRO LAURENTIO FLORO, CUM PETRO RAYMUNDO DE BARGA.

Caſus diſputatus coram A. C. reſolutus pro Laurentio.

De eadem materia impugnationis penſionis reſervatæ
ex cauſa reſignationis ob malam expreſſionem valo-
ris, ubi impugnatio non fiat à reſignatario, ſed à
ſucceſſore proviſo per vacationem, Et de regreſſu,
an competat contra ſucceſſorem, & quomodo ſit
exercibilis, an ſine citatione, & de facto; Et inci-
denter aliqua de gratia conceſſa ſuper correctione
clauſulæ in priori gratiæ adjectæ, per quam jus alter
quæſitum ſit, Et an detur purgatio moræ.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Quod habens regreſſum poſſit capere poſſeſſionem*
propria auctoritate ſine citatione.
3 *Contrarium verius, & an intruſus ſit citandus.*
4 *Habens pactum de capiendo propria auctoritate, an eam*
capiat ſine citatione.
5 *Fortius non datur regreſſus ſine citatione contra poſſi-*
dentem aliàs quam ex reſignatione.
6 *Quod imo iſte ſit legitimus contradictor.*
7 *De diſtinctione inter diverſas formulas regreſſus.*
8 *Regreſſus juxta formam antiquam exigit canonizatio-*
nem per tres conformes, & non competit niſi in caſu
contumaciæ.
9 *Secus ubi juxta formam modernam.*
10 *Iſto etiam caſu obſtat clauſula*, dummodò centum.
11 *Admittitur purgatio moræ ad impediendum regreſſum.*
12 *Error de juſtitia eſt corrigendus.*
13 *Non præſumitur, ſed eſt probandus.*
14 *Non eſt improbabilis circa ea quæ adduntur, vel corri-*
guntur per officiales reviſores.
15 *Etiam ſi ſit contra ſtylum, quia eſt rigor inſolitus non*
autem error,
16 *In dubio non cenſetur Papam velle tollere jus tertii.*
17 *Gratia non facta mentione litis, an & quando ſit nulla.*
18 *De differentia inter ipſum reſignatarium, & ſucceſſorem*
ex vacatione.
19 *Qui poteſt ſibi præjudicare negligendo regreſſum in totum*
ſibi præjudicat illum acceptando reſtrictum.
20 *An ubi non competat regreſſus intret reductio ad propor-*
tionem.

DISC. XIII.

POſſidens Petrus Raymundus Decanatum Eccleſiæ 1
Cathedralis, de anno 1657. illum reſignavit Joanni
Baptiſtæ Artich ejuſdem Eccleſiæ Canonico, cum reſerva-
tione

tione penſionis ad ejus favorem ducat. 306. diſtributæ ſuper
ipſo Decanatu, ac etiam ſuper Canonicatu ipſius reſigna-
tarii, ex Apoſtolica diſpenſatione illum retinentis, hoc
eſt, ducat. 153. ſuper Decanatu fructibus certis tantum
narratis per aſcenſum ad ducatos 350. & 153. ſuper fructi-
bus certis, & incertis Canonicatus narratis per aſcenſum
ad ducat. 400. ſub reſervatione regreſſus juxta formam mo-
dernam in quocumque caſu annullationis, vel reductionis
etiam propria auctoritate, adiecta per reviſores in ſuppli-
catione clauſula reſtrictiva, *ſi ab eodem Joanne Baptiſta*
obtinebitur, & non aliàs; Cumque effectuata reſignatione
per plures annos obiiſſet in menſe reſervato reſignatarius,
Laurentius obtinuit à Sede Apoſtolica provideri de De-
canatu, cujus poſſeſſione adjecta, & comperto quod fru-
ctus eſſent longè minores, quàm narrati fuerint. Hinc
judicium ſuper penſionis annullatione introduxit coram
A. C. atque cauſa exiſtente inſtructa, ac limine expedi-
tionis, dictus Petrus Raymundus penſionarius circa fi-
nem Pontificatus Clementis IX. obtinuit gratiam ſignatam
per conceſſum, cum narrativa, quod per errorem addita
eſſet dicta clauſula, ut reſcriberetur officialibus, quod ea
non obſtante, litteræ ſuper prima gratia regreſſus in for-
ma ſolita, & juxta Cancellariæ ſtylum, dicta reſtrictiva
omiſſa, expediri poſſint, cujus ſupplicationis vigore ex-
pediendo litteras à ſucceſſore in forma *rationi congruit*,
ſupponebatur, quod prætenderet de facto, & propria au-
ctoritate regreſſum habere etiam non citato dicto Lauren-
tio poſſeſſore, ex cujus parte de tribus proinde pro veri-
tate conſultus fui; Primò ſcilicet, poſita validitate hujus
gratiæ, an haberi poſſit dictus regreſſus de facto ipſo non
citato, quod ſupponebatur licere ſtantibus clauſulis in
prima ſupplicatione contentis, ut de facto propria auc-
toritate regreſſum habere poſſet ad ſuum titulum, ejuſque
2 poſſeſſionem apprehendere ex auctoritate Gratiani *diſc.*
922. *n.* 10. *& 20. relat. per* Tondut. *de penſion c.* 45. *n.* 32.

Secundò, quatenus hæc poſterior gratia ſubſiſteret, itaut
dictus regreſſus competeret, an ad illum impediendum ipſe
poſſeſſor admittendus eſſet ad morę purgationem cum ter-
minorum decurſorum ſolutione, Et tertio ſuper hujus ulti-
mæ gratiæ validitate, vel invaliditate.

Ad primum reſpondi, abſolutum videri, quod regreſ-
ſus de facto, & non citato poſſeſſore exerceri non poſſet,
quamvis ille fuiſſet purè reſervatus abſque dicta reſtricti-
va, etiamſi ageretur contra ipſummet reſignatarium, qui
3 regreſſui conſenſum præſtitit, quoniam in beneficialibus
præſertim, (excepto nimium raro caſu omnino certi, ac
notorii intruſi, quilibet poſſeſſor quamvis intruſus abſque
titulo, vel cum iſto invalido, ſeu reſoluto citandus eſt, li
cèt dici non poſſet legitimus contradictor, quoniam aliud
eſt poſſeſſorem dici legitimum contradictorem ad effectum
judicii ordinarii, & appellabilis, aliud verò dici ſimpli-
cem contradictorem ratione poſſeſſionis, ad effectum,
ut debeat citari, ut ita diſtinguendo *dec.* 47. *n* 19 *& ſeq.*
par. 10. *rec. dec.* 154. *n.* 1. apud Poſt. *de manut. & ſepius*, ut
in ſua materia *ſub tit. de benefic.* ad materiam legitimi con-
tradictoris *diſc.* 73. Unde propterea quotidianum in praxi
habemus, cum penè millenario deciſionum Rotæ numero
annullari poſſeſſionem de facto apprehenſam per proviſos
Apoſtolicos pro executione litterarum, non citatis poſſeſ-
ſoribus, quibus proinde, non obſtante expulſione facta
cum auctoritate Apoſtolici executoris, decreta fuit ma-
nutentio; Et in ſpecie regreſſus juxta dictam formulam
modernam patet ex eiſdem deciſionibus in *Camerinen, re-*
greſſus, de quibus infra, quia parte citata, & cauſa cogni-
ta conceſſus fuit.

Idque generaliter habemus etiam in prophanis, quo-
niam licèt antiquiores crediderint, ut in vim pacti, ſeu li-
4 centiæ capiendi poſſeſſionem propria auctoritate, iſta ca-
pi poſſit, atque deſuper à judice familias concedi (quod
vulgò aſſociari dicimus (abque neceſſitate citandi poſſeſ-
ſorem; Attamen contrarium ubique in praxi receptum eſt
ex ea clara ratione, quod poſſeſſor citatus plura deducere
poteſt dictum pactum, ſeu licentiam elidentia, ut latè
cæteris relatis Rovit. *pragm.* 1. *de conſervator.* Gait. *de cre-*
dit. cap. 4. *quæſito* 7. *num.* 834. *& ſeqq. & quæſito* 11. *numer.*
2089. *& ſeqq.* Buratt. *deciſ.* 160. *num.* 7. & ſæpius in ſua ma-
teria *ſub tit. de judiciis*; Ideòque aliud eſt, quod hoc ju-
dicium ſit privilegiatum, & executivum in vim hujus pa-
cti, ſeu licentiæ, quoties non in forma judicii, ſed ex ur-
banitate aſſociatio familiæ à judice petitur, aliud verò an
poſſeſſor ſit citandus necnè, ut pluries in dicta ſua mate-
ria *ſub dict. tit. de judiciis.*

Clariùs verò, ac pro meo ſenſu extra principium dubi-
tandi in hac facti ſpecie, in qua non agebatur contra reſi-
gnatarium, qui dicto regreſſui cum hujuſmodi facultate 5
conſenſum præſtiterat, ſed contra tertium à dicto conſen-
tiente independenter ſuum jus, & poſſeſſionem directè me-
tientem à Papa ex proviſione per obitum; Et fortiùs quia
attenta prima gratia ſuper regreſſu, illa reſtricta erat con-
tra reſignatarium tantum, unde propterea ubi non adeſſet
nova gratia ut ſupra, ſine dubio contra ipſum non compe-
teret, ipſeque in ſua poſſeſſione tutus eſſet, ideòque om-
nia theoricæ, & practicæ principia exigunt, ut pro execu-
tione gratię tollentis jus tertii pacifici poſſeſſoris, iſte ci-
tari debeat.

Quinimò credebam, quod probabiliter dici poſſet, ut
in hoc in judicio agitando ſuper dictæ gratiæ executione,
poſſeſſor prędictus dicendus eſſet legitimus contradictor,
quodque executor eſſet potius mixtus quàm merus, adeout
ceſſaret ille proceſſus executivus, qui aliàs gratiæ ab initio
purè & liberè competit, cum ita eſſet ſpecies impretatio- 6
nis beneficii ab alio poſſeſſi certo modo, ſive adinſtar,
adeout intrarent ea quæ in dicta ſua ſede *ſub tit. de beneficiis*
dicto diſcurſ. 75. ad materiam legitimi contradictores ha-
bentur ſuper proceſſu executivo denegando impetrantibus
certo modo.

Quoverò ad dictam auctoritatem Gratian. *dicta diſcept.*
921. cum quo ſimpliciter relato, non examinato articulo,
juxta frequentiorem ſtylum pertranſit Tondut. *dicto cap.*
45. *num.* 32. (Ultra quod in ſpecie reiicitur apud Ciarlin. 7
controv 36 *nnm* 12. ubi concordantes) Advertebam, vel
dictum auctorem non benè explicaſſe, id quod fortè in
animo habebat, vel æquivocati capiendo eum ad litteram;
In hac ſiquidem regreſſus materia duplex ejus formula ha-
betur, una quæ dicitur antiqua competens ex diſpoſitione
juris, juxta quam ut regreſſus competat, requiritur ma-
gna contumacia, & protervia Titularis in non ſolvendo
penſionem, ſecus autem ſi non ſolutio proveniat ex capi-
te nullitatis, vel reductionis, aut alio juſto motivo, quod
dictam contumaciam, ſeu proterviam excludat, unde 8
propterea exigit canonizationem in judicio ordinario
per tres conformes, ex deductis per Ciarlin. ubi ſupra
Adden. ad Buratt. *deciſ.* 528 ubi concordantes, *cum aliis*
infra diſc. 74.

Altera verò dicitur formula moderna, quæ concipitur,
ut competat etiam in caſu annullationis, vel reductionis de
facto, ac propria auctoritate, quoniam iſto ſecundo ca- 9
ſu, tanquam adjectus potius per viam conditionis reſolu-
tivę, in qua attendatur nudum factum ob alias deficien-
tem reſignandi animum, datur regreſſus, quamvis im-
pugnatio eſſet licita ex capite nullitatis, vel diminutionis
fructuum; Minuſque exigitur canonizatio per tres con-
formes, & in judicio ordinario, ſed conceditur immiſſio
pro executione litterarum in judicio executivo, atque hoc
eſt quod dicere voluerunt Gratianus *ubi ſupra*, & alii,
vim in dictis clauſulis conſtituentes, ita unam regreſſus
ſpeciem diſtinguentes ab altera juxta magiſtrales, paſſim-
que receptas deciſiones *in Camerinen. regreſſus prima De-*
cembris 1645. *& 19. Junii* 1647. *coram Peutingerio*, in qui-
bus aliæ præcedentes referuntur, ut advertitur etiam *diſc.*
præced. ad interpretationem concluſionis, quod penſio
reſervata ex cauſa reſignationis non patitur diminutionem
neque in obolo, ſed quod actus, vel in totum ſubſtineri,
vel in totum irritari debet, favore ſcilicet ipſius reſignan-
tis, ut ibi.

Niſi reductio, vel omnimoda negotio innixa eſſet clau-
ſulæ, *dummodo centum*, in ipſa reſervatione contentæ,
quæ operatur, ut attendatur valor de præſenti, ac ſingu-
lis quibuſque annis, vel temporibus, tunc enim quia ipſe- 10
met reſignans dictæ clauſulæ, ſeu præſervativæ conſenſum
accomodaſſe dicitur, dubitari poſſet, an ex iſta cauſa
prætendere valeat regreſſum quamvis juxta modernam for-
mulam reſervatum, niſi expreſſe aliàs cautum ſit, vel cum
clauſula, *& non aliàs*, ut advertitur *diſc. ſeq. & d. diſc.* 74.

Ad ſecundum quæſitum, an ſcilicet, poſita regreſſus
competentia, licitum eſſet poſſeſſori illum impedire me-
diante prompta ſolutione tanquam per ſpeciem purgatio-
nis moræ; Dixi omnino planam ac incontrovertibilem eſ-
ſe affirmativam, quoniam receptum eſt, adinſtar illius 11
purgationis moræ, quæ ex canonica æquitate conceditur
emphyteutæ, ſeu livellario, hujuſmodi purgationem com-
petere Titulari, quamvis moroſo juxtà punctualiter fir-
mata per Rotam apud Celſum *dec.* 363. *ubi concordantes*,
quæ eſt in terminis fortioribus purgationis petitæ re non

integra, & postquam pensionarius super regressu sententiam obtinuerat, quinimò, & beneficium alteri cum majori pensione resignaverat unde, per purgationem jus pensionarii efficiebant deterius contra regulam; Multò magis in præsenti, quod possessor dici non poterat morosus, dum ex tenore reservationis, restrictus erat regressus ad solum resignatarium ut supra, illeque resultabat ex hac posteriori nova gratia; Ideòque advertebam quod tertia inspectio disputatione digna esset solùm super validitate, vel invaliditate hujus ultimæ gratiæ concedètis deletionem dictæ restrictivæ.

Super hoc autem puncto, fortè novo, vel nimium raro, adeout pro ea diligentia, quæ tunc adhiberi potuit, specialis auctoritas, vel decisio inveniri non potuerit. Dicebam omninò certum ac maturum judicium pro veritate non de facili efformari posse, non auditis fundamentis alterius partis; Quatenus tamen aliquæ facti extrinsecæ circumstantiæ diversificantes non adessent; Credebam probabilius dictam gratiam non debere suffragari, ex pluribus fundamentis, illo præsertim, quod Papæ narratum fuit id contigisse per errorem adjiciendi dictam clausulam restrictivam, unde propterea cum hoc præsuppositio Papa supplicantis annuit, ita rectè opinando potius facere actum justitiæ quam gratiæ, dum error, eo detecto, de justitia, etiam ab inferiori judice, seu Magistratu corrigendus est, ad regulam textus *in l. nihil consensui §. nihil, ff. de reg. jur.* ubi Decius advertit istam regulam nullam pati limitationem, cum concordantibus apud Gregor. *dec. 579. num. 5. & sequen. par. 11. rec. & passim*; Ideòque tali casu si verè error erat, Papa potius partes supremi Magistratus fecisse dicitur extra formam judicii, circa id, quod inferior Magistratus in forma judicii facere debuisset, quàm facere gratiam, vel tollere jus tertii, quatenus tamen error probaretur per allegantem, à quo probandus est, cum in dubio non præsumatur, ad vulgarem text. *in l. si post divisionem, C. de jur. & facti ignor.* ubi Bald. *& alii communiter, de quibus* Menoch. *lib. 6. præs. 22. & passim*; Positoque errore intrat æquitas, de qua ad aliud propositum supra *in Parmen. disc. præceden. & in aliis*.

Verum credebam improbabilem esse errorem predictum cum non consisteret in aliqua inadvertentia, vel æquivoco expeditoris juxta dictum casum *disc. præced.* sed in clausula seriò, ac maturè per viam additionis adjecta per officialem, qui *Revisor* nuncupatur, ad id deputatus quod tanquam in hac materia peritissimus, adderet, vel deleret ea quæ addenda, vel delenda videtur.

Et quamvis dicta restrictiva de stylo adjici non soleat, attamen id non importat errorem, sed quemdam insolitum rigorem, quem resignans, vel ejus mandatarius acceptare non debebat, cum ista videatur quædam species contractus, vel quasi, unde si unus ex contrahentibus serio, ac maturè addat clausulam, vel pactum insolitum, quod alter contrahens potuisset rationabiliter non acceptare, si tamen acceptat, atque contractum executioni demandat, dicere non potest id fuisse ex errore.

Posito igitur, quod hæc posterior Apostolica provisio non contineat actum justitiæ, ut contineret si verè ageretur de corrigendo errorem, sed potius contineret actum gratiæ: Hinc de plano credebam illius invaliditatem sive inefficaciam resultare ex pluribus; Primò scilicet ex falso præsuppositio, dum Papa non credidit aliquid de novo concedere per quod jus tertii tolleretur, sed solùm præsuppositò juxta narrata, quod id proveniret ex errore, demandare istius correctionem, de justitia etiam debitam; Secundò in idem, quia si quæcumque gratia per quemcunque Principem concessa, quoties illa non sit perneccesse, ac de sui natura præjudicialis, censetur concessa sine tertii præjudicio, cui non constito de diversa voluntate, præsumendum non est Principem voluisse præjudicare; Multò magis id procedit in gratiis Papæ, in quo, non solùm militat dicta ratio generalis, sed etiam altera peculiaris resultans ab ejus Regula *de jure tertii quæsito non tollendo*, per quam protestatur nolle tollere jus tertii nisi expressè dicat, dicteque regulæ deroget; Et tertiò non factam mentionem litis ex qua jus possessori quæsitum erat, juxta distinctionem, de qua ceteris relatis *dec. 14. n. 15. cum seqq. par. 10. & sub tit. de feud. disc. 66.* ae pluries *sub tit. de Benef.* & alibi.

Ponderando potissimum, maximam dignosci differentiam inter casum, in quo de hujusmodi regressus questione agatur cum ipso resignatario impugnante pensionem, cui expressum consensum præstitit, atque sub tali conditione obtinuit beneficium aliàs non obtenturus, ideòque intrant rationes ponderatæ *disc. præced.* & casum quæstionis cum successore proviso per Papam de beneficio tanquam vacante per obitum, dum in isto cessant, tam ratio proprii consensus, quàm altera fraudis, & circumventionis, & è conversò sibi assistit major ratio, vel æquitas, ne alias à publica fide ipsius Papæ, ac litterarum Apostolicarum clausus remaneret; Ideò enim neglectis aliàs prætensionibus, seu alterius beneficii impetratione, hujusmodi Dignitatem cum notabili sumptui in expeditione litterarum obtinuit, quia ex litteris reservationis pensionis, certificatus fuit sibi non obstare debere regressum juxta modernam formulam, utpotè ad solam personam resignatarii restrictum; Et consequenter quod ejus respectu, firma remanente juris communis dispositione, sibi integrum esset impugnare pensionem ex capite nullitatis, quo casu, ut supra, non intrat regressus, nisi ex juris communis dispositione competens, ratione contumaciæ, seu proteriviæ secus si ex justa causa, ut *in Theatina, seu Nullius Abbatiæ 19 Junii 1634. coram Pauzirolo & 10. Januarii 1639. coram Coccino*, & admittitur *in dicta Camer. coram Peutingerio*.

Et quemadmodum, si ipse resignans, vel ejus mandatarius, ad evitandam majorem impensam expeditionis, vel ex inadvertentia, non fuisset solicitus de concessione regressus in dicta moderna formula, (quamvis de frequentiori stylo concedatur) utique non posset prætendi, quod sibi concedendus esset re non integra; Potissimè ubi non contra resignatarium, sed contra tertium directè provisum à Papa ex vacatione per obitum, ita fortiùs in præsenti, quoniam cui præjudicat negligentia major, multò magis præjudicare debet negligentia minor: Et quamvis in *decis. 631. in fin. p. 1. rec.* in specie agatur, non de resignatario, sed de successore, attamen est decisio, una tantum parte informante, non adeo maturè edita, ejusque fundamenta non videntur dictæ rationi præponderare, ut *disc. seq.*

De nullitate autem pensionis ob minus verum valorem narratum per ascensum, dixi non esse dubitandum, ex iisdem auctoritatibus, & rationibus, de quibus in *pluribus discursibus præcedentibus*: Extra verò omnem difficultatem respectu Canonicatus possessi per resignatarium, in quo pensio erat voluntaria; Respectu verò istius beneficii resignati, credebam aliud à pensionario prætendi non posse, nisi proportionatam reductionem pro rata veri valoris juxta æquitatem ponderatam *in eod. Parmen. disc. præced.* nisi obstare dolus, vel culpa juxta ponderationem; de qua *disc. proximè seq.*

Dato autem hoc Responso, causa disputata fuit coram A.C. atque me scribente, pro Decano resolutum fuit annullando pensionem, ac denegando regressum, pendet autem per appellationem causa in Rota.

TUDEN. ET NEAPOLITANA PENSIONIS

PRO JACOBO MAURE, ET DOMINICO RICCARDO, CUM N. & N.

Casus disputati coram A.C & resoluti ut infrà.

De eadem materia impugnationis pensionis reservatæ ex causa resignationis ob defectum valoris an fieri possit, ubi adest clausula, *non aliàs, non aliter, nec alio modo*, quoties mala expressio valoris sit dolosa seu culposa ex parte resignantis.

Et quid ubi reservatus est regressus juxta formulam modernam, An iste sit exercibilis, quoties Titularis non impugnet pensionem, sed solum petat sibi decerni præcipuam congruam expressè reservatam cum clausula, *dummodo centum*, & de eodem infrà *disc. 74.*

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ubi pensio est reservata ex causa resignationis cum clausula*, & non aliàs, *non reducitur.*
3 *Regula* text. in l. si quis conductionis, Cod locat. *procedit in omni materia.*
4 *Quod idem procedat in successore proviso per vacationem, ac in primo resignatario.*
5 *Ubi sit fundatus regressus juxta formulam antiquam.*
6 *Conclusio, ut resignatio conditionalis non abdicet jus à resignante, non procedit, ubi ineffectuatio provenit à culpa.*
7 *Clausula*, non aliàs aliter &c. *quomodo intelligi debeat.*
8 *Regressus ex dispositione juris non competit in casu impugnationis ex causa.*
9 *Quando sit locus æquitativæ moderationi pensionis pro rata.*
10 *De differentia inter resignatarium, & successorem provisum ex vacatione.*
11 *De eadem æquitativa reductione.*
12 *Expeditur conclusio, de qua num. 4.*
13 *De eodem, & quod regressus competat etiam contra successorem.*
14 *De alio casu controversiæ.*
15 *Pro congrua attenditur tempus singulorum annorum.*
16 *Quid ubi pensio reservata est cum clausula*, dummodò centum.
17 *De eodem, & an congrua peti possit præcipua, itaut non importet impugnationem pensionis ad effectum regressus.*
18 *Quod clausula*, & non aliàs *ad effectum regressus importet idem, ac formulam modernam.*

DISC. XIV.

1 POstquam N. impetravit Canonicatum Cathedralis Tuden. uti vacantem, sub narrativa ducat. 250. per non excessum, illinc ad 15. circiter dies, sub narrativa valoris duc. 400. per ascensum, illum alteri resignavit sub reservatione pensionis ad sui favorem duc. 180. absque reservatione regressus, sed solum resignationi adjecta clausula, *non aliàs, aliter nec alio modo*; Cumque post effectuatam hanc resignationem, sequuta Canonicatus vacatione per obitum resignatarii, de illo provisus fuisset Jacobus, isteque comperto modico valore vix ascendente ad medietatem summæ narratæ, pensionem solvere renuerèt, hinc introducta causa cor. A. C. ac dando manus possessorio, (quod impediri non poterat pendente judicio super nullitate, dum pensionarius erat in quasi possessione exigendi,) assumpsit judicium petitorii cum solita actione negatoria, sed post plures disputationes succubuit, prodita ad favorem pensionarii sententia declarante pensionem deberi, commissaque causa appellationis in Rota, dum pararetur disputatio, subsequuta ejusdem Jacobi mors, controversiæ finem dedit.

In his autem disputationibus; Scribentes pro pensionario admittebant conclusiones, de quibus pluries *disc. præcedentibus*, quas ego deducebam scribens pro Titulari, quod scilicet ubi valor narratus est per ascensum, onus est pensionarii actoris subsistinere volentis pensionem adversus Titularem intentantem negatoriam, illum plenè, & concludenter probare de tempore reservationis pensionis, quodque aliàs gratia corruit; Dicebant tamen id non procedere, quando resignatio facta sit sub reservatione pensionis in certa quantitate cum clausula, *non aliàs, aliter, nec alio modo*, quasi quod tunc constet de voluntate resignantis aliàs non resignandi, neque beneficium à se abdicandi, nisi sub tali conditione, qua non impleta, ex deficiente animo, actus corruat, & non admittatur reductio juxta firmata *in dec. 286. par. 2. rec. & dec. 631. part. 1.* cum aliis relatis apud Otthob. *dec. 61. nu. 6. & 7.* ubi quod hujusmodi clausula importat formam individuam, ideòque ab actus individuitatem non datur reductio, neque in obolo, sed potiùs intrat regressus juxta *dec. 246.* Milin. cum aliis infrà *disc. 74.*

Atque me replicante, id fortè admittendum esse in odium resignatarii, qui sub ista conditione sciens, & volens beneficium obtinuit, aliàs non obtenturus, ne detur ansa fraudibus, & circumventionibus captandi aliena beneficia, deindeque cum hujusmodi subtilitatibus refricandi quæstionem proprio auctori contra dispositionem, vel rationem text. *in l. si quis conductionis, Cod. locati*, quam omni materiæ, omnique casui adaptabilem esse magis communiter firmant DD. ac sepissimè firmavit Rota ex latè collectis per Adden. *ad dec. 420. p. 4. rec. tom. 2. n. 50. & seqq.* Secus autem ubi non agatur de ipso resignatario, sed de successore directè, ac immediatè proviso per Papam de beneficio tanquam vacante, juxta distinctionem insinuatam *in duobus discursibus proximè præcedentibus*.

Respondebant scribentes pro pensionario, cum speciali auctoritate Rotæ *d. dec. 631. n. finali p. 1. rec.* ubi in specie 4 respondetur huic objecto, seu distinctioni, quod cum iste provisus successerit in locum resignatarii, eodem jure censendus veniat cum effectibus conclusionis proveniat à deficiente animo resignantis, in cujus, non autem resignatarii gratiam, ac favorem prodiit dicta conclusio individuitatis formæ, ob quam non datur reductio, ut advertitur apud Otthob. *d. dec. 61. num 11. cum seq. & supra in Parmen. disc. 12.* atque super ista auctoritate tanquam speciali judex aliud non attendendo se fundavit.

Resolutio mihi non placuit, unde propterea curiosè attendebam Rotæ judicium, quod tamen per mortem Titularis ut supra, audiri non potuit; Dicebam siquidem, quod cum resignans sibi non consuluisset regressu juxta modernam formulam *in duobus proximè præcedentibus discursibus* insinuatam, ac etiam *disc. 74.* per quam, expressè prævidetur etiam casus nullitatis, vel cujuslibet reductionis, qua non obstante, atque Papa approbante, etiam contra successorem regressus reservatur, qui cum oblata reductione impediri non potest, sed dicta caurela neglecta res reducatur ad puros terminos juris, & tunc istis attentis, ille regressus (quem juxta formulam antiquam dicimus) fundatus est in generali conclusione, cum qua proceditur in dictis *dec. 631. part. 1. & 286. p. 2. rec.* quod scilicet resignatio facta sub certa conditione non abdicat jus à resignante, nisi impleatur conditio, qua deficiente, cessat animus aliàs resignandi, cum actus agentium plus operari non valeant, quam voluntas sit.

Verùm, ut pluries habetur ad hanc resignationis materiam in sua sede *sub tit. de Benef.* ista conclusio rectè procedit, quando conditionis ineffectuatio provenit a facto Papæ illam admittere nolentis, vel à facto tertii, vel ab alio casu, secus autem, ubi ex delicto, vel culpa ipsius resignantis, juxta firmata apud Carill. *dec. 283. n. 6. & per tot. repetit. dec. 218. p. 9. rec.* Garz. *p. 11. c. 3. n. 36. & 39.* Tondut. *de pension. c. 46. n. 3.* & habetur pluries *dicto tit. de Beneficiis*, præsertim *in Hispalen. disc. 35.* & in aliis ibi proximis; Ideòque cum in præsenti falsa narrativa valoris esset absque dubio ex parte ipsius resignantis dolosa, & affectata, dum ad modicos præcedentes dies idem beneficium, cum ferè dimidiata narrativa per non excessum resignaverat, ita videbatur, quod de plano intraret dicta conclusio, quod nullitas culposa in proposito non excusat, sed benè abdicat jus à resignante, non obstante clausula, *non aliàs, aliter, nec alio modo*, quoniam ista intelligitur compatibiliter, ac in aliis quàm in expressis, Garz. *dict. p. 11 c. 3. nu. 36.* & admittitur apud Buratt. *decis. 512. nu. 10.* cum aliis per Adden. ad Buratt. *decis. 136. num. 37. circa finem*; Et conferunt quæ generaliter habemus de clausula, *sine præjudicio*, vel alia æquipollenti, quod intelligitur compatibiliter, ac in aliis quam in expressis juxta *decisionem Seraph. 1445.* Mantic. *dec. 233.* cum aliis *in Messanen. erectionis Collegiatæ sub tit. de Præeminentiis discur. 9. & in Bonon. fideicommissi de Graffiis sub tit. de fideicommissis disc. 196. & in fin.* & alibi.

Hinc proinde, ut habetur *dictis duob. discursib. præcedentib. & dict. disc. 74.* ille regressus, qui juxta formulam antiquam, tanquam species reintegrationis provenit ex dispositione juris, non autem ex speciali illius reservatione, utpote soli contumaciæ, vel proteriviæ innxius, non competit in casu justæ impugnationis; Atque ad hunc effectum introducta est moderna formula, quæ reputatur gratia specialis, pro cujus expeditione, aliqua major impensa fit, ut ita tribuatur id quod aliàs non competeret, approbando conditionem aliàs de jure non approbatam, quæ cautela inanis esset, si ista clausula æquipolleret.

Prout fatua, & inanis esset illa æquitativa moderatio quæ admittitur *in Lucana pensionis coram Pirovano decisione 536. p. 4. rec. tom. 3.* & insinuata *supra disc. 12.* ubi scilicet copulativè concurrant duo requisita, verisimilis scilicet voluntatis Papæ, ac deficientis doli ex parte pensionarii, si ista clausula etiam in casu doli, vel culpæ, & Papæ voluntate non concurrente subsistinere deberet actum in toto.

Est benè verum, quod ubi contentio esset cum ipsomet resignatario æquè culposo, tunc in concursu culpæ, major reputanda esset illa resignatarii datam fidem fallentis, ejusque auctori quæstionem refricantis, & ob fraudem supra confideratam, unde propterea major urget ratio; Istæ autem considerationes non cadunt in successore directè à Papa proviso, cui aliqua culpa imputari non potest, quoniam credendo, ut credere debebat, quod narrativa facta Papæ esset vera, non autem falsa, ita sibi remaneret medietas fructuum, & ultra, unde propterea beneficium obtinuit, ac sumptus desuper necessarios fecit, aliàs non facturus, ut *disc. præced.*

Cumque ita explicitam habeamus Papæ voluntatem, à stylo etiam Datariæ comprobatam, non gravandi beneficium, neque dandi resignanti sub nomine pensionis, nisi fructuum medietatem, & minus, unde si veritas narrata esset, utique nonnisi ad illam proportionem Papa pensionem reservasset, neque resignans conqueri posset; Hinc proinde nulla ratio suadet, cur melioris conditionis esse debeat mendax, ac doloſius narrator, quam si esset verax
11 & sincerus; Et consequenter ad summum aliud prætendi non posse mihi videbatur, nisi reductio ad proportionem, & per quamdam speciem participationis quotæ per Papam volitæ juxta *dictam decisionem 536.p.4.tom.3.* ac juxta considerationem, quæ habentur apud Otthob. *d.dec.61.*

De auctoritate verò *dicta decis. 631. part. 1. recent.* non videbatur magnam rationem haberi debere, cum sit decisio unica tantùm parte informante, unde propterea ob ces-
12 santem formulam disputationem hincinde, (juxta frequentiorem usum) non omninò matura dici potest, ac etiam quia nimis vagum, seu generale videtur ejus fundamentum comparativè ad dictas rationes; Proceditur enim cum *dec. 8. num.2.* Caputaquen. *part. 3.* & Paris. *de resignat. lib. 6. quæst. 3. num.18.* ubi aliud non dicitur, nisi quòd regressus competat etiam contra successorem. Vel quia ita sit reservatus, Vel quia aliàs de jure competat, puta quia successor non habens causam justam impugnationis incurret eandem proterviam, & contumaciam, ob quam ille de
13 jure concedatur, non autem quod eadem sit ratio primi resignatarii, & successoris, primò enim ob ejus culpam, & ambitionem non est commiserandum, ac alias ut supra fatuas esset stylus non gravandi, nisi infra dimidiam, ut infra *dicto disc. 74.*

In eodem tamen proposito; In una Neapolitana disputata coram eodem A. C. inter Dominicum Riccardum, & Alexandrum Majellum; Cum Dominicus resignasset parochialem Ecclesiam S. Josephi majoris ad favorem Crisci oli, sub reservatione pensionis ducat. 42. & sub reser-
14 vatione regressus juxta formulam modernam in casu cujuscumque nullitatis, vel diminutionis, cum reservatione tamen congruæ ad favorem Titularis cum solita clausula, *dummodo remaneant centum pro Rectore;* Defuncto autem resignatario, de parochia provisus esset Majellus, penès quem consueta emolumenta notabilem diminutionem passa fuerunt ob diminutionem populi, causatam à peste adeò crudeliter illam Civitatem vexante de anno 1656. Hinc introducta causa in dicto Tribunali, prodiit sententia Titularis favorabilis super reservatione congruæ, canonizando tamen pensionem, de cujus validitate non erat dubitandum, cum expressio valoris de tempore reservationis, (quod attendi debet,) esset vera, ideòque non intraret nullitas, benè tamen intraret reservatio
15 congruæ, pro qua singula tempora currentia attendi debent, ut pluries *in præcedentibus*; Quare me scribente pro pensionario, intentatus fuit regressus, ac desuper obtenta sententia immissionis, quæ honestæ concordiæ ansam dedit.

Quamvis autem ego pro dicto regressu obtinendo deducerem pluries supra allegatas decisiones *in Camerin. regressus 1.Dec. 1645. & 19. Jun. 1647. cor. Peuting.* (quæ reputantur in materia magistrales) ad probandum, quod ubi ille reservatus est juxta formam modernam, utpotè attendendus potiùs tanquam conditio, quàm tanquam pœna,
16 intrare debet non obstante nullitate, vel justa reductione; Attamen mihi aliquam difficultatem inferebat consideratio, quod ista non esset nullitas, minusque reductio impugnativa, & contra formam reservationis, sed ad istius limites, & pro observantia conditionis per Papam adjectæ per ipsum resignantem acceptatæ, quasi quod in animo Papæ fuerit reservandi pensionem non annullabilem, neque reducibilem, sed super reliquis fructibus, detracta tamen congrua, perinde ac si non esset inter fructus.

Et quamvis *in dict. decis. 286. part. 2. recent.* licèt dicta formula moderna servata non esset, ex sola clausula, *non aliàs, aliter, nec alio modo*, resolutum fuerit contra Titularem, non obstante dicta clausula, *dummodo centum*; Attamen advertebam, eatenus dictam resolutionem substineri posse, quatenùs (ut initio patet) Titularis intentaverit judicium super annullatione, secus autem ubi eo admittente validitatem, allegetur præcipua detractio congruæ, tanquam creditum privilegiatum, atque per speciem exceptionis modificativæ, non autem impugnativæ, seu verius per speciem prælationis, seu potioritatis illius ratæ quam tanquam per speciem oneruni, seu expensarum Papa præcipuam esse voluit, sive à fructibus deduci, cum sit casus jam prævisus ab ipso pensionario resignante, atque ab eo acceptatus, ideòque cautè procedendum videtur in deferendo simpliciter, ut quandoque fieri vidi *dict. decis. 286.*

Verùm secluſa *dicta decis. 286. par. 2. recent.* adhuc obstat *dicta dec. 246.* Millin. quàm licèt Spad. *cons. 65. lib. 3.* declarare conetur, attamen ejus declaratio, seu conciliatio *cum dec. 356.* Manticæ non videtur recepta, cum ista clausula, *& non aliàs*, æquipollere videatur dictæ formulæ modernæ, ob quam, ex ratione conditionis, seu deficientis voluntatis, datur regressus non obstante dicta clausula, *dummodo centum*, ut plenius, magisque casus distinguendo habetur infra *disc. 74.*

MEDIOLANEN. PENSIONIS.
PRO FRANCISCO TABERNA

Responsum pro veritate.

Pensione reservata super Canonicatu, ac etiam super præbenda, vel bonis, accidentaliter optionis jure annexis, si penes successorem in Canonicatu, præbenda, vel bona hujusmodi non adsint, utpotè per alios optata, An successor teneatur ad integram pensionem, vel pro ista agi possit pro rata contra alios bonorum possessores, Et in specie de domo canonicali, quando dicatur annexa, & veniat etiam sub valore, & ad rem infra *disc. 76.*

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Sub reservatione cadit præbenda, vel domus canonicalis, quamvis per optionem sit variabilis, si tot sunt domus, vel præbendæ, quot sunt Canonicatus.*
3 *Secus si sint minores domus, vel præbendæ quàm sint Canonicatus.*
4 *Coadiutoria impedit optionem, atque coadjutor obtinet ea quæ habebat coadiutus.*
5 *Idem in resignatione ad favorem.*
6 *An, & quando domus canonicalis, vel alia res veniat sub valore.*
7 *De pluribus quæstionibus cadentibus, quando per optionem domus canonicalis, & præbenda disjunguntur à canonicatu.*
8 *Successor in Canonicatu gravato pensionem ad istam tenetur, licèt non habeat domum, & præbendam à prædecessore retentam.*
9 *Ubi non habetur casus specialiter decisus quomodo judicandum sit.*
10 *Si bona transeunt ad alium jure optionis, quod remaneant affecta pensioni.*
11 *Quod sit magis planus casus pensionis, quàm coadjutoriæ, vel resignationis.*
12 *Ubi voluntas Papæ est clara, affecta sunt pensioni etiam præbendæ, & bona temporalia omninò variabilia.*
13 *Quod pensio sit jus merè temporale super fructibus.*
14 *Pro pensione affecta sunt bona per speciem hypothecæ.*
15 *Declaratur conclusio, de qua num.8.*
16 *Exitus causæ.*

DISC. XV.

VAcante Canonicatu in mense reservato in Collegiata S. Ambrosii, per obitum antiqui possessoris, qui ratione antiquitatis, jure optionis, ex Statuto, vel consuetudine in ea Ecclesia vigentis, prædium ac domum pinguis redditus possidebat; Prævia derogatione hujusmodi optionis; Papa illum contulit; unà cum eisdem prædio, & domo, cum reservatione pensionis ducat. 60. ad favorem Francisci, qui per plures annos pacificè illam exegit à proviso, quo defuncto de ordinario mense Decembris, duo Canonici antiquiores optarunt, unus domum, & alter prædium, seu præbendam, provisus autem de canonicatu ab Ordinario, habuit inferiùs prædium ab uno ex dictis optantibus dimissum; Cumque solus canonicatus cum hoc inferiori prædio esse fortè incapax tanti oneris atque pensionarii interesset habere jus exigendi pensionem etiam super dictis aliis bonis pinguioribus; Hinc desuper ab eo pro veritate consultus. 1

Respondi quod ad materiæ dilucidationem, ut exinde dignoſci posset veritas articulis, super quo individuam decisionem invenire casus non præbuit, opportunum videbatur hanc materiam examinare super pluribus quæstionibus cadentibus super hujusmodi præbendis, vel domibus canonicalibus, aliisque bonis, quæ perpetuò, & invariabiliter Canonicatui infixa non sint, sed jure optionis accidentaliter, modò penès unum, & modo penès alterum diversorum Canicatuum possessorem existant.

Primò igitur quæri solet, an contingente vacatione Canonicatus, vel alterius beneficii in mense reservato, seu quod aliàs vacatio cadat sub reservationibus, inter: necnè optio, vel potiùs dicta bona cadant sub eadem reservatione, itaut noviter provisus Apostolicus debeat illa obti- 2
nere in concursu antiquiorum qui, optandi jus habeant; Et in hoc decisio pendet à distinctione, Aut enim tot sunt præbendæ vel domus, quot sunt canonicatus, itaut perneceſsè Canonicatibus annexæ sint, cadente solùm variatione inter ipsos Canonicatus ratione circuli resultantis ab optione, Et tunc quid quid dubitet Garz. *par.1.c.1.nu.457.* veriùs magisque receptum est, hujusmodi præbendas, vel domus dici spirituales, potiùs quàm merè temporales, & consequenter cadere sub reservatione Apostolica faciente cessare jus optandi.

Aut verò non omnes Canonicatus habeant domus vel præbendas, quæ in inferiori numero ratione antiquitatis 3
optari solùm possint per antiquiores, alii verò juniores eis careant, & tunc dicantur bona temporalia, accidentaliter illi canonicatui vacanti annexa, & consequenter non cadant sub reservatione, ut distinguendo firmatur in *Mediolanen. Canonicatus 4. Julii 1636. cor. Ghisterio,* quæ reputatur in materia magistralis, & cum qua processum fuit in altera *Mediolanen Canonicatus Sancti Nazarii cor. Dunoz. inter suas dec.497. & repetit.dec.138.p.8.rec.*

Ex hac autem distinctione seu dictæ quæstionis decisione plurium aliarum quæstionum decisio resultat illius scil. an possessore Canonicatus hujusmodi domum, vel præbendam obtinente, qui ex justa causa assumat coadjutorem 4
cum futura successione, hujusmodi coadjutoria impediat necnè optionem, ita, ut præbenda vel domus spectare debeat ad coadjutorem, Si enim si juxta primam distinctionem partem talis præbenda, vel domus dicitur spirituales, utpote canoniæ in genere perneceſse annexa, verior est affirmativa favore coadjutoris in exclusionem optionis, ut cæteris relatis per Rot. *apud Dunoz. senior. dec. 229. repetit. dec. 140. part. 4. rec. tom. 2.* ubi respondetur *ad decis. 273. Manticæ.*

Idemque in casu resignationis ad favorem, *ut dec. 140.* 5
n.8. & 9. par. 10. rec. cum similibus, ex eadem ratione ob quare hæc bona cadunt sub reservatione, quoniam si ista intrat, debet quoque intrare affectio resultans appositione manuum Papæ, quæ cessare facit jus optandi.

Prout ex eadem distinctione pendet decisio super computatione hujusmodi præbendarum vel domorum sub valo- 6
re, ut advertitur supra *in Romana pensionis super Canonicatu S. Angeli disc. 6. & in decisionibus in ea causa editis*, quoniam in primo casu seu prima parte distinctionis veniunt in valore, secus autem in altera, in qua non jure beneficii seu canoniæ, sed in præmium antiquitatis ac servitii talia bona tanquam temporalia, & diversa à canonia obtineri dicuntur, quamvis qualitas canonicalis sit hujusmodi præmii causa seu occasio, cum sine illa præstare non potuisset servitium pro cujus præmio Ecclesia hanc meredem tribuit.

His ita generaliter prænotatis, atque descendendo ad terminos speciales pensionis, tres pariter advertebam diversas cadere quæstiones; Primo scil. inter pensionarium, ac provisum Canonicatu pensione gravato, qui non obtineat eamdem præbendam seu eamdem domum, quam obti- 7
nebat prædecessor, qui pensione gravatus fuit; An scil. hoc non obstante, pensionarius contra eum actionem habeat pro integra pensione, à qua excusari non valeat, quod non obtineat præbendam, vel domum pinguiorem, quam obtinebat prædecessor, sed vel nullam, vel minorem, Secundo inter eumdem pensionarium ac alios hujusmodi præbendæ, vel domus possessores, qui dicto jure optionis eam obtinuerunt; Et tertio inter ipsos Canonicos, antiquum & modernum respectivè, an scil. noviter provisus de Canonicatu gravato actionem habeat contra antiquiorem optantem pinguiorem præbendam, vel domum ad contribuendum in pensione, pro qua ipsa a pensionario urgetur.

In prima quæstione, versus est possessorem Canonicatus

gravati cogi posse, quoniam pensio residere ac substantialiter dicitur super ipso Canonicatu, qui non variatur ex variatione præbendæ vel domus variabilis, quæ potius consideratur tanquam prædium, quod impropriè, ac per modum loquendi præbenda nuncupatus, quatenus competat juxta secundam partem distinctionis, attenta enim prima parte sufficit, quod habeat domum vel præbendam subrogatam, ut per Lotter. *lib.1.quæst.19.n.20.cum seq. & n.30.* ubi de dicta distinctione, de qua *Moneta de optione cap. 7. quæst.3.n.39.cum seq.* Tondut. *de pension.cap. 22. n.9.* Rota apud Mantic. *dec. 273. in Lucana pensionis 29. Januarii 1618. coram Ubaldo, in Bergomen. pensionis 23. Martii 1640. coram Coccino.*

Super tertia quæstione contributi inter provisum de Canonicatu, & antiquiorem optantem præbendam vel domum, responsum non dedi, utpotè non requisitus, atque extra casum controversiæ, dum, ut supra consultus fui ex parte pensionarii, cujus de facto parùm intererat actionem de jure habere adversus noviter provisum, sed principaliter intererat habere actionem contra dictos Canonicos antiquiores, præbendam, seu prædium, ac respectivè domum pinguioris redditus possidentes, an scilicet tam in possessorio quam in petitorio actio adversus eos competeret, ideoque in secunda quæstione tota versabatur inspectio.

Casum autem precisum istius quæstionis expresè tractatum, ac decisum tunc invenire non licuit, Et quoniam plu- 10
ra esse solent negotia, quam sint leges, quæ super omnibus providere non potuerunt; Hinc proinde ubi casus præbear; non adesse decisiones præcisas, vel earum notitiam non haberi, proditæ sunt propositiones ac regulæ generales, cum quibus vel similibus ad decisionem deveniendum est, cum in hoc potius excellentia Doctoris emicare videatur, tum sæpius notitia specialis; auctoritatis, casus ac fortunæ, seu improbabilioris partus esse soleat.

Hinc proinde, examinando articulum, tam cum terminis ac propositionibus generalibus, quàm cum dictis proximis conclusionibus; Dicebam istam videri quæstionem voluntatis, quid scilicet Papa voluerit, ut advertitur *dec.92. nu.17 post* Tondut. *de pension.*; Ubi enim voluntatem habemus, de alio quærendum non videtur; Quemadmodum enim ut supra in casu vacationis cadentis sub reservatione, vel in casu resignationis, aut coadjutoriæ, caduat dicta bona sub appositione manuum Papæ, atque optione non obstante transeunt in provisum vel coadjutorem, ita cadere non debeant sub eadem appositione, sequuta occasione reservationis pensionis, ne in præjudicium pensionariis jus habentis ex Papæ concessione in hujusmodi bonis in eo statu tunc existentibus, eorum divisio vel status alteratio sequi valeat.

Quinimo in fortiùs isto casu pensionis, quàm in dictis 11
aliis coadjutoriæ vel resignationis, in istis enim per Papam non insistitur super valore, eo modo quo insistitur in dicto alio casu pensionis, cujus major vel minor reservatio à quantitate valoris pendet, valor autem à bonorum qualitate seu variatione, igitur clarior est isto casu intentio Papæ afficiendi ipsa bona, atque in ei manus apponendo, ducto argumento ab onere, quo beneficium gravavit; quod aliàs esset incongruum absque præsuppositio retentionis dictorum pinguium bonorum; & Canonicatus perseverantiæ in eo statu, juxta propositionem, quàm vulgarem & frequentem in foro habemus, quod ex pretii quantitate desumitur partium intentio, quid in contractum deducere voluerint cum similibus.

Multo verò magis in hac facti specie in qua de plano in- 12
trare dicebam pariter vulgarem & quotidianam regulam *text in l. ille aut ille ff. de legat. 3.* quod in claris & expressis non intrant quæstiones & argumenta, cum in ipsa reservatione pensionis expresè diceretur, illam reservari, tam super Canonicatu, quam super præbenda seu prædio & domo; Ista enim clara voluntate concurrente, advertebam, quod ubi etiam versaremur in dicta 2. parte distinctionis, quod scilicèt hujusmodi præbendæ, vel domus, omnium Canonicatuum numerum non adequantes, dicendæ essent merè temporales non pernecesse Canonicatibus annexæ, sed accidentaliter ut supra, adhuc idem dicendum sit, quoniam dicta distinctio procedit in dubio, ac ubi agitur de interpretanda ambigua Papæ voluntate, secus autem; ubi hæc est clara & expressa, ut in his terminis computandi domum canonicalem habetur *dicta decis. 92. nnm. 17.* post Tondut. *de pension.*

Item quia, ut in præcedentibus pluries habetur, quamvis pensio, ad effectum, ut sine Papæ consensu esse non possit

possit in commercio cum pecunia seu re temporali citra simoniæ labem, sive ad effectum, ut absque eodem assensu obtineri non possit per laicum vel clericum, qui uxorem duxerit, vel militarem statum assumpserit cum similibus, habeat quamdam speciem seu figuram spiritualitatis, attamen verè, ac propriè est quid merè temporale, cujus etiam laici, & infantes esse possunt capaces, utpotè nullum jus, nec in re, nec ad rem tribuens super titulo beneficii, ejusque administratione, sed solùm importans quamdam participationem fructuum, seu jus vel servitutem super eis, adeout pro pensione competat, nedum actio personalis contra possessorem beneficii gravati, sed realis, vel in rem scripta tanquam per speciem hypothecariæ ad beneficii bona productiva fructuum, quorum participationem pensionarius habere dicitur, utpotè sibi affecta & hypothecata cum prælatione seu potioritate adversus alios beneficiati creditores ut per Gigan. *de pension. q.* 51. Tondut. *eodem tract cap.* 29. *nu.* 29. *cum sequen. plenè* Salgad. *in labyrint. par.* 1. *cap.* 42. *nu.* 15. *cum sequen.* Rot. apud Merlin. *dec.* 478. & apud Burat. *decis.* 448. *utrobique in principio*, & passim, ac habetur infra occasione concursus, & potioritatis inter eosdem pensionarios.

Igitur si bona transire debent in provisum Apostolicum tanquam de reservato, vel in coadjutorem, seu resignatarium, ex quadam magis remota affectione resultante ab appositione manuum Papæ unde propterea impediatur transitus ad habentem jus optandi, multò magis dicendum est in præsenti, quod ipsa bona jam affecta, & hypothecata sunt, adeòut intrent termini quos habemus in materia hypothecæ, cujus ratione creditor bona hypothecata adversus tertiam manum persequi potest.

Neque his adversatur conclusio de qua supra, ut pensio radicata vel substantiata dicatur super ipso Canonicatu vel beneficio, non autem super hujusmodi annexis, quæ accidentaliter seu variabiliter penès beneficii possessorem esse contingat juxta deducta apud Mantic. *dec.* 224. & 273. cum aliis supra allegatis, quoniam id percutit favorem pensionarii, nè invitus cogatur persequi adversus tertius possessores hujusmodi bona, suique juris scissuram pati, sed directè agere valeat contra possessorem beneficii gravati, super quo principaliter pensio reservata est, non tamen exinde inferri potest, ut id quod in gratiam, & favorem introductum est, retorqueri debeat in odium; Adinstar eorum quæ habemus in materia censuali, quod census radicatur vel subsistantiatur in fundo capaci, quamvis creditori per debitorem supponantur, vel hypothecentur alia ejusdem fundi membra, alia, aliaque ipsius bona, quoniam potest, sed non tenetur illa expediri, neque eorum per emptio, vel divisio sibi præjudicat, dum jus census radicatum vel subsistantiatum est in ipso fundo censito, sed non per hoc prohibendus est pro exactione fructuum adversus quoscumque dictorum aliorum bonorum possessores sua jura & hypotheca experiri, cum similibus.

Causa in partibus, vel judicialiter, in forma extrajudiciali ita discussa, credo quod per honestam concordiam finem acceperit, à me quoque dicto pensionario consultam, non quidem ex hoc puncto, in quo credebam ipsum bonum jus fovere, sed ob alias excitatas difficultates ejus non incessus in habitu, & tonsura Et fortiùs ob quamdam ab eo assumptam militiam ac etiam quia supponebatur ipsam reservationem pensionis aliquo defectu laborare posse ob malam expressionem seu narrativam valoris; Quamvis enim juxta auctoritates ac decisiones satis notorias, extra controversiam hodie sit ut hujusmodi, ac similes exceptiones non admittantur in summariissimo possessorio retinendæ, (in quo ab initio consului, suspenso petitorio insistendum esse, dum pensionarius in quasi possessione exigendi reperiebatur), attamen quia erant difficultates considerabiles, quando causa etiam in petitorio ulteriorem progressum habuisset, hinc proinde opportuna fuit concordia, dum potissime pensionarii qualitati nimium incongruæ erant litis molestiæ, ideòque super hoc puncto, quod mihi innotescat, adhuc non habetur decisio, quæ prævia formali disputatione prodierit, Et de pensione imposita super distributionibus, ut non cesset per optionem præbendæ agit Spada *consil.* 59. *lib.* 3.

ADNOT. AD DISC. XV.

De domo Canonicali an sit in fructu, & veniat sub valore habetur suprà *disc.* 6. & *sub tit. de Benef. disc.* 90. ubi generaliter de hac materia valoris.

SANCTI SEVERI CONGRUÆ PRO EPISCOPO.

CUM PRINCIPE CAMILLO PAMPHILIO.

Casus disputatus coram A. C. & in Rota, & resolutus, ut infrà.

An pensionarius impedire possit Episcopo, vel alteri Titulari congruam alimentariam, ex eo quod in reservatione pensionis derogatum esset congruæ præfinitæ à Concilio Tridentino.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quod sit melius taxare congruam in quantitate, quàm in ipsis fructibus.*
4 *Quomodo taxanda sit congrua alimentaria.*
5 *Quod contra Titulares assumentes onus pensionis rigorosè procedendum sit, & de ratione.*
6 *De probatione valoris Ecclesiæ resultante à processu Consistoriali.*
7 *Congrua alimentaria est privilegiata, & est deducenda antè omnia.*
8 *An Episcopus debeat se substentare de propriis, & nolle congruum.*
9 *Et valeat pactum, vel obligatio in contrarium.*
10 *De materia viri assumentis in se onera matrimonii sine fructibus dotis.*
11 *Et à simili de Titulari assumente in se idem onus.*

DISC. XVI.

Cum in provisione istius Ecclesiæ Cathedralis, consistorialiter, ac motu proprio, super ea reservata fuisset pensio scut. 800. ad favorem Principis Camilli Pamphilii Pontificis reservantis nepotis, cum derogatione congruæ à Concilio Tridentino statutæ, cum solita clausula, *etiam si non remaneant mille pro Episcopo*, atque provisus amplissimè ad dictæ pensionis solutionem se obligasset, renunciando cuicumque congruæ, vel alteri juri etiam alimentorum, quæ sibi suppeditare promisit ex propriis bonis patrimonialibus, pensionario etiam obligatis, tenuitas verò fructuum Ecclesiæ esset talis, quod solvendo pensionem, verò sibi non suppeteret unde vivere, ob sui etiam patrimonii nimiam exiguitatem; Hinc proindè pro exequutione suæ obligationis pulsatus coram A. C., non opponebat de congrua præfinita à Concilio, dum illi derogatum fuerat, ipsequæ renunciaverat, sed excipiebat de congrua alimentaria, super qua, capta in hoc Tribunali quadam provisione in rata fructuum, & introducta causa in Rota *coram Ottalora, sub die* 22. *Junii* 1665. resolutum fuit, Episcopo præcipuam ante pensiones deberi congruam alimentariam taxatam in duc. 700. monetæ illarum partium computatis tamen fructibus seu redditibus ejus bonorum patrimonialium, istaque resolutio celeberrima effecta est, atque hujus materiæ regulatrix, quotidie volitans per ora Episcoporum, qui præsertim modicum patrimonium habent, ut ita de alimentis tuti reddantur, unde pluries ac, pluries, vel in eodem Tribunali A. C., vel in congressibus, quandoque pro pensionariis, & quandoque pro ipsis Episcopis, de hac materia tractandi occasionem habui.

In his autem disputationibus, habitis præsertim coram A. C. coram quo principaliter scripsi pro Episcopo, dum in Rota processum fuit cum eisdem informationibus, (aliquo ultroneo gratuito scribente adjuncto,) prout in plerisque congressibus, & disputationibus habitis in aliis consimilibus controversiis, duo erant pucti; Primus scilicet circa taxam; Et secundus, & an & quæ ratio habenda esset de ipsius Episcopi vel Titularis bonis, vel redditibus propriis in ejus substentatione.

Quatenus pertinet ad primum, in ista causa particulari variatum fuit inter judicem primæ instantiæ, & Rotam, cum enim istius Ecclesiæ redditus ferè omnes consisterent in frumento, & hordeo, primus assignavit quemdam hujusmodi fructuum quantitatem, Rota verò statuit dictam summam pecuniariam ducat. 700. & melius, ob notabilem valoris alterationem, quam fruges in illis regionibus juxta tempora patiuntur, unde quandoque ob exiguum valorem eadem quantitas non sufficit ad victum, & quandoque ob alterationem superabundat, attentisque particularibus facti circumstantiis pro Ecclesiæ qualitate ejusque oneribus, taxa potius pinguis fuit, quàm modica.

Erroneum tamen esse dicere consuevi, tam Episcoporum, quàm plurium Curialium ferè communem sensum, quo scilicet per hanc decisionem, adinstar illius taxæ, quam fecit Concilium Tridentinum, certa ac uniformis summa statuta sit pro hujusmodi congrua alimentaria ante pensiones detrahenda, quoniam ista materia juxta ea, quæ generaliter in materia alimentorum habemus, certam ac uniformem taxam non recipit, sed pro Ecclesiarum statu & qualitate, ac modo vivendi in regione nimium differmiter pro judicis arbitrio regulanda est; Plures enim, præsertim in Regno Neapolitano, aliisque Italiæ ac etiam Dalmatiæ, & adjacentibus partibus adsunt Ecclesiæ quarum redditus vix ad medietatem hujus taxæ ascendunt, & tamen Episcopi commodè ibi vivunt, habita proportione ad qualitatem & statum Ecclesiæ seu loci residentiæ; Et è conversò in plerisque Ecclesiæ, etiam in Italia, quæ per Cardinales earum possessores dimissæ fuerunt cum reservatione fructuum, etiam exigua reputari consuevit taxa scutorum duorum vel trium mille pro congrua Titularis, Fabulosum enim esse dicere (data enim coæquali dignitate,) quod eadem esse deberet congrua (e.g.) Archiepiscopi Conzanen. residentiam habentis, ob Civitatis desolationem, in parvo & ignobili castro, & Archiepiscopi Neapolitani, cum similibus.

Licet enim Concilium Tridentinum uniformem fecerit taxam pro Episcopis scuforum 1000. & pro parochis scutorum 100. attamen receptum est, habendum esse rationem aliorum onerum pro Ecclesiarum qualitate, ac expeniarum & onerum, quæ pati oportet; Ut habemus etiam de Constitutione Pii V. taxante congruam Vicarii in Ecclesiis parochialibus, quæ Capitulis, seu alias unitæ sint, ut non debeat esse minor 50. neque major centum, & tamen quandoque ob expensas parochiæ usque ad 400. taxata fuit, atque in aliquibus locis, summa scut. 50. ultra emolumenta incerta, reputatur magnus redditus constituens magis pingue, & conspicuum beneficium, quod sit in loco, ut in sua materia *sub tit. de Paroch.* Ideoque pro facti qualitate major, vel minor taxa constitui debet, non solum habita ratione status Ecclesiæ ejusque onerum, ac loci residentiæ, sed etiam qualitatis personæ, eiusque meritorum, ac viæ per quam ad illam dignitatem evectus est, cum quandoque expediat in ambitus punitionem, ac pro aliorum exemplo, nimium parcè procedi.

Hinc proinde, expertus ego modos quos tenent hujusmodi ambientes Episcopatus, ampliandi scilicet redditus Ecclesiæ per eos ambitæ, atque ita decipiendo Superiores, viam sibi facilem reddere cum oblatione illius incongruæ pensionis, quam illi ad quos pertinet, stante supposito redditu, congruam, ac honestam judicant; Dicere consuevi, quod quando isti effecti Episcopi, paupertatem, ac impotentiam declamant, atque conquæruntur de pensione, illam solvere recusando, de victu perpetuo eorum conditioni proportionato in ergastulo juxta illius stylum provideri deberent; Longè major enim est culpa ipsorum, quàm sit illa eorum ad quos pertinet, qui tamen oculati magis deberent, ne ita decipiantur.

Motivum autem Rotæ in ista causa taxandi dictam summam scutor. 700. prodiit ex verisimili intentione Papæ desumpta ex processu consistoriali probante Ecclesiæ reddi- 6 tum in annuis scut. 1500. unde gravando in 800. ita congruam implicitè Papa taxavit in dicta residuali summa 700. quamvis & id fallaciam frequentius continere soleat, ob dictam rationem, quod redditus magnificantur, testes vero in processu consistoriali adhiberi soliti, ut plurimum, ita deponunt de fama vel auditu, nullum scientiæ causam habentes, unde propterea, ut habetur *sub tit. de Benefic. disc.* 90. ad materiam valoris processus consistorialis, attendi quidem solet pro aliquo adminiculo cum aliis probationibus conjungendo, non autem ut concludentem probationem inducat.

Quoverò ad alterum punctum, non controvertebatur per ipsosmet scribentes pro pensionario, quod de jure congrua necessaria pro substentatione Episcopi seu Rectoris, 7 ac etiam pro cultu, aliisque Ecclesiæ oneribus, & expensis; ante omnia ex fructibus deducenda est, adinstar illarum expensarum, quæ pro cultura & recollectione fiant ad text. *in cap. cum secundum de præbendis*, & *cap.* 1. *eodem tit. in sexto*, utrobique scribentes, Rota apud Gregor. *decis.* 507. *num.* 5. *decis.* 420. *part.* 1. & 763. *num.* 1. *par.* 2. *recent.* cum aliis in hujus causæ decisione, procedendo cum antiqua decisione *Campanien. pensionis*, quæ in materia reputatur magistralis apud Marchesan. *part.* 1. *fol.* 547. Non solum enim urget ratio provisionis personæ Episcopi seu Rectoris, ex axiomate, ut qui altari inservit, de altari vivere debeat, sive quod bovi trituranti os claudendum non est; sed etiam pro bono publico, ne Episcopalis dignitas vilescat, neque Ecclesiæ cultus deseratur, aut quod pauper Episcopus cogatur facere, quæ non decet, sive quod apud sæculares Magistratus in ludibrio sit, cum similibus inconvenientibus exinde resultare solitis, si enim per Sacros Canones, etiam in simplicibus clericis statutum est, ut non obstante eorum obligatione, pro mutuo vel alia causa correspectiva, adhuc reservari eis debeant necessaria ad substentationem juxta notos terminos *in cap. Odoardus de solutionibus*, de quibus in sua sede *sub. tit. de credito*, multo magis, ut Episcopi vel Rectoris congrua substentatio habeatur ex fructibus ejusdem Ecclesiæ adversus pensionarios foventes causam lucrativam, & qui solùm dicuntur participes ratæ fructuum excrescentium post supportata Ecclesiæ onera Nil obstante dicta derogatione congruæ Conciliaris, quoniam ista diversa est à congrua alimentaria.

Non negabantur hæc, ut dictum est, per scribentes in contrarium, sed insistebatur in eo quod Episcopus deberet proprio sumptu, & ex bonis propriis substentari; Tum ex proprio consensu propriaque obligatione; tum etiam 8 ex sententia D. Hieronymi registrata *in cap. clericus prima quæst.* 2. & *cap. pastor*, & *cap. si quis*, *ibidem cum concordan.* per Barbos. *ad dictum cap. clericorum*, & alios de quibus in hujus causæ decisione, quæ cum hoc assumpto simpliciter procedit.

Verum indecisam relinquendo quæstionem, an dicta sententia contineat præceptum, vel consilium, dicebatur ita omnem cessare dubietatem ex ejusdem Episcopi consensu & obligatione se substentandi de proprio, qua obligatione cessante, admittebatur propositio quam ego deducebam ex sententia Innocentii *in cap. Episcopus de præbendis* cum concordantibus per Menoch. *de arbitr. casu* 520. *numer.* 2. & *in supra allegatis decisionibus* firmantibus congruæ potioritatem, ac præcipuam deductionem, ut Episcopus vel Titularis quamvis aliunde provisus, alimenta obtinere debeat aliaque hujus spiritualis matrimonii onera supportare ex dotis fructibus; Non enim ex eo quod vir, qui uxorem ducit, sit dives ergo sequitur quod onera matrimonii ex dote supportari non debeat, vel quod alicui famulatum præstans, mercedem obtinere non debeat, quia sit aliunde provisus, cum similibus.

Non fuit autem super hoc nimium certatum, quoniam cum Episcopus, vel nullos, vel nimium modicos 9 haberet proprios redditus, libenter dabat manus ecorum computationi; Aliarum verò causarum occasione, præsertim in congressu habito, in una *Trojanæ pensionis*, motivabatur per aliquos ingeniosè, ut non obstante dicto consensu seu obligatione solvendi pensionem quamvis de proprio, sive de bonis propriis se substentandi, congruæ ab Ecclesiæ fructibus deduci debeat ob dictæ obligationis invaliditatem, ducto argumento à dispositione juris civilis improbantis pactum, ut vir supportare debeat onera matrimonii, mulier vero vel alter obtine- 9 re fructus dotis ex deductis in sua materia *sub tit. de dote disc.* 160.

Ponderabam tamen ego (respondendo huic motivo) quod ultra efficaciam juramenti, quod cessare facit juris civilis prohibitiones, præsertim in his materiis spiritualibus & ecclesiasticis dicto jure non regulandis; Adhuc retentis eisdem terminis dotalibus, quemadmodum validum re- 10 putatur pactum, per quod vir conventam dotem ejusque fructus habeat, & tamen à dotante obtineat alimenta, & alia ad matrimonii substentationem necessaria ad aliquod tempus, cum talis conventio dicatur pars dotis ex deductis in eadem sua materia *sub tit. de dote dicto disc.* 160. ita è conversò, si vir matrimonium contrahat cum magna suæque conditioni incongrua, & excessiva dote, post dotantis vel alterius mortem liberè in ipsum obventuræ, sub ea lege, ut assumat interim in se supportatione onerum de proprio, relinquendo dotanti, vel sponsæ parentibus fructus bonorum assignatorum ad eorum vitam, id non videtur prohibitum, cum sit species emptionis incertæ aleæ, cujus pretium est hæc oneris assumptio, ita obtinendo magnam aliasque incongruam dotem, sive ducendo uxorem alias inæqualem; Ac etiam juxta, ea quæ habemus de

augmento dotis, quod conjux inferioris conditionis de proprio faciat alteri cum similibus in dicta sua materia.

Ita non videtur quid prohibeat, ut sub spe magni lucri à qualificata, & pingui Ecclesia per mortem pensionariorum reportandi, eam quis gratuito interim administrandam suscipiat, cum onere se substentandi de proprio, tanquam per dictæ aleæ pretium; Relinquendo siquidem locum veritati, an congruat hujusmodi personas Ecclesiarum regimini præficere, (quod meum non est judicare) attamen si fiat, non videtur quid in puncto juris impediat; Atque in concursu culpæ, sine dubio major est illa hujusmodi ambientium, atque ita captantium Ecclesias, quibus ipsi omni merito destituti essent, alias parum digni, ideoque delicti pœnas ita luere debent, nisi pœna redundet in Ecclesiam, & subditos, dum isti sub hoc prætextu excoriari solent; Ecclesiæ verò restauratione, ac sacra suppellectili, aliisque necessariis non provideri, ac utinam pejora non fierent, contra rectissimam intentionem superiorum ad quos pertinet, qui cum speciosis prætextibus circumveniuntur.

ADNOT. AD DISC. XVI. cum. seqq,

AGitur in his disc. de materia Congruæ super quæ videri poterunt adnotata *ad disc. 181. de parocb.*
Decisio ædita *in disc. 16. est impress. dec. 342. p. 14. rec.*

PENNEN. ET ADRIEN. CONGRUÆ PRO EPISCOPO, CUM PENSIONARIIS.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus ut infrà.

De eadem materia congruæ alimentariæ, An ad illam obtinendam Titularis probare debeat valorem, seu Ecclesiæ incapacitatem, atque impedire executionem litterarum reservationis, vel translationis pensionis.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *Impugnatio translationis ex Constitutione Urbani VIII. non impedit processum executivum.*
3 *Quare in hac materia pensionis rigorosè procedatur.*
4 *Exceptiones nullitatis pensionis, vel incapacitatis pensionarii non retardant.*
5 *An translatario suffragetur possessio transferentis.*
6 *Rigor de quo nu. 3. & 4. procedit ubi agitur de annullando pensionem.*
7 *Vel ubi Titularis se obligavit de proprio, secus ubi petitur congrua per non consentientem.*
9 *Titularis non admittitur ad oblationem fructuum, & petitionem deputationis œconomi sed solum fit in gratiam pensionarii.*
9 *Quod etiam, quandoque Titulari interdicatur jurisdictio.*
10 *De privilegio clericorum, & aliorum adversus creditores super eorum alimentis.*
11 *De rationibus ob quas fortius id concedendum est beneficiato adversus pensionarium.*
12 *Debitum pensionis est debitum fructuum beneficii non autem personale.*
13 *De debito causativo, seu occasionali cessante, ex cessante causa.*
14 *Majus est jus reservatarii fructuum, quam pensionarii, & tamen etiam contra istum congrua est potior.*
15 *Quod ad effectum congruæ alimentariæ non requiratur probatio valoris.*
16 *De conclusione ut beneficiatus, vel solvat, vel dimittat.*

DISC. XVII.

1 AGentibus translatariis Cardinalis Farnesii coram A. C. pro immissione in executionem translationis pensionum in summa scutorum 150. contra Episcopum de recenti provisum, qui per annum possessor, unam tantum recollectam habuerat, quamvis in petitorio ad formam Constitutionis 20. *Urbani VIII.* ista translatio annullabilis esset, quia tamen ad ejusdem Constitutionis præscriptum hoc annullationis judicium utpote pendens ex justificatione valoris facienda per Titularem, & canonizanda per tres conformes, non retardat interim processum executivum, unde oportet interim solvere sub spe repetitionis, cujus casus rarò ad praxim deducitur, vel ob exigentium impotentiam, vel ob supervenientem mortem Titularis, sive quod non expediat dispendiosam litem in Curia per tres conformes pati, atque ita loco effugiendi unam, pati duas pensiones, adeout ista Constitutio ansam alicui reductioni per concordiam solum præbere soleat, ut frequens praxis docuit; Hinc proinde Episcopus, qui pensioni jam cum prædecessore reservatæ consen- 2
sum non præstiterat, neque aliquam obligationem de proprio fecerat, negligendo dictam exceptionem impugnativam, me consulente deduxit alteram modificativam, quod scilicet ipse non se opponebat validitati translationis, quodque translatarii declarentur Ecclesiæ creditores, dando in hoc manus super fructibus sub judicis administratione apponendis cum deputatione œconomi, sed quod prius ex eis detrahi ad sui favorem deberet, tanquam potior, congrua alimentaria (dum Conciliari derogatum erat) sed quoniam formalis probatio valoris facta non erat, ut *in S. Severi, de qua disc. proxime præc.* hinc proinde prodiit sententia pensionariis favorabilis, pro immissione in exequutionem litterarum, seu translationis, licet postea facta probatione pro ipso quoque sententiatum sit.

Resolutionis fundamentum fuit quidam rigorosus stylus Curiæ in hac pensionis materia, ne aperiretur aditus Titularibus cum hujusmodi litibus, seu oppositionibus impediendi pensionum exactionem, de qua actum esset, si cessaret iste rigor, atque hujusmodi 3
lites interim retardationem causarent, cum ut insinuatum est, iste rigor ut plurimum avertat Titulares à litibus, eosque terreat, ne ultra pensionem à Papa reservatam, alteram in litis substentatione duriorem pati cogantur.

Potissimè dum pensionarius, qui translationem fecerat, erat in quasi possessione exigendi, qua stante, si ipse viveret, denegari non posset manutentio, quæ retardationem non recipit per exceptionem nullitatis, vel incapacitatis, vel alterius defectus, etiam clericatus vel litterarum, juxta hodie notorias, & quotidiè practicatas conclusiones, idcircò idem dicendum esset in translatariis, stante potissimùm gratiosa subrogatione etiam in possessionem transferentis in indulto transferendi contenta; Quamvis enim ex quodam Curiæ stylo, translatario, non obstante dicta subrogatione, non concedatur summariissimum possessorium retinendæ seu manutentionis, sed cessante consensu & obligatione productiva actionis personalis, possessionis, procedatur per viam immissionis; Attamen reliqui possessionis effectus translatario suffragantur, puta relevationis ab onere justificandi valorem, sive præsumtionis justificationis resultantis à tricennali observantia cum similibus, ut infra in hac materia translationis, ac translatariorum juribus habetur.

Admittebam ego scribens pro Episcopo præmissa omnia, ubi ageretur de exceptione impugnativa, per quam Titularis prætenderet pensionem annullare, vel dimi- 6
nuere, cum dicatur exceptio petitorii pendens à justificatione valoris quæ requirit formalem proceffum probationis nimium concludentis ac rigorosæ in formali judicio canonizandæ, ideòque interim retardandus non est processus exequutivus.

Idemque ubi Titularis juxta casum, de quo *dicto discur. præced.* se obligasset solvere pensionem etiam de proprio atque de suo patrimonio, quatenus opus sit, vivere, tunc enim sibi imputare debet, cur hujusmodi obligationem su- 7
sceperit, & per quam (utique non faciendam, quando ambitus non suffocaret) Titularis nulla commiseratione dignus est, sed potius punitione, ut *ead. disc. præc.* advertitur, adeout sibi congruat dictum, qui non potest in ære luat in corpore, si non per pœnam corporalem positivam, per istam negativam ab egestate resultantem.

Quando igitur hujusmodi circumstantiis vel rationibus cessantibus, Episcopus offert dimittere omnes fructus Ecclesiæ, sub judicis vel ipsorum pensionariorum administratione, cum deputatione œconomi ad effec- 8
tum ut persoluta sibi congrua Conciliari, quatenus ei derogatum non sit, vel saltem alimentaria, tunc licèt id etiam denegari soleat *ex decis. 163. nu 6. & 7.* apud Post. *de manut.* ubi quod pensionarius non tenetur acceptare oblationem fructuum, quasi quod jus deputandi œconomum, ac ponendi fructus sub administratione inductum sit in gratiam pensionariorum, imò etiam inter- 9
dicendi Titulari solvere renuenti administrationem tempo-

poralem, ac etiam jurisdictionalem cum deputatione Vicarii Apostolici, ut quandoque praxis docuit, non autem in eorum odium; Attamen ubi cessat dicta ratio obligationis propriæ, per quam sibi obiici potest, quod de proprio vivat, ut promisit, nulla subesse videtur congrua ratio, cui hic rigor innitatur.

Si enim juxta alios insinuatos terminos textus *in cap. Odoardus de solutionibus, & cap. pervenit de fidejussoribus* simplici clerico, etiam adversus debita personalia, & 10
cum personali obligatione contracta ex causa mutui, vel alia correspectiva, conceditur effugere creditorum molestias, ac effectus processus exequutivi cum sola indicatione suorum bonorum ponendorum sub judicis administratione, ut prius ipsius debitoris congrua alimenta assignentur, id autem quod supereft sit creditorum, quoties non agatur de debitis ex causa doli vel delicti, juxta ea, quæ habentur in sua materia *sub tit. de credito.*

Quod generaliter habetur in militibus, aliisque privilegiatis personis, sive iis, quibus per creditores reverentia debita sit, ac etiam (magis ad rem.) de stylo Tribunalium Hispaniæ habetur in possessoribus illorum majoratuum, ac primogeniorum ex deductis *sub tit. de fideicom. disc. 170.* cum similibus; Quinimò etiam non privilegiatis debitoribus conceditur jus petendi alimenta in carcere à creditore.

Multò magis id recipiendum est isto casu, ex duplici majori ratione; Primò scilicet, quod præsertim in Epis- 11
copis seu Parochis, ac aliis Titularibus cum aliqua administratione, non solùm urget ratio decoris ordinis clericalis seu Ecclesiasticæ dignitatis, quæ urget in terminis *dicti cap. Odoardus* cum similibus; Sed etiam urget favor vel interesse ipsius Ecclesiæ, quæ est domina bonorum ac jurium, ex quibus fructus percipiuntur, ac etiam jus & interesse eorum, qui sub Ecclesiæ, ejusque Prælati cura & administratione vivunt.

Et secundò fortius, quia istud pensionis debitum in iis, qui de proprio ad illud se non obligarunt ut supra, non est personale & proprium, sed solùm causativum seu occasionale, adeout pensionariis nulla competat actio contra 12
personam & bona propria Titularis, nisi pro terminis decursis ratione fructuum perceptorum, sed solùm realis ad ipsos fructus ex deductis apud Gregor. *decis. 507.* Buratt. *decis. 448.* cum similibus; Et conferunt quæ habentur apud Amat. *resol. 21. in principio* Rot. *decis. 428. par. 1. rec.* & pluries *sub dicto tit. de credito.* ac etiam *sub tit. de Regal. disc. 8. & 9.* 13
& de debitore causativo seu occasionali ratione rei, quam possidet non obligato nisi quatenus rem retineat, eaque onus patiatur; Ac etiam quia pensionarii non fovent causam onerosam, sicut fovent creditores, sed lucrativam.

Et quod congrua sit privilegiata, atque ante omnia deduci debeat, habetur *dicto disc. præced.*, & *decis. 763. par. 2. rec.*, ubi in terminis fortioribus adversus reservatarium fructuum, cujus aliquod majus jus esse videtur quàm illud 14
pensionarii ex deductis per Rotam *decis. 1. p. 8. recent. & in Bonon. spolii, seu fructuum sub tit. de Beneficiis disc. 81.*

Neque ad hoc propositum desideranda videtur formalis justificatio valoris, ut praxis ex quodam stylo seu traditione desideret; Ista enim justificatio necessaria est, quan- 15
do agatur de exceptione impugnativa, ad effectum, ut judex decernat pensionem non deberi, atque Ecclesiam esse ejus incapacem; Sed ubi agitur de hujusmodi exceptione modificativa, per quam Titularis dat manus, ut ab ipsis pensionariis capiantur omnes fructus, atque detracta ejus congrua tanquam potiori & privilegiata, sibi satisfiat, non videtur ad quid ista probatio desideranda sit; Intrat enim dilemma clarum, aut pensionarii dicunt fructus esse sufficientes, & ita habent intentum, nihilque eis deperit, Aut negant, vel suspicantur, & justum non est, ut Titularis de proprio non obligatus, debeat de proprio solvere pensiones.

Ad quod probandum adducebam proximum practicum exemplum viri, cui mulier bona sua in dotem dederit cum obligatione, de eo quod supererit, detractis expensis necessariis pro substentatione onerum matrimonii, aliquam præstationem alteri solvere, quod non poterit ille, cui præstatio destinata est, virum urgere ad solvendam de proprio, eique denegare id, quod pro ipsorum conjugum substentatione, aliorumque onerum supportatione, aliorumque onerum supportatione necessarium est, ita in præsenti, & fortiùs; Ac etiam Episcopus pro ejus congrua considerandus videtur, dicebam tanquam unum ex creditoribus in concursu ad patrimonium Ecclesiæ debitricis tam dictæ congruæ quàm pensionum, juxta casum, de quo *discurs. sequen.* unde ille, qui omnibus aliis potior est, non debet esse eis inferior, dum potissimè fovet causam onerosam, illi verò lucrativam.

Et quamvis per ora pragmaticorum volitet, quod licèt Titularis expresè non se obliget de proprio, attamen tacitè ac implicitè se obligare dicitur, & quasi contrahere cum pensionariis eo ipso quod Ecclesiam oneratam susci- 16
pit, unde propterea inolevit dicterium, quod *solvat, vel dimittat*, ut pluries in præcedentibus; Attamen id rectè practicabile est in aliis beneficiis, in quibus formale matrimonium spirituale non contrahitur, unde ex simplici consensu vel acceptatione Superioris, dimisso sequi potest, non autem ubi accedit formale matrimonium, præsertim in Ecclesiis Cathedralibus seu Metropolitanis, in quibus resultat in Prælatis susceptio diversi honorifici & qualificati status irretractabilis, ideòque iste rigor commendabilis quidem videtur in iis, qui se obligant de porprio, in aliis autem videtur improbabilis.

ALERIEN. CONGRUÆ PRO EPISCOPO, CUM PENSIONARIIS.

Casus disputatus in Signatura Justitiæ & concordatus.

An Episcopus, cui assignata est congrua, reliquis fructibus assignatis pensionariis, possit manu sua, & propria auctoritate congruam exigere; Et an volens, debeat esse particeps affictuum, & administrationis, quæ à pensionariis fiant.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *De fundamentis ut congrua capienda sit à manu pensionariorum cum similibus.*
3 *De potioritate congruæ supra pensionarios vel reservatarium fructuum.*
4 *Reservatarius fructuum habet majus jus, quàm pensionarius.*
5 *Titularis etiam si non habeat administrationem temporalem Ecclesiæ, quia sit penes pensionarios, potest assistere administrationi.*
6 *Arrendatarii non possunt præjudicare locatori.*
7 *Quod soleant arrendatarii causare præjudicia, ideò debent eis præscribi leges.*
8 *Clericus non tenetur capere alimenta à manibus creditorum, sed debent sibi assignari tot bona.*
9 *Idem de donatore pro ejus alimentis.*
10 *Quod administrator patrimonii vel universitatis non debeat scindi.*

DISC. XVIII.

1 PRovisa Ecclesia Alerien. pluribus pensionibus grava- 1
ta, sub ea lege, ut apud pensionarios esset administratio temporalis fructuum, ex quibus, persolutis scutis mille Episcopo pro congrua, & quibusdam aliis summis pro Seminario, aliisque oneribus, reliquum cederet ad commodum pensionariorum; Cum idem Episcopus ad aliquod tempus inhibuisset etiam sub censuris & pœnis, ne procederetur ad decimarum, aliorumque jurium & bonorum locationes, vel arrendamenta, ipso inscio, ad effectum ut pro ejus congrua, aliisque oneribus Seminarii & Capituli prius assignatio fieri posset, deputando interim aliquos œconomos ad fructuum exactionem, pensionarii prætendentes hujusmodi actus illicitos fuisse, ac propterea Episcopum teneri ad refectionem damnorum, quæ supponebatur exinde prodisse, obtinuerunt ab A. C. quoddam decretum favorabile, adversus quod adita per Episcopum Signatura, post binam disputationem sine resolutione, ob difficultatem habitam in modo rescribendi, concordia controversiæ finem dedit.

In his autem disputationibus, præcipuus punctus erat ille, an Episcopus teneretur recipere congruam à manibus pensionariorum, adeout non posset se ingerere in administratione, ac inhibere, ne afflictus, aliique actus ipso inscio fierent.

Scribentes pro pensionariis, ad probandum id, quod ut supra ab eis prætendebatur, duo potissimum similia deducebant, Primò scilicet ea, quæ habentur in terminis seu materia tex. *in cap. Odoardus de solutionibus* super congrua, seu portione assignanda ipsi clerico debitori ac substentatio-

nem

nem ex fructibus ejus bonorum quæ ad instantiam creditorum exequuta sint, quod ipsi clerico administratione in terdicta, aliud prætendere non potest nisi menstruam, vel annuam summam, quam sibi judex decreverit.

Et secundò ea, quæ frequenter apud Hispanos; præsertim apud Salgad. *in ejus labyrint. creditorum* habentur circa concursum, qui sive voluntariè ex parte ipsius possessoris majoratus, sive ex parte creditorum efformetur juxta illius regionis usum, qui etiam in aliquibus Italiæ partibus invaluisse videtur, quoniam omnia bona ponuntur sub administratione judicis, vel administratoris ab eo deputati, per cujus manus adimplentur ipsius majoratus onera, inter quæ præcipuum, ex eo particulari stylo, reputatur illud alimentorum ipsius possessoris majoratus, reliquum verò distribuitur creditoribus juxta eorum ordinem anterioritatis vel potioritatis, atque hunc dicebant esse casum controversiæ, quasi quod Ecclesia debitrix omnibus creditoribus non idonea ita posita sit sub concursu, & sub administratore per Papam deputato, per cujus manus fructus juxta ordinem distribui deberent creditoribus, inter quos Episcopus pro congrua computandus esset.

Quamvis autem ego scribens pro Episcopo, more Advocati plura deducerem in contrarium ut infra, Reflectendo tamen ad veritatem credebam Episcopum justitiam in duobus fovere; Primò scil. in potioritate adversus omnes pensionarios, & alios; Et secundò, ut justè prætendere posset, quod affectus seù arrendamenta decimarum, aliorumque jurium, aliaque graviora negotia dictam administrationem concernentia, ipso conscio, ac participe fieri deberent; In ea verò parte, in qua Episcopus prætendebat dictam administrationem scindere, atque aliquos effectus, tàm pro ejus congrua, quàm pro assignamentis Seminarii, Capituli, & Ecclesiæ, sua manu, ac per suos œconomos exigere; credebam (ut partibus juxta stylum ab initio insinuavi) parum probabilem ejus prætensionem esse; Ideoque tres erant puncti; Primò scilicèt ille potioritatis; Secundò ille, ut fieti deberet particeps ac certiorari de affectibus, aliisque negotiis gravibus; Et tertiò circa perceptionem congruæ à manibus administratorum.

Primus punctus erat planus, à scribentibus in contrarium non controversus; Tùm ob decretum Apostolicum, per quod dicta administratio pensionariis concessa est, in quo per verba præcisa disponitur, ut dem-
3 ptis ex fructibus scutis mille pro congrua, reliqui pensionariis juxta eorum antiquitatem, ac ordinem cederent, ideoque de plano intrabat vulgaris regula textus *in l. ille aut. ille ff. de legat.* 3., quod in claris & expressis non intrant præsumptiones & argumenta; Tùm etiam quia (ut pluries in præcedentibus habetur) absoluta conclusio est, quod congrua Episcopi vel Rectoris est privilegiata, & potior supra pensionarios ex deductis per Gregor. & Adden. *decis.* 507. & magis proximè ad casum *in Policastren. decis.* 763. *part.* 2. & 745. *part.* 3. *recent.* ubi de potioritate congruæ adversus generalem reservatarium fructuum, qui, ut etiam *disc. præcèd.* advertitur, aliquod majus jus habet, quàm pensionarius ex
4 deductis *decis.* 1. *part.* 8. *recent.* Spad. *conf.* 151. *lib.* 1. cum aliis *in Bonon. fructuum vel spolii sub tit. de beneficiis disc.* 81.

Quoverò ad secundum punctum, advertebam dupliciter Episcopum in administratione interessatum esse, ideoque omninò justam ac rationabilem esse ejus prætensionem, ut arrendamentorum, aliorumque actuum
5 præsertim circa exactorum, & inferiorum ministrorum deputationem omninò particeps fieri deberet ex duplici ratione; Primò scil., nè fierent collusivæ locationes pro minori pensione in præjudicium ipsius Episcopi, cujus commodo cedere deberent fructus, qui superessent supportatis oneribus, ac solutis pensionariis, licèt iste casus revera idealis esset; Tùm ob notoriam insufficientiam etiam ad onera singulis annis currentia; Tum etiam ob notabile pensionariorum creditum pro terminis annorum præcedentium, pro quibus certum est fructus futuros quoque affectos esset, quamvis debitum decursum esset tempore prædecessoris, quoties negligentia non obstet, ut in Melphien *disc. sequen.*

Secundò, & clarius ob perpetuum præjudicium, quod Ecclesiæ alias ex hujusmodi appaltibus seù arrendamentis resultare solet, vel quia fiant personis potentibus bona adjacentia vel jura similia seù commixta habentibus, unde de facili confusio vel usurpatio ità sequi potest, vel quia arrendatarii solent negligere exactiones à potentibus, qui ex diuturna non solutione, exemptionis prætensionem sæpiùs promovent, unde propterea in specialibus terminis decimarum sæpè receptam conclusionem habemus, quod arrendatariorum negligentia non potest Ecclesiæ præjudicare, ut præsertim apud Cels. *decis.* 44. *num.* 9. *decis.* 22. *num.* 21. *par.* 10. *rec.* & *sæpius*.

Ac etiam quia solent arrendatarii supplantare bona Ecclesiæ, illaque nimium exfructare, ac pro tempore sequenti minus fructifera reddere, præsertim circa arborum incisionem, juxta ea quæ habentur *sub. tit. de jurisdict. disc.* 7
81. ideoque certæ leges eis præscribi solent, ad debent; Ac etiam quia hujusmodi affictuarii vel inferiores ministri, cum Ecclesiæ brachio præsertim in exactione decimarum, aliorumque jurium Episcopalium, subditos opprimere solent, aliosque abusus introducere, ideoque omnis ratio exigit, ut Episcopus, qui est Ecclesiæ sponsus, ac verus administrator, subditorumque pater super his invigilet, ac certior reddatur; Si enim juxta ea quæ pluries habentur *sub dicto tit. de Jurisdictione*, Episcopus ex Sacrorum Canonum sensu, & Sac. Concil. Trident. decretis, visitare potest, ac etiam assistere redditioni rationum administratorum dictorum locorum priorum laicalium, ut rectè fiat administratio, atque non introducantur abusus, multò minus, & absque dubio id ei denegandum est in administratione Ecclesiæ sibi commissæ.

Quoverò ad tertium; Scribendo tanquam Advocatus, retorquebam potius dictum simile deductum ex dispositione textus *in cap Odoardus de solutionibus*, quoniam ex declarationibus Sacr. Congregationis Concilii Trident. præsertim in una Romana 14. Martii 1648. clericus non tenetur recipere alimenta à manibus creditorum, sed sibi dimittenda sunt, vel assignanda tot bona, quorum fructus ad dicta alimenta sufficiant, nisi individua bonorum qualitas aliter suadeat.

Magis verò ad rem deducebam ea quæ ex Franch. *decis.* 697. & aliis ibidem, ac per Adden. habemus in donatore, cui effecto inopi, seu aliàs ex reservatione alimenta ex bo- 9
nis donatis debentur, quod rectè petere potest sibi assignari tot bona ad id sufficientia, non autem cogendus est recipere alimenta à manibus donatarii, cujus jure censendi videntur pensionarii comparativè ad Ecclesiam, ejusque Prælatum, vel Rectorem.

Adhuc tamen, his non obstantibus, contrarium mihi probabilius videbatur, Tum ex decreto Apostolico decernente generalem administrationem pensionariis, assignata congrua, non in quota, vel in quantitate fructuum, sed in certa summa pecuniaria, quod supponit præcedentem perceptionem fructuum, eorumque successivam ven- 10
ditionem, ut ex pretio dicta quantitas solvi posset; Tum clarius ob inconvenientia & præjudicia, quæ ex hujusmodi scissura resultare possunt ac solent, unde propterea communis omnium Tribunalium praxis inolevit, ut in patrimoniis deficientium debitorum, quæ (interdicta ipsis dominis administratione) sub concursu, ac administratione judicis vel ipsorum creditorum ponuntur, unica sit, ac universalis administratio, neque ex eo quod aliqui creditores sint anteriores vel potiores, illam scindere possunt, vel aliàs in ea se ingerere sub prætextu anterioritatis vel potioritatis, & hic videtur casus, quoniam benè anterioribus utpotè magis interessatis, seu majus jus in patrimonio habentibus, conceditur invigilare, ut administratio diligenter, ac fideliter sequatur, atque arrendamenta, cum utilitate fiant, quamvis certus administrator deputatus esset, ita tamen quod de primis effectibus administrator promptè eis juxta anterioritatis vel potioritatis ordinem satisfacere deberet, non tamen ut dicta scissura fiat; sic à pari.

MELPHIEN. CONCURSUS PRO PRINCIPE NICOLAO LUDOVISIO, CUM PENSIONARIIS.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus cum concordi temperamento.

De concursu plurium pensionariorum super fructibus qui omnibus non sufficiant; Et præsertim, an an-

an antiquiores pensionarii pro terminis decursis in annis præcedentibus, anterioritatem, seu potioritatem prætendere valeant super fructibus currentibus, vel futuris.

SUMMARIUM.

1 *Acti feries.*
2 *Pro pensione sunt hypothecati fructus Ecclesiæ, & num.* 13.
3 *Ideò intrat regula, qui prior in tempore &c.*
4 *Idque procedit etiam in translatario habente anterioritatem transferentis.*
5 *Pro terminis decursis agitur contra successorem probatis diligentiis, & num.* 14.
6 *De actione rei persecutoria competente pro dote in bonis obligatis dotare.*
7 *De difficultate cadente in casu.*
8 *Quid sit pensio, & quid importet.*
9 *Pensionarii habentur, ac plures decimatores.*
10 *Collectæ, & gabellæ sunt species decimarum.*
11 *Pensio assignatur pro alimentis.*
12 *De stylo Hispaniæ super alimentis possessoris majoratus.*
13 *Declaratur conclusio, de qua num.* 2.
14 *De conclusione, de qua num.* 5.
15 *De fraudibus & inconvenientibus dando prælationem anteriori pro terminis decursis.*
16 *De casu, in quo posterior vincat pensionarium anteriorem.*
17 *Creditor exercet actiones, & jura competentia debitori, cujus est procurator.*

DISC. XIX.

1 SUper fructibus Ecclesiæ Melphiensis, jam gravatæ antiquis pensionibus in summa scutorum 8eo. per Gregorium XV. occasione illam providendi, reservata fuit pensio scutorum mille auri ad favorem Nicolai nepotis; Cumque ob interdictam in spiritualibus, & temporalibus administrationem Episcopo, partim ex temporum qualitate, & partim ex natura bonorum sub aliena administratione existentium, sive ob ejusdem Episcopi aliquam culpam, priusquam administratio interdiceretur, antiqui pensionarii non essent integrè satisfacti de terminis decursis aliquorum annorum præcedentium; Hinc proindè super pecuniis ab œconomo transmissis ex recollecta anni currentis, orta est contoversia coram A. C. inter dictos antiquos pensionarios, & Ludovisium moderniorem, non quidem ratione terminorum ejusdem anni, (cum pro istis admitteretur tanquam incontrovertibilis anterioritas antiquorum,) sed pro terminis decursis annor. præcedentium, pro quibus dicebatur, quod concursum habere non possent cum terminis currentibus; Verum post unam vel binam disputationem, concorde temperamentum ab eodem Judice sumptum, controversiæ finem dedit, me quoque consulente, ac facilitante, dum facti circumstantiæ notabile præjudicium causabant applicationi sequentium conclusionum seu ratiociniorum, quæ pro pensionario posteriori deducebam.

In hac igitur disputatione, Scribentes pro pensionariis antiquioribus, deducebant conclusionem generalem, quod inter pensionarios, stante quod eis per quamdam speciem
2 hypothecæ affecti sunt fructus Ecclesiæ juxta *conf. Romani* 388. *n.* 2. cum aliis per Lotther. *lib.* 1. *qu.* 39. *n.* 82. Merlin. *de pignor. lib.* 2. *qu.* 92. *n.* 1. & *seqq.* Gregor. *dec.* 507. *in prin-*
3 *cipio*, & communiter, tanquam inter creditores hypothecarios intrat regula, *qui prior*, ex deductis per Salgad. *in labyr. p.* 1. *cap.* 42. *n.* 38. Tondut. *hoc tract. cap.* 21. *ex professo*, Rota apud Dunozett. *dec.* 999. ubi de anterioritatis privile-
4 gio transeunte etiam in translatarium, cum excepta mutatione personæ, exceptisque quibusdam effectibus translatario proficuis regulariter pensio translata non sit nova, sed eadem ac antiqua.

Et consequenter, quemadmodum concurrentibus (ex. gr.) creditore censuario anteriore pro fructibus annorum præcedentium, & posteriore pro fructibus anni currentis super bonorum fructibus ejusdem anni currentis, non dubitaretur de prælatione anterioris, ita à pari.

Ac etiam quia si hodie recepta est propositio, ut cessante negligentia pensionarii, huic affecti sint pro terminis decursis in annis præcedentibus, fructus futuri, seu annorum sequentium, etiam contra successorem pro debito maturato in vita prædecessoris, cum sola probatione diligentia-
rum, (de quibus in præsenti constabat,) ut apud Gregor. *d. decis.* 507. Buratt. & Adden. *dec.* 448. *in fin* 617. *n.* 5. 669. 5
n. 2. & 676. *n.* 9. & habetur infra *disc.* 31. multò magis hanc actionem competere dicebant isto casu, dum non agebatur contra successorem pro debito prædecessoris, sed totum debitum erat ejusdem Episcopi.

Atque in idem ego ponderabam, quod dicti scribentes potuissent deducere ea quæ habentur pluries *sub tit. de dote*, 6
præsertim *discurs.* 245. & 51. & *sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum discur.* 79. super beneficio *auth. res quæ* adversus bona fideicommissaria, & fideicommissi successorem, pro fructibus, vel usuris dotalibus, quamvis decursis tempore prædecessoris, quoties colluso vel culpa positiva non obstet, cum termini videantur æquales.

Scribens autem pro moderniori pensionario, admittebam dictam regulam, *Qui prior*, in concursu pensionarium pro terminis currentis super fructibus ejusdem anni, cum tunc casus sit indubitatus. Verùm quatenus pertinet ad punctum præcisum, plura deducebam, ex quibus, ubi, 7
ut dictum est, facti circumstantiæ non obstassent huic parti, alteri verò profuissent (quia scilicet constabat ministros hujus pensionarii in annis præcedentibus, quasi potentialiter percepisse fructus, super quibus agentes antiquorum satisfieri petierant,) credebam prætensionem non esse à probabilitate alienam, quamvis pro ea diligentia, quæ tunc adhiberi potuit, quæstio præcisa adhuc disputata non esset, nec decisa.

Dicebam igitur primò, quod pensio aliud non est nisi quædam fructuum portio, quæ per Papam extracta à fructibus Ecclesiæ pensionariis assignata est, reliquis fructibus remanentibus ad commodum Titularis, qui jure cujusdam implicitæ administrationis, eos omnes percipit cum 8
obligatione distrahendi partem pensionariis assignatam, ac solvendi pretium in certa uniformi summa, quæ pro litibus removendis circa pretia & liquidationes singulis annis taxata est, adinstar illius taxæ fructuum, quæ fit in societatibus officiorum, vel aliarum negotiationum, præsertim in contractu trino, de quo *sub tit. de usuris disc.* 1. & *seq.* *sub tit. de societ. offic.* cum similibus, *ut dec.* 133. *n.* 2. *par.* 2. *rec.* Millin. *dec.* 448. *n.* 8. & *dicta dec.* 999. Dunozetto, *ubi concordantes*.

Et consequenter, plures pensionarii, quibus dicta reservatio facta est, censendi veniunt tanquam plures decimatores, seu fructuum Ecclesiæ participes cum ordine per 9
prius, & posterius inter eos; Ideòque sicuti competente ex eisdem fructibus jure decimandi pluribus decimatoribus, puta uni ratione prædii, & alteri ratione personæ vel sacramentorum (quatenus ex lege, vel consuetudine unus esset altero anterior vel potior, quod scilicet prius decima unius, deinde illa alterius detrahi deberet,) id intelligendum veniret in concursu decimarum illius anni, non autem decursarum pro tempore antecedenti, cum illæ transierint in purum debitum ejus, qui fructus percepit, ac decimas solvere debebat, ideoque non sit debitum intrinsecum, & reale ipsorum fructuum, sic à pari.

Secundò adducebam aliud simile de collectis seu tributis debitis ex fructibus prædiorum singulis annis, 10
quoniam ut pluries ad materiam vectigalium & collectarum advertitur *sub titul. de Regal.* dicuntur decimæ debitæ Principi adinstar decimæ spiritualis, quæ Deo solvitur, dum ex communi recepto usu, juris dispositioni innixo, publicanus vel exactor tributorum seu collectarum debitarum ex fructibus à domino prædii perceptis & consumptis; concursum prætendere non potest cum publicano seu exactore collectarum vel tributorum anni currentis, quoniam hic detrahit fructus jure condominii, vel juris intrinseci, & realis, quod semper vincit creditum, cujus jure venit exactor collectæ anni præcedentis.

Tertiò satis proximè ponderabam, quod pensio, reservata seu assignata dicitur pro pensionarii alimentis, quorum naturam habere dicitur, & quorum jure regulatur, Roman. *conf.* 388. Gabr. *conf.* 387. *num.* 6. *lib.* 2. Lotther. *lib.* 1. *quæst.* 35. *n.* 47. Rot. *decis.* 407. *n.* 1. *par.* 11
3. *recent.* & *frequenter*; Quemadmodum igitur alimenta præsentia seu futura, sine dubio magis privilegiata sunt quam præterita, ut ultra generalia, in his specialibus terminis congruæ alimentariæ debitæ Titulari, aliisque ministris adversus pensionarios præsertim pro terminis decursis annorum præcedentium habetur apud Gregor. *dicta decis.* 507. cum aliis apud Salgad. *dicto cap.* 42. *num.* 48. ac pluries in præcedentibus de congruæ potiorita-

te; Ita ex eadem ratione dicebam, quod modernus pensionarius agens pro alimentis currentibus, cedere quidem debet locum pensionario antiquiori petenti eadem alimenta præsentia, non autem pro terminis jam decursis importantibus purum creditum sine privilegio alimentorum.

Quartò deducebam pluries insinuatum stylum Tribunalium Hispaniæ, de quo apud Salgad. *in labyr. part.* 1. *cap.* 24. *& sub tit. de fideicommiss. discurs.* 170. super alimentis
12 decernendis possessori majoratus ex fructibus patrimonii positi sub concursu, quod illa potiora sunt quibuscumque creditis quantumvis anterioribus & privilegiatis, cum venter non patiatur dilationem, ideòque alimenta currentia vel futura semper magis privilegiata sunt etiam in concursu creditorum ex causa alimentorum præteritorum, quorum jus inferius reputatur, quoties jure futurorum ex facti qualitate habenda non sint.

Et quintò demum, quoniam licèt per ora pragmaticorum, in sola traditione ambulantium, neque rerum principia indagantium, volitet propositio, quod pro pensione etiam temporis decursi hypothecati sint fructus Ecclesiæ,
13 nedum currentes, sed etiam futuri, attamen id ita dicitur per quemdam modum loquendi ita explicando quamdam affectionem realem seu rei persecutoriam productivam potioritatis adversus alios creditores Titularis, adinstar illius affectionis, quæ pro dote competit in bonis dotare debentis, vel fideicommissi ascendentis, & quam affectionem aliqui hypothecam appellare consueverunt, sed erroneè ac per modum loquendi, non autem per veritatem, ut pluries in sua materia *sub tit. de dote*, ac etiam *dicto tit. de feudis disc.* 78. *& in aliis ibi proximis*; sic à pari, cum nullibi in jure cautum sit de hac hypotheca, dum revera pensio est potius portio quotitativa fructuum singulorum annorum ad quantitatem pro majori commoditate redacta, adeout apud antiquiores nimium controversum sit, an pro terminis decursis competat actio super fructibus futuris, ut
14 apud Gigan. *quæst.* 39. *n.* 43. Atque Rota antiqua noluit condemnare successorem ad solvendos terminos decursos tempore prædecessoris, ut apud Cassad. *dec.* 4. *de locato*, Crescent. *decis.* 3. *de solut. in fine*, Put. *decis.* 185. *lib.* 2. Et quamvis hodie ex supra deductis, contrarium receptum sit, ut scilicet constito de diligentiis, competat actio etiam contra successorem; Attamen id provenit potius ex quadam æquitate seu congruentia in eo quod supereſt, detractis prius iis, quæ necessaria sunt, tam pro servitio & cultu Ecclesiæ, quàm congrua substentatione Rectoris; Igitur quemadmodum ipsius Titularis alimenta potioritatis privilegium habent adversus antiquius debitum pensionarii, ita dicendum videtur favore alterius pensionarii, qui particeps deputatus est, & quasi condominus fructuum singulorum annorum; pro ejus alimentis ac substentatione.

Ponderando etiam fraudes quæ committi possent inter antiquiorem pensionarium, & Titularem, dum negligendo plurium annorum exactionem, ac faciendo creditum massam, saltem eam simulando, ita sub hoc clypeo,
15 in fructibus currentibus vel futuris, excludi possent pensionarii posteriores, præsertim ubi non agitur cum successore pro debito prædecessoris, sed est idem Titularis, dum procedendo cum consueto pragmatico usu, onus probandi diligentias, procedit ad effectum, ut pro terminis decursis in vita prædecessoris agi possit contra successorem, de quo solum casu loquuntur auctoritates dictum requisitum desiderantes; Vel in omnem eventum facile est aliquam diligentiarum apparentiam sine effectu facere, ut non semel in praxi expertus sum; Ideòque in aliquo etiam sensu veritatis, quam tamen adhuc occasio non præbuit maturius examinare, credebam, quod ubi facti circumstantiæ omnino bonam fidem in antiquo pensionario non inducerent, eumque excusabilem redderent, itaut juxta terminos generales alimentorum, etiam præterita jure futurorum haberi debeant (ut in hac facti specie verificari videbatur) potius pro pensionariis posterioribus pro terminis currentibus illius anni, de cujus recollecta agitur, responderi deberet, quasi quod inter onera Ecclesiæ currentia deducenda ex fructibus prius quàm pensionario pro terminis annorum præcedentium actio detur ipsa pensio currens detrahi debeat, atque actio remanere in eo quod super est.
26 In proposito autem concursus plurium pensionariorum; Non semel in congressibus, (absque tamen formali disputationem judicio, quam adhuc occasio non præbuit) egi de quadam potioritate, quæ in pensionario posteriori adversus anteriorem competere possit; Puta reservatur pensio super Ecclesia Cathedrali cum clausula, *dummodo retineant mille* pro Episcopo; Deinde verò, occasione alterius vacationis seu provisionis ejusdem Ecclesiæ, reservatur nova pensio cum derogatione congruæ etiam alimentariæ, cum obligatione provisi solvendi pensionem ac se substentandi etiam de bonis propriis juxta casum, de quo supra in S. Severi *disc.* 16. Præbente casu in sufficientiam fructuum Ecclesiæ ad solutionem utriusque pensionis, adeout intraret concursus, ponderabatur quod pensionarius modernior tanquam creditor Titularis deducens omnia jura suo debitori competentia, ex recepta propositione, de qua ad materiam *in l. si pignor. ff. famil. ercisc. cum ibi notat.* Rovit. *disc.* 29. 17
n. 4. Rot. *decis.* 30. *n.* 10. post Merlin. *de pign.* Gait. *de cred. c.* 4. *in append. n.* 138. Olea *de cess. jur. tit.* 4. *q.* 3. *n.* 25. *& seqq.* & sæpius in sua materia *sub tit de credito*, creditor dicatur procurator sui debitoris, omniaque ejus jura deducere possit, justè prætendat ut ex fructibus adversus antiquiorem pensionarium prius deducenda sit dicta congrua reservata tanquam potior ad sui commodum, ut ex illa suppetatur Titulari congrua alimentaria, quatenus bona propria non suppetant, vel suppleatur id, quod deficit reliquum verò cedat commodo antiquioris pensionarii, tanquam per speciem illius potioritatis, quæ super officiis vel feudis, aliisque regalibus juribus conceditur posteriori adversus anteriorem ratione assensus vel reservationis decreti, cum ita posterius habeat obligatam congruam non cadentem sub obligatione anterioris.

ANNOT. AD DISC. XIX. & XX.

DE concursu pensionariorum super fructibus non suppetiit occasio postmodum disputandi; Et quod pensionarius teneatur ad diligentias ad effectum agendi contra successores habetur in supplemento *hoc tit. disc.* 87.

ROMANA
SEU HISPANIARUM NOMINATIONIS AD PENSIONES.
AD PETITIONEM
MINISTRORUM REGIS CATHOLICI.

Discursus pro veritate.

De eadem materia concursus plurium pensionariorum, an debeat esse æqualis in pensione eodem tempore reservata pro pluribus nominandis, ubi nominationes diversis temporibus, per priùs, ac posterius factæ sint per eum qui jus nominandi habeat, vel potiùs attendi debeat ordo nominationum.

SUMMARIUM.

1 FACTI series cum resolutione.
2 *Quod inter pensionarios intret regula qui prior.*
3 *Declaratur ubi sunt plures reservationes diversis temporibus secus ubi est unica reservatio pro pluribus diverso tempore nominatis.*
4 *Pensio non perficitur à nominante, sed à Papa reservante.*
5 *Qui declarat non disponit.*
6 *In translatione facta ad favorem plurium, omnium est æqualis conditio.*
7 *Declarationi facientis est deferendum, etiamsi actus sit irrevocabilis.*
8 *Ista conclusio declaratur, quando procedat.*
9 *An & quando assertioni Principis deferendum sit in præjudicium tertii.*
10 *Quando nominatus dicatur habere jus à nominante, vel ab eo qui dat nominandi potestatem.*
11 *Quod non possit impugnari factum ejus, à quo jus metitur.*
12 *De eadem conclusione, de qua n.* 10.

DISC. XX.

SUper illis Ecclesiis, quæ ad Regis Catholici presentationem vel nominationem providentur, fieri solet reservatio in Consistorio occasione provisionis, unius vel plurium pensionum, ad favorem unius vel plurium personarum ab eodem

eodem Rege, quando sibi visum fuerit nominandarum, cum consueta clausula, *dummodo pensiones tertiam partem fructuum non excedant*; Quia verò frequenter contingit, quod ex majori fama, vel opinione fructuum Ecclesiæ, fit nominatio in majori pensionum summa, quam dicta quota eis assignata importet; undè propterea ille reducendæ sunt proportionabiliter, ut eamdem quotam non excedant Hinc frequentes erant controversiæ inter pluries pensionarios ejusdem Ecclesiæ diverso tempore nominatos, an omnium æqualis esset conditio, adeout omnes pariformiter dictæ reductioni per contributum subjacerent, vel potius intraret regula, qui prior, ut primò nominati integrum pensionem obtinere deberent, ultimi autem excluſi remanerent, quatenus Ecclesiæ incapacitas ita suaderet; Regis verò, seu Regii Consilii intentionem esse supponebatur, ut hæc secunda pars esset verior, gratificandi scilicet primò nominatos, ut integram pensionem obtinerent, Aliorum verò nominationem fieri sub implicita conditione seu præsupposito capacitatis Ecclesiæ, & non alias, cujus tamen contrarium praxis forensis probabat, undè propterea desuper ex dicti Regis ministrorum parte consultus, quomodò occurri posset.

Respondi, distinguendo nominationes jam factas, ab
2 aliis in futurum faciendis; Quatenus enim pertinet ad primam speciem, casus videbatur difficilis, ob jus omnibus æqualiter quæsitum ex contemporanea reservatione omnium favore facta; Licet enim in hac materia pensionis intret sine dubio regula, qui prior, adinstar concursus plurium creditorum hypothecas diversis temporibus habentium ex deductis *disc. præced.* Attamen id procedit, quando singulorum pensio provenit ex diversis reservationibus, quæ per prius, ac per posterius diverso tempore factæ sint; Secus autem ubi unica est reservatio, vel unica est causa
3 omnium productiva, quoniam tunc omnes dicuntur ab initio, ac eodem tempore pariformiter nasci tanquam plures filii orientes ex eodem ventre prægnante, non curato quod eorum nominatio diversis temporibus, ac per prius, & per posterius fiat, quoniam substantia pensionis non provenit à Rege nominante, sed à Papa reservante, cujus voluntas, ac factum spectari debet, adinstar istius declarationis, vel nominationis, quam in exequutionem sibi communicatę, seu alias restrictæ voluntatis faciat fiduciarius juxta terminos textus *in l. Theopompus, ff. de dote prælegata*, sive *in l. unum ex familia, ff. de legat. secundo*.

Vel juxta illum concursum, qui inter creditores tempore inæquales, datur æqualis; ob identitatem seu æqualitatem causæ, quia nempè ad eamdem rem emendam, ejusque pretium conflandum, plures diversis temporibus, diversa summa mutuaverint, ex deductis per Aponi. *decis.* 34. Galeot. *lib.* 1. *controv.* 21. Olea *de cess. jurium tit.* 6. *quæst.* 8. & in sua materia *sub titul. de credito*, ac etiam *sub titul. de Regal. disc.* 12.

Nominans enim ad pensiones, non substantiat, neque perficit gratiam, sed illius excutioni æditum præbet, atque pensionariorum personas, pensionumque summas certifi-
4 cat, tanquam per declarationem ejus, quod in substantia certum, obscurum tamen, ac sub velo remanebat; Unde receptam propositionem habemus, quod qui declarat, non disponit, neque tunc actum facit, sed quid jam factum fuerit vel existat, perit, adinstar excutientis grana à spicis, quo exemplo utitur textus *in l. adeo, §. cum enim grana, ff. de ac-*
5 *quirendo rerum dominio*, undè propterea si messor eodem tempore facit plurium spicarum fasciculum sub trituratione ab alio facienda, si iste spicas diversis temporibus triturat, non exinde dici potest, quod frumentum sit diversum, quodque in eo detur prius, ac posterius; ut in his specialibus terminis, per plura media examinando articulum, firmat Salgad. *in labyrinth. par.* 1. *cap.* 42. *num.* 39. cum quo simpliciter pertransit, Tondut. *in hoc tract.* (in quo ab aliis ejus laboribus diversus est) *cap.* 21. *num.* 17. Atque praxis docet circa translationes, quæ vigore Indulti Apostolici fiant de certa summa pensionis ad favorem diversarum personarum, ut quotidianum habemus in illis translationibus,
6 quas Cardinales morientes faciunt ad favorem familiarium, quoniam non attenditur ordo per prius, & per posterius, sed solum unicitas, seu identitas causæ, ideoque in casu incapacitatis, ac reductionis, omnium est æqualis conditio, eodem modo quo habemus in legatis, quod hæreditate non idonea ad omnia legata adimplenda, ubi diversa testatoris voluntas non obstet, omnes legatarii diminutionem patiuntur per contributum non curato ordine scripturæ, & an per prius vel per posterius scripti sint

Quinimò neque curato ordine temporis, quia nempè aliqui scripti sint in testamento, alii verò in codicillis ex intervallo factis, ut in sua matetia *sub tit. de legatis*, cum similibus.

Ponderabam tamen, an suffragari posset conclusio, quam deductam ex dicta regula textus *in l. adeo, ff. de acquir. re-* 7
rum dominio, receptam habemus etiam in contractibus obligatoriis, pœnitentiam seu mutationem voluntatis excludentibus, frequentius verò in donatione inter vivos, quod licet donator, jam perfectam donationem revocare, restringere, seu alias alterare non possit, attamen illam dubiam declarare potest, ejusque declarationi deferendum est, ubi præsertim illa non concernit commodum vel interesse proprium, sed illud plurium donatariorum ex deductis apud Cyriac. *controv.* 293. *n.* 30. *cum seq.* Castill. *lib.* 3. *controv. c.* 10 Otthob. *dec.* 119. *n.* 8. *&* 195. *n.* 18. *dec.* 402. *n.* 31. *& seqq. p.* 9. *recent. & frequenter*, ut in sua materia *sub tit. de donat.* ac alibi pluries.

Verùm difficultatem inferebat ejusdem conclusionis limitatio, ut scilicet ea procederet in casu ambiguo, in quo 8
cadat interpretatio, atque ubi substantia vel perfectio actus seu dispositionis pendeat à voluntate ipsius dispontis, ac declarantis, ut in iisdem proximè allegatis; Hoc autem in præsenti non de facili dici posse videtur, cum substantia & perfectio pensionis pendeat à reservatione facta per Papam, nominatio autem respiciat solam executionem seu liquidationem.

Ad hanc difficultatem removendam, ponderabam, an dici posset ut id procedat in privatis, non autem in supremis Principibus, quorum assertionibus deferendum est, quamvis tertio præjudicialibus *Clement.* 1. *de probat. cum* 9
concord. relatis per Farinac. *quæst.* 63. *§.* 3. *nu.* 82. *cum. seq.* & habetur *sub tit. de regal. disc.* 148. ubi de materia potestatis Principis tollendi jus tertii; Verum non videbatur motivum tutum, quoniam id procedit in iis; in quibus Princeps exercet ejus supremam potestatem jure Principatus cum suis subditis, quorum jus tollere potest, juxta distinctiones; ac declarationes, de quibus plenè *d. disc.* 148. *sub tit. de regal.* Hoc autem in præsenti dici non potest, cum ita sit materia spiritualis pendens à tola potestate Papæ, qui circa personarum nominationem, vel summarum distinctionem, ejus voluntatem, vel summarum distinctionem, ejus voluntatem explicat per organum Regis, tanquam ejus fidu-
ciarii juxta dictos terminos textus *in l. unum ex familia* ex 10
pluries deductis in suis respectivè materiis *sub titul. de fideicomm. & sub alt ero de testam.* & alibi, præsertim *sub tit. delegitima, & detractionibus*; Ideoque concludebam, hujusmodi declarationem, quæ vim retrotractivam haberet fieri debere ab eodem Papa, quod scilicet quando nominandi facultatem Regi reservavit, idem quoque in animo habuit, concedendi scilicet hujusmodi potioritatem juxta ordinem nominationum.

Quoverò ad nominationes in futurum faciendas, omnium tutiorem, ac meliorem cautelam consului esse eamdem supra insinuatam, quod scilicet ad Regis preces, idem Papa, cum decreto generali, ita statueret; Quatenus verò id facere non placeret, itaut ageretur de consimili decreto seu declaratione generali, quæ fieret per ipsum Regem; Quamvis obstare videretur eadem difficultas, quod substantia reservationis perficitur à Papa; Adhuc tamen dixi omninò verius videri, quod pensionarii posteà nominati non possent hujusmodi declarationem seu voluntatem intervertere; Vel ducto argumento à dicto contributo inter plures legatarios, hæreditate omnibus idoneo non existente, ut cesset ex contraria disponentis voluntate; Vel à regula textus *in l. si quis conductionis Cod. locati*, ut nemo possit proprio auctori, à quo aliquid obtinet, potestatis 11
quæstionem refricare, quam regulam procedere in omni materia, omnique casu, in quo unus ab alio rem obtineat, habetur plenè collectum per Adden. *ad decis.* 420. *par.* 4. *recent. tom.* 2. *n.* 50. *cum seqq.*

Vel demum, & magis proximè, ex iis quæ habemus in dicta materia, text. *in l. unum ex familia, ff. de legat. secun-*
do, quod scilicet, Aut fiduciarius, qui in executionem 12
facultatis à testatore concessæ, suam potestatem limitatam habet ad certas personas, vel certum personarum genus, & tunc nominatus, magis ab ipso testatore jus metiri dicatur, quam à nominante, qui consideratur tanquam simplex organum sive instrumentum; Aut verò facultas est indeterminata, & pro libera voluntate seu arbitrio nominantis, & tunc secus; Atque hic videtur casus, quoniam Rex potest non nominare, ideoque sicuti non nominando po-

ſteriores, reddere poteſt certam capacitatem prius nominatorum, ita nil prohibere videtur, cur illis, quos omninò negligere poterat, iſtam legem adiicere non poſſit, eatenus ſcilicet nominandi, quatenus capacitas permittat, ſine prædicio nominatorum, quoniam qui poteſt non dare, ſine dubio poteſt id quod dat qualificare, cum ſemper majus ſit minus, vel oneratum, quam nihil, neque factum benefactoris dividi valet, minuſque gratiatus accepture gratiam, ac rejicere conditionem ſeu qualitatem illi adictam.

ROMANA REDUCTIONIS PENSIONIS

PRO COLLEGIO NEOPHITORUM,

CUM COLLEGIO GERMANICO.

Caſus diſputatus in Congregatione particulari, & reſolutus pro Collegio Neophitorum.

An penſio, præſertim perpetua, reſevata ſub præſuppoſito certi valoris, diminuenda ſit diminuto valore, ſeu diminutis fructibus.

SUMMARIUM.

1 *FActi ſeries cum reſolutione.*
2 *Quod diminutis fructibus debeat reduci penſio.*
3 *Quando penſio dicatur reſervata per quotam jure communionis fructuum cum tituli, & num. 5.*
4 *Prohibitio diminutionis penſionis intelligitur rebus in eo ſtatu permanentibus.*
5 *Penſionarius non acquirit jus in beneficio, & de communione, de qua n. 3.*
6 *Socius non debet ſentire damnum diminutionis, ſi non ſperat lucrum augumenti.*
7 *Penſio perpetua non eſt vera penſio, ſed onus.*
8 *Declaratur concluſio, de qua n. 2. ut procedat quando non accedit conſenſus titularis.*
9 *De alia ejuſdem concluſionis declaratione, & quando procedat.*
10 *Quod quandoque penſionarius efficiatur dominus vel adminiſtrator omnium fructuum Eccleſiæ.*
11 *Quid referat quod Eccleſia gravata penſione ſit alteri acceſſoriè unita.*

DISC. XXI.

1 PRo ſubſtentatione Collegii Germanici, Gregorius XIII. fundator, aſſignavit annuum redditum ſcutorum 10. m. auri ſolvendum per Cameram Apoſtolicam, ad quam deinde ab hoc onere ſublevandam, illi univit Abbatias S Sabbæ Urbis, S. Petri Lauden. & S. Chriſtinæ, redditus ſcutorum ſimilium ſex mille; Poſtmodum verò univit Abbatiam S. Crucis fontis Avellanæ ſub narrativa valoris conſimilium ſcutorum auri 6. mille, gravatam penſione ſcutorum bis mille etiam auri ad favorem Cardinalis Alexandrini de Ruvere, cujus morte contingente, eamdem ſummam titulo perpetuæ penſionis aſſignavit Collegiis Grecorum & Neophitorum, ſcutorum ſcilicet mille pro quolibet; Cumque poſt longævam utriuſque penſionis ſolutionem, dicti Collegii Germanici Adminiſtratores, prætenſionem excitaſſent, quod ob notabiliter diminutos fructus dictæ Abbatiæ S. Crucis, diminui etiam pro rata deberent dictæ penſiones, Hinc per Alexandrum VII., deputata aliquorum Cardinalium particulari Congregatione, ab iſta prodiit reſolutio dictæ reductionis negativa, quæ tamen reſpectu Collegii Græcorum abſque operatione remanſit, ob detectam poſtmodum extinctionem, ut *diſc. ſequen.*

In diſputatione deſuper habita, ſcribentes pro Germanico dictam reductionem petente, fundamentum conſtituebant in auctoritate Roman. *conſ.* 369. *numer.* 25., Gam-
2 bar. *de off. legati lib.* 6. *num.* 211. *cum ſequen. & num.* 699. *cum ſequen.* Fælin. *in cap. ad audientiam ſecundo de reſcriptis num.* 3. Cacialup. *de penſion. quæſt.* 7. Gigan. *eodem tract. quæſt.* 35. *num.* 4. *& conſ.* 147. Staphil. *de litteris gratiæ tit. de commiſſ. ſuper reductione penſionis numer.* 7. Garz. *par.* 1. *cap.* 5. *num.* 367. & 400. Lother. *lib.* 1. *quæſt.* 42. *num.* 54. Tondut. *quæſt. beneficial. par.* 2. *cap.* 1. §. 4. *nu.* 42. & Buratt. *deciſ.* 369. *num.* 2 ex quibus auctoritatibus probari dicebant dictum aſſumptum, ut diminutis fructibus beneficii, diminui etiam debeat penſio.

Fortius verò, dum ſupponebatur Papæ intentionem fuiſſe cum unione hujus Abbatiæ, quàm præſuppoſuit valoris ſcutor. 6. mille ſupplere pro rata 4. m. ſummam ſcutorum 10. m. ab initio aſſignatam pro dote Germanici, ſtante præcedenti unione aliarum Abbatiarum valoris reliquorum ſcut. 6. mille; cumque hæc poſterior Abbatia facto caſu ex- 3
tinctionis dictæ temporaneę penſionis, qua gravata erat excreſceret in aliis duobus mille hanc ratam aſſignare voluit dictis aliis duobus Collegiis unde propterea ratiocinabantur iſtam fuiſſe ſpeciem ſocietatis, quam ſuper hac Abbatia Papa inire voluit inter hæc tria Collegia per quotas quamvis inequales potius, quam per viam reſervationis penſionis in quantitate, ut ſcilicet ex ſex partibus, vel unciis, quatuor eſſent Germanici, una Græci & altera Neophiti, ideoque ex rerum communium ſeu ſocialium natura coequale deberet eſſe damnum ſubſequutæ diminutionis.

Neque obſtare dicebant; quod in litteris Apoſtolicis reſervationum dictarum penſionum, adeſſet clauſula, quod earum reductio pati non poſſit, quoniam intelligitur rebus 3
ſic ſtantibus, ideoque non excludit illam reductionem, quæ de jure reſultat à ſuperventa notabili fructuum diminutione juxta *dictum conſ.* 369. Romani Staphil. *loco citato num.* 9. Gigan. *dicto conſc.* 147. *in fine*, Garz. *dicto cap.* 5. *n.* 401. *& ſequen.*, Lotter. *dicta quæſt.* 42. *n* 56.

His tamen non obſtantibus, (cum ſenſu etiam veritatis) contrarium verius eſſe dicebam, ſcribens pro Collegio Neophitorum; Negando in primis applicationem dicti ratiocinii ſuper ſociali unione hujus Abbatiæ, quæ per quotas quamvis inæquales inter iſta Collegia ſupponebatur, quoniam ut pluries in præcedentibus haberur, penſio non tangit jus vel ſubſtantiam beneficii, in quo ejuſque adminiſtratione vel præeminentiis penſionarius nullum jus acquirit, quod totum tum reſidet penes Titularem, cujus vice in hac Abbatia ſucceſſit ſolùm Germanicum, cui unio facta eſt, & conſequenter iſta ſocietas vel communio nullum habet fundamentum, nec in facto, nec in jure.

Item qui ſocietatis effectus vel ſequela eſt, non ſolùm periculum diminutionis, ſed etiam commodum augmenti, neque damno ſubiacere debet, qui participationem lucri non ſperat, & è contra *l. Mutius ff. pro ſoc. l. ſecundum naturam ff. de reg. jur. cum plur. concordan. relat.* apud Buratt. *deciſ.* 439. *n.* 1. *& paſſim.*

Ideoque ubi hujus Abbatiæ fructus notabile incrementum habuiſſent, utique dicta alia Collegia illius participationem prætendere non potuiſſent, dum eorum jus ad cer- 6
tam quantitatem reſtrictum fuit; Et conſequenter neque pati debeat damnum decrementi; Ita quoque docente obſervantia, dum in facto juſtificabatur, quod juxta temporum varietates aliquando fructus fuiſſent longè majores, & tamen penſiones nullum receperunt incrementum, ideoque iſtud ratiocinium verè nullum habebat fundamentum.

Quo vero ad concluſionem per ſupra allegatas auctoritates comprobatam, & *ex dicto conſilio* 369. Romani *nu.* 25. originaliter deſumptam; advertebam quod quicquid eſſet de applicatione, an ſcilicet ea quæ habemus in penſionibus temporalibus juxta earum regularem naturam ad vitam 7
reſervari ſolitis, procedant in penſionibus perpetuis, quæ verè ac proprie non ſunt tales, neque jure temporalium penſionum regulandæ ſunt, cum potius habentur tanquam ſpecies cenſuum ſeù livellorum ac onerum realium, quæ ipſis bonis infixa ſunt, adeoque concluſio, de qua ſupra *diſc.* 5. de faciendo mentionem antiquarum penſionum in nova reſervatione, non procedat in hujuſmodi penſionibus perpetuis, ut cæteris relatis firmatur per Rotam *dec.* 107. *par.* 11. *recent.*

Duplicem aliam dabam reſponſionem, Primò ſcilicet quod dictæ auctoritates procedunt ad favorem illius Titularis, qui penſioni conſenſum non præſtitit, ſecus autem dicto conſenſu accedente, ut explicite firmant Gigaſ. *dict. conſ.* 147. *n.* 2. & 3. Staphil. *ubi ſupra*, Garz. *dicto cap.* 5. *n.* 368. Lotther. *dicta quæſt.* 42. *num.* 55. Et conſequenter 8
cum in hac facti ſpecie occaſione unionis, expreſſus adminiſtratorum Collegii, cui facta eſt unio, acceſſiſſet conſenſus dictarum penſionum reſervationi, ità ex facto ceſſabat etiam dictarum auctoritatum applicatio.

Secundò clarius, ac ſolidius, quod Roman. *dicto conſ.* 369. qui eſt hujus concluſionis auctor, cum quo pertranſit *Gambarus*, & à quibus cæteris deſumunt, unus

unus alterum, juxta conſuetum Juriſtarum morem inſequendo, vel tranſcribendo, loquitur de penſione impoſita ſuper Monaſterio, cujus redditus ita diminuti ſint, quod detracta penſione, reliquum non ſufficiat ad Eccleſiæ cultum, ac Monachorum ſubſtentationem, aliaque Monaſterii, & Eccleſiæ onera, Tunc enim reductio penſionis reſultare dicitur, non per viam veræ reduc- 9
tionis in ſubſtantia, & tanquam per exceptionem impugnativam, ſed potius accidentaliter in tempora, & variabiliter diminutionem in effectu patitur ob privilegiatam deductionem, quæ prius facienda eſt congruæ neceſſariæ pro Eccleſiæ, ac miniſtrorum ſubſtentatione juxta ea quæ pluries in præcedentibus habentur circa potioritatem, ac privilegiatam deductionem congruæ Titulari vel expenſarum.

Unde tali caſu Gambarus *ubi ſupra num.* 702. in fine advertit quod, vel penſionarius pati tenebitur, ut Rector Eccleſiæ, ſeu Monaſterium detrahat ex fructibus ante omnia, id quod pro congrua eſt præfinitum vel neceſſarium, ipſe verò obtineat quod ſupereſſet; juxta praxim quam habe- 10
mus in penſionibus, quæ reſervatæ ſunt ſuper Eccleſiis Cathedralibus, vel parochialibus cum clauſula, *dummodo remaneant mille, ſeu centum &c.* Vel quod idem penſionarius juxta caſum, de quo ſupra *in Alerien. diſc.* 18. aſſumat in ſe omnium fructuum & Eccleſiæ temporalem adminiſtrationem, atque ſubminiſtret Eccleſiæ, ejuſque Titulari ac miniſtris; ſeù Monaſterio, omnia quæ ad congruam ſubſtentationem neceſſaria ſunt, atque hoc eſt quod in effectu allegati Auctores dicunt.

Id autem ad rem applicabile non erat, cum detractis his penſionibus, abſque dubio in notabili exceſſu ſupererat, id quod neceſſarium eſſet pro ſubſtentatione dictæ Eccleſiæ S. Crucis, ejuſque miniſtrorum, qui pro cultu, neceſſarii vel opportuni eſſent, ſed agebatur de ſolo intereſſe burſali Titularis in exceſſu poſt ſupportata ipſius Eccleſiæ onera; Cumque juxta regularem naturam; ſubjectivæ, vel acceſ- 11
ſoriæ unionis beneficium unitum deſinat eſſe tale, ejuſque nomen ac aſſentiam amittat, ſed efficiatur prædium alterius Eccleſiæ vel corporis, cui facta eſt unio, hinc proindè quoad iſtud beneficium, non datur amplius verus Titularis, qui tanquam Eccleſiæ ſponſus per ſpeciem matrimonii ſpiritualis debeat ex ipſius Eccleſiæ dote ſubſtentari, ſed potius intrare advertebam ea, quæ habemus de donatario, vel conceſſionario fundi cenſiti, vel emphyteutici ſeù livellarii obligati ad cenſus vel canonis ſolutionem, à qua non excuſatur ex eo quod reliqui fructus ſibi non ſufficiant, ſed quod conſueti diminuti ſint, quoties illi qui percipiuntur ad oneris ſupportationem ſufficiant; Et hic videbatur caſus, ideoq; juſta benèque fundata viſa eſt reſolutio.

ANNOT. AD DISC. XXI.

QUando de æquitate intrat reductio penſionis habetur pluries *hoc eod. tit. & præſertim diſcurſ.* 4. 6. 12. *&* 14.

ROMANA EXTINCTIONIS PENSIONIS

INTER

COLLEGIUM GERMANICUM, ET COLLEGIUM GRÆCUM.

Votum ſeu Conſilium pro veritate.

An reſervatio penſionis, non docto de titulo, probata dicatur per longævam ſolutionem, juxtà terminos text. *in cap. pervenit de cenſibus, & l. cum de in rem verſ. ff. de uſuris*; Et aliqua de penſionis ceſſatione.

SUMMARIUM.

1 *FActi ſeries.*
2 *Caſſata penſio amplius exigi non poteſt.*
3 *Penſio non exigitur ſine litteris.*
4 *Super caſſatione non expediuntur litteræ, ſed ſufficit ſola ſupplicatio.*
5 *Per non uſum amittitur privilegium, ſeù probatur ineffectuatio ejus revocationis.*
6 *Habens privilegium, & poſſidens manutenetur pendente diſcuſſione revocationis.*
7 *De probatione præſumptiva tituli reſultante à diuturna præſtatione.*
8 *Inter civiliſtas, & canoniſtas eſt quæſtio in hoc, & ſuper quo.*
9 *Non procedit concluſio, de qua num.* 7. *ubi conſtat de initio infecto.*
10 *De concluſione generali, ut exhibitio tituli probet initium infectum.*
11 *Solutiones ſequentes refertur ad cauſam primæ ſolutionis, & poſſeſſio referuntur ad titulum.*
12 *Penſio non ſolet reſervari ſuper beneficio pleno ſine conſenſu poſſeſſoris.*
13 *De alia declaratione concluſionis, de qua n.* 7. *ubi ſolvens non poteſt probare titulum expreſſum.*
14 *De adminiculis excludentibus dictam præſumptionem reſultante ad obſervantia.*
15 *Fructus percepti, & conſumpti bona fide, vel media non reſtituuntur &c.*

DISC. XXII.

1 POſtquam, juxta ſeriem, de qua *diſc. præced.* per Gregor. XIII. ſuper Abbatia S. Crucis Fontis Avellanæ unita Collegio Germanico, reſervata fuit eventualis penſio perpetua ſcutorum mille auri ad favorem Collegii Græci, effectum ſortitura poſt ceſſatam aliam penſionem temporalem qua eadem Abbatia gravata erat, idem Gregorius, præfato Collegio Græco, ad pinguius illud providendum, univit Abbatiam Sanctiſſimæ Trinitatis Muleti, ac propterea dictam penſionem motu proprio caſſavit mediante ſupplicatione, aliis litteris non expeditis; Cumque illinc ad annos circiter 17. ſequutus eſſet obitus Cardinalis Alexandrini penſionarii, poſt cujus mortem, ut ſupra, dictæ penſionis reſervatio effectum ſortitura erat, hinc mutatis dicti Collegii Germanici adminiſtratoribus, illi alterius Collegii Græci in vim litterarum Apoſtolicarum dictæ reſervationis à modernis Germanici adminiſtratoribus non informatis dictam penſionem exigere cœperunt de anno 1599. cum tractu ſucceſſivo uſque ad ann. 1662. intermediante ſolùm oppoſitione ſuper diminutione de qua *dicto diſc. præced.*

Habita verò de dicto anno notitia caſſationis per ſupplicationem manu Papæ ſignatam, hinc orta eſt deſuper controverſia, quam præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, ſub cujus regimine ſeu adminiſtratione utrumque Collegium eſt, curavit in forma extrajudiciali jura utriuſque agnoſcere, ad effectum tractandi aliquam honeſtam concordiam, ad quem effectum meum votum, ſeu conſilium pro veritate petiit; Sed cum infructuoſæ fuiſſent diligentiæ deſuper habitæ, deputata fuit per Alexandrum VII. particularis Congregatio aliquorum Prælatorum, quibus non concordantibus, idem Pontifex Rotæ votum petiit non publicandum ſed ſibi tradendum, ad effectum deliberandi (ut illius Pontificis mos erat), atque propoſita cauſa *coram Cero Decano*, de anno 1665. fertur prodiiſſe reſolutionem pro Germanico ſuper penſionis indebito, atque in hoc ſtatu cauſa ſilet; Cumque ego pro veritate utſupra votum dediſſem, idcircò licèt ab utraque parte requiſitus ad ſcribendum in Rota abſtinui; Nihil tamen per ſcribentes hincindè, tàm coram dicta Congregatione particulari, quàm in Rota deductum fuit ultrà id quod coram dicto P. Generali cum mea aſſiſtentia deductum fuerat.

Scribentes igitur prò Germanico excipiente de penſionis extinctione, dicebant dictam exceptionem clarè fundatam eſſe in dicta caſſatione per Papam motu proprio facta per quam illicò Eccleſia in primævo libertatis ſtatu repoſita dicitur, neque amplius penſio peti po- 2
teſt, adeò ut judex ex officio, nemine etiam opponente, penſionarium agentem repellere valeat Gambar. *de off. legati lib.* 6. *n.* 484. *& ſequen.* & cæteri relati per Barboſ. *voto* 5. *n.* 22. *& 23.* Tondut. *hoc tract. cap.* 77. *num.* 25. Rota *dec.* 617. *n.* 1. *p* 1. *recent.*

Et quamvis nullæ deſuper expeditæ eſſent litteræ, quæ in penſionibus quoque neceſſariæ ſunt, adeout exactio ſine litteris totalem amiſſionem cauſat, ut infra *in Turitana diſcurſ.* 30. ac pluries aliis in locis; Attamen id procedit 3
ad effectum reſervationis, & quando agitur de imponendo ſervitutem Eccleſiæ, ob decretum in eadem reſervatione apponi ſolitum, ſecùs autem ubi de caſſatione, per quam Eccleſia libertati reſtituitur, quoniam ſtylus eſt ſive caſſatio fiat motu proprio, ſive ex conventione partium, ob aliquorum terminorum anticipatam ſolutionem, non expediendi litteras, ſed quod ſola ſupplicatio ſignata manu

manu Papæ ſufficiat, ex decreto in eadem ſupplicatione adiici ſolito, ut in præſenti aderat, & advertunt Garz. *par. 6. cap. 2. num. 13.* Lotter. *lib. 3. quæſt. 2. nu. 35.* Tondut. *cap. 28. n. 26. & cap. 29. n. 13.* Rota *deciſ. 27 n. 12.* poſt Zacch. *de ſociet. offic.* Adden. ad Buratt. *dec. 540. n. 19.*

Non negabantur hæc per ſcribentes per dicto altero Collegio penſionario, cum ſint principia nimium plana & recepta; Dicebant verò ut dicta ſupplicatione non obſtante, adhuc penſio debita eſſet, ſtante longiſſima continuata ſolutione annorum circiter ſexaginta, ex qua duo fundamenta oriri dicebant; Vel ſcilicet quod ita reſultabat dictæ caſſationis ineffectuatio, quoniam ſicut longiſſima obſervantia annorum 30. inducit juſtificationem gratiæ, ejuſque effectuationem probat, ita eadem probat ineffetuactionem vel non uſum, ex iis, quæ de amiſſione privilegii per non uſum ad materiam tex. *in l. 1. ff. de nundinis* habentur per Bart. *& alios ibid.* Capyc. *deciſ. 134. ibique* adden. Seraphin. *deciſion. 1043.* Apont. *de poteſtate Proreg. tit. de mercat.* Barboſ. *de Epiſc. alleg. 25. num. 10. & ſeqq.* Otthob. *deciſion. 175.* Et magis proximè de non attendendo privilegii revocationem non effectuatam per contrarium longum uſum privilegii, habetur deductum præſertim *in Sypontina Catedralitatis diſc. 2.* Ideòque ſi adverſus poſſidentem in vim privilegii vel gratiæ opponatur de caſſatione vel revocatione, non per hoc retardatur poſſeſſorium retinendæ, ob poſſibilitatem juſtificandi in petitorio revocationis ineffectuationem Seraph. *dec. 499. n. 3* Lotther. *lib. 2. quæſt. 45. n. 10.*

Et ſecundò quod ubi concurrit diuturna uniformi præſtatio, quæ excedat decem annos, juxta Civiliſtas, vel quadraginta, juxta Canoniſtas, tunc ſufficit poſſeſſori allegare titulum novæ reſervationis abſque neceſſitate illum juſtificandi, cum ipſa longeva obſervantia ſtet loco juſtificationis *ad text. in l. cum de in rem verſo ff. de uſuris cum notatis per Civiliſtas ibidem, & in l. ſi certis annis C. de pact. & text. in c. pervenit de cenſibus*, ubi Canoniſtæ inter quos omnium latius Butr. cum aliis relatis per Vaſquez *controv. 58. & 61. cum ſeqq.* ubi latè de materia Menoch. *lib. 3. præſ. 131. n. 59. & ſeqq.* Mantic. *de tacit. lib. 3. tit. 15. n. 52. cum ſeq.* Cenc. *de cenſ. qu. 81. nu. 8. & ſequ. de* Marin. *reſ. 78. lib. 1.* Rot. *dec. 153. p. 4. rec. tom. 2. dec. 258. n. 6. par. 10. & frequenter*, ideoque cum adeſſet continuata obſervantia annorum circiter 60. ita dicebant ceſſare quæſtionem inter Civiliſtas & Canoniſtas, an ad id ſufficiat obſervantia longi temporis decem annorum; vel requiratur illa longiſſimi annorum 40. dum iſtud ac majus tempus habetur.

His tamen non obſtantibus, contrarium credidi probabilius, idemque poſtea fuit ſenſus majoris partis dict. Congregationis particularis, dum ob ſolam unius diſcrepantiam placuit Papæ expetere votum Rotæ, quæ in eamdem devenit ſententiam, quoniam neutrum ex iſtis fundamentis habere videbatur probabilem ſubſiſtentiam; Illa ſiquidem diſtinctè examinando, quatenus pertinet ad hoc ultimum deductum ex diſpoſitione textus *in leg. cum de in rem verſo ff. de uſuris, & cap. prævenit. de cenſibus*, ut patet ex eiſdem ſupra allegatis, id non procedit quando allegatur titulus expreſſus, de cujus infectione conſtet, ut ad litteram diſponit idem textus *in d. cap. prevenit*, ubi quod non datur cenſus ignorantiæ vel erroris, ideòque ubi conſtat præſtationem quamvis diuturnam ſolutam eſſe ex cauſa erronea vel falſo præſuppoſito, tunc non attenditur, quamvis eſſet antiquiſſimi temporis ex eiſdem ſupra allegatis ac habetur pluries *ſub tit. de Regal.* ad materiam initii infecti, præſertim *in Sabinen. exemptionis diſc. 47.* ubi de materia, quando exhibitio tituli obſtet immemorabili necnè de quo etiam hoc eodem titulo, & alibi; Unde cum ſolutione duorum primorum terminorum poſt ſequutam mortem alterius penſionarii, ad quam dictæ reſervationis dilata fuerat effectuatio, expreſsè diceretur ſolvi in cauſam dictæ reſervationis, & ſucceſſivè in libris Germanici, vel camporis (quo fortè mediante ſolutiones factæ ſunt) adnotatæ eſſent aliæ ſingulorum terminorum ſolutiones ita conſtabat de titulo ſeu cauſa, cujus infectione probata, concluſio non intrat.

Non controvertebatur per ſcribentes pro penſionario veritas dictæ concluſionis, quod ſcilicet dato vitio tituli, ad quem poſſeſſor per illius productionem ſeu aliàs ſe reſtrinxerit, poſſeſſio quantumvis diuturna non ſuffragetur; Dicebant verò id procedere, quando ex ipſius poſſeſſoris parte, tituli infecti productio facta eſſet, ita & taliter quod exinde reſultaret reſtrictio ad titulum meliorem, ſecus autem ubi titulus per alteram partem exhibeatur, juxta ea, quæ in hac materia habentur ſuper dictæ concluſionis declaratione *d. diſc. 47. ſub tit. de Regal.* atque ſuper hoc erat major diſputatio.

Verùm reſponſio mihi non placebat; Tum quia conſtabat de expreſſa exhibitione litterarum Apoſtolicarum reſervationis, pro quarum executione, ac paritione, expreſsè inſtatum fuit ſequuta morte primi penſionarii, ex quo tempore ſolutio incepit, cum expreſſione cauſæ, cui ſequentes ſolutiones referendæ veniunt, ut in ſpecie advertitur *in d. dec. 258. n. 7 par. 10. rec.* ex regula de qua communiter *DD. in l. 2. C. de acquir. poſſeſſ.* de qua apud Buratt. *dec. 614. n. 8. & 12. & dec. 792. n. 8. & frequenter*, ut poſſeſſio referenda ſit ad cauſam ſeu titulum, de qua conſtat.

Tum etiam quia hæc præſumptio non erat ſola, ſed munita pleriſque aliis præſumptionibus & adminiculis, illo præſertim identitatis ſummæ, ac altero inveriſimilitudinis, quod ſuper beneficio jam à multis annis unito cum ſubſequuta effectuatione, reſervata poſtmodum fuerit penſio adeò notabilis contra ſtylum, cum id fieri ſoleat beneficio vacante, ſine actu providendi vel upiendi, non autem eo pleno, ſine conſenſu poſſeſſoris abſque magna cauſa; Ac etiam quia tam occaſione controverſiæ, de qua *diſc. præced.* ſuper diminutione, quam etiam occaſione alterius extrajudicialis controverſiæ inter hæc duo Collegia de anno 1645. habitæ coram ejuſdem Societatis Præpoſito Generali circa monetæ valutationem; ſemper proceſſum fuit cum præſuppoſito, quod ageretur de dicta penſione reſervata per Gregorium XIII. tam adfavorem iſtius Collegii Græcorum, quàm alterius Neophitorum occaſione unionis, ideòque ex ſolo facto caſus videbatur omninò planus circa probationem cauſæ vel tituli, cui diuturna ſolutio referenda erat.

Obſervabam præterea, quod dicta concluſio deſumpta ex text. *in l. cum de re verſo de uſuris, & cap. pervenit de cenſibus*, eatenus procedit, quatenus ille qui diuturnam fecit ſolutionem eſſet talis, quod potuiſſet titulum expreſsum poſſeſſori tribuere, itaut totum pendeat ab ejus voluntate; Secùs autem ubi expreſsè volens non poſſet, cum non debeat eſse major virtus taciti quàm expreſſi, neque dicendum eſt ut tacitè ac indirectè fieri poſſit id quod directè ac expreſsè eſt prohibitum; Unde propterea diſputant ſcribentes, an dicta concluſio procedat in minore, vel alio prohibitio ad annuam præſtationem ſolvendam ſe obligare ex deductis apud Menoch. *d. præſumpt. 131. nu. 89.* Cenc. *de cenſ. d. q. 81. n. 15.* Et habemus etiam in terminis beneplaciti Apoſtolici præſumpti ex obſervantia longiſſimi temporis quando non obſtet moderna Conſtitutio Urbani VIII quod talis præſumptio non intrat, quando actus eſt talis quod attento ſtylo Papæ, non fuiſſet per ipſum expreſsè approbatus, ſive quod ex revolutione regiſtrorum Datariæ vel Cancellariæ, negativa convincatur; ſit in ſua materia *ſub tit. de alienat. diſc. 1. & ſeqq.* ac alibi pluries, cum ſit principium receptum.

Applicando igitur ad rem, Adminiſtratores hujus Collegii non poterant expreſsè illud gravare hujuſmodi annua penſione, cum eſset formalis alienatio adeo gravis, minuſque ſuper beneficio præſertim pleno reſervari poterat penſio aliàs quàm per Papam, qui id facere ut ſupra ſine urgentiſſima cauſa non ſolet, quamvis poſſit, ſine conſenſu poſſeſſoris, ut occaſione penſionis ſine cauſa beneficio pleno pluries habetur in præcedentibus, Et quod magis id non ſit niſi prævia ſupplicatione regiſtrata, & cum ſubſequuta expeditione litterarum, ſive quibus penſio exigi non poteſt quorum omnium negativa de facili convinci poterat, ut ex diligentiis convincebatur in ſupplicatione, ac litterarum regiſtris, quæ negotiorum præſertim recentium iſtius ſæculi, habentur ſine dubio integra, cum difficultas cadat in illis ante Urbis excidium.

Alicujus majoris ponderis videbantur alterum motivum præſumptę in effectuationis, Verum pariter ceſsare videbatur. Tum ex præmiſſis, quia ſcilicet conſtabat de errore, cujus cauſa ad evidentiam convincebatur, dum reſervatio penſionis non erat pura ab initio effectum ſortitura, ſed eventualis poſt mortem alterius penſionarii, cujus longeva intermedia vita annorum circiter 20. cauſavit, ut mortuis, vel mutatis ferè omnibus adminiſtratoribus ignota eſset ſubſequuta caſsatio facta per eumdem Papam reſervantem, ideoque iſtud fuit error parendi litteris exhibitis, Tum fortius quia concurrebat juſta cauſa dictæ caſsationis propter hujus alterius Collegii ſubſequutam proviſionem aliunde, mediante ſcilicet dicta unione Abbatiæ Mileti ac ſucceſſivè ceſsantem cauſam effectuationis dictæ reſervationis,

tionis, ideoque ex facti circumſtantiis, planum videbatur bonum jus Germanici pro non ſolutione.

Verùm quia idem Germanicum prætendebat repetitionem indebitè ſoluti; Hinc ſuper hoc contra ipſum reſponditanquam in caſu indubitabili; Tum quia ex culpa miniſtrorum indebitè exigentium, gravari non poterat Collegium ad patiendam jacturam ejus bonorum in ſorte principali, ob id quod id quotidianos uſus jam conſumptum erat, neque aderat verſio in utilitatem quæ duraret; Tum etiam quia idem juſtus error ut ſupra conſideratus in adminiſtratoribus Collegii ſolventis, in omnibus intrabat in adminiſtratoribus alterius Collegii exigentis, ideoque cadere obſervabam receptam concluſionem in materia excuſationis à reſtitutione fructuum perceptorum & conſumptorum in ſtatu bonæ fidei vel mediæ, cum ſufficiat abeſſe malam poſitivam, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Cavaler. *dec. 645.* Buratt. & Adden. *dec. 184.* Merlin. *dec. 663.* aliàs *dec. 3. p. 7. rec.* & paſſim.

ANNOT. AD DISC. XXII.

AD materiam textus *in cap. pervenit de Cenſ. & l. cum de in rem verſo ff. de Vſur.* videri poterunt deducta, *ſub tit. de Credito.*

Emanarunt in cauſa præcedentes diſcurſus ſequentes deciſiones Sacræ Rotæ, ſuas hoc loco ponendas duximus.

R. D. EMERIX DECANO.

Romana Penſionis.

Lunæ 5. Julii 1694.

RE nuente Collegio Germanico diutius perſolvere Collegio Greco Penſionem ſc. 1000. auri in auro per ſa. me. Gregorium XIII. Græco reſervatam ſuper fructibus Abbatiæ S. Crucis Fontis Avellanæ unitæ Gemanico, ob comperta documenta illius caſſationis, & extinctionis ab eodem Papa emanatæ occaſione unionis Græco peractæ Abbatiæ SS. Trinitatis Mileti: Commiſſaque per ſa. me. Alexandrum VII. lite deſuper inter utrumque Collegium exorta Congregationi particulari quinque Prælatorum decidenda de Voto Rotæ; prodiit die 8. Junii 1665. cor. clar. me. Card. Cerro Deciſio inter ejus impreſſas 816. firmans penſionem non deberi: Et ab indè citrà Collegium Græcum ſiluit per ſpatium plurium annorum; ſed cum paucis ab hinc annis litem reſumpſerit, & poſt varias illius diſtractiones ad alios Judices, nuper à SS. D. N. obtinuerit pro ipſius definitione deputari particularem Congregationem aliorum quinque Prælatorum, eidemque Congregationi poſtmodum ſuperaddi Commiſſionem procedendi de Voto noſtri auditorii, negotio mihi de more delato, propoſui dubium: *An ſit ſtandum. vel recedendum à deciſis cor. clar. me. Card. Cerro*, & DD. reſponderunt ſtandum.

Conſtat ſiquidem, quod idemmet Papa, qui Penſionem reſervavit Collegio Græco ſuper Abbatia S. Crucis unita Germanico, in actu, quo deinceps Græco univit equivalentis, imò etiam pinguioris redditus Abbatiam Sanctiſſimæ Trinitatis, motu proprio, & de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, penſionem caſſavit, & extinxit, ut ex ſupplicatione unionis ipſius Abbatiæ per eum ſignata, & prægnantiſſimis clauſulis munita cum Decreto, quod illa ſufficiat, & ubique fidem faciat in Judicio, & extra, contraria regula non obſtante, & ex Bulla ſuper ipſa expedita, ac exgeminatis conſenſibus caſſationi, & extinctioni Penſionis, præſtitis per Rectorem, Procuratorem, & Magiſtrum Superiores Adminiſtratores Collegii Penſionarii, à tergo ſcilicet ipſius Bullæ, & ſeorſim à Bulla per publicum inſtrumentum: undè ſtante caſſatione, & extinctione, quæ præfefert reductionem in priſtinum ſtatum, ut in ſimilibus terminis notat Angelus *in l. ab emption. n. 6. verſ. Et ſic ff. de pact.* Rot. *deciſ. 192. n. 1.* poſt Salg. *in laberint. credit. par. 4.* & aſſimilatur morti Penſionarii, ut per Tondut. *de Penſion. cap. 21. n. 35.* Penſio amplius non debetur, & poteſt, ac debet Judex etiam Parte non opponente Penſionarium repellere Agentem pro ejus exactione, ut in hac ipſa Cauſa conſultus inquit Card. de Luca *de Penſion. diſc. 22. n. 2.*

Non obſtant tria nullitatum capita contra caſſationem, & extinctionem Penſionis adducta. Non quidem primum, quod omiſſa fuerit in caſſatione expreſſio, quod Penſio fuerat Collegio Græco reſervata pro ejus Dote, quia (quidquid ſit an ſatis doceatur de qualitate Dotali Penſionis) difficultas ceſſat ex eo, quod caſſatio proceſſit ab eodem Papa, qui fecit reſervationem, & ſic optimè novit qualitatem Penſionis, quam reſervavit, qua ſtantæ Papæ notitia non poteſt dari de ſubreptione, vel defectu intentionis Menoch. *conſ. 20. n. 50.* Cyriac. *controverſ. 160. n. 28.* Rota *in Romana Dotium 14. Junii 1677. §. Prout non ſubſiſtit coram Reverendiſſimo Bourlemont.* Non attenta replicatione, quod in Papa ob multitudinem negotiorum, præſumi poſſit oblivio, quia hæc excluditur ex ſpecifica, ac diſtincta narrativa reſervationis per eum habita in caſſatione; Ex commemoratione enim ſubſtantiæ, præſumitur reminiſcentia qualitatis. Maximè quia fuit ſpecialiter narrata perpetuitas Penſionis, quæ eſt una ex præcipuis circumſtantiis perpenſis ad effectum ſuadendi qualitatem ejus dotalem.

Neque ſecundum quod caſſatio nullam præferat ſpecialem derogationem, ſive mentionem Decreti in litteris reſervationis appoſiti, quod Penſio nullatenus reduci, vel annullari valeat, & quod reducta, vel annullata non cenſeatur, niſi per litteras plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum mentionem facientes ejus reſervationis; Tum quia non agitur de ſimplici caſſatione, ſed de caſſatione mixta cum unione Abbatiæ majoris redditus, quæ ſapit permutationem quandam magis, & quidem Collegio Penſionario utilem, & proficuam, quam reductionem, ſeu caſſationem; Tum etiam quia caſſatio facta fuit motu proprio, & cum generali clauſula *non obſtantibus*, quæ ſufficit ad hoc ut ſecunda conceſſio motu proprio emanata ſubſtineatur, ac tollat primam etiam ſine ſpeciali mentione, ſeu revocatione iſtius derogatoriæ, ut pluribus relatis firmat Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 36. n. 43.* Tum demum quia, dum ex præmiſſis liquet de ſcientia Papæ, qui expreſsè meminit reſervationis, eamque caſsare voluit, nulla requiritur derogatio, quia non poteſt per quodcumque decretum Papa, nec ſibi, nec ſucceſſoribus ſuis legem dicere, à qua recedere non liceat ad Text. *in cap innotuit de elect. & in cap. final. de reſcript. in* 6. ut diſtinguendo, & concliando contrarias authoritates tradit Card. Zabarell. *conſ. 52. n. 3. & n. 6. verſ. Niſi cum apparet Papam ſpecialiter reminiſci*, Gonzal. *ubi ſupra n. 63. & 68.*

Nec denique tertium, quod non fuerit in actu caſsationis derogatum Regulæ de non tollendo Jure quæſito, minuſq; alteri de præſtandis conſenſibus. Quo enim ad regulam de non tollendo neceſsaria non eſt ejus derogatio in caſsatione, tanquam re de ſui natura præjudiciali, Conrad. *in prax. benef. lib. 2. c. 14. n. 67. & ſeq.* Rot. poſt Marcheſan. *de Commiſſ. par. 1. §. 1. fol. 534. deciſ. 115. n. 7. coram Dunozet. Jun. & in Heſpalen. Decimarum de Olivares 30. Januar. 1679. §. in applicabiles coram Reverendiſſimo Bourlemont.* Non ſubſiſtente ponderatione, quod id procedat in re, ex qua præjudicium oritur conſecutivè, non autem in re ex qua oritur præjudicium directo, quoniam imò procedit etiam in re directo præjudiciali, quando, prout hic, præjudicium non venit ex narratis, ſed ex natura actus, Adden. ad Buratt. *dec. 576. num. 16.* Rot. *deciſ. 607. num. 4. & 5. par. 3. recent.* ultrà quod objectum corruit in radice, quia nec adeſt præjudicium, ſed potiùs utilitas, & commodum Collegii Penſionarii, cui loco Penſionis unita fuit majoris redditus Abbatia. Non enim ex una, vel altera diſpoſitionis Parte, ſed ex omnibus ſimul ſumptis, metiendum eſt præjudicium, ut in terminis læſionis dixit Rota *in Mileten. Tranſactionis 28. Febr. 1684. §. fin. coram D. Florez.*

Et quoad regulam de conſenſibus hæc nulla ex parte redditur applicabilis; Primum quia loquitur de reſervationibus, & aſſignationibus, & ideò trahi nequit ad caſsationes, nam regulæ hujuſmodi ſunt odioſæ, ut de hac ipſa tenuit Rota *dec. 106. num. 10. par. 18. recent.* ac uti tales extenſionem non patiuntur de uno caſu ad alium, Pariſ. *conſ. 5. num. 94. lib. 4. & de reſignatione lib. 12. quæſt. 2. num. 8.* Gigas *reſpon. 34. num 4.* Rota *dec. 246. nu. 1. lib. 1. in correct. coram Puteo.* Deinde quia in ſupplicatione unionis expreſſa legitur ejus derogatio. Nec officit, quod immediatè legatur poſt reſervationem Penſionis Card. Madrutii, quia cum nullam in littera ſpecialem relationem dicat ad ipſam reſervationem generaliter ad omnia referri debet, quibus regula obſtare valet, Gabr. *comm. concluſ. lib 6 concluſ. 9. num. 1.* Rot. *deciſ 267. num. 16. coram Coccino*, & demum quia non deeſt etiam poſitivus conſenſus explicatus, ut diximus per Rectorem, & Procuratorem, & Magiſtrum Superiores Adminiſtratores Collegii Penſiona-

rii à tergo Bullæ unionis, & seorsim à Bulla per publicum Instrumentum.

Neque consensus iste impugnari valet ex eo, quod Regimen, & administratio Collegii residerat solum penes Cardinalem ejus Protectorem, quia (præterquod Jus in hac Parte assistit Rectori, qui dicitur legitimus Administrator Collegii, seù Beneficii, Abbas *in cap. Deputati num.* 11. ibique Belamer. *num.*9. *de Judic.* Berou. *conf.*116. *n.*9. *lib.*1. & in terminis Rectoris Collegii Germanici dictum fuit *in Romana seu Portuen. Tenutarum* 5. *Maii* 1687. *§. Neque secunda coram Me*. & viceversa resistit Cardinali Protectori, cujus Jus sonat in defensionem seù protectionem, non autem in gubernium, & administrationem non suffragante contraria observantia, quæ ad hoc ut uni tollat, & alteri tribuat adversùs Juris dispositionem debet esse legitimè præscripta, Butr. *in cap. cum dilectus n.*18. *de consuetudine*, Rota *in Cæsaraugustana Jurisdictionis* 10 *Decembris* 1691. *§. tertius coram Me*: animadversum fuit, quod in reservationem nuncupati fuerint dumtaxat Rectores, Administratores, & Scolares, quorum proindè consensus satis fuit in cassatione, nam unum quodque dissolvitur eo vinculo, quo colligatum est ad Text. *in l. nihil tàm naturale ff. de regul. Jur.* Mandos. *ad regul. Cancellariæ regul.*22. *quæst.*13. *n.*3. & 4.

Minus obstant solutiones Pensionis continuatæ per spatium 60. Annorum, & ultra: Ex quibus deduci contenditur ineffectuatio cassationis, vel Pensionis, reconvalidatio vel præscriptio; Ineffectuatio siquidem cassationis cessat, ex eo, quod adiectum fuit in cassatione Decretum irritans, quod inficit quemcumque non usu, vel contrarium usum *cap. si eo tempore de election. in* 6. Rota *in colonien. Jurisdictionis* 17. *Aprilis* 1679. *§. nec suffragari cor. bo. me. Albergato*. Et rursùs ex eo quod effectuata fuit unio Abbatiæ favore Collegii, quod semper illam abinde citrà possedit; ac possidet, & sic dari nequit de ineffectuatione cassationis, quæ fuit unioni correspectiva ad tradita per Rotam *in Bononien. fideicommissi de Antoniis* 9. *Junii* 1673. *§. unde consensus coram Reverendissimo Bourlemont*. Nec correspectivitas hujusmodi controverti valet, quia de illa evidenter constat ex eo quod tàm cassatio, quàm unio celebratæ fuerunt in una, & eadem supplicatione, ut ponderat Surd. *cons.* 591. *nu.*10. Gratian. *discept.*924. *n.*1. Rota *in Romana seù Hispalen. Pecuniaria* 17. *Martii* 1683. *§. Quod autem a coram R. P. D. meo Ursino*, & ex consensu per Rectorem, Procuratorem, & Magistrum Superiores Administratores Collegii Pensionarii, ut supra præstitio cassationis à tergo Bullæ unionis, qui clarè denotat cassationem fuisse contemplatione unionis sequutam.

Cessat quoque Pensionis reconvalidatio, quia per ejus cassationem resolutus fuit Illius titulus, nec ad ipsum reconvalidandum sufficit consensus Partium, sed requiritur nova gratia, & authoritas Papæ, ut præter allegatos in *Decisione bo. me. Cardinali Cerri* tradit Salgad. *in laberint. Credit part.*2. *cap.* 10. *num.* 63. Nec repliçare juvat, quod ex observantia tàm longi temporis præsumatur non acceptata cassatio, quia non probatur in Germanico scientia cassationi, prout requireretur, cum nihil volitum quin præcognitum *l. Non est ferendus ff. de transact.* Rot. *in Camarinen. fideicommiss.* 24. *Januarii* 1687. *§. nec visum coram bo. me. Bevincasa*, imò per contrarium verisimilis redditur ignorantia ex lapsu 17. Annorum, & intermediis mutationibus Rectorum, & quatenus probaretur, non reservaret, quia cessatio exequutionem habet ex facto Papæ, nec circa eam potest acceptatio, vel recusatio titularis, ex notati per Dec. *cons.* 114. *num.* 5. *lib.* 1. Rota *decis.* 612. *n.* 52. *coram Cavaler*. Prout nec subsistit, quod ex eadem observantia detur titulus reconvalidatarius præsumptus etiam in hoc genere rerum, qui non sunt in partium commercio, quoniam authoritates ad hunc effectum adductæ loquuntur, vel in terminis derogationum assensuum Apostolicorum, ac dispensationum in quibus non agitur de præsumenda ex integro substantia tituli, sed solemnitate dumtaxat, vel qualitate, quæ facilius præsumitur quam substantia, Menoch. *cons.* 94. *num.* 15. Surd. *decis.* 222. *num.* 71. vel in casu, quo simpliciter agatur de præsumendo titulo, non autem in casu quo (prout hic) agitur de præsumenda reconvalidatione adversùs claram, & irrefragabilem cassationem, cui proindè sempre stari debet tanquàm certè inconcussa simplicis præsumptionis resultantis ex observantia, quæ præsertim ex ignorantia, vel errore, de quo supra reddi valet æquivoca.

Et denique cessat præscriptio, quia quæmadmodum firmatur in *Decisione Cerri* non adest, nec justus titulus, nec Bonafides, nec tempus sufficiens ad præscribendum non inquam justus titulus, quia hic per cassationem redactus fuit ad non titulum, nec Bona fides, quia ipsemet Procurator, qui primus Pensionem exegit, fuit qui à tergo Bullæ unionis cassationi consensit, nec tandem tempus sufficiens, quia Abbatia Fontis Avellanæ speciali gaudet Privilegio, quod nequeat adversùs ipsam præscribi, nisi spatio centum Annorum. Nec mala fides Procuratoris confunditur ex inverisimilitudine, quod tàm ipse, quàm Cardinalis S. Severinæ Collegii Protector, qui illum constituit ad exigendum, conspirare voluerint adversus Germanicum pro exactione Pensionis, quam noviſſent esse cassatam, quoniam inverisimilitudo potiùs militat in oppositum, quod dum ipsis cassatio innotuerat; agentes deinces pro exactione reconvalidationis, nec meminissent; nec Privilegium Abbatiæ per ejus unionem, quia per unionem Ecclesiæ Privilegia illius non extinguntur, sed transeunt in eam, cui facta est unio, Gloss. *in canon. & temporis qualitas vers. unire* 16. *quæst.* 1. & *in cap. novit.* Garz. *de Beneficiis par.*12. *cap.* 2. *n.* 7. Sanchez. *ad Præcepta Decalog. lib.* 7. *cap.*29. *num.* 146. & *cum aliis plenè relatis in Cæsaraugustana Jurisdictionis* 8. *Februarii* 1692. *§. Neque ad elidendam coram Me*.

Et ità decisum fuit utraque Parte acriter informante.

R. D. EMERIX DECANO.

Romana Pensionis super Manutentione.

Lunæ. 5. *Julii* 1694.

EX deductis in altera Decisione hodie pariter coram Me edita superas bono Jure confirmatoria alterius editæ die 8. Junii 1665. coram cla. me. Cardinali Cerro firmanti, Pensionem non deberi Collegio Græco tamquàm per san. me. Gregor. XIII. qui eam ad illius favorem reservaverat motu proprio cassatam, & extinctam, responsum fuit eidemet ipsi, denegandam esse manutentionem, quia licet constet de illius quasi possessione exigendi Pensionem ab anno 1599. usque ad 1662. ex præfatis tamen decisionibus constat de clara ipsius cassatione & extinctione, & sic de nullitate tituli, quæ inficit quasi possessionem & impedit quominus concedatur possessori manutentio Menoch. *de retinen. possess. remed.* 3. *numer.* 683. Rota *decis.* 56. *num.* 1. *part.* 8. *recent decision.* 404. *numer.* 1. coram Ludovis. *decis.* 41. *n.*14. coram Priolo, & *decis.* 757. *n.* 10. *coram Cerro*.

Non obstat, quod exceptio cassationis sit turbida, quia nempè cassatio contendatur nulla, vel ineffectuata, aut Pensio reconvalidata, vel præscripta, & ideò illius discussio reicienda veniat ad petitorium; quia conclusio procederet quotiescumque turbiditas versaretur in ipsa exceptione cassationis; secus autem in casu, quo, prout hic, exceptio cassationis est undiquè clara, ac nitida, nam cassatio litteraliter legitur in supplicatione per Papam signata, & in Bulla super ipsa expedita, & turbiditas versatur in extrinsecis oppositionibus, de quibus supra adversùs illam quæsitis, quæ etiam ex firmatis in sæpè dictis decisionibus insubsistentes noscuntur; Nam in his terminis exceptio per se clara discutienda est in hoc Judicio, nec per extrinsecas oppositiones in replicatione contentas, quæ forsan exigant altiorem indaginem, rejicienda ad petitorium, ut declarat Posth. *de manut. observat.* 42. *num.* 143. Rot. *decis.* 757. *n.* 11. *coram Cerro*.

Eoque certiùs in casu nostro, quo Collegium Pensionarium ab anno 1662. usquè in præsens cassavit in exactione Pensionis; Ex hac enim tàm diuturna cessatione, vel quasi possessionem, quam habuit, amisit, Gratian. *discept.* 365. *num.* 42. Posth. *de manuten. observat.* 59. *numer.* 10. Rota *decis.* 589. *numer.* 6. coram Bich. & *decis.*45. *num.*12. *part.*10. *rec.* vel certè pati debet quod benignus agatur in hoc Judicio cum Titulari, qui per annorum decursum obstrictus non fuit ad solutionem ut advertit Rota *decis.*249. *num.*5. *coram Cavaler.* adeout eò magis admitti debeat exceptio cassationis per se clara, nec currandum de frivolis replicationibus, quibus illam offuscare satagit Pensionarius; Non refragante instantia, quæ usque ab initio denegatæ per Germanicum solutionis Pensionis ex Parte Græci peracta dicitur pro manutentione, quia (quidquid sit de illius existentia, & validitate, quarum utraque in controversiam revocatur ex parte Germanici) hoc certum est quod non fuit prosecuta per spatium 30. annorum, & ultrà, quod efficit, quod instantia dicatur perempta *l. sicut*, & *l. omnes C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum* Rota *decis.* 379. *n.* 2. *p.* 17. *rec.* vel, ut diximus, quod non sit adeò stricte, & rigorosè procedendum in manutentione Pensionarii.

Et ità decisum fuit utraque Parte informante.

R. P. D. SCOTTO

Romana Pensionis super bono Jure.

Veneris 9. *Decembris* 1695.

SEntentia R. P. D. Sperelli de Voto nostri Auditorii prolatam canonizantem cassationem Pensionis sc. 1000. auri reservatam super fructibus Abbatiæ S. Crucis Fontis Avellanæ in actu Unionis de eadem factæ Ven. Collegio Germanico de anno 1578. favore Collegii Græcorum exigendam tamen post cessationem alterius, ex duabus Pensionibus temporaneis quibus illa reperiebatur gravata, per appellationem à Collegio Græco interpositam, & ad me devolutam tanquam validam, & justam Dominis in hodierna Audientia confirmandam esse censuerunt.

Validitas enim non fuit in dubium revocata inter ipsas Partes; Justitia verò ultrà quod desumebatur, ex duabus decisionibus dictum Votum præcedentibus altera nempè clar. mem. Card. Cerri 8. *Junii* 1665. *quæ est inter ejus impress. dec.* 816. & altera, coram Reverendissimo D. meo Decano *sub die* 5. *Junii* 1694. quarum solida fundamenta, cum adhuc vigeant inconcussa, utique sufficiunt pro hujusmodi Sententiæ justificatione; Rota *coram Gregor. decis.* 523. *n.* 4. & *decis.* 97. *cor ſa. me. Alex VIII. n.*3. & *in Romana Testamenti* 15. *Februarii* 1694. *§. De validitate coram R. P. D. meo Muto*; Ex eo insuper resultare visa fuit, quod cassatio, & extinctio hujusmodi Pensionis facta fuerit à Papa Motu proprio, & de plenitudine potestatis, qua nihil fortius, & potentius allegari valet *cap.* 2. *de præbend. in* 6. Tondut. *de Pension. cap.* 2. *n.* 6. Rota *coram Coccin. dec.* 995. *n.* 4. *cor. Cerr. dec.*549. *n.*6. & *in rec. dec.*292. *n.*7. *p.*6.

Et licèt admissa potestate ad impediendum effectum d. cassationis insurgerent Scribentes pro Collegio Græco super defectu voluntatis ex quatuor capitibus illa tamen nullatenus subsistere comperta fuerunt; Quoniam primum in quo præcipuè insistebatur, deductum ex quo, in cassatione prædicta non fuerit expressa qualitas dotalis hujusmodi Pensionis, ad validitatem cassationis omninò requisita ad firmata *in Salamantina Beneficii* 7. *Maii*, & 5. *Junii* 1694. *coram R. P. D. meo Molines*, visum fuit DD. cessare non solum ex eo quod in reservatione hujusmodi Pensionis prædicta qualitas adjecta non legitur prout fuisset necessarium ad hoc, ut illa dici posset reservata pro dote Garz. *de Benef. p.*5. *c.* 9. *num.* 60. Lambertin. *de Jurepatr. lib.* 1. *p.* 1. *q.* 6. *art.* 1. *num.*9. & *seqq* Rot. *coram Duran. dec.* 285. *n.* 31. & *decis.* 568. *n.* 5. *p.* 4. *tom.* 1. *rec.* Sed etiam quia cum Collegium Græcorum per biennium ante dictam reservationem fuisset erectum cum particulari annuo assignamento sub specifico titulo dotis *Summario Collegii Germanici n.* 11. hinc cum in fundatione esset de dote provisum, & in reservatione Pensionis prædictæ nulla dotis mentio facta fuerit, desit præsumi non fuisse pro dote reservatam sumpto argumento à discretivo loquendi modo quo regulariter utimur dum interprætamur Gratias Pontificias ad Text. *in l. cum Prætor ff. de Judic.* Rot. *coram Dunoz. Jun. decis.* 632. *numer.* 10. & *decis.* 599. *num.* 9. *part.* 18. *recent.*

Ulteriùs accedit quod quatenus etiam hujusmodi Pensionis assignatio naturam dotis, sivè illius augmenti assumpsisset, nihilominus non fuisset necessarium id Pontifici exprimere, etenim cum ipse Collegium Græcum, tanta animi sollicitudine Motu proprio erexisset, & triennio dumtaxat antè cassationem, hujusmodi Pensionem ad illius favorem reservasset, utique de facto tam recenti, & insigni in eodem oblivio præsumi non potest, ut gratia cassationis ejusdem Pensionis valeat de defectu intentionis, ac proindè de subreptione redargui Fælin. *in cap. super litteris sub numer.* 8. *vers. tertia regula de rescript.* Menoch. *de arbitr. cap.* 201. *numer.* 124. Parisi. *cons.* 5. *num.* 123. & *seqq*, & 128. *lib.* 4. Præcipuè cum hujusmodi cassatio facta fuerit Motu proprio *cap. si Motu proprio de præb. in* 6. Rot. *coram Coccin. dec.*1001. *num.*5. & 2252. *n.* 1. licèt in aliis materiis levioris ponderis, & in quibus tales circumstantiæ non concurrunt admitti possit contraria conclusio de præsumpta Papæ oblivione, etiam in rebus ab ipso gestis ob negotiorum multiplicitatem, *ut in cap. cum olim §.* 1. *in fin. de sent.* & *re jud.* Paris. *cons.* 11. *n.*122. *lib.* 1. Rot. *coram Rembol. dec.* 67. *n.*13. & 24.

Eoque certius prædicta procedere visa fuerunt, quia Pontifex non devenit simpliciter ad hujusmodi Pensionis cassationem, sed quidem correspectivè ad unionem Abbatiæ Militen. majoris redditus lactam eidem Collegio Græco adeòque dici non potest eidem dotem substulisse, sed potius in aliam pinguiorem permutasse quo casu, sicuti non intrant termini simplicis cassationis ità ex hoc titulo de vitio obreptionis aut subreptionis dari non potest, Rota *coram Duran. dec.* 306. *n.*5. & *coram Coccin. dec.* 2299. *n.* 9. Et expressio qualitatis dotalis utique Papam non retraxisset, quominus illam cassaret, & consequenter operari non poterit nullitatem prædictæ cassationis Caputaquen. *dec.*42. *p.*2. & *cor. Buratt. dec.*638. *n.*6.

Quæ quidem correspectivitas non solum resultat ex eo, quod cassatio Pensionis, & unio Abbatiæ Mileti, in una eademque Gratia continentur, Rot. *cor. Card. Cerr. dec.* 752. *n.* 4. & *in rec. decis.*122. *n.*2. & 215. *n.*2. *p.*18. Sed insuper quia in litteris unionis prædictæ Causa unionis, expresse tribuitur cassationis Pensionis præfatæ *Summario Collegii Germanici n.* 4. quapropter inter utrumque ex prædictis actibus major correspectivitas desiderari non valeat *l. si fundus*, *§. si duo ubi*, Bart. *ff. de pignor.* Rot. *cor. Cardin. Cerr. dec.*264. *n.* 4.

Et hinc ex prædictis patet inapplicabilitas resolutionis captæ cor. R. P. D. meo Molines *in Salamantina Beneficii superius in objecto allegata*, cum non simus in terminis puræ, & simplicis cassationis dotis, cujus differentiam ulteriùs, ab hac præsenti controversia, considerabant DD. ex eo quod in illo casu, dotis constitutio erat clara, & collatio ejusdem Beneficii in dotem ab uno Pontifice dari, ab altero in favorem alterius erat facta, & quidem ad supplicationem Patris, & sine ulla mentione præcedentis gratiæ, & qualitatis dotalis in præsenti autem, ut dictum est, neque constat de qualitate dotali, & actus cassationis, habetur gestus ab eodem Pontifice Motu proprio, & quidem prævia abundanti recompensatione redditus, undè stante tam aperta diversitate unius casus ab altero, nulla illatio fieri potuit, *l. Pampinianus ff. de min.* Coccin. *dec.*2212. *n.*8. & *dec.* 90. *n.*5. *p.*18. *rec.*

Prout neque secundum caput nullitatis relevare visum est, quod nempè in d. cassatione nulla fuerit habita mentio amplissimarum derogatoriarum, ac Decreti in litteris reservationis appositi, quod illius exactio impediri non posset, *per litteras Apostolicas non facientes plenam*, & *expressam*, *ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem*, de quibus si Papa recordatus fuisset, præsumendum sit, vel ad cassationem non devenisse, nisi servata forma hujusmodi Decreti, vel saltem difficilius devenisse, ex quorum propterea inobservantia nullitas cassationis resultet, ad Text. *in l. si quis in principio testamenti* 22. *ff. de leg.* 3. Rot. *in dicta Salamantina Beneficii* 7. *Maii* 1694. *§. Tertia quia coram d. R. P. D. Meo Molines*. Quoniam hujusmodi verba præservant dumtaxat solutionem Pensionis favore Collegii Græcorum ab aliquo generali Privilegio, quod Collegium Germanicum reportare potuisset exemptivum à cujuscumque Pensionis solutione per quod Papa noluit Collegio Græcorum præjudicari, adeòque Decretum prædictum tanquam ad hunc casum restrictum ulterius non est operativum *l cum pater §. Dulcissimis*, *ff. de leg.* 2. Peregr. *cons.*36. *n.*12 *lib.*2. Rot. *cor. Bich. dec.*241. *n.*22. & *in rec. dec.*83. *n.*24. & *seqq. p.*19.

Sed insuper quia posita scientia, & recordatione Papæ omnium qualitatum facti adeò insignis, & quod Pensionem non cassavit simpliciter in damnum Collegii Græcorum, sed illam in meliùs permutavit, cum ex his non fuerit Collegio illatum præjudicium expressio prædictorum necessaria non erat, Rot. *dec.* 240. *n.*26. *p.*1. *diverſ.* & *dec.*45. *n.*4. cor. Millin.

Addito, quod Gregorius XIII. apponendo adeò ampla Derogatorias in reservatione hujusmodi pensionis, providere quidem voluit, ne alius Pontifex circumveniri posset ad faciliùs præjudicandum Collegio Græco, in cassanda, seu reducenda simpliciter hujusmodi pensione, per ipsum eidem reservata, non autem voluit sibi, aut aliis manus ligare, quin idem Collegium, ipse Gregorius, vel alii ejus successores possent de melioribus, & opulentioribus redditibus providere, quod cum facere non potuis-

set, ut *in cap. innotuit de elect. & in cap. final. de rescript. in 6.* neque voluisse credendum est Rota *decis.* 38. *n.* 5. *par.* 19. *rec.*

Tertia nullitas desumpta ex omissa derogatione regulæ, de jure quæsito non tollendo facilius removeri visa fuit; Tum quia cum agatur de gratia de sui natura præjudiciali, derogatio hujusmodi regulæ non erat necessaria, Rot.cor.Merlin.*dec.* 243. *n.* 1. & coram Cerro *dec.*685. *nu.* 12. Tum etiam, quia præjudicium, quod inferebatur per hujusmodi cassationem uberrimè compensatum remanebat per unionem contemporaneam perpetuæ Abbatiæ Militen. Rot. in Militen. Transactionis 18. Februarii 1684. §. fin. cor. Reverendiss. D. Florez. Tum demùm, quia hujusmodi jus non poterat dici adhuc perfectè quæsitum, dum pendebat ab eventualitate, exigi namque poterat hujusmodi pensio, nisi post cassationem alterius ex duabus pensionibus, quibus illa de tempore reservationis gravata repericbatur, qui casus adhuc non evenerat, de tempore cassationis ejusdem, adeòque minus præjudicium considerari valet in illius cassatione, dum fuit facta correspectivè ad certam, & majorem utilitatem, quàm illicò post unionem Collegium fuit consecutum, Lambertin. *de jurepatr. p.4.lib.2.q.9.art.*19. *in fin.* Rota cor.Millin. *dec.* 45. *n.* 4. & coram Merlin. *dec.* 243. *n.*10.

Demùm neque quarta, quod deficiat consensus Collegii in cassatione prædicta; Quoniam ultrà, quod regula 45. de consensibus, loquitur de reservationibus, ac proindè eanquam odiosa trahi nequeat ad cassationem, ut *in Clem.* 1. *de renunc. Tondut. de pension. quæst.* 41. *nu.*28.cum cassatio prædicta secuta fuerit motu proprio, & de plenitudine potestatis nullus propterea requirebatur consensus, Mandos.*ad regul.Cancellar.regul.*6.*q.*7.*n.*6.*in fin.*Monet.*de commut. ultim. volunt. capit.* 7. *numer.* 124. Et cum actus cassationis prævia recompensatione unionis Abbatiæ redundaret in utilitatem Collegii Græci, remanet inutilis prætensio consensus præstandi cum inutilitatem propriam nemo dissentire præsumatur Menoch. *de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 23.*n.* 84. Adden. ad Gregor.*dec.*99 *n.*8.& cor. Cerr. *dec.* 34. *n.*28.

Cessat insuper hæc objecta nullitas, ex quo prædictæ regulæ expresse fuerit in cassatione derogatum, prout firmatum fuit in utraque decisione, nempè coram Cerro *n.* 4. & illa Reverend.D mei Decani 5.Julii 1694.*§ & quoad regulam*. Neque hujusmodi derogatio restringi potest ad pensionem reservatam in eadem gratia favore Card. Mandrutii, quoniam cum fuerit in fine posita per dictionem additativam commodè referibilem ad singula desuper in eadem gratia expressa, omnia præcedentia debet pariformiter qualificare, ad text. *in l* 1. ubi DD. *C.de liber.præter* Rot.cor.Cocc.*decis.*166.*n.*2.*& dec.*267.*n.*16.*& in rec.dec.* 345. *n.*4. *par.* 16.

Præcipuè autem cum in proposito adsit etiam positivus consensus Ministrorum Collegii Pensionarii, qui cassationem præfatam per Instrumentum publicum solemniter acceptarunt, *Summario Collegii Germanici nu.*5. qui consensus utique sufficiens reputari debuit, dum si illius reservatio concepta fuerat favore Rectoris, Administratoris, & Scholarium ejusdem, *Summ.Collegii Græci n.* 4. conveniens erat, ut eorumdem consensus in illius cassatione requireretur, & sufficeret, *Auth.contra si filii, C.de repud. & l.nihil jam naturale, ff. de reg. jur.*

Et reasumptis iis firmatis pro remotione hujus objecti *in d. dec. cor. Reverend. D. meo Decano, §. Neque consensus*, quæ iterùm DD. placuerunt; Accedit insuper tacitus consensus resultans ex acceptatione unionis, correspectivè ad dictam cassationem secutæ, & in eadem Bulla cassationis contentæ, qui pariter sufficiens reputatur, Cassador. *decis.*1.*n.*3. Put.*dec.*100.*n.*2.*lib.*2.Cavaler. *dec.* 26.*n* 4. recipiens namque scripturam, eaque utens omnia in eadem contenta approbasse censetur, ad text. *in l.cum Tabernam, §. Idem quæsivit in fin. ff. de pignor.*

Nec obstat, quod hujusmodi consensus debuisset antecedenter ad cassationem intervenire, ex *dec.*327.*p.*2.*rec.*Quoniam cum gratia cassationis emanaverit motu proprio Papæ, utique nullus consensus eam antecedere potuisset tanquam inopinatam, neque etiam contemporaneè interesse, dum tanquam correspectiva ad ultiorem unionem statim fuit effectuata, cum unusquisque præsumatur, ut dictum est consensum præstare, & acceptare ea, quæ in proprium commodum, & utilitatem redundant, Roland. *cons.*19.*n.* 34 *lib.*1.Burfatt.*cons.*304.*n.*5.Rimin. jun.*cons.* 108.*n.*13. Menoch. *cons.*371.*n.*19.Surd.*dec.* 111.*n.* 13.

Quo verò ad ineffectuationem cassationis, vel pensionis reconvalidationem, sive præscriptionem, deductas ex longeva ejusdem pensionis exactione facta per Collegium Græcum, post secutam illius cassationem, cum idem Collegium in Judicio allegaverit, & produxerit titulum reservationis, atque in eo suam intentionem fundaverit, *Summario Germanici n.* 7. Reservatio autem præfata appareat sublata per Pontificiam ejusdem pensionis extinctionem alterius tituli præsumptivi allegatio, ex præfatis solutionibus per longissimum tempus continuatis, deducti, minimè attendi meretur tam ad effectum reiiciendi prætensam reconvalidationem, quàm adductam præscriptionem, cum allegato titulo omninò incompatibilem, *c.pervenit de cens.* de Luc. *de pens. disc. 22. n.* 7.Paris. *cons.*27.*n.*119. *& const.* 114. *n.* 11. *lib.* 1. Rot. cor. Bich. *dec.* 50. *n.*10. & in Bononien. Jurispatron. de Ghisleris 31. Januarii 1695. *§. Aut enim, & seqq. coram R. P. D. meo Pio*, Potissimum in hac materia pensionis in qua Papæ voluntas totum facit, nec ad ipsius inductionem, seu reconvalidationem quidquam operatur Partium consensus, sed unicè venit attendenda authoritas Papæ, dum sumus in tali genere rerum, quæ in commercio non cadunt, ex firmatis *in dec.* 816. *n.* 7. in hac eadem causa coram Cerro, & ejusdem confirmatoria cor. Reverendiss. Decano 5. Julii 1694. *§. Cessat quoque*.

In acceptatio verò, ejusdem cassationibus minus potest adduci, dum concludenter non probatur in Germanico talis cassationis notitia, ut esset necessarium, adhoc ut ex subsecutis solutionibus talis voluntas in eodem convinci posset, *l. fin. C.plus valer.quod agit*, Menoch. *cons.*389. *n.* 22. Rota coram Coccin. *dec.* 656. *n.* 7. Immò ex mutatione Rectorum per lapsum 18. annor. qui effluxerunt à tempore cassationis, ad illud primævæ exactionis dictæ pensionis factæ per Ministros Collegii Græcorum redditur ad modum verisimile, quod hujusmodi solutiones ex ignorantia processerint, quæ propterea aptæ non sunt præjudicare Germanico, Menoch. *d. cons.* 389. *n.* 22. Rot. cor. Cerr. *dec.* 435. *n.* 19.

Et ita utraque, &c.

R. P. D. SCOTTO.

Romana pensionis super Manutentione.

Veneris 9. *Decembris* 1695.

SIcuti ad dubium super bono jure responsum fuit sententiam latam de voto Rotæ esse confirmandam, eo quia pensio tanquam cassata ampliùs non deberetur Collegio Græcorum, ut ex altera decisione hodiè coram me edita, ita etiam quoad præsens dubium super manutentione insimul per me propositum resolutum fuit illam esse denegandam Collegio Græcorum.

Etenim cum de cassatione, & extinctione hujusmodi pensionis clarè constet per litteras Apostolicas motu proprio, & de plenitudine potestatis emanatas utique attendi non meretur longæva possessio ejusdem Collegii, præsuppositanamque prædicti Tituli invaliditate sibi locum vindicat regula, quod petitorium absorbeat possessorium, & consequenter, quod manutentio sit deneganda Collegio Græcorum, ex traditis per Abbat. *in cap.consult.n.*9.*de jurepatr.* Rot. *dec.*167.*n.*9.*&* 10. *p.* 2. *divers.* cor.Dunoz jun. *dec.* 798. *n.* 6. cor. Bichio *dec.*396.*n.*29. & cor.sa.me.Alex. VIII. *dec.*234. *n.* 32. & 33.

Hinc propterea adversari non videbantur ea, quæ circa turbiditatem prædictæ cassationis denuò repetebantur pro parte dicti Collegii Græci. Quoniam cum exceptiones omnes ex adverso oppositæ sint omninò extrinsecæ ipsimet cessationi, quæ nullo vitio apparenti potest notari, ejusq; legalitas, & relevantia, prout in subsistentia extrinsecarum exceptionum fuerint plenè cognitæ per duas decisiones ante sententiam emanatas, & hodiè iterum coram me respectivè comprobatæ in decisione super bono jure, quarum fundamenta pro concedenda, vel deneganda manutentione, semper solet nostrum Tribunal in maxima consideratione habere, ut videre est *in dec.*623.*n.*25.*p.* 18. *& dec.* 277.*n.*12.*p.*19.*rec.* his positis exceptiones prædictæ dici non possunt aptæ ad inducendam turbiditatem in d.Cassatione, undique clara, per quam infecta remansit possessio Collegii, Posth. *de manut. obser.*42.*n.*137. *& seqq.& n.* 142. Rot. *dec.*105.*n.*6. post Zacch. *de oblig. Cam.* & coram Cerro *dec.* 757. *n.* 10.

Et ita utraque, &c.

RO-

ROMANA CONTRIBUTI SEU CONCURSUS CUM CANONICI JUNIORIBUS PRO CANONICIS ANTIQUIORIBUS, AC PENSIONARIIS BASILICÆ VATICANÆ.

Discursus pro veritate.

De concursu prædecessoris, vel successore in beneficio, sive antiquorum, & modernorum Canonicorum in solutione pensionum super Canonicatibus, vel beneficio reservatarum.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Pensio deducitur à fructibus tanquam species oneris realis.*
3 *In Massa Capitulari ponendi sunt fructus, qui super sunt detracta pensione.*
4 *Pensionarius super fructibus est potior omnibus creditoribus beneficiati.*
5 *Creditor agens ex persona sui debitoris non habet majus jus, quàm habeat ipse debitor.*
6 *Pensionarius, vel Capitulum non potest remittere, vel nolle quærere fructus in præjudicium pensionarii.*
7 *Vacante Canonicatu Capitulum tenetur solvere pensionem super eo reservatam, & quod supereset distribuere interessentibus.*

DISC. XXIII.

JUxtà seriem, de qua *sub tit. de Canon. disc.*9.In Basilica Vaticana, (ut etiam in aliis Basilicis, & Collegiatis Urbis) pro meliori cultu, commendabiliter introductum 1 est ut omnes fructus, ac redditus mensæ capitularis reducantur in massam, ac distribuantur Canonicis, Beneficiatis, & Clericis per punctos ad formam distributionum, ratione servitii, ac interessentiæ personalis; Pro commodiori autem Canonicorum, & Beneficiatorum substentatione, & ne anni finem, vel fructuum perceptionem expectare cogantur, inolevit usus deputandi idoneum mercatorem, qui cum certa mercede, assignatis sibi eisdem fructibus suo tempore exigendis, singulis mensibus distribuat illam ratam, seu portionem, quàm factis calculis eorumdem fructuum, ac redditu, creditur posse importare, facta totius anni peræquatione; Cum autem occasione visitationis Apostolicæ de anno 1656.compertum esset, quod dictus mercator, seu depositarius, ex causa hujusmodi distributionum, seu mensfruarum portionum esset creditor in notabili summa, adæquabant quidem nomina debitorum mensæ non tamen promptè exigibilia, atque dictæ visitationis Congregatio mandasset, ut depositarii debitum solveretur ex fructibus currentibus, quo impediebat satisfactionem aliquarum mensfruarum portionum decursarum ac etiam currentium, in præjudicium tam Canonicorum, & Beneficiatorum præsertim juniorum, qui participationem non habuerant illius distributionis, ex cujus causa depositarius remanebat creditor, quàm etiam habentium pensiones super Canonicatibus & Beneficiis; Hinc ex parte Canonicorum juniorum, ac pensionariorum desuper pro veritate consultus fui de meo sensu.

Quatenùs pertinet ad pensionarios, cum dicto creditore super fructibus, ac effectibus extantibus, seu præsentibus concursum habentes; Pro ipsis absque dubio, 2 respondendum censui, quoniam pensio est onus reale beneficii super fructibus, ex quibus illa deducenda est tanquam pars ab eis extracta, & pensionario assignata, Roman. *cons.* 388. *num.*9. Crescent. *dec.* 3. *num.* 2. *de solut.*cum aliis per Salg.*in labyr.p.*1.*c.*42.*n.*16. *cum seqq.*Rota *dec.*407.*n.*2.*p.*3.*rec.*in Leodicen.Canon.S.Dionysii 15. Jan. 1652.cor.Cerr.& pluries in præcedentibus; Et consequenter sub massa capitulari cadente sub dispositione, ac administratione Capituli debitoris, non cadunt nisi fructus, qui supersunt detracta rata debita pensionario, tanquam species oneris realis, Mellin. *dec.*448.*n.*3.alias *dec.*133.*p.*2.*rec.*

Atque ex hoc prodiit conclusio, de qua pluries in præ- 3 cedentibus ex collectis per Salgad.*d.p.*1.*c.*42.*n.* 14.*& seqq. & cap.* 24.*n.*1. *& seqq.* Rota apud Dunozett. *dec.* 999. cum aliis jam allegatis, ut pensionarii super fructibus beneficii, potiores existant quibuscumque creditoribus beneficiati quantumvis anterioribus, ac potioribus, inter ipsos verò intret regula, *qui prior*, ideòque cum creditor in bonis, vel juribus, ad quæ concurrit ex persona sui debitoris, non possit habere majus jus, quàm habeat ipse debitor, cujus personam repræsentat, ac jura exercet tanquam ejus legalis procurator, ut in sua materia *sub tit.de credito*, & alibi pluries, cum sit principium certum Hinc proindè sicuti ipsum Capitulum non posset ponere in massa, sibique appropriare ratam fructuum singulorum Canonicatuum gravatorum pensionibus in præjudicium pensionariorum, ita non potest id agere ejusdem Capituli creditor, ex regula, *nemo plus juris, &c.*

Hinc habemus, quod possessor beneficii, vel eo vacante Capitulum, cui aliàs ipsius beneficii, vel Canonicatus fructus accrescunt, non potest nolle acquirere, vel remittere fructus in præjudicium pensionarii, ut *d. decis.* 307. *n.* 4. *& seqq. & num.* 9. *p.* 3. *rec.* Atque si Canonicatus pensione gravati vacant, sive de illis provisi interesse, ac servire negligunt, unde propterea juxtà dispositionem Concilii Tridentini, de qua pluries in sua materia *sub tit. de Canonicis, & Capitulo*, distributiones accrescunt interessentibus, adhuc tamen Capitulum, ac interessentes percipere non possunt, nisi id, quod supereat, detra- 5 ctis pensionibus, ad quas Capitulum tenetur ex massa, perindè ac si possessor Canonicatus inserviisset, ac participare deberet, juxtà veriorem opinionem, quàm rejectis contrarium tenentibus firmavit Rota apud Millin. *d. dec.*448. *repet.* 133.*p.*2.*rec.* in dicta Leodien. Canonicatus 15. Januarii 1652. coram Cerro, cum aliis per Barbos. *in* 6 *praxi exigendi pensiones p.* 1.*c.*7.*n.*20. Idque hodie remanet extra quæstionem, ex dicta ratione, quod non potest beneficiatus nolle quærere in præjudicium pensionarii, neque jus accrescendi in casu absentiæ, vel vacationis comperens aliis interessentibus præjudicare potest pensionario in illa portione, quàm ut dictum est, Papa reservando pensionem, abstraxit Titulari, & assignavit pensionario.

Alii verò puncti controversiæ inter dictum creditorem, & Canonicos juniores prætendentes, quod pro de- 7 bito, de quo ipsi non participaverant, eorum mensfruæ portiones in fructibus currentibus impediri non deberent, quodque supplendum esset per Canonicos antiquiores superstites, sive defunctorum hæredes ob exactionem plus debito factam, non percutiunt materiam pensionis, sed terminos diversos, ideòque de eis agitur *sub tit. de Canon. & Capitulo disc.* 9.

ADNOT. AD DISC. XXIII. cum seqq.

DE concursu, seu contributo inter prædecessorem, & successorem in beneficio in his *disc.* contento, postmodum actum non fuit; Conferunt tamen ea, quæ habentur *sub tit. de benefic. disc.* 81. *& seqq. & in eod. tit. disc.* 137 & 138.

Aliæque ex decisionibus enunciatæ *in disc.* 24. habentur impress. *dec.* 343.*p.*14. *&* 356.*p.*15.

NERITONEN. PENSIONIS PRO EPISCOPO, CUM HÆREDIBUS EPISCOPI PRÆDECESSORIS.

Sive cum cessionario Cameræ succedentis in spolio.

Casus decisus per Rotam, ut infrà, & adhuc pendet.

De concursu passivo Titularis successoris, & prædecessoris, vel ejus hæredis in solutione pensionis pro rata perceptionis fructuum, & quomodo onus inter eos dividi debeat.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De stylo Nunciaturæ Neapolis computandi annum pro divisione fructuum, & n.* 5.
4 *Quomodo debeat regulari contributum in pensione ex fructibus.*
5 *Ad quem effectum attendatur calculatio anni naturalis.*
6 *Quando annus reguletur à die reservationis pensionis.*
7 *Laudatur stylus, de quo n.* 3. *& quod sit regalis.*
8 *Quando incipiant fructus produci, & nasci.*
9 *Annus quiescens, ut fiant segetes dicitur cooperari in fructu, & venit in calculo.*

10 *Si fit reservatio incœpto anno productionis fructuum, nil refert, sed pensio debetur de re collecta illius anni.*
11 *De aliis decisionibus super hac eadem Ecclesia Neritonen.*
12 *In fructibus civilibus regulatur annus per dies, & menses juxta cursum naturalem.*
13 *Quando dicatur pensio anticipata remissivè.*
14 *Ad quem spectet solutio primi termini, qui de proximo maturavit penès successorem, qui adhuc non percipit fructus remissivè.*

DISC. XXIV.

1 Cum de Ecclesia in Neritonen. initio Januarii 1634. provisus esset Fabius Chisius, (qui postmodum ad Summum Pontificatus apicem sub Alexandri VII. nomine evectus fuit ead. die, ultrà pensionem antiquam reservata fuit nova super istius Ecclesiæ fructibus ad favorem Cardinalis Barberini scutor. 500. solven. in duobus terminis, uno scilicet Nativitatis S. Joannis Baptistæ, & altero Nativitatis Domini proximè sequen. & sic successivè; Cùmque per translationem dicti provisi ad Ecclesiam Imolen. Alter de ista Ecclesia provisus esset, atque ad breve tempus sub die 2. Decembris 1654. obiisset hinc ejusdem Episcopi defecti frater, & hæres, juxtà stylum se composuit cum Nunciatura Neapolis, reportata jurium cessione, cum solita clausula, *supportatis oneribus*, unde percepit omnes fructus tam collectos in dicto anno 1654. quam sequentis recollectæ anni 1655. atque continuante vacatione de anno 1656. idem transactarius gratiosè a dicto Alexandro VII. obtinuit condonationem fructuum aliàs ad Cameram spectantium pro toto tempore vacationis, cum ead. clausula, *supportatis oneribus*; Cumq; eodem anno Ecclesia provisa fuisset de Episcopo, qui possessionem accepit initio mensis Junii; Hinc inter noviter provisum, ac præfatum Cameræ cessionarium facta fuit divisio recollectæ ejusdem anni, quia scilicet de frumento, aliisque bladibus, cessionarius obtinuit tres ex quatuor partibus, aliam verò quartam Episcopus, de oleo verò, & vino facta fuit æqualis divisio.

Quemadmodum autem in divisione activa percipiendi fructus concordes fuerunt, ita è converso nimium discordes in divisione passiva oneris pensionis pro tribus terminis, qui remanebant debendi ultimo maturatis, nempè Decembris 1655. ac duorum sequentium anni 1656. Et introducta causa prius cor. A. C. deindèque per appellationem in Rota cor. Taja, sub die 6. Martii 1665. prodiit resolutio Episcopo favorabilis, ipsum scilicet non teneri ad contribuendum in dicto termino Decembr. 1655. pro duobus autem terminis anni 1656. teneri pro rata fructuum perceptorum; Repropositа verò causa sub die 22. Junii ejusdem anni, reformando dictam resolutionem, dictum fuit, Episcopum teneri ad contribuendum pro quarta parte in dicto termino Decembris 1655. & in primo termino Junii 1656. alterùm verò terminum Decembris sequentis integrè solvi debere ab ipso Episcopo absque dicti cessionarii obligatione contribuendi, & repropositа causa coram eodem, sub die 6. Februarii 1668. recedendo ab ultimo, perstitum fuit in primo decisis, atque expedita sententia, denuò commissa fuit causa appellationis in ead. Rot. cor. Carpinea, cor. quo sub die 10. Decembris 1668. prodiit resolutio pro dictæ sententiæ confirmatione, sed altera parte non acquiescente, ac petente remissoriam ad melius probandum modum percipiendi fructus, & quomodo illorum distributio facta esset, licèt juxtà stylum, illa forte de stricto jure deneganda esset ad quamdam tamen exuberantiam concessa fuit, atque in hoc statu causa pendet.

3 In his disputationibus tam coram A. C. quàm in Rota, totum scribentium hinc indè certamen versabatur in puncto, (qui Rotæ variandi occasionem præbuit,) an attendi deberet computatio anni juxtà cursum solarem, seu modum currentem, quo utimur, ab initio scilicet mensis Januarii, in quo hujus pensionis reservatio facta erat, vel potius juxtà consuetudinem Tribunalis Nunciaturæ Neapolis, initiandi scilicet annum juxtà diversas fructuum species; In frumento nempè, & hordeo, aliisque frugibus à die prima Septembr. In vino de prima Novembr. Et in oleo aliisque fructibus hyemalibus à die prima Decembr.

Scribentes etenim pro dicto Cameræ cessionario; acriter insistebant, quod juxtà hanc stylum computatio fieri deberet, indèque inferebant, quod cum termini Decembr. 1655. & Junii 1656. solvendi essent de recollecta anni initiati à prima Septembris, Novembr. & respectivè Decembris 1655. ac terminati in ultima Augusti, Octobris, & respectivè Novembris 1656. ita cum isto calculandi modo omninò excludebatur terminus Decembr. 1656. utpotè referendus ad aliam sequentem recollectam anni 1657. In dictis verò duobus præcedentibus terminis dicebant Episcopum debere plus contribuere ad ratam fructuum perceptorum; E converso autem, ceteri scribentes pro hac parte insistebant, ut attendi deberet computatio annorum juxtà dictum ordinem, qui ubique ac in omnibus materiis servatur non curato dicto stylo Nunciaturæ, utpotè militante in diverso casu, ubi scilicet controversia sit inter ipsam Nunciaturam, & hæredes beneficiati prædecessoris, vel eandem, & noviter provisum, juxtà casus, de quibus infrà in Anglonen. *disc. 25. & aliis proximis*.

Concorditer autem admittebant conclusionem, quæ juxtà opinionem Rotæ, & Curiæ Romanæ, (quicquid antiquiores variaverint) est hodie recepta, & ampliùs non cadens sub quæstione, ut neglectis temporibus, in quibus pensionis solutio gratia commoditatis præfinita fuit, sumendo initium à die reservationis, ac terminando die sequentis anni, attendatur integra fructuum recollecta, ex qua proportionabiliter, ac pro rata integer annus pensionis, seu duo termini solvi debeant, ex ratione in præcedentibus pluries insinuata, quod pensio aliud non fit, nisi quædam pars, seu rata fructuum, per Papam à Titulari abstracta, & pensionario assignata, adeòut inter Titularem, & pensionarium, ita constituta videatur in fructibus singulorum annorum quædam species societatis, seu communionis, cum onere tamen Titularis jure implicitæ sibi demandatæ administrationis, vel concordiæ ad lites evitandas, præstandi pensionario pro ejus fructuum portione prætium in certa uniformi quantitate, juxtà illam fructuum taxam, quæ fit in societatibus officiorum, sive in contractu trino cum similibus, ut apud Peniam *dec.* 703. Coccin. *dec.* 327. Cavaler. *dec.* 129. Buratt. *dec.* 670. & plenius apud Duran. *dec.* 448. quæ reputatur in materia magistralis, & ex modernis advertunt Antonell. *de tempore legali lib. 1. c. 38. n. 14.* Tondut. *hoc tract. c. 20. n. 7. & 1. tom. resol. Canon. c. 20. n. 9.* & in hujus causæ decisionibus.

Scribens ego pro Episcopo, quamvis more Advocati, procederem quoque cum sensu aliorum pro eadem parte scribentium, non attendi scilicet dictum stylum Nunciaturæ, sed alium ordinem calculandi annos pro regulanda pensione, potissimè dum Rota pro prima vice cum hoc sensu processit, atque licèt posteà variaverit, attamen ad eum rediit.

Attamen reflectendo, ad veritatem credebam veriorem esse sensum scribentium in contrarium, quod attendi deberet dictus ordo regulandi annum, quem dictus stylus Nunciaturæ servat, utpotè legalis ubique tenendus; Verùm advertebam æquivocum clarum eorumdem scribentium pro altera parte esse circa applicationem, seu consequentiam, cum dictus modus calculandi annos à die reservationis percutiat magis jus, vel interesse ipsius pensionarii, ac decidendis controversiis inter Titularem, ac hæredes pensionarii morientis infrà annum super repartitione pensionis, & quidnam pro tempore decurso esset solvendum juxtà controversiæ casum, de quo infrà in Aversana *disc.* 28. & in aliis proximis, ad quem effectum vulgò dicitur annus pensionarius, ideòst initium sumens à die reservationis, non autem ad istum effectum.

Quod autem dictus calculandi modus, quem tenet Nunciatura, juxtà diversam fructuum naturam, seu qualitatem, ab initio scilicèt mensium Septembris, Novembris, & Decembris respectivè, esset legalis non proveniens à particulari stylo, (ut malè hinc indè credebatur, sed à juris dispositione, ac medulla; Clarè probari advertebam ex regula textus *in l. si constante, ff. solut. matrim.* quam ex communi traditione scribentium ibidem habemus in divisione fructuum illius anni, in quo contingat separari, vel solvi matrimonium inter virum, & uxorem, eorumque respectivè hæredes, ex deductis *sub tit. de dote disc. 160.* Quod scilicèt cujuslibet recollectæ fructus pro rata temporis quo matrimonium duravit, seu onera supportata sunt, repartiri debent, calculando annum ab illa die, in qua recollectis fructibus jam maturis, natura incipit concipere fœtum novorum fructuum anni sequentis.

Quamvis enim in nostro humano sensu, ac attento facto,

cto, fructus produci, ac percipi dicantur, quando illorum obtinemus utilitatem, eosque maturos colligimus. Attamen ipsi produci dicuntur ab ipso instanti, quo terra jam exonerata à fructu præterito, concipere incipit fructum futurum, quem ita aliquo tempore in ventre retinet, deindèque exiguum parit, in dies crescentem, usquequò maturus fiat, ut colligatur; Adinstar mulieris, quæ post am editum partum, denuò concipit; atque conceptum retinet novem mensibus in ventre, deindèque parit parvulum, quem lactè, seu aliàs nutrit usquequò fiat vir; Sive in proposito fructuum, adinstar fœtum animalium, in quibus intrat idem ordo conceptionis, ac nutritionis, usquequò ipsi fœtus reddantur ad statum, quod dici valeant esse in fructu, per usum, seu venditionem.

9 Hinc propterea, juxtà traditionem DD. *in d. l. divortio*, præsertim Castrens. & aliorum, de quibus *d. disc. 160. de dot.* ubi post frugum collectionem, ad effectum alterius recollectæ, oportet facere fegetes, ac relinquere annum quiescentem, ut uno, vel duobus annis sequentibus seratur, tunc etiam ille annus otiosus segetum computatur in termino, atque dicitur productivus frugum, tanquam earum præparativus ad futuram conceptionem, adeòut si terra in uno anno debeat quiescere, & in altero laborare, tunc integrum biennium, unum annum constituit, atque æqualis repartitio facienda est, & sic successivè, si in uno quiescat, & in duobus laboret, vel è converso, ex latiùs deductis *d. disc. 160. de dote*, ubi de sylvis cæduis, aliisq; fructibus, qui diversimodè percipiuntur, eorumque difformis est perceptio.

Et his stantibus, rationabiliter inducta est dicta anni calculatio, quoniam ex tunc respectivè, separato à solo, ac recollecto antiquo fructu, terra incipit concipere, ac successivè parere, & nutrire novos fructus, usquequò maturentur, ac habiles fiant ad nostrum usum.

10 Æquivocum verò, ut dictum est, consistebat in applicatione, quoniam quando Papa initio Januarii 1634. controversam pensionem reservavit, destinando solutiones in mensibus Junii, & Decembris ejusdem anni, ita assignavit pensionario ratam futuræ recollectæ illius anni jam incœpti à mensibus Septembris, Novembris, & Decembris respectivè, & ut sequitur terminandi, concedendo pensionario quandam, licèt in modico, anticipatam perceptionem anni per quatuor, ac respectivè duos, vel unum menses jam inchoati; Et consequenter sicuti primi duo termini primi anni 1634. solvi debuerunt ex illa recollecta terminata in ultima die mensium Augusti, Octobris, & Novemb. sequentium, & sic successivè de anno in annũ, ita dictus ultimus terminus anni 1655. solvendus erat ex recollecta eodem anno jam facta in Augusto, Octob. & Novemb. respectivè, quàm integrim dictus Cameræ cessionarius habuerat, absque aliqua participatione Episcopi, qui propterea si non habuit commodum fructuum, non debebat sentire incommodum pensionis.

Termini autem Junii, & Decembr. anni 1656. solvendi erant cum recollecta ejusdem anni, incœpta à prima Septembr. Novembr. & respectivè Decembr. 1655. adeòut novus Episcopus ferè in fine anni frumentarii, aliarumq; frugum possessionem adeptus sit, de alio verò fructu, vini, & olei, aliquam majorem habuerit participationem, undè meritò dicta inæqualis fructuum repartitio facta fuit, & ad quam ratam pensio quoque repartienda erat, idque mihi planum, satisque facilè videbatur, neque credebam, quod causa esset tanta dote digna.

Quodque reservata etiam pensione infrà annum, pensionarius duos terminos, seu integrum pensionis annum
11 per speciem alicujus anticipationis obtinere debeat ex illa recollecta imminente; Clarè probari dicebam ex decisionibus Peniæ 1172. & 1223. individualiter loquentibus de consimili pensione super hac eadem Ecclesia, quod quamvis reservatio facta esset de mense Aprilis, adhuc solvenda esset de illa recollecta proxima, frugum, ac vini, & olei.

Tunc autem annus pensionarius attendendus est, ini-
12 tiandus scilicet à die reservationis, quando agitur de fructibus civilibus, qui in die percipiuntur, & non habent temporum distinctionem, juxtà ea, quæ generaliter habentur *d. disc. 160. de dote* & in his terminis Cavaler. *decis.* 104. Duran. *dec. 20. dec. 278. n. 10. p. 2. rec.* cum aliis in Anglonen. *disc. seqq.* ac etiam in proposito repartitionis fructuum habetur *sub tit. de benef. disc. 81. & seqq.* ubi generaliter de materia.

Et quamvis scribentes hinc indè nimium se involverent

in altera inspectione, An scilicet, & quando ex præfinitione terminorum pensio dicatur anticipata, vel posticipata, de quo Lother. *lib. 1. q. 44.* Gratian. *discept. 48. n. 47.* 12 *& seqq.* Rota apud Duran. *d. dec. 448.* & in Magistrali Monopolitana pensionis cor. Sacrato apud Marchesi. *de commiss. p. 1. fol. 642.* Attamen ad effectum præsentis quæstionis videbatur labor inanis, cum ista quæstio percutiat diversos terminos, controversiæ scilicet inter Titularem, & hæredes pensionarii, juxtà casum, de quò infrà in d. Aversana *disc. 28.* vel controversias inter prædecessorem, & successorem in beneficio, ad effectum videndi, cui incumbat onus solvendi primum terminum, qui maturat post beneficii transitum de uno in alium juxta quæstionem, de quà infrà in Mediolanen *disc. 26 cum similibus*.

Ad istum verò effectum nil referebat, quia semper ve- 14
rum erat integrum annum, sive primos duos terminos anni 1634. in quo facta fuit reservatio, de ejusdem anni recollecta solvi debere, & sic successivè.

ANGLONEN. CONTRIBUTI
PRO FRANCISCO ATONIO DE LUCA ARCHIEPISCOPO NAZARENO
CUM
CAMERA, SEU NUNCIATURA NEAPOLIS.

Casus disputatus coram Thesaurario.

De eadem materia contributionis in solutione pensionis inter prædecessorem, & successorem, vel Cameram pro tempore vacationis; Et de eodem stylo Nuntiaturæ Neapolis, de quo *disc. præced.*

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quomodo computetur annus fructuosus pro repartitione fructuum.*
3 *De stylo Nuntiaturæ Neapolis repartiendi pensionem in ratione solius temporis naturalis, qui reiicitur n. seqq. & n. 10.*
4 *Verius est attendi debere perceptionem fructuum, eorumque proportionem.*
5 *De materia divisionis fructuum remissivè.*
6 *Describuntur redditus hujus Ecclesiæ.*
7 *In fructibus civilibus intrat computatio, de qua n. 3.*
8 *Et quando neque in istis.*
9 *In naturalibus verò attenditur rata, & proportio fructuum.*
10 *De impugnatione styli, de que n. 3.*

DISC. XXV.

1 Promotus Franciscus Antonius de Luca Archidiaconus Melphitensis ad Ecclesiam Anglonensem gravatam pluribus pensionibus, quarum solutionis termini statuti fuerunt initio, seu octava de mensium Septembris, & Martii possessionem adeptus initio Julii 1654. atque compositione facta cum Camera, seu Nuntiatura Neapolis super fructibus, qui remanebant exigendi, vel colligendi prorata vacationis assumpsit in se onus solvendi, ut solvit primum terminum de proximo maturandum in mense Septembris ejusdem anni; Dimisit verò eandem Ecclesiam de mense Februarii 1667. ob ejus translationem ad 2
Ecclesiam Nazarenam, de cujus statu, & prærogativis habetur *sub tit. de jurisd. disc. 20.* Cùmque dictus primus terminus Septembr. 1654. solutus esset pensionariis, potiùs transactorio, quàm proprio nomine, ex tota, vel satis notabili parte recollectæ spectante ad Nuntiaturam pro tempore vacationis hinc proindè (regulando novum annum juxta ipsius Nuntiaturæ stylum enunciatum in Neritonen. *disc. præced.* Pro frumento scilicet aliisque frugibus, à prima Sept. Pro vino a prima Nov. Et pro oleo, ac herbis, glandibus, castaneis, aliisque fructibus hyemalibus à die prima Decembr. ejusdem anni 1654. in causam propriam, ac novæ recollectæ ejus primi anni, ita incœpti, dictas pensiones solvere cœpit cum primo termino Martii 1655. atque ita continuavit ad totum terminum maturatum in mense Septembris 1656. inclusivè.

Quia verò ad paucos dies, post dimissionem sequutam maturavit terminus Martii 1667. Hinc super istius solutione, orta est controversia, prætendentibus Camerali-
bus, seu ministris Nuntiaturæ calculare tempus ab uno ter-
mi-

mino ad alium, juxtà assertum ejusdem Nuntiaturæ stylum, & consequenter cum à die 8. Sept. 1666. ad diem 20. Februarii 1667. effluxi essent menses quinque, & dies circiter 12. ita deberet Episcopus solvere integrum istum terminum, eo minus, quod importarent illi 18. circiter dies, qui deficerent ad supplendum semestrem, nulla ratione habita de aritmetica computatione, seu proportione fructuum illius anni, seu recollectæ, facta omnium debita peræquatione; Et quamvis pluries, ac pluries ego desuper ab Urbe scripturas transmiserim ad probandum, quod pensio solvenda esset ex fructibus, & ad eorum ratam, ut scilicet, qui plus percipit, plus contribuat, non tamen possibile fuit illos ministros reddere capaces, aliam
4 non adducentes rationem, nisi stylum; Undè interposita appellatione à denegata justitia, & introducta causa cor. Thesaurario Generali.

Scribens pro dicto Episcopo, seu Archiepiscopo, (etiam cum sensu veritatis,) dicebam prorsùs erroneum esse dictum assumptum in calculando tempus pro hujusmodi contributo juxtà terminos ad solutionem præfinitos, dum juxtà pluries firmata per Rotam, inhærendo ei, quod verè est de jure, nullatenus deferendum est ordini terminorum, qui gratia commoditatis solvendi, vel respectivè exigendi præfinitur, cum attendi debeant fructus, ac integra recollecta, itaut quælibet recollecta integra solvat quemlibet annum integrum pensionis, seu duos terminos; Et consequenter in eo anno, in quo beneficium gravatum possessores mutavit, contributum fieri debet per eos ad proportionem fructuum perceptorum, ut qui plus recepit, plus contribuat, juxta dec. 703. Peniæ 129. Caval. 670. Buratt. & 448. Duran. & ut latiùs advertitur in d. Neriton. *disc. præc.* Iniquum enim, ac irrationabile esset,
5 quod si prædecessor in primo semestri penè totam recollectam fecisset cum sola primi termini solutione, immunis à secundo termino remanere deberet; Atque successor nihil, vel modicum de recollecta illius anni participando teneri ad solutionem dicti integri secundi termini; Et è conversò juxtà ea, quæ tam de pertinentia, & divisione fructuum, quàm respectivè de contributo ad onera bonorum dotalium, habentur per DD. ad materiam text. *in l. divortio, ff. solut. matrim.* ex deductis *sub tit. de dote disc.* 160.

Applicando autem ad rem; Redditus istius alias nimis
6 pinguis, ac ditissimæ Ecclesiæ pro majori parte consistunt in quibusdam contributionibus, seu oblationibus, quas bis in annò singulis diœcesis præsbyteri tanquam per speciem cathedratici, seu capitationis Episcopo solvunt, & in emolumentis cancellariæ, ac in feudo Anglonæ, cujus penè totus notabilis fructus consistit in herbis hyemalibus, cum æstivarum satis modica sit utilitas; Licèt enim percipiantur aliæque frumenti, aliarumque frugum, ac vini quantitate, non sunt tamen magnæ considerationis, ut præfati alii effectus.

7 Quatenùs ergò pertinet ad emolumenta cancellariæ, quæ sub fructuum civilium nomine veniunt, & quæ in dies, nedum maturant, sed de facto percipiuntur, admittebam intrare dictam ratam, seu proportionem temporis juxtà computationem solarem, ut apud Duran. *dec.* 20. cum aliis infinuatis *eod. disc. præced.*

Quò verò ad dictam collectam, seu capitationem sin-
8 gulorum presbyterorum diœcesis; Quamvis etiam iste esset fructus civilis, qui in dies maturare dicitur tanquam species censuum: Attamen quia exigi non solet, nisi duobus, vel tribus anni temporibus, idcircò pariter attendi debet effectus exactioni, ut qui plus obtinuit, plus contribuat.

Demùm quoad fructus naturales, præsertim herbarum hyemalium dicti feudi, quamvis illi percipiantur in aliquibus mensibus hybernis usque ad initium mensis Maii, attamen mos est, quod pastores, vel domini animalium ibi depascentium conventam pensionem, seu fidam non
9 solvunt, nisi in ipso mense Maii; Et consequenter Nuntiatura, (dum Ecclesia vacabat) respectu istius corporis, sive effectu integram totius anni recollectam habuit, ideòque portionabiliter integram pensionem ejusdem anni, seu utriusque termini solvere debebat, non autem gravandus erat Episcopus prædecessor ad solvendum ratam pensionis impositam super fructibus istius corporis, quos nullos perceperat; Istaque mihi videbatur genuina veritas, nullatenus curato dicto prætenso stylo calculandi solùm tempus ab uno termino ad alium; Hic enim est error manifestus nullum habens juris, vel rationis fomentum etiam in ipsomet Regno Neapolitano, in quo prodierunt plures ex supra allegatis decisionibus firmantes dictum alium juridicum modum calculandi, ac regulandi contributum, unde per dictas decisiones proditas in causis ejusdem Regni improbabilis redditur dicta prætensa consuetudo, cujus essentiale requisitum est, ut nihil actum sit in contrarium.

MEDIOLANEN. CONTRIBUTI
PRO CARDINALI SABELLO
CUM ALEXANDRO TERZAGO, ET SEMINARIO MEDIOLANI.

Casus disputatus coram A. C. sub incerto exitu, forsan per concordiam.

De eadem materia contributi, seu concursus in solutione pensionis inter prædecessorem, & successorem in beneficio; Et de modo calculandi annos, juxtà stylum Datariæ ab Incarnatione, Et quid referat, ità magis, numerari quàm à Nativitate, seu Circumcisione, ut communiter annus regulatur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Pensionarius agit contra possessorem beneficii pro termino maturato, dum ipse est possessor, licèt adhuc fructus ipse non perceperit.*
3 *An contra possessorem pro terminis decursis tempore prædecessoris.*
4 *Non attenditur ordo terminorum, sed ordo fructuum, & collectarum.*
5 *Ideò nihil refert, quod ordine præpostero fuerit positus ille terminus, qui priùs maturat, nisi seriò id actum sit.*
6 *Annus, à quo tempore initietur, feruntur diversi mores.*
7 *Notarii in Urbe initiant à die Nativitatis, & in Regno Neapolitano à die circumcisionis.*
8 *Dataria computat à die Incarnationis, & quid referat.*
9 *Anni creationis Papæ arguunt, de quo tempore gratia concessa sit.*

DISC. XXVI.

INitio mensis Januarii 1575. reservata fuit per Gregor. XIII. perpetua pensio super præpositura de Breda ad 1
favorem Seminarii Mediolani, dictam Abbatiam possidente Cardinali Alexandrino, per cujus cessum, vel decessum de illa provisus fuit initio mensis Junii 1586. Cardinalis Alexander Perettus nuncupatus de Montealto, à quo ex resignatione facta in vita, cum reservatione fructuum obvenit in Cardinalem Franciscum Perettum nepotem de Montealto pariter nuncupatum, & de quibus Cardinalibus mentio habetur *sub tit. de præemin. disc.* 13. Defuncto autem hoc secundò Cardinali de mense Maii 1655. dictaque Abbatia collata Terzago, triangularis orta est quæstio, inter Cardinalem Sabellum dicti ultimi Cardinalis de Montealto nepotem, & hæredem pariter enunciatum *d. disc.* 13. *de præeminent.* dictum Terzagum successorem, ac Seminarium, quod contra unum, vel alterum agebat pro solutione termini maturati in festo S. Joannis Baptistæ dicti anni 1655. Possessor enim Abbatiæ prætendebat illum solvendum esse ab hærede prædecessoris ex recollecta anni præcedentis, non autem ab ipso, qui de tempore maturationis hujus termino nullum perceperat fructuum; Assumptaque desuper dispntatione cor. A. C.

Scribens pro Sabello, advertebam, quod quatenus 2
pertinebat ad pensionarium, ejus actio, seu intentio sine dubio fundata erat contra possessorem beneficii gravati, absq; obligatione inquirendi, an prædecessor ratione fructuum perceptorum contribuere teneretur, necne, ut *decis.* 130. *n.* 2. *p.* 3. *rec.* Tondut. *hoc tract. c.* 3. *n.* 20. Pensionarius enim quoddam jus reale habet, non quidem ad ipsum beneficium, ejusque substantia in ordine ad spiritualitatem, ac administrationem, sed benè in ordine ad temporalitatem, ac fructus, per quandam speciem affectionis realis, quæ hypothecæ assimilatur, atque sub ejus vocabulo explicari solet, at in præcedentibus pluries advertitur; Prout etiam quandam personalem actionem pensionarius habet saltem causativam adversus possessorem beneficii gravati, quamvis expressè non obligatum de proprio, ratione illius quasi contractus, quem cum pensionarius inire dicitur, qui acceptat beneficium gravatum, ut pariter in præcedentibus.

Et licèt, ut etiam advertitur suprà in Melphien. *disc.* 19. ac

19. ac infrà in Conimbricen. *disc.* 31. adversus successorem super fructibus futuris pro terminis decursis annor. præcedentium non detur actio, nisi quatenus doceatur de diligentiis, secùs autem pensionario negligente; Attamen hæc inspectio cadere non potest, quando terminus adhuc non maturaverat penès prædecessorem, cum ante cessam diem pensionarius nullam haberet actionem, & consequenter mora, vel negligentia sibi imputabilis non est, rectèque maturato termino pro illius solutione agit contra eum quem invenit beneficii gravati possessorem, absq; necessitate indagandi, an prædecessor teneatur, necnè contribuere.

Quamvis autem hæc percuterent jus pensionarii, pro quo non scribebam; Attamen in eis principaliter insi-
3 stebam, ad effectum regulandi solutiones factas per dictos Cardinales de Montealto initiatas in primo termino Nativitatis Sancti Jo: Baptistæ anni 1586. quoniam scribentes in contrarium dicebant, quod cum dictus Cardinalis de Montealto senior Abbatiam obtinuisset initio ejusdem mensis Junii, & sic ad paucos dies, antequam dictus terminus maturaret, nullosque adhuc percepisset fructus, dicti termini solutio spectabat potiùs ad hæredes Cardinalis Sancti Sixti prædecessoris, qui fructus perceperat, & exindè non computato dicto primo termino, sequebatur ultimum controversum terminum Junii 1655. solvendum esse per hæredes prædecessoris, dum scribentes hinc inde concordabant in juris theorica, seu conclusione enunciata *duobus disc. sibus proximè præc.* quod in hac materia non attenditur ordo terminorum, sed qualitas, ac proportio fructuum, ut quælibet recollecta solvet integrum annum pensionis, & de consequenti cum
4 præfati Cardinales Abbatiam spatio 70. annorum possedissent, tenebantur solvere 70. annos pensionis; sive 140. terminos, & non aliud, de quorum solutio primi termini de mense Junii 1586. sibi bonificanda esset, necnè.

Ad id autem inspiciendum, ultrà dictam considera-
tionem, quod cum possessor beneficii gravati de jure convenìri possit a pensionario ad solutionem termini, qui maturat de tempore, quo ipse possidet, ita proprium debitum solvisse dicitur; Assumptus fuit etiam ex integro calculus omnium terminorum Seminario debitorum à die reservationis, quæ fuit sub die 11. Januarii 1574. Undè dicebant scribentes pro Titulari, quod primus terminus esset ille in die Nativitatis Domini dicti anni 1574. stante quod in litteris reservationis designando terminos, primò nominatur iste Nativitatis Domini, & deindè alter S. Jo: Baptistæ.

Utrumque tamen continebat æquivocum; Quatenùs
5 enim pertinet ad ordinem terminorum, quoties expressè non constat de voluntate Papæ, ut pensio purè, ac perfectè reservata, effectum sortiri non debeat, neque solutiones initiarent, nisi post certum determinatum, vel indeterminatum tempus juxta casus temporis indeterminati, de quibus supra in Ravennaten. & Beneventana *disc.* 1. & 2. atque in Ferrarien. de qua *disc. seqq.* dum inter plures pensiones aderant quædam reservatæ sub dilatione temporis determinati, quo casu tanquam in voluntate clara omnis ambiguas cessat, sed solùm ordo desumitur ab ipso ordine scripturæ, seu terminorum destinatione absque aliis dictæ voluntatis adminiculis, quoniam tunc talis ordo, seu præposteratio non attenditur, ideòque si in litteris reservationis dicatur pensionem solvendam esse in diebus Nativitatis Domini, & Sancti Joannis Baptistæ, cum tamen attenta veritate de facto potiùs maturet terminus S. Joannis Baptistæ hic debitus est, dicta præposteratione non curata, juxtà receptam decisionem 24. Seraphin approbatam *dec.* 188. *n.* 7. apud Posth. *de manut.* ejusque mentionem habet Tondut. *hoc tract. c.* 3. *n.* 19. & 20.

Quoverò ad alterum super data litterarum in ann. 1574.
6 sub die 11. Januarii adhuc procedebatur cum æquivoco; Nullibi enim in jure statutum est, à quo tempore annus initiari debeat; Antiqui enim tam Judæi, quàm Ethnici, quorum morem adhuc retinent Astrologi, ac etiam Grammatici in modo calculandi Kalendas, magis frequenter illum initiabant à Kalendis Martii, unde propterea apud Romanos, priusquam adeò cresceret adulatio, ut insensissimorum libertatis occupatorum nomen mensibus tribueretur, Julius, & Augustus, sub nomine Quintilis, ac Sextilis ob dictam computationem nuncupabantur, eodem tamen ordine in reliquis quatuor mensibus sequentibus adhuc hodie de facto continuant; Alicubi verò, ut præsertim erat antiquitùs in Regno Neapolitano, priusquam ex illarum regionum nescio, an bono, vel malo facto, Regni erectio sequeretur, varii erant Principatuum, seu Provinciarum mores, magis verò frequenter annus incipiebat à prima Septembris, quod omninm morum fortè rationabilius videtur pro regulatione fructuum cum ex tunc in frumento aliisque frugibus, quæ ad humanum usum magis necessaria sunt sequuto fœtu antiquorum, natura incipiat concipere novos pro cursu solari, undè plurium Theologorum opinio est ex dicta ratione, quod Mundi Creatio in Autumno sequuta sit, & ex quo fortè inolevit stylus, de quo suprà in Neritonen *disc.* 24. cum diversis moribus relatis *in Theatro vitæ humanæ*, verbo *annus*.

A recenti tamen tempore, ob confusiones, quæ orie-
bantur in dicto Regno post ejus erectionem, ob hujusmodi 7
diversitatem morum in diversis Provinciis prodiit uniformis lex, per quam statuitur generalis usus, qui frequentior est Orbi Catholico, initiandi annum ex die Circumcisionis Domini Nostri prima Januarii; Adhuc tamen eadem morum diversitas in Italia cernitur, quoniam in Urbe licèt dictus communis usus habeatur tam in epistolis familiaribus, quàm in actibus privatis initiandi annum à die Circumcisionis, attamen Notarii in publicis instrumentis illum initiant à die Nativitatis, ut advertitur *dec.* 596. *p.* 4. *rec. tom.* 3. *nu.* 1. *repetit. dec.* 196. apud Posthum. *de manut.* Idque frequenter aliquos incidere facit in æquivoca in modo calculandi annos, ac tempora in actibus, qui fiant in ultimis octo diebus expirantis anni inter Nativitatem, & Circumcisionem; Atque in plerisque Etruriæ partibus intrà, & extrà Principatum M. Ducis Florentiæ, puta in Statu Plumbini aliisque adjacentibus, retento dicto communi usu inter privatos initiandi annum à die Circumcisionis, attamen in instrumentis, aliisque actibus publicis, annus initiatur à die Incarnationis.

Hunc stylum retinent Dataria, & Cancellaria Apos-
tolica in earum litteris initiandi annum ab Incarnatione, 8
quod primo aspectu producere deberet anticipationem per novem menses, adeòut ubi calculando à Circumcisione, annus salutis e. g. calculatur 1665. calculari deberet 1666. cum per dictum novem mensium spatium Incarnatio præcedat Nativitatem, & tamen est totum oppositum, ex ea ratione, quod juxta communem usum incipimus annum ab ipso initio Nativitatis, vel Circumcisionis, juxtà verò dictum alium morem calculus initiatur non ab ipsa Incarnatione, sed post ejus annum completum, & consequenter quando dicitur, (ut in his litteris 11. Januar. 1574.) vult dicere, secundùm nostrum communem usum privatum 11. Jan. 1575. ut ex Covarr. & aliis benè Rot. in Melevitana pensionis 14. Maii 1649. cor. Bichio impress. *dec.* 84. *post contr. Contrii*, & in Placentina beneficii 24. Martii 1662. cor. Bourlemont.

Idque in hac facti specie clarè comprobari observa-
bam ex eo, quod in litteris Apostolicis enunciatur annus 9
tertius Pontificatus dicti Pontificis, qui reservationem fecit, quod verificari non potest, nisi de anno 1575. juxtà nostram communem computationem à Nativitate, seu Circumcisione, dum dictus Pontifex creatus fuit sub die 12. Maii 1572. & consequenter de mense Januarii 1574. erat in anno secundo, non autem in tertio, quam considerationem benè facit Rot. *d. dec.* 196. *n.* 1. & 2. apud Posth. *de manut. repet. d. dec.* 606. *p.* 4. *rec. tom.* 3.

FERRARIEN. PENSIONUM
PRO CARDINALI PIO
CUM CARDINALI DONGO.

Casus disputatus coram Cardinalibus Arbitris, & benevolè sopitus cum concordi temperamento.

De eadem materia contributi, seu repartitionis oneris pensionum inter prædecessorem, & successorem, ac respectivè Cameram intermediam pro tempore vacationis.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Quomodo debeat computari annus pro contributione.*
3 *Qui percipit decem recollectas, debet solvere decem annatas pensionis, & non minus, neque plus.*
4 *Quod in hac materia beneficiali, vel pensionum regulæ contribuit, seu divisiones prodierunt à terminis dotalibus.*
5 *Fructus pendentes pro rata vacationis pertinent ad Cameram, licèt maturent penès provisum.*
6 *Id quod Titularis obtinet ex fructibus in vim compositionis cum Camera non venit in calculo pro tempore suo.*

DISC. XXVII.

1 PRovisus de Ecclesia Ferrarien. Cardinalis Pius sub lege, de consensu pensionariorum in cedula concistoriali adjecta, ut pensionibus decursis nullatenus subjacere deberet, neque pro eis actio competeret ad fructus futuros, suscepta solùm obligatione illas solvendi pro suo tempore, adeptaque possessione initio mensis Aug. 1655. compositionem iniit cum Camera Apostolica super fructibus eo anno pro rata vacationis tam collectis, quàm pendentibus ad ipsam spectantibus, pro certa summa pensionariis assignata; Cumque idem Cardinalis Ecclesiam dimisisset in fine mensis Februarii 1663. atque de ea esset provisus Cardinalis Donghus, qui possessionem adeptus est de mense Maii sequentis, cum aliquibus conventionibus inter dictos prædecessorem, & successorem cum Papæ scientia & approbatione initis, de quibus in alia Ferrariensi *sub tit. de ben. disc.* 84. inter plures ibi enunciatas controversias, quæ occasione dictarum conventionum tractu temporis inter præfatos Cardinales exortæ fuerunt, (benevolè tamen in forma extrajudiciali per duos alios Cardinales utriusque amicos examinatas, & compositas,) fuit ista super contributo in solutione pensionum, seu terminorum hujus an. 1663. in quo possessorum Ecclesiæ mutatio sequuta est.

In disputationibus autem desuper habitis, concordaba-
2 mus scribentes hinc indè super juris theorica, in proximè præcedentibus, insinuata & repetita, quòd in hac materia non attenditur ordo terminorum, neq; fit calculus per menses, ac dies, & tempora, sed totum pendet à proportione fructuum, statuendo regulam, ut quælibet recollecta, integra solvat integrum annum, seu duos terminos pensionis, & sic quot recollectæ, tot anni, ad effectum regulandi contributum, (ubi adhuc vigeat pensio,) inter prædecessorem, & successorem, quidquid sit circa annum pensionarium inter Titularem, ac hæredem pensionarii defuncti pro calculo ratæ pensionis decursæ in eo anno, quo pensionis extinctio sequitur juxtà casum, de quo in Aversana *disc. seqq.*

Discrepantia verò erat in applicatione ad factum, quoniam cum prædecessor adeptus esset possessionem initio mensis Augusti 1656. habuissetque eo anno fructus autumnales, ac hybernos, (cum solùm tunc recollecti essent æstivi consistentes in frumento aliisque frugibus,) & qui fructum autumnales in ea ratione colligi soliti de mensib. Septemb. & seqq. usque ad Decemb. consistunt nedum in vino, sed etiam in aliis, præsertim in quadam specie tritici, quod *marzatellum* nuncupatur; Hinc proindè scribentes
3 pro successore dicebant, quod vinum, & marzatellum, aliique autumnales, vel hyberni fructus à prædecessore percepti à mense Septembris 1662. spectarent potiùs ad successorem, sive affecti essent pensionibus dicti ann. 1663. ex ea ratione, quod cum Titularis in ingressu istos fructus perceperit, non poterat alios percipere in egressu, quoniam si verum est, ut jam concordamus, quod pensio regulari debet ab integra recollecta, ex qua integer annus pensionis solvendus est, eaque divisa, fieri debet contributum pro rata, hinc dari non potest casus, ut prædecessor (e. gr.) percipiat septem recollectas cum dimidio, & solvat solum septem annos, seu quatuordecim terminos, quoniam ita sicuti habet septem recollectas cum dimidio, solvere quoque debet septem annos cum dimidio, seu quindecim terminos pensionis, sive plus, & minus pro rata perceptorum, & è converso, si ex integra recollecta aliquid remanet percipiendum, quod percipiatur per successorem, vel per Cameram, pro ea rata prædecessor relevandus est ab onere pensionis illius anni.

Non negabam ego scribens pro prædecessore istum dis-
4 cursum, ad cujus comprobationem ponderabam ea, quæ circa divisionem fructuum bonorum dotalium inter virum, & uxorem, vel hæredes respectivè (undè prodierunt regulæ in hac materia beneficiaria, vel pensionaria) habentur *sub tit. de dote disc.* 160. quod scilicet, si vir invenit fundum plenum fructibus, plenum quoque dimittere debet, & è contra, ut ita proportio emolumenti, ac onerum sequatur.

Consistebat verò fallacia in applicatione, attendendo, seu calculando solùm tempus perceptionis in ipsis mensibus Sept. & sequentibus, quoniam licèt dictus prædecessor, postquam Ecclesiæ possessionem adeptus erat, dictos fructus de tempore adeptæ possessionis pendentes perceperit, 5
attamen illi, vel in totum, vel pro notabiliori parte anni calculandi, ut supra ab eo die, qua recollectis fructibus anni præcedentis, natura concipere, seu præparare incipit novos fructus futuræ recollectæ, spectabant ad Cameram pro tempore vacationis, ideòque illos perceperat potiùs tanquam Cameræ transactarius, seu cessionarius correspectivè ad summam solutam pensionariis pro terminis decursis, quàm tanquam novus Episcopus jure suo correspectivè ad onus futurum pensionis.

Undè propterea praxis docet, quod si noviter de Ecclesia, vel beneficio provisus, illius possessionem adipiscatur initio mensis Junii, quando triticum aliæque fruges, quamvis adhuc pendeant, ac in solo existant, attamen sunt sub falce, tunc hujusmodi fructus non percipit ipse provisus, sed Camera, vel in totum, vel pro rata, dando proviso illam modicam ratam, quæ cadat sub suo tempore usq; ad secationem, seu collectionem, & sic successivè in aliis ad proportionem, & pro rata, adeòut juxtà insinuata *disc. præced.* etiam anni otiosi, seu quiescentes, utpotè necessarii ad fructuum præparationem ratio habeatur; Et consequenter isti fructus calculandi non erant in causam suc-
6 cessoris, ac pensionis decurrendæ suo tempore, cum potiùs à Titulari percepti essent saltem in parte notabili, potiùs jure, ac nomine Cameræ in vim compositionis, correspectivè ad summam solutam pensionariis pro termino antecedenti, ideòque referri non poterant in causam propriam, adinstar illius ratæ fructuum pendentium, quæ viro assignetur per mulierem, vel dorantem correspectivè ad debita accollata, cum in hac parte non dicatur gerere personam viri, sed potiùs extranei emptoris.

AVERSANA REPARTITIONIS PENSIONIS PRO CARDINALI CAROLO CARAFFA CUM HÆREDIBUS CARDINALIS JOANNIS BAPTISTÆ ALTERII.

Votum arbitramentale.

De divisione pensionis ultimi anni mortis pensionarii inter istius hæredem, vel Cameræ cessionarium, & Titularem, quomodo facienda sit.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Referuntur plures opiniones, an pensionarii hæredibus debeatur rata termini adhuc non maturati, & de computatione anni.*
3 *Pensio non exacta transmittitur ad hæredes.*
4 *Sed Camerales prætendunt, ac practicant contrarium, ut veniat sub nomine fructuum inexactorum.*
5 *De differentia inter computationem anni inter prædecessorem, & successorem in beneficio, & inter pensionarium.*
6 *Quod terminorum ordo non attendatur.*
7 *De distinctione fructuum naturalium, & civilium, & modo percipiendi.*

DISC. XXVIII.

OCcasione vacationis Ecclesiæ Aversanæ per obi- 1
tum Caroli Caraffæ aliàs Nuntii Apostolici apud Cæsarem, ejusque provisionis in persona alterius Caroli nepotis, qui in eodem munere Nuntii apud Cæsarem dignè ad purpuram evectus est, reservata fuit ad favorem Cardinalis Joannis Baptistæ Alterii sub die ultima Junii 1644. pensio scutorum 800. destinata solutione in duobus terminis, quorum primus esset in proxima futura die Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, & alter, juxtà stylum in die Annunciationis; Cùm autem præfatus Cardinalis pensionarius obiisset die 26. Novembr. 1654. remanente inexacto termino maturato, sub die 8. Septembris proximè præteriti; Hinc inter Episcopum, ac dicti pensionarii hæredes, qui desuper cessionem mediante com-

compositione à Camera repurtaverant, orta est extrajudicialis controversia, quidnam ex causa dictæ pensionis debitum esset, prætendentibus hæredibus, nedum deberi dictum integrum terminum maturatum in mense Septembris, sed etiam ratam aliorum duorum mensium cum dimidio circitèr posteà decursorum; E converso autem Titularis prætendebat, neque ad dictum terminum integrum teneri; Quare oretenùs, nulla adhibita forma judicii, vel compromissi, partes nimium benevolè inter se agendo, concordarunt, ut meo voto, seu judicio deferendum esset, & quamvis de stricto jure, strictaque computatione, aliquam probabilitatem haberet Titularis prætensio, ut neque ad integrum dictum terminum maturatum teneretur; Attamen more Arbitratoris, seu Compositoris potiùs, quàm Judicis, vel Arbitri, induxi partes, ut solutione dicti integri termini jam maturati contentæ essent, nulla ratione habita alterius temporis posteà decursi.

In voto igitur, seu discursu desuper edito insinuabam, quod licèt in hac materia plures habeamus opiniones; Unam scilicet Navarr. *in apologia de redditib. Eccles. qu.* 2. credentis, quod decedente pensionario ante maturationem termini præfiniti, nihil per Titularem debeatur; Ac alteram Covar. *lib.* 1. *variar. cap.* 15. *& seqq.* credentium id regulandum esse à suppositione temporis, ac mensium, vel dierum, ab ultimo termino aliàs maturato usque ad obitum, ut opinantur etiam Ministri Nunciaturæ Neapolis, ex supra deductis *disc.* 25. Verior tamen, ac in Rota, & Curia, isto quoque casu recepta est opinio plu-
ries *dicto disc.* 25. & alibi insinuata, ut nulla terminorum ratio haberi debeat, cum illi solam commoditatem solvendi, non autem substantiam pensionis percutiant, sed totum pendeat à perceptione, & qualitate fructuum, ad quorum ratam, ac proportionem pensionis onus regulari debet, cum pluries insinuata regula, ut quot sunt recollectæ, tot sint anni integri pensionis, atque quælibet recollecta solvat duos terminos, vel annum integrum, juxtà pluriès insinuatas Rotæ decisiones apud Pœniam *dec.* 703. Cavaler. *dec.* 129. latè Duran. *dec.* 448. cum aliis per Lother. *lib.* 1. *quæst.* 44. *n.* 16. & in præcedentibus præsertim in Neritonen. *disc.* 24.

Quamvis enim dictæ auctoritates, ac decisiones percu-
2 tiant magis controversiam, seu contributum inter prædecessorem, & successorem; Attamen huic etiam casui, seu controversiæ inter Titularem, ac hæredem pensionarii decedentis infrà annum conveniunt, sub cujus hæredis nomine apud DD. venit ille rei familiaris, cum de jure
3 pensio non exacta, utpotè continens quid merè temporale, ad hæredes pensionarii transmittatur Gabr. *consil.* 191. *lib.* 2. Gig. *cons.* 145. *n.* 7. *& de pension. q.* 52. Buratt. & Add. *dec.* 364. 448. 670. & 481.

Licèt Camerales freti cuidam Constitutioni Pii V. sumptæ per argumentum à contrario sensu, prætendant, ac de facto practicent, ut adinstar inexactorum fructuum beneficii, cadant quoque pensiones sub spolio, ac spectent ad Cameram, quamvis pensionarius haberet Cardinalitium
4 Indultum testandi, quod per Constitutionem Urbani VIII. statutum est, non suffragari pro fructibus inexactis, ex iis, quæ ad hanc materiam habentur *sub tit. de benefic. in Bonon. disc.* 81.

Est bene verum, quod hujus controversiæ casus inter Titularem, & pensionarii hæredem, seu Cameram, non in omnibus identificat cum altero contributi inter prædecessorem, & successorem, sed retenta eadem regula, ut quot sunt recollectæ, tot sint anni pensionis, & sic quod quælibet integra recollecta, integram pensionem unius anni sol-
5 vat, diversificat in modo calculandi, seu initiandi annos, cum non attendatur annus solaris, hodie ex communi usu initiandus ex Kalendis Januarii, minùsque annus fructifer initiandus ex tempore, quo natura exonerata à fructibus jam maturatis, & collectis novos concipere incipit, juxtà insinuata supra *disc.* 24. & 26. & in aliis, sed initiatur à die reservationis, unde propterea ad differentiam, iste vocatur annus pensionarius, ideòque si ille, cui reservata est pensio vivat (e. gr.) annis novem cum dimidio; prætendere non poterit integram participationem decem recollectarum, sed tantùm novem, ac pro medietate decimæ, & sic proportionabili ter, ac pro rata, non curato ordine terminorum, & an primus dici debeat anticipatus, vel posticipatus, quoniam ut dictum est, id percutit commoditatem pensionarii exigendi antequam fructus colligantur, vel respectivè Titularis non solvendi, nisi post fructus jam recollectos, juxta magistralem decisionem in Metropolitana coram Sacrato impress. apud Marches. *par.* 1. *fol.* 642. *passim* 6
receptam repetit. dec. 110. *par.* 3. *rec. & dec.* 98. post Vivian. *de jurepatron.* cum aliis deductis *in dicta dec.* 448. *Durani*, Buratt. *dec.* 670. *& frequenter.*

Applicando autem ad rem, atque distinguendo species fructuum. Quatenùs pertinet ad civiles, in quibus major pars consistit, ut sunt emolumenta cancellariæ, census, pensiones furni, & domorum, quædam gabella, ac etiam proventus piscationis cujusdam lacus, intrat de plano computatio in dies, ac tempora, cum isti dicantur fructus, qui dietim, singulisque horis, ac momentis percipiuntur, & consequenter, terminato anno pensionario in die ultima Junii 1654. competebat solùm participatio quatuor mensium, & 25. dierum, cum pro annis præcedentibus terminus solutus de præcedenti mense Martii adæquaret; Quo verò ad fructus naturales, cum primus terminus solutus esset de recollecta illius anni, & sic esset in ordine ad 7
pensionarium anticipatus, quamvis in ordine ad Titularem potiùs posticipatus, idcircò aliam participationem de ultimi anni recollecta prætendere non poterat, quoniam esset dare, ut pro decem annis participaret de undecim recollectis, quod de jure non procedit, & consequenter eadem proportio habenda erat, itaut rigorosè neque integer terminus jam maturatus debitus esset.

PARMEN. PENSIONIS PRO PANUCCIO PALLAVICINO CUM N. LINATO.

Responsum pro veritate.

De ordine terminorum solutionis pensionis, quando incipiat; Et an etiam pro tempore ante expeditionem litterarum in casu pensionis debitæ per resignatarium resignanti, & conventionibus, quæ desuper habeantur.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Præposterus ordo terminorum non attenditur, & de ratione.*
3 *Pensio non potest exigi litteris non expeditis.*
4 *Sed post expeditionem, prout etiam termini antea decursi.*
5 *Pensio regulatur à fructibus, & quot sunt anni pensionis, tot sunt recollectæ.*
6 *An valeat conventio, ut resignatarius pro fructibus spectantibus ad resignantem solvat aliquid sub nomine pensionis.*

DISC. XXIX.

DE mense Februarii 1667. concluso fuit tractatus re- 1
signationis Canonicatus Cathedralis inter Pallavicinum resignantem, & Linatum resignatarium, sub reservationi cujusdam pensionis, & cessione respectivè aliquorum beneficiorum, adjecta conventione, quod à die præstiti consensus in Dataria, fructus Canonicatus spectare deberent ad resignatarium, ac incipere cursus pensionis; Præstitus fuit consensus de mense Aprilis, sed litterę ob subsequutam mortem Pontificis Alexandri expediri non potuerunt, nisi de mense Julii sub Clemente successore in forma *rationi congruit*, in quibus litteris, distributa solutione in duos terminos, primò explicatus fuit ille Nativitatis Domini, posteà verò ille Nativitatis S. Joannis Baptistæ; Verùm quia resignatarius ad formam conventionis, fructus Canonicatus resignati exegit à dicta die prætitti consensus de mense Aprilis, hinc orta est controversia, an primus terminus, juxta ordinem litterarum esse deberet ille Decembris dicti anni 1667. vel deberetur etiam præcedens mensis Junii ejusdem anni; Quare desuper ex parte Pallavicini pro veritate consultus.

Respondi, quod ubi aliàs de jure dictus terminus Junii debitus esset, nil obstare deberet ordo scripturæ præposterus, cum non iste, sed substantia veritatis in proposito attendatur juxta decisionem 24, Seraph. passim receptam, de qua habetur mentio *dec.* 188. apud Posth. *de manut. nu.* 7. &
per Tondut. *hoc tract. cap.* 7. *n.* 19. ex ea ratione pluries in 2
præcedentibus insinuata, & de qua Lother. *lib.* 1. *q.* 44. *n.* 3. ubi dicta decisio Seraph. etiam allegatur, quod scilicet ordo terminorum non respicit substantialia pensionis, neque illam alterat, sed modum resolvendi.

Minùsque obstare dixi, quod litteræ pro dicto termino expeditæ non essent; quoniam licèt ex decreto irritanti in reservatione pensionis apponi solito, illa exigi non possit aliàs, quàm vigore litterarum, quarum expeditio exactionem omninò præcedere debet, Mantic. *dec.* 286. & 301. Tondut. *cap.* 50. *n.* 1. Adden. ad Buratt. *dec.* 759. cum aliis in Turritana, de qua infrà *disc. seqq.* Attamen id procedit in ordine ad impediendam exactionem, quæ si fieri posset, resultaret negligentia expeditionis litterarum in præjudicium officialium Datariæ, & Cancellariæ, ad quem effectum dictum decretum adjici consuevit, sed postquam illi paritum est, non solùm licet exigere terminos decursos a die reservationis, sed etiam ab invito exigi possunt, cum
4 expeditio litterarum non percutiat substantiam, ac perfectionem, ideòque implementum removet solùm obstaculum, quo sublato, res retrotrahitur ad suum initium juxta decisionem Assisien. pensionis coram Sacrato apud Marches. *par.* 1. *fol.* 532. *dec.* 166. *n.* 8. & 9. *par.* 2. *rec.* apud Cels. *dec.* 315. edita in d. Turritana, de qua *disc. seqq.*

Certum autem videri dixi, quod primus terminus Junii etiam debitus esset, non in ratione ordinis termino-
5 rum, ut supra, sed in ratione perceptionis fructuum ad formam conventionis, quoniam ut pluries in præcedentibus advertitur, *ex dec.* 448. *Durani cum aliis allegatis*, pensio est quædam quota, seu portio fructuum ad quantitatem gratia commoditatis redacta, ideòque in quolibet anno constituente integram recollectam, solvi debet integra ejusdem anni pensio, ne aliàs cesset illa divisio, seu proportio, quam Papa inter Titularem, & pensionarium jure cujusdam communionis inducere voluit; Et consequenter, si resignatarius ferè initio anni beneficii fructus habere cepit, ita taliter, quod in fine ejusdem anni 1667. supponeretur integram recollectam habuisse, de consequenti integram pensionem de eo anno solvere debet, atque ita cessat quæstio, an terminorum ordo importet anticipationem, vel posticipationem, cum vis non stet in ordine scripturæ, seu terminorum, sed in effectu perceptionis fructuum, ut benè ratiocinatur Rota in dicta Assisien. coram Sacrato.

Præterea observabam ea, quæ disputata fuerunt in dicta Turritana *disc. seqq.* quod licèt inter resignantem, & resi-
6 gnatarium beneficii, illicitæ sint quæcumque conventiones concernentes temporale commodum resignantis cum incommodo resignatarii, ex iis, quæ habentur præsertim in Toletana Archipresbyteratus *sub tit. de benef. disc.* 36. Attamen ubi conventio sit sincera, & cum bona fide, itaut sub hoc pallio aliquod simoniacum commodum non adsit, quia scilicet id, quod sub nomine pensionis conventum est præstari debere, congruat fructibus beneficii cessi resignatario, & qui aliàs de jure ad resignantem spectarent, id non videtur prohibitum cum potiùs sit species emptionis, & venditionis illorum fructuum gratia commoditatis, ut advertitur apud Buratt. *dec.* 445. cum aliis in dicta Turritana *disc. seqq.* quoniam aliàs esset dare locupletationem de alieno invito domino, si resignatario licitum esset absque debita recompensa percipere fructus non suos, & qui de jure pertinent ad resignantem, donec resignatarius beneficii possessionem adipiscatur, ipsaq; resignatio sortiatur effectum.

ADNOT. AD DISC. XXIX. & XXX.

DE ordine terminorum habetur in supplemento *hoc tit. disc.* 86. occasione agendi de puncto, an Titularis teneatur solvere pensionem pro termino maturato antequam esset possessor, si percepit fructus illius anni.

TURRITANA PENSIONIS

PRO CAROLO CAPODORO,

CUM FRANCISCO PILO.

Casus disputatus in Rota, decisus in possessorio pro Francisco, postea concordatus.

De eadem materia ordinis terminorum, ac exactionis pensionis ex causa resignationis pro tempore, quo litteræ expeditæ non fuerant; Et an exceptio nullitatis resultantis à decreto super dicta exactione ante litterarum expeditionem, obstet in possessorio; Et de materia judicii possessorii in exactione pensionum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Possessio exigendi pensionem, acquiritur etiam per exactionem unius termini, vel partis.*
4 *In judicio possessorio non quæritur de meritis.*
5 *Possessio suffragatur etiam contra successorem.*
6 *Declaratur conclusio, de qua num.* 4.
7 *Exceptiones resultantes ex ventre ejusdem scripturæ dantis actionem attenduntur.*
8 *Item attenditur infectio tituli producti per possessorem.*
9 *Pensio exacta litteris non expeditis annullatur.*
10 *Declaratur, ut post litteras expeditas debeantur termini prius decursi.*
11 *Pensio non potest reservari, vel exigi sine Apostolica auctoritate ex conventione privata.*
12 *Potest exigi terminus anticipatus etiam pervertendo ordinem litterarum.*
13 *Dictus ordo non percutit substantiam pensionis.*
14 *Quæ pacta circa pensionem sint simoniaca.*
15 *Distinguuntur casus, vel effectus circa probationem simoniæ, vel causas illam excusantes.*
16 *Quod solutio pensionis fieri possit ex privata conventione tanquam pretium fructuum spectantium ad resignantem.*
17 *Sed quod in hoc circumspectè procedi debeat, & de ratione.*

DISC. XXX.

EX causa resignationis Ecclesiæ Parochialis S. Donati 1
factæ per Franciscum, Paulo de mense Junii 1645. reservata fuit pensio ad favorem resignantis ducatorum Cameræ 625. solvenda in duobus terminis, primò scilicet in die Nativitatis Domini ejusdem anni, deindè verò in altero Sancti Joannis Baptistæ anni sequentis; Verùm quia istius resignationis tractatus initium habuit de mense Novembris 1644. sub conventione pensionis librarum 2500. monetæ illarum partium, præfinito primo termino in proxima die Nativitatis Domini ejusdem anni, atque in hac forma data fuerant per utrumq; mandata ad resignandum, & consentiendum respectivè, quod effectum sortiri non potuit ex facto officialium Datariæ nolentium admittere reservationem pensionis in dicta specie monetæ, sed in ducatis Cameræ; Hinc proindè oportuit nova expectare mandata, quod dilationem causavit usque ad dictum mensem Junii sequentis; Atque persistendo in dicto primo tractatu, post litteras expeditas devenerunt dicti resignans, & resignatarius ad quietantias enunciantes solutionem etiam dictorum terminorum Decembris 1644. & Junii 1645. qui in litteris non continentur; Sequuta autem vacatione dictæ Parochialis per obitum Pauli resignatarii, cum de illa provisus esset Carolus, iste habita notitia de dicta solutione duorum terminorum, quorum unus reservationem, & alter litterarum expeditionem præcedebat, prætendens quod ad formam decreti irritantis in eadem reservatione contenti, pensio annullata esset, atque Ecclesia acquisiisset libertatem, judicium desuper instituit coram A. C. à quo sententiam favorabilem reportavit; Introducta verò per appellationem causa in Rota coram Celso, Francisco pensionarius, suspenso petitorio, cum sola protestatione insteti in solo possessorio retinendæ, seu manutentionis in quasi possessione exigendi, in quo sub die 16. Aprilis 1660. ad ejus favorem prodiit resolutio, de qua apud eundem Cels. *dec.* 315. Verùm concessa nova audientia, assumptaque disputatione, an esset standum, vel recedendum à decisis, sub die 3. Aprilis 1661. suspensa dicta resolutione, dictum fuit, ut videretur de bono jure, super quo 2
habita in bina disputatione sub diebus 8. Aprilis, & 23. Maii 1663. nulla capta fuit resolutio, atque subsequuta honesta concordia controversiæ finem dedit.

In hujusmodi autem disputationibus, duo fuerunt puncti, unus in possessorio, alter vero in bono jure; Quatenùs ergo pertinet ad primum, Rota processit cum propositionibus generalibus, quæ deducebantur per scribentes pro pensionario, quod scilicet in hoc judicio summariissimo 3
retinendæ, seu manutentionis, posito facto possessionis etiam per solutionem unius termini neque integri, sed etiam in parte sufficiat, Cavaler. *dec.* 379. *dec.* 45. *n.* 5. *part.* 10. *recent.* cum concord. per Posth. *de manutent. observ.* 42. non quæritur de justitia, vel injustitia, neque attenduntur concernentia bonum jus, vel merita causæ ad petitorium rejicienda, sed attenditur nudum factum possessionis, quo- 4
niam

niam sufficit possibilis justificatio in petitorio, ex deductis *dec.* 180. *n.* 10. & 11. *dec.* 188. *n.* 9. & *dec.* 318. *num.* 8. apud Posth. *de manutent.* cum concord. collectis per eundem Posth. *d. tract. observ.* 42. Ubi quod defectus non probati Clericatus, seu non exhibitionis litterarum, & alia hujusmodi in hoc judicio non attenduntur; Et in proximis terminis consimilis decreti annullativi contenti in ipsa reservatione pensionis voluntariæ, & sine causa beneficio pleno, ubi non sequatur integra, & effectiva solutio omnium terminorum, ut id non impediat possessionem, quoniam sufficit possibilis justificatio in petitorio, habetur apud Dunoz. *dec.* 859. & advertitur supra occasione agendi de hujusmodi pensione voluntaria.

Et quamvis pensionarii possessio quæsita esset è contra resignatarium prædecessorem, non autem contra hodier-
5 num Titularem collitigantem, qui nihil solverat; Respondebant tamen scribentes in contrarium, & benè, atque Rota in dicta decisione responsionem admisit, quod in hac materia possessionis judicium metimur ex persona actoris, cujus possessio, præjudicium vel alterationem pati non debet ex mutatione possessoris beneficii, ex deductis per Gig. *disp.* 47. *n.* 10. Spad. *consil.* 63. *n.* 1. *lib.* 3. cum aliis per Gregor. & Adden. *dec.* 275. & 313. Merlin. *dec. is.* 275. & *passim*.

Scribens ego pro Titulari impugnante pensionem, non negabam veritatem dictarum conclusionum, quæ hodie sunt planæ, & quotidianæ, nullam admittentes controver-
6 siam, quando facti circumstantiæ ejus limitationem non inducant; Dicebam tamen, (idque causam dedit, ut suspensa resolutione, mandaretur videri de bono jure,) præmissa rectè procedere, quando pensionarius simpliciter probavit ejus quasi possessionem per testes, vel scripturas, ex quibus Titularis nullam deducat exceptionem, sed eam extrinsecus, ac aliundè desumet, minùsque possessionis titulum produxerit, ad illum se restringendo, tunc enim rectè se teneri potest, cum vulgari pragmaticorum dicterio, *possideo, quia possideo, atque in petitorio legitimam possidendi causam justificabo.* Secus autem, ubi exceptio Titularis resultat ex ventre ejusdem scripturæ, ex qua actor suam probationem deducit, ibique suam fundat actionem, sive ubi possessionem restringit ad titulum, qui incontinenti absque altiori inspectione detegatur invalidus, ac infectus, ex duplici vera, & recepta conclusione.

Primò scilicet, quod in quocumque judicio quantumvis
7 summario executivo, & privilegiato admittuntur exceptiones resultantes ex ventre ejusdem scripturæ, in qua actor suam intentionem fundat, ex plenè collectis per Graff. *de except. cap.* 13. *n.* 1. *cum seqq.* Buratt. & Adden. *dec.* 322. & *passim*, & pluries in sua materia *sub tit. de judiciis*.

Et secundò, quia ubi possessor titulum exhibuit, ita & taliter, quod exhibitio importet restrictionem ad titulum meliorem juxta distinctiones, quæ in hoc habentur *eod. tit.*
8 *de judiciis*, ac alibi, præsertim *sub tit. de Regal. disc.* 47. ita qualificasse dicitur suam possessionem, quæ utpotè restricta ad certam causam, subjecta est ejusdem causæ infectioni, ut advertitur in Alerien. Vicariæ 26. Junii 1654. coram Bichio, unde resultat practicorum dicterium, quod sibi imputet, qui se proprio ligone percussit.

Et hic erat casus, quoniam pensionarius non justificabat ejus quasi possessionem, nisi per publicum instrumentum ab eo productum, continens solutionem, & quietantiam respectivè, nedum terminorum decursorum post expeditas litteras, sed etiam duorum præcedentium, ut suprà, quorum unus erat etiam ante concessionem gratiæ, ac signatam supplicationem, ideòque incontinenti absque alia ulteriori inspectione notoriè probata remanebat infectio,
9 cum nimis clarum sit decretum annullativum pensionis in casu ejus exactionis aliàs, quàm vigore litterarum juxta decisiones 286. & 300. Manticæ *cum aliis disc. præced.* dum est conclusio non admittens controversiam; Intrabam enim inevitabile dilemma, aut actor volebat uti dicto instrumento, & illud non poterat dividere, aut nolebat uti, & remanebat possessionis probatione destitutus.

Quo verò ad petitorium; Scribentes pro pensionario, non negabant proximè insinuatam conclusionem irritationis pensionis ex dicto decreto resultantis; Dicebant tamen & benè, idem quod habetur *dicto disc. præced.* cum ibi allegatis, ac advertitur in hujus causæ decisione, ut id recte
10 procedat, quando actus exactionis sequatur ante expeditionem litterarum, secus autem, si post eas expeditas, earumque vigore exigantur termini præcedentes, seu intermedii inter supplicationem, & litteras, cum illi etiam ab invito judiciliter peti valeant, dum litterarum expeditio non percutit substantiam pensionis neque illius cursum impedit, sed solùm executioni impedimentum præstat, quo sublato, tanquam per remotionem obstaculi, gratia suum liberum cursum habet ab initio.

Admittebam ego responsionem, utpotè veram, ea tamen non tollebat difficultatem, nisi respectu primi termini Junii 1645. maturati proximè post reservationem, secus autem alterius anni 1664. quando adhuc neque signata erat supplicatio, unde propterea remanet pensio ex privata conventione, non autem ex Apostolica auctoritate, quod inter resignantem, & resignatarium redolet simoniam cum 11
pensio ex privata conventione, ac aliàs, quàm Apostolica auctoritate non detur, Parisi. *de confidentia q.* 43. *n.* 10. Rub. *tom.* 1. *singular. fol.* 343. *in princip.* Tondut. *hoc tract. cap.* 12. *n.* 11. Rota *dec.* 191. *par.* 1. *diversi.* & admittitur *decis.* 166. *par.* 2. *rec.* Ubi ad excusandum dictum decretum, vel etiam simoniam, dicitur nil impedire, quin ex conventione exi- 12
gi valeat terminus anticipatus, qui de proximo post reservationem maturatus esset, nullis perceptis fructibus, imò etiam pervertendo terminorum ordinem in litteris Apostolicis præfinitum, dum juxta pluries in præcedentibus insinuatam *dec.* 24. Seraph. cum aliis allegatis, tempus, vel 13
ordo terminorum non percutit substantiam pensionis, sed solùm pro commoditate solventis, vel exigentis, accidentalem modum, quem prohibitum non est variare, dummodò exactio sequatur in vim litterarum, ac post pensionis legitimam reservationem, neque præcedant ante resignationem pacta per Papam non approbata, & executioni de- 14
mandata, quamvis respiciant accidentia majoris securitatis, puta cedulæ bancariæ, vel depositi cum similibus, ex iis, quæ habentur in Toletana Archipresbyteratus *sub tit. de benefic. disc.* 36. Ideòque dicebam infectionem pensionis resultare, si non à decreto prædicto ob exactionem ante litteras expeditas saltem à simonia, vel confidentia, quæ eundem effectum operatur, ubi præsertim agitur de ipsamet gratia, seu provisione, in qua actus, vel conventio simoniaca intercesserit, quamvis absque dolo, vel malitia partes id egissent, opinantes malè non agere, cum id excusèt quidem à pœnis, sed non excusèt nullitatem actus.

Hinc juxta ea, quæ habentur in dicta Toletana *disc.* 36. ac etiam in Calaguritana de Bilbao *eod. tit. de benefic. disc.* 70. & *in aliis*; Dicebam in proposito scribendo in ista causa, quod tres casus distinguendi sunt, sive tres effectus con- 15
siderandi ob simoniacam infectionem; Primò scilicet ad effectum formalium penarum illatarum contra veros simoniacos, inter quas est illa privationis omnium ecclesiasticorum beneficiorum, ac officiorum, & dignitatum, quæ jam legitimè, ac citra simoniam obtinebantur; Secundò circa impedimentum, quod hæc infectio præstet novæ assequtioni beneficii; Et tertiò circa infectionem actus, in quo simoniaca conventio accedat.

Ad primum effectum requiritur concludens, ac perfecta probatio simoniæ formalis, cum malitia, & dolo absque juxta excusatione, cum agatur de pœna formali ordinaria exigente concludentem probationem delicti; Ad secundum verò importantem impedimentum juris quærendi, sufficit diffamatio, vel inquisitio, juxta deducta *disc.* 70. *de benefic.* ac etiam in Novarien. *eod. tit. disc.* 71. Sed quoad tertium, nil refert, quod partes essent probatæ vitæ, quodque sine malitia publicè, ac palam actum fecerint, opinantes cum bona fide fieri posse, (qualis erat casus, de quo in dicta Toletana *disc.* 36.) quoniam hujusmodi probabilis ignorantia, vel error juris excusare quidem poterit à formali pœna, & ne faciens patiatur damnum in eo, quod jam obtinet, non autem ad subsistendum ipsum actum, quamvis ignoranter malè gestum, quoniam sibi imputent, cur non consulverint sapientes.

Quamvis autem præmissa vera sint; Adhuc tamen ad hanc simoniacam infectionem excusandam, ex parte pensionarii dicebatur id, quod post istas disputationes advertebam ego in Parmen. *disc. præc.* quod scilicet dicti termini 16
solutio, sub vocabulo pensionis facta sit referibilis ad implicitam emptionem, & venditionem fructuum ipsius beneficii, qui pertinentes ad resignantem, antequam resignatio effectum sortiretur, percepti fuerint à resignatario juxta decisionem 445. Buratti; Super hoc tamen nimis circumspectè procedendum est, indagando ex facti circumstantiis, an exuberet, necne bona fides, ita & taliter, quod omnis cessèt sinistra suspicio, ne aliàs sub hoc pallio, simoniacis conventionibus inter resignantem, & resignatarium aditus aperiatur, unde propterea, quamvis istud motivum ab initio deductum esset per scribentes pro pensionario, adhuc tamen per tot vices nulla capta fuit resolutio, idque dedit

ansam concordiæ per scribentes hinc inde consultæ, quoniam aliqui ex senioribus,ac prudentibus Rotæ Auditoribus advertebant, nimiùm circumspectè procedendum esse in firmando propositiones, quæ malas consequentias parere possent, aditumque fraudibus aperire, ad quod quandoque non advertitur, deducendo etiam incidenter, ac præter necessitatem nimiùm præjudiciales propositiones.

CONIMBRICEN. PENSIONIS

PRO EMANUELE SPINOLA

CUM N.

Casus disputatus coram Datario sub incerto exitu, credo per concordè temperamentum.

An & quando pensionarius pro terminis decursis tempore Titularis prædecessoris, actionem habeat contra successorem, ac super fructibus futuris, & an occasione provisionis beneficii, jus habeat se opponendi, ad petendi assecurationem, cum cautione, vel cedula.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quomodo judicet Datarius, quando retinentur supplicationes.*
3 *De stylo Datariæ super cedula bancaria pro pensionibus.*
4 *Assecuratio judiciis recessit ab aula.*
5 *In specie in pensionibus, & an deberet practicari.*
6 *Stylus,vel consuetudo non extenditur de casu ad casum.*
7 *Ut practicetur cautio constare debet de bono jure.*
8 *An pro pensionibus decursis tempore prædecessoris detur actio contra successorem.*
9 *Quales debeant esse diligentiæ ad hunc effectum.*
10 *Non oportet facere diligentias, quas certum est non esse profuturas.*
11 *Quare impedimentum non sit justa causa petendi cedulam.*

DISC. XXXI.

1 SEquuta vacatione beneficii gravati pensione ad commodum Curialis sub nomine fiduciarii, qui vulgò *testa di ferro* nuncupatur, illoque collato Emanueli, se opposuit pensionarius expeditioni litterarum, nisi pro suæ pensionis securitate præstaretur cedula, quæ de stylo in pensionibus super beneficiis, præsertim ultrà montes,per aliquos annos, frequentiùs autem per sex, sive per 12. terminos præstari solet; Sed etiam pro terminis decursis tempore prædecessoris, quos dicebat per impedimenta de facto præstita post expiratam cedulam traditam, seu verius ob cedulæ traditæ ineffectuationem,ob subsequutam campsoris decoctionem, exigere non potuisse.

Cùmque desuper assumpta esset disputatio coram Datario, qui sine tela & figura judicii, de hujusmodi controversiis cognoscere solet, oretenùs demandando retentionem, vel respectivè relaxationem supplicationis ad instantiam oppositoris retentæ, sive aliquod adhibendo concorde temperamentum, (ut in præsenti mihi præsuppositum fuit, sequutum esse.)

Scribens pro dicto Emanuele proviso, ad effectum removendi impedimentum, distinguendo inter petitam cedulam, seu assecurationem pro 12. terminis futuris, ac
3 aliam assecurationem pro terminis decursis tempore prædecessoris; Quatenùs pertinet ad primam speciem, illam præstandam esse non negabam, stante stylo rationabiliter introducto, ob nimias difficultates penè insuperabiles, quas aliàs pensionarii haberent ultrà montes, quodque etiam citrà exigendi, unde propterea, gratia remaneret inanis, ac sine effectu.

Quo verò ad aliam assecurationis speciem pro terminis decursis tempore prædecessoris, & qui à successore petebantur; Dicebam (etiam cum sensu veritatis) id nullum habere probabile fundamentum, si enim hujusmodi cautio petebatur tanquam per speciem assecurationis judicii, ut docto de diligentiis, ut infrà, quatenùs judicaretur pensiones decursas à successore deberi, ita consultum remaneret,
4 ne aliàs judicium sit elusorium,ut dicebatur ex parte actoris; Et hæc assecuratio recessit ab aula, ut testantur Gloss. *in §. 1. Instit. in satisdat. in addit.* & Bart. *in auth. generaliter in princip. C. de Episcop. & Cleric.* idque receptum esse in Curia habetur apud Buratt. & Adden. *dec.* 398. *num.* 5. *dec.*326. *num.* 4. *part.*2. *rec.* & in sua materia *sub tit. de judiciis*.

Et in specialibus terminis pensionis, quod scilicet pensionarius, qui reperitur in possessione exigendi, cogendus non sit ad assecurandum judicium pro restitutione ejus, quod exigit, quatenùs in petitorio succumbat, habetur in Cusentina pensionis 22. Junii 1618. coram Ubaldo; Talisque est praxis, licèt quandoque, adinstar eo- 5
rum, quæ circa sequestrum regulariter de jure prohibitum habentur *sub tit. de Judiciis*, præclusum videri non debeat judicis arbitrium pro facti qualitate, cum pluries in praxi expertus fuerim, quod aliqui nihil possidentes, rectèque scientes fovere malum jus, defatigare studuerunt Titulares diuturna lite per tres instantias, ut isto pendente commodum exactionis haberent, certi de non restitutione exacti, ideòque succumbentiam non timentes, ex axiomate, *quod inanis est actio*, &c.

Aut verò dicta prætensio fundabatur in stylo, de quo supra, in pensionibus præsertim ultrà montes; Et cum 6
hic vigeat solùm pro pensionibus futuris, ac pro tempore determinato, extendendus non est ad casus diversos, cum stylorum, & consuetudinum natura sit, strictissimam recipere intelligentiam, atque attendi in casu individuo, prohibita extensione de casu ad casum, persona ad personam, seu loco ad locum, juxta vulgare *consil.*237. *Oldradi cum concord.* apud Gregor. *dec.* 162. Rota *dec.*156. 278. & 304. *part.* 12. *recent.* quæ prodierunt in terminis nimis duris, de quibus *sub tit. de benefic. disc.*30.

Clariùs verò, quoniam ubi admittenda quandoque veniret, ut suprà, arbitrii interpositio tam pro Titulari contra pensionarium, quàm è conversò; Attamen ultrà 7
alias circumstantias suadentes, quod judicium remaneret elusorium; Potissimum requisitum videtur illud clari boni juris petentis, ex quo resultet quædam species calumniæ, seu malitiæ possessoris, vel debitoris, secus autem è conversò, adeòut cesset illa æquitas, vel probabilis ratio, cui dictum arbitrium innixum esse debeat, tunc enim absoluta recipienda videtur dicta consuetudo hujusmodi cautiones rejiciendi, ut occasione sequestri, ac etiam fortè ejusdem cautionis, habetur pluries in sua materia *sub tit. de Judiciis*.

De hoc autem bono jure ex parte oppositoris non docebatur, quoniam in puncto juris probabilior videtur opinio, ut pro pensionibus decursis tempore prædecessoris, 8
nulla competere debeat actio super fructibus futuris contra successorem, ex deductis supra in Melphien. *disc.* 19. Et quamvis ex quadam æquitate, in Curia recepta sit contraria opinio, attendenda fortè potiùs de stylo, quàm de jure; Attamen id qualificatè receptum est, quatenùs ex parte pensionarii doceatur de diligentiis benè adhibitis contra prædecessorem, ut per Lotther. *lib.*1. *qu.*39. *nu.*88. & 120. *cum seqq.* Buratt. *dec.*617. & 669. Adden. per Gregor. *dec.*507. Tondut. *hoc tract. cap.*20. *num.*24. & *seqq.* ex magistrali decisione in Larinen. pensionis 7. Februarii 1620. coram Ubaldo, cum qua proceditur, eamque reassumendo Lotther. *ubi sup. num.*121. & *seqq.* observat quatuor circumstantias, ex quibus æstimandum est, an constet de diligentiis ad id sufficientibus; Primò scilicet, an 9
agi potuerit contra prædecessorem viventem; Secundò, an actum sit judicialiter, ac validè; Tertiò, an tempestivæ, vel intempestivæ fuerint diligentiæ; Et quartò, an etiam fuerint absolutæ, & perfectæ in loco beneficii, seu ubi sunt fructus, ubi faciendas esse advertit etiam Niger *de laudemio tom.*1. *q.*26. *n.*18. de quibus omnibus pensionarius docere debet, ut sibi dicta actio, de stylo potiùs, quàm de jure inducta competeret, atque de his nulla daretur probatio.

Et quamvis ex parte pensionarii diceretur, (& fortè benè,) quod diligentiæ adhibendæ non sunt, ubi noto- 10
rium est eas non esse profuturas, ex deduct. per Surd. *dec.* 87. *n.*9. Magon. *dec. Flor.*67. *n.*22. Rot. in Firmana pecuniaria 4. Decembris 1651. coram Bichio; Dictaque notorietas diceretur certa, quod scilicet pro ditionum, ac regionum qualitate non audiuntur pensionarii, præsertim ubi non sunt nationales, sed sunt commodatarii pensionis in faciem soliti fiduciarii reservatæ.

Dicebam tamen, quod id benè innotescebat ab initio reservationis, quando Datariæ officiales conten- 11
ti fuerunt cedula sex annorum, vel alterius temporis limitati, quasi quod ad illud jus pensionarii restrictum sit, remanente solùm spe cogendi Titularem, quateùs ad Curiam accederet, sive obtinendi novam cedulam pro tempore futuro pariter limitato, in casu vacationis à noviter proviso, non autem, quod hic etiam pro tempore decurso talem assecurationem præstare debeat, quoniam aliàs impracticabilis esset beneficiorum provisio, ideòque dictus stylus strictè ad ejus limites recipiendus est, & sufficit, nullatenùs verò extendendus.

ADNOT. AD DISC. XXXI.

AN pensionarius teneatur assecurare judicium pro restitutione pensionum exactarum in casu succumbentiæ habetur *in hoc tit. disc.*94.

Et quando pensionarius possit agere contra successorem habetur *disc.* 87.

BRACHAREN. PENSIONIS

PRO FERDINANDO DE SOA'

CUM MATTHIA VALTERINO.

Casus variè decisus per Rotam postea concordatus.

An & quando pensionarius actionem habeat exigendi pensionem à proviso de beneficio gravato, quamvis illud non possideat in vim clausulæ, *habita, vel non habita possessione*; Et de ejusdem clausulæ intelligentia.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quod quandoque adjiciatur in pensione clausula,*habita, vel non habita possessione.
4 *Debitum pensionis est occasionale, & non debetur, si non possidetur beneficium.*
5 *Et generaliter de debito occasionali cessante, si cesset causa.*
6 *Quare adjiciatur dicta clausula,* habita, vel non habita, *& quomodo intelligitur, ac practicari debeat.*
7 *Quod cedulista non excusatur ex possessione non habita per Titularem.*
8 *Quando Titularis teneatur, quamvis non habeat possessionem.*
9 *Capitulum si præstat impedimentum proviso, tenetur ad fructus, ac etiam ad distributiones.*

DISC. XXXII.

1 FErdinandus residens in Curia, provisus de Canonicatu Ecclesiæ Bracharen. cum ob aliqua impedimenta, tam sibi, quàm aliis provisis Apostolicis communia, ex parte illius Capituli præstita, vel procurata, possessionem adipisci non posset,Canonicatum de anno 1657. resignavit Cosmæ, contentus sola pensione ducat.200. Cameræ, quæ modica supponebatur habita ratione valoris beneficii,cum solita cedula præstita per Matthiam, expresè se obligantem ad dictæ pensionis solutionem,quamvis dictus Cosmus Canonicatum resignaret, seu aliàs vacaret, atque sive habita, vel non habita possessione, accedente in omnibus Apostolica approbatione; Cum autem ob dicta impedimenta, quæ de facto præstabantur, dictus resignatarius possessionem adipisci non potuisset, nullosque propterea perciperet fructus, hinc Matthias, qui cedulam fecerat, pensionem solvere recusabat, introductaque proindè causa coram A. C. ab isto relaxatum fuit mandatum executivum ad favorem pensionarii; Commissa verò causa appellationis per Signaturam in Rota coram Taja cum clausula translativa, *si quid exequendum*, datoque dubio ex ejus-
2 dem rescripti ventre resultante, an mandatum esset exequendum,sub die 3. Junii 1661. negativa prodiit resolutio, à qua tamen recessum fuit in repropositione cauſæ 26. Maii 1662. coram eodem, denuòque concessa audientia, atque assumpta disputatione, an esset standum in primo, vel secundo loco decisis, ob aliquam votorum, scissuram, nulla capta fuit resolutio, quòd ansam dedit honestæ concordiæ, per quam causa finem habuit.

In hujusmodi autem disputationibus, quamvis plura deducerentur super clausula, *habita vel non habita possessione*, quæ adjici quandoque solet in pensionis reservatio-
3 ne, vel ex conventione partium, vel quia agatur de pensione reservata ad favorem familiarium Papæ, & quæ per expeditores, *Palatina*, dici solet; Attamen etiam in secunda resolutione ad favorem pensionarii prodita, processum fuit cum eisdem propositionibus juris,quibus innixa erat prima resolutio; Recessus autem fuit potiùs ex facto, in quo dudum fuit de impedimentorum cessatione, atque in repropositione difficultas fuit super terminis decursis temporis intermedii, quando adhuc impedimentorum cessatio sequuta non fuerat.

Quatenùs enim pertinet ad conclusionem juris, processum fuit cum regula, quod cum pensio non sit debitum 4
proprium, ac personale, sed causativum, seu occasionale, quatenùs scilicet quis possideat beneficium,atque obtineat illius fructus, super quibus propriè onus residere dicitur, idcircò cessante causa debendi, quia non possideat, vel citrà culpam, ac factum voluntarium,fructus non percipiat, ad pensionis solutionem cogi non debet, ut in specie apud Buratt. *dec.*915. *dec.* 26. *nu.* 4. post Merlin. *de pignor.* cum concord. collectis per Adden. *ad dec.*576. *n.*42. & *seqq. par.* 4. *rec. tom.*3. & in prima hujus causæ decisione; Ad quod conferunt ea, quæ habentur apud collectorem. Amat. *ref.* 21. *in princ. ac sub tit. de Regal. disc.* 8. & 9. & sub altero *de empt. & vendit.* & pluries in sua materia *sub tit. de credito*, ubi de hujusmodi obligatione occasionali, seu causa- 5
tiva cessante ex cessante causa.

Et quamvis aliquando, ut supra, adjici soleat dicta clausula provisi obligatoria, ut pensio solvi debeat,habita vel non habita possessione; Attamen receptum est,ut illa, utpotè adjecta ad occurrendum fraudibus, & collusionibus in præjudicium pensionarii, discretè, ac sano modo intel- 6
ligenda veniat pro judicis prudenti arbitrio, pro uno, vel duobus annis, seu aliàs pro facti qualitate, & circumstantiis, ex quibus deveniatur ad notitiam, an stet per Titularem, necne, adeòut cesset ratio suspicionis, cui eadem clausula innixa est, ex cessante motivo rationis, vel causæ, Cæs. de Cras. *dec.*12. *in fine de præbendis*, Spad. *cons.* 63. *n.*5. & 6. Seraph. *dec.*66. Mantic. *dec.* 339. Buratt. *dec.* 915. *n.*6. *dec.*699. *nu.* 1. & 2. *par.* 1. *diverſ.* Et ideò cum in facto verè constaret de impedimentis, non solùm huic proviso, sed aliis communibus, atque per aliquos annos pensio soluta esset, ita dicebatur, quod versaremur in casu dictæ limitationis.

Scribens ego pro pensionario, quamvis more Advocati insistente in iis, quæ firmantur per Rotam *dec.* 196. *par.* 7
4. *rec. tom.*2. quod scilicet quidquid sit de dicta conclusione, ac de exitu causæ inter pensionarium, & Titularem, talis exceptio apta esse non debet retardare obligationem cedulistæ, ac cedulæ executionem; Attamen ubi ageretur de ordinaria pensione motu proprio reservata super beneficio vacante per obitum, occasione illud providendi, juxta casum, de quo in Bonon. *disc.seqq.* admittebam præmissa esse vera.

Negabam autem eorum applicationem ad casum, ex
ejus qualitate, ac particularibus circumstantiis,quod scili- 8
cet de tempore, quo hæc resignatio cum dicta conventione sequuta erat, jam vigebant eadem impedimenta benè cognita resignatario, ac cedulistæ,qui tamen hoc non obstante, ex pacto expreſso Apostolica auctoritate approbato se obligarunt pensionem solvere; Illa quoque circumstantia accedente, quod pensio supponebatur modica comparatione valoris, ac etiam præeminentiarum, adeòut resignans cum ista pensione non resignasset, nisi ex causa dicti impedimenti, ita contentus modico cum quiete, adeòut videretur quædam species emptionis, ac venditionis futuræ aleæ, quam resignatarius ob spem majoris emolumenti, & prærogativæ, ita emere, atque de proprio ad id se obligare voluerit, ut advertitur per Lother. *lib.*1. *qu.*39. *n.*67. & conferunt, quæ habentur supra in S. Severi congruæ *disc.* 16. de Titulari assumente onus se substentandi de proprio; Ac etiam conferunt, quæ habemus ad materiam textus *in l. si fundum sciens, C. de evict.* de emente bona pro minori pretio sub periculo evictionis, ac juxtà ea, quæ pluries habentur *sub tit. de Regal. disc.*30. & *seqq.* circa emptiones locorum montium vinculatorum pro minori pretio cum similibus.

Potissimè,quia etiam pro tempore impedimenti competebat actio eidem Titulari recuperandi à Capitulo impedimenta præstante, nedum fructus, sed etiam distributiones tanquam damna, & interesse, juxtà punctualiter firmata contra istud Capitulum Bracharen. apud Royas *decis.*173. ideòque dum poterat fructus recuperare, & negligebat sibi imputaret juxtà motivata *disc. seqq.* ubi evitatur motivum ob diversam facti qualitatem; Ideòque ex dicta parti-

cularí ratione mihi videbatur, quod in hac facti ſpecie dicta clauſula, *habita vel non habita poſſeſſione*, regulari non deberet cum terminis generalibus, quando adjicitur ſuper ordinaria penſione reſervata ſuper beneficio vacante, ob diverſam rationem, ut advertitur *dicto diſc. ſeqq.*

ADNOT. AD DISC. XXXII.

DE operatione clauſulæ, *habita vel non habita poſſeſſione*, habentur ſolùm aliqua infrà *diſc.* 72. cum alibi occaſio non dederit diſputari.

Poſterior deciſio enunciata in præſenti *diſc.* habetur impreſſ. *dec.* 467. *par.* 13. *recent.*

BONON. PENSIONIS
PRO ALEXANDRO CAPRARA
CUM N.

Caſus diſputatus coram A. C. & in Signatura, & concordatus.

An beneficiatus teneatur ad penſionem pro terminis decurſis tempore litis, quo poſſeſſione, ac fructibus caruit, ad rationem fructuum præſentium, & futurorum, ſive objus recuperandi fructus decurſos à collitigante.

Et an ex fructibus deducere prius poſſit expenſas litis, quæ ſint penſioni potiores.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De Urbanitate Curiæ Romanæ in Advocatis, & Procuratoribus.*
3 *Quod debitum penſionis ſit cauſativum, ſeu occaſionale.*
4 *An penſionarius pro terminis decurſis agat contra ſucceſſorem.*
5 *In beneficiis ſimplicibus tenuitas fructuum non excuſat, & non cadit congrua.*
6 *Et quando in beneficiis non curatis intret congrua potior.*
7 *Et è contra, quando in curatis non habeatur ratio congruæ.*
8 *Fructus dicuntur deductis expenſis, quæ minuunt valorem.*
9 *Expenſæ litis pro defenſione ſunt privilegiatæ, & potiores.*
10 *Factæ per fundatarium, vel emphyteutam reſici debent à Domino.*
11 *Declaratur quando id procedat, & quando non.*
12 *Ad quas expenſas factas per Titularem teneatur contribuere penſionarius.*
13 *An corruente proviſione beneficii, corruat reſervatio penſionis.*
14 *Quid importet exemptio à contributionibus, quæ concedi tur penſionario.*
15 *Quando Titularis teneatur ad penſionem, etiamſi non habeat poſſeſſionem, vel fructus non percipiat.*
16 *Donatarius, vel legatarius non poteſt gravari ultra emolumentum.*

DISC. XXXIII.

1 CUm juxta facti ſeriem recenſitam *ſub tit. de benefic. diſc.* 2. Alexander proviſionem Apoſtolicam obtinuiſſet de aliquibus beneficiis tanquam ſubjectis duplici reſervationi facienti ceſſare indultum Cardinalitium, quo Ordinarius potiebatur, conſenſu præſtito aliquibus penſionibus ſuper eiſdem beneficiis reſervatis, atque poſt plures annos acerrimæ litis, poſſeſſionem obtinuiſſet, cum condemnatione collitigantis ad reſtitutionem fructuum à die moræ in forma; Vix una, vel fortè bina recollecta percepta, pulſatus fuit ab aliquibus penſionariis, nedum pro terminis decurſis à die obtentæ poſſeſſionis, qui non
2 controvertebantur, ſed etiam pro omnibus decurſis in annis præcedentibus, in quibus poſſeſſione caruerat; Et introducta cauſa coram A. C. ſeu Prælato deputato, prodiit reſolutio favorabilis penſionariis, unde propterea adita fuit Signatura Juſtitiæ pro commiſſione cauſæ appellationis, cum clauſula translativa, pluriesque cauſa propoſita, ob votorum ſciſſuram nulla capta fuit reſolutio, quod anſam dedit concordiæ, per quam controverſia finem habuit.

Ego ſemel tantùm ſcripſi pro Alexandro Titulari, meuſque interventus, eodem modo, quo in dicta alia cauſa ſuper beneficiis inter proviſos, fuit quodammodò cæremonialis, ex eadem ratione enunciata *dicto diſc. de beneficiis*, quod ſcilicet idem principalis, ejuſdem ordinis, cujus ibi alter contra eum ſcribens, doctè ac elaboratè in cauſa propria totum faciebat; Talis etenim eſt commendabilis Curiæ Romanæ urbanitas ſuper modo ſcribendi in claſſicis civilibus Advocatis, ac etiam in cauſarum Patronis, quod ſcribendo pro una parte, altera occaſionem ægrè ferendi non habet, ſed potiùs laudandi, unde in aliis cauſis ejuſdem ſcribentis operam adhibere ſolet.

Ultrà igitur plenè deducta per ipſum principalem ſub nomine aliorum collegarum, atque præſuppoſito certo principio, de quo *diſc.* 31. & 32. etiam in itta cauſa deducto, ut ſcilicet debitum penſionis, utpotè reale, ſeu occaſionale ratione poſſeſſionis, ac fructuum beneficii, præſtandum non 3 ſit per Titularem, qui poſſeſſione, ac fructibus caret.

Cum penſionariorum, ſeu ſcribentium pro eis fundamentum conſiſteret in actione, quæ juxta opinionem in 4 Curia receptam, eodemque *diſc.* 31. inſinuatam, competit etiam pro fructibus currentibus, vel futuris pro terminis decurſis etiam tempore prædeceſſoris, multò magis tempore ejuſdem Titularis.

Dicebam (etiam in ſenſu veritatis,) id rectè procedere, quatenùs Titularis percepiſſet fructus, eoſque haberet in manibus, ex quibus omnibus penſionem ſolvere debet, cum agatur de beneficiis ſimplicibus, in quibus non intrante ratione congruæ Conciliaris, vel alimentariæ, quæ 5 cadit in curatis, tenuitas non excuſat, neque aliquam partem præciſam Titularis pro ſe deducere poteſt, ex vulgari beneficialiſtarum dicterio pluries inſinuato, nempè, *ſolvas, vel dimittas*; (Licèt etiam in non curatis quandoque congrua alimentaria penſionibus potior detrahi ſoleat, in 6 beneficiis ſcilicet præcisè reſidentialibus, ac ſervitoriis Cathedralium, vel Collegiatarum, ne aliàs ipſarum Eccleſiarum cultus deſeratur, juxtà caſum enunciatum *ſub tit. de Canonicis diſc.* 9. *& ſup. diſc.* 23. *cum ſimilib.*) Secus autem, ut ultrà metam fructuum perceptorum cogi debeat 7 ad ſolvendum de proprio, cum id nullum habeat juris, vel rationis ſomentum, præterquam ubi de proprio expreſsè ad id ſe obligaſſet, ex ratione ponderata in ſupra Sancti Severi congruæ *diſc.* 16. vel ex altera ponderata ſupra in Bracharen. *diſc. præced.*

Nullos autem fructus à Titulari perceptos, ſeu penes cum extantes eſſe advertebam, quamvis de facto poſt adeptam poſſeſſionem, binam fortè recollectam feciſſet, dum ex eis oportuit prius reficere (neque integrè) expenſas diuturnæ litis, quæ ante omnia deducendæ ſunt, juxta gene- 8 rale axioma deductum ex text. *in leg. fructus, ff. ſolut. matr. & concordan.* quod fructus dicuntur illi, qui ſuperſunt deductis expenſis, ex iis, quæ in terminis beneficialibus ad materiam valoris, tam ad ſatisfaciendum Regulæ *de valore*, quàm ad effectum capacitatis, ſeu validitatis penſionis habentur *ſub tit. de benef. diſc.* 90. & pluries in præcedētibus, in quibus agitur de invaliditate penſionis ex defectu valoris.

Hinc proindè receptam propoſitionem habemus, latè cum collectorio ſtylo comprobatam per Salgad. *in labyrint. creditor. part.* 3. *cap.* 9. *n.* 18. *cum ſeqq.* quod expenſæ litis dicuntur debitis quantumvis anterioribus, & privilegiatis potiores, adinſtar illarum expenſarum, quas pro cultura, vel collectione eorumdem fructuum facere oportet; Quodque expenſæ pro ſubſtinenda lite in recuperatione, vel defenſione fideicommiſſi, vel feudi, ſed emphyteuſis, vel ejus parti reſici debent per dominum in caſu devolutionis, vel per ſucceſſorem, quamvis jure proprio, ac independenter venientem, habetur actum *ſub titul. de emphyt. diſc.* 12. ac 10 etiam admittitur *ſub titul. de fideicommiſſi diſc.* 163. & in deciſionibus in ea cauſa editis.

Huic motivo reſpondebatur, tam per ſcribentes in contrarium, quàm per judicem motivantem, ut præmiſſa rectè procedant in lite, quam ſubſtinere oportuerit ſuper exiſtentia fideicommiſſi, quod à collitigante expiratum prætendebatur, vel ſuper dominio, quod à tertio etiam adverſus dominum, ſeu inveſtientem controvertebatur, juxta caſum, de quo *dicto diſc.* 12. *de emphyt.* cum tunc utile negotium pro domino, vel ſucceſſoribus geſtum dicatur, ſecus autem, ubi nulla exiſtente controverſia ſuper ſubſtan- 11 tia, ſeu exiſtentia, agererur de ſola lite ſuper pertinentia, quoniam tunc litigans cauſam propriam tantùm potiùs agit, ideòque expenſarum refectionem à ſucceſſore, vel domino prætendere non poteſt, ut ita diſtinguendo habetur *dict. diſc.* 163. *ſub tit. de fideicomm.* cum ibi allegatis.

Reſpon-

Reſponſio eſt vera, ſed fallacia erat in applicatione; illa enim procederet, quando hujuſmodi expenſarum refectio prætenderetur contra ipſam Eccleſiam, vel ſucceſſorem in beneficio, dum ipſius Eccleſiæ nihil intereſt, an ejus Re-
12 ctor provideatur magis ab Ordinario, vel Indultario, quàm à Dataria, & annum, vel alterum habeat poſſeſſorem; Secus autem inter ipſum proviſum, ac penſionarium, quoniam cum penſio aliud non ſit, niſi quota, ſeu portio fructuum à Titulari abſtracta, & penſionario aſſignata ad certam quantitatem gratia commoditatis redacta, adeòut contracta dicatur quædam fructuum communio inter Titularem, ac penſionarium; Hinc proindè, quando Titularis litem ſubſtinuit cauſam communem tractavit, dum niſi ipſe ejus Apoſtolicam proviſionem ſubſtinuiſſet,
13 de conſequenti evanuiſſent etiam penſiones occaſione illius penſionis, & vacationis reſervatæ, cum indultarius beneficia contulerit libera alteri collitiganti ab omni onere: Licèt enim proviſio beneficii, & reſervatio penſionis ſint gratiæ, omninò diſtinctæ, quamvis contemporaneæ, ita ut ſi proviſio ſit nulla, vel effectum non habeat, adhuc ſubſiſtat penſio, ut cæteris relatis apud Dunoz. *dec.* 658. *num* 4. *repettt.* poſt Merlin. *de pignor. deciſ.* 52. & latiùs in Ternulen. Statutorum 11. Aprilis 1644. coram Carillo, ſeu Peutingerio; Attamen id procedit, ubi nullitas provenit aliàs, quàm ex defectu juris conferendi; Ideòque de plano intrant ea, quæ habemus de expenſis factis per unum ex ſociis in negotiis ſocialibus ante omnia reficiendis, ſive ex ipſius negotii lucris, ac effectibus deducendis.

Et quamvis in contrarium diceretur, quod in litteris reſervationis expreſsè diſpoſitum eſſet juxtà communem
14 ſtylum, ut penſionarius ſibi reſervatam penſionem habere debeat francam, & exemptam ab omni onere, & contributione, ex quavis cauſa quantumvis ſpeciali, ac privilegiata, idque ſatis nimium impuliſſe videatur judicem; Attamen pro meo ſenſu id continere videatur equivocum clarum, quoniam hæc exemptio rectè procedit quoad onera ordinaria, vel extraordinaria decimarum, & collectarum, aliarumque contributionum, ſive etiam quoad realia pro expenſis culturæ, & collectionis cum ſimilibus, quaſi quod habente Papa in animo aſſignandi penſionario majorem fructuum quotam, ita de jure implicitæ concordiæ, reſecatis omnibus expenſis, & oneribus per Titularem aſſumptis, certa quantitas taxata ſit, adinſtar pluries inſinuatæ taxæ, quæ fit inter officialem, & datorem pecuniæ in ſocietate officii; ſive in contractu trino, de
15 quo *ſub tit. de uſur. diſc.* 1. & 2. *cum ſimilib.* non autem circa illas expenſas, quas erogare oportet in eam cauſam, ob quam ipſa ſubſtantia penſionis ſubſtineatur, cum tunc intrent actio, vel exceptio de in rem verſo, ſeu negotiorum, geſtorum, &c.

Motivabatur etiam, (atque in hoc nimium inſiſtebant illi, qui in Signatura ſentiebant pro penſionario,) quod ſicuti Titularis negligens percipere fructus, vel adipiſci poſſeſsionem, non excuſatur à debito penſionis, potiſsimè accedente clauſula, *habita, vel non habita*, quæ in præſenti aderat, ita in hac facti ſpecie excuſandus non videbatur, dum ſtante condemnatione collitigantis ad reſtitutionem fructuum, eos recuperare poterat, & conſequenter ſolvere debebat penſionem, ut ego ſcribens pro penſionario, antequam hæc diſputatio ſequeretur, advertebam in dicta Bracharen. *diſc. præced.* Verùm iſtud erat leve fundamentum, cum ex facti circumſtantiis notorium eſſet in Curia; quod non exactio dictorum fructum proveniebat ab impedimentis judicialibus collitigantis, non autem à negligentia Titularis; Dictuſque caſus *diſcurſ. præced.* longè diverſam habet rationem ibi ponderatam, huic caſui non applicabilem; Cumque beneficiorum proviſiones ſequantur animo gratificandi, ac præſtandi benefi-
16 ciato gratiam; & commodum ſi abſque fructibus teneretur ſolvere penſionem de proprio; ita eſſet convertere beneficium in maleficium; Ideòque advertebam intrare concluſionem, de qua in legatario cæteris relatis per Hodiern. *controv.* 15. & per Rotam *deciſ.* 80. *num.* 15. *part.* 19. *rec.* & de donatario in Anconitana bouorum. 9. Decembris 1641. coram Ghiſlerio, cum aliis in Romana, ſeu Albanen. vineæ *ſub tit. de donat.* ut onus excedere non poſſit emolumentum, niſi quando illud eſſet correſpectivum ad pretium futuræ majoris ſperatæ utilitatis, tanquam per aleæ emptionem, juxta conſiderationes, de quibus *eod. diſc. præced.* ac etiam *d. diſc.* 16. & in eadem Romana, ſeu Albanen. vineæ *ſub tit. de donat.*

ADNOT. AD DISC. XXXIII.

DE potioritate, ſeu anterioritate expenſarum litis habetur *ſub tit. de cred. diſc.* 147. & generaliter habetur *ſub tit. de Judic. diſc.* 39. *per tot.*

IMOLEN. PENSIONIS.
PRO EPISCOPO IMOLÆ
CUM INQUISITORE FAVENTINO.

Caſus deciſus per Sacram Congregationem S. Officii pro Inquiſitore.

De moneta, in qua ſolvi debeat penſio, & cujus cedat commodum, vel incommodum augmenti, vel decrementi, ſeu alterius alterationis contingentis inter reſervationem, & tempus ſolutionis; Et an diuturna ſolutio in alia ſpecie monetæ inducat præſcriptionem, ſeu neceſſitatem, ut in futurum penſio ſolvi debeat, quamvis in diverſa ſpecie reſervata eſſet.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Congregatio Sancti Officii cognoſcit etiam cauſas civiles ſubditorum.*
3 *Reſolutio cauſæ.*
4 *De theorica generali, ut attendi debeat moneta juxtà valorem tempore ſolutionis.*
5 *De terminis ſpecialibus penſionis reſervatæ in ſcut. auri.*
6 *Et talis eſt praxis in extinctione cenſuum.*
7 *Etiamſi ſcutorum valor ſpecificaretur in tot juliis pro quolibet.*
8 *Tempus obligationis attenditur, ubi moneta eſt imaginaria.*
9 *Obſervantia quadragenaria ſolvendi in moneta inferiori inducit ſtatum.*
10 *Reperitur tamen bona fides.*
11 *De differentia præſcriptionis odioſæ ad obligandum, & favorabilis ad liberandum.*
12 *De privilegio Eccleſiæ Romanæ circa præſcriptionem.*
13 *Ubi non præſcribitur ſubſtantia, ſed modus facilius proceditur.*
14 *De antiquo valore ſcutorum auri.*
15 *Adverſus obſervantiam, de qua num. 9. datur reſtitutio in integrum.*
16 *Ex capite ignorantiæ datur reſtitutio adverſus quamcumque præſcriptionem.*

DISC. XXXV.

PIus V. ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis Imolen. perpetuam penſionem reſervavit ſcut. centum auri ad favorem inquiſitoris Faventiæ, illaque ex tunc ſolvi cœpit 1 in libris 525. quæ attento eo tempore valorem dictorum ſcutorum 100 adæquabant, atque ita ab anno 1572. continuatum fuit uſque ad 1657. quando Inquiſitore renuente ſolutionem accipere in dictis libris 525. atque petente centum ſcutos auri, de præſenti longè plus importantes, exorta eſt controverſia, eaque introducta in Sacra Congregatione univerſalis Inquiſitionis aliàs Sancti Officii, quæ ut habetur *ſub tit. de locato diſc.* 1. *& ſub tit. de ſervit. diſc.* 24. ultrà cognitionem cauſarum fidei, cui principaliter præpoſita eſt; cognoſcit etiam de omnibus cauſis civilibus, & criminalibus, ac mixtis pertinentibus ad Tribunalia inferiorum Inquiſitionum, vel ad perſonas, & miniſtros, nec- 2 non circa redditus, & bona pro hujuſmodi Tribunalium ſubſtentatione aſſignata, inhærendo alteri reſolutioni de anno præcedenti captæ in conſimili controverſia inter Epiſcopum, & Inquiſitorem Melevitanum, reſolutum fuit penſionem ſolvendam eſſe in ſcutis auri ad formam reſer- 3 vationis, vel in moneta regionis in tanta quantitate, quæ adæquet eorum valorem.

Reſolutio mihi, (quamvis ſcribenti pro Epiſcopo, qui ſuccubuit,) juſta & probabilis viſa eſt, quoniam quidquid in hac materia monetæ, cujus valor inter tempus obliga- 4 tionis, ac illud ſolutionis alterationem receperit, noſtri majores variaverint, attamen hodie extra controverſiam recepta eſt theorica Bartoli *in l. Paulus num.* 4. *ff. de ſolut.* ut quando ipſa moneta exiſtens in obligatione, eſt in rerum natura, vera & realis, non autem imaginaria, in ea ſo-

lutio fieri debeat, quamvis notabile incrementum, vel decrementum receperit, admissa solùm æquitativa moderatione; quod si moneta vera in obligationem deducta, rara sit, ac non de facili haberi possit, admittatur debitor ad solvendum in moneta currenti, quamvis inferioris valoris, vel bonitatis, dummodò in valore intrinseco adæquet, id quod importat valor monetæ deductæ in obligationem, ut cæteris relatis in materia indifferenti, Rota apud Peniam *decis. 5. in repetit. decis. 216.* post Cenc. *de censib.* Gregor. & Adden. *decis. 42.* Buratt. & Adden. *decis. 626. & 790. & decis. 398. part. 9. recent.* benè de materia Larrea *decis. 21. cum seqq.* cum aliis cumulatis per Adden. *ad decis. 67. num. 29. cum seqq. & num. 71. cum seqq. par. 9. recent.* & habetur *sub tit. de Regal.* ad materiam monetarum *disc. 126. & 128.* ac etiam pluries *sub tit. de credito*.

Et in terminis specialibus pensionis apud Dunozett. feniorem *in dec. 139.* quæ est in Mantuana pensionis in hac
5 materia circumferri solita tanquam magistralis, ac etiam in Capuana pensionis coram Verospio *decis. 490. part. 4. recent.* in Toletana pensionis 30. Maii 1660. coram Albergato, & in aliis; Sæpiùsque practicavi in materia extinctionis censuum impositorum in auro, putà in scutis, vel in ducatis largis auri, quia antiquitus erant in usu, præsertim *sub tit. de credit.* in Romana census pro Monasterio Sanctæ Mariæ Novæ de Urbe occasione extinctionis census antiqui annorum 150. & ultrà quod oportuit debi-
6 torem restituere in moneta currenti valorem illorum ducatorum, qui *largbi* nuncupabantur, & de qua specie habetur in Mediolan. *disc. seqq.* adeòut videatur hodie punctus planus, ac extra controversiam.

Idque adeò verùm, quod ubi etiam in obligatione valor monetæ specificetur in certa quantitate alterius monetæ inferioris, adhuc tamen nisi explicitè constet id fequutum esse taxativè, ac per viam transactionis super incerto futuro eventu augmenti, & decrementi, id non obstet, quoniam censetur potiùs gratia demonstrandi valorem tunc currentem, ut in specie firmatur in dicta recepta *decis. 490. part. 4. recent.* ubi de pensione reservata in scu-
7 tis auri explicatis ad rationem juliorum, seu carolenorum Regni Neapolis 12. pro quolibet, quia tanti valor dictorum scutorum tunc importabat, non autem gratia taxationis; Quod etiam in terminis generalibus habetur *dicta*
8 *decis. 398. part. 9. recent.* Ideòque valor de tempore obligationis attenditur solùm, ubi in eam deducta est moneta imaginaria, juxta casum, de quo *in dicto discurs. 128. sub tit. de Regal.*

Non negabam ego scribens pro Episcopo veritatem hujus hodie receptæ theoricæ, quatenùs legitima præscriptio in contrarium non obstaret; Dicebam tamen, more Advocati causæ inservientis, quod cum haberemus continuatam observantiam annorum 80. & ultrà, hinc intrabat dispositio text. *in cap. cum olim de censibus*, ibique Gloss. magistralis, *verbo triginta sex*, ubi firmatur, quod si præstatio debita Episcopo ratione cathedratici, seu aliàs, in una specie monetæ melioris, continuato spatio annorum 40. solvatur in altera specie monetæ inferioris, tunc legitima præscriptio inducta dicitur, ideòque in futurum in eadem specie monetæ inferioris continuandum est, ut etiam firmat Gloss. *in cap. conquerente, verbo duos solidos de officio Ordinarii*, utrobique scribentes relati per Gabr. *de solut. concluf. 1. num. 25.* & Surd. *consil. 220. num. 18.* ac præsuppositivè admittitur *dicta decis. 490. par. 4. rec. & in dicta decis. 139. Dunozetti*, in quibus respondetur solùm ad
9 motivum observantiæ interpretativæ, ut non cadat in claris, ac expressis, ac etiam in his terminis, Spad. *cons. 58. num. 5. lib. 3.* tunc enim necessaria est observantia præscriptiva, quæ adversus privatos sufficit tricennalis, adversus verò Ecclesiam debet esse quadragenaria, quæ in præsenti accedebat duplicata.

Et quamvis hujusmodi observantia præscriptiva, in ordinaria vitalitia pensione, nunquam vel nimium raro ad
10 praxim deduci valeat, ratione malæ fidei, resultantis ex scientia, quam Titularis solvens habet reservationis pensionis in diversa specie monetæ majoris valoris, cum hodie extra controversiam sit, ut etiam inter laicos, & in Terris Imperii non detur præscriptio ad favorem existentis in mala fide, juxta dispositionem text. *in cap. final. de præscript. cum concord.* plenè relatis per Roram *decis. 373. nu. 9. p. 9. recen. & passim*, & in his specialibus terminis advertit Lotther. *lib. 1. quæst. 39. num. 230.* Attamen dicebam, objectum in hac facti specie cessare, saltem post vitam primi Episcopi, sub quo hujusmodi pensio reservata fuit, & qui ei consensum præstitit, vel absque dubio notiam certam habuit reservationis per lecturam litterarum, sine quibus utique istius oneris supportationem non fuscepisset, Secus autem subducendo vitam primi, ac supputando tempus, prædecessorum continuarunt in solutione, cum versaremur in successore independente; ac veniente jure proprio, ideòque non intrat quæstio, de qua *dicta decis. 373. part. 9. recent.* & sæpiùs in sua materia *sub tit. de credito*, an scilicèt mala fides debitoris influat in ejus primum, vel ulteriorem hæredem.

Eòque magis dicebam de facili hanc præscriptionem admittendam esse, quoniam non agebat de illa præscriptione odiosa resultante à dispositione juris civilis *in leg. omnes, & leg. sicut, Cod. de præscript. 30. vel 40. annor.* per quam potiùs in pœnam negligentiæ debitoris, quàm ad favorem præscribentis iste acquirit rem alienam, seu eximitur à de- 11
bito ex causa correspectiva contracto, cujus æquivalens jam habuit, unde propterea est pariter inducere rei alienæ acquisitionem; Sed de favorabili diminutione oneris, vel servitutis, ac restitutionis Ecclesiæ saltem in parte ejus pristinæ libertati, quod est quid longè diversum, cum facilius inducatur libertas quàm servitus adnotata per civilistas, ad materiam text. *in l. cum de in rem verso, ff. de usuris, & in leg. si certis annis, Cod. de pactis*, ita conciliando textum *in l. adversus, Cod. de usuris*, & per canonistas *in cap. pervenit de censibus*, istique sunt veri, ac proprii termini text. *in dict. cap. cum olim*, pro diminutione scilicet oneris, ac servitutis.

Quamvis autem hæc more Advocati nimium exagerarem, neque in contrarium daretur congrua responsio, nisi ea, quod universalis Inquisitio potiretur privilegio Ecclesiæ Romanæ contra quam non datur præscriptio, nisi centum annorum, & quæ responsio pro meo sensu parum congrua videbatur, cum id rectè procedant in ipsa Inqui- 12
sitione universali Ecclesiam Romanam repræsentante in materiis fidei, non autem in hujusmodi inferioribus, ac subordinatis Tribunalibus super privato pecuniario interesse, præsertim cum alia Ecclesia; Ac etiam, quia non est præscriptio, quæ tollat substantiam debiti in totum, sed solum inducit modum, seu moderationem juxtà distinctionem quam in materia decimarum receptam habemus ex deductis *decis. 23. & 311. part. 6. recent.* & sæpiùs in sua 13
materia *sub tit. de decimis*, cum similibus; Sive quia talis diuturna observantia sufficiat ad probationem tituli concordiæ super valutationem monetæ deductæ in obligationem juxta ea, quæ habentur *discurs. sequent.* adeout non versaremur in vera, & directa præscriptione adimente jus uni, ac in alterum transferente.

Adhuc tamen resolutio probabilis visa est ex facti qualitate, ob quam verificabilis non remanebat dispositio dicti textus *in cap. cum olim;* Siquidem plurium annorum spatio propè dictæ reservationis tempus, auri valor erat longè inferior, ideòque scuti valebant ad rationem solùm julio- 14
rum 11. monetæ Romanæ, undè propterea praxis docet in præstationibus Cameralibus Urbis ac Status Ecclesiastici, quod debita in scutis auri solvuntur solum ad rationem juliorum 11. Idemque servat Camera Regni Neapolitani ad rationem carolenorum pariter 11. Deindè verò paulatim ac insensibiliter crescere cœpit ad julios 12. in quo valore diu perstitit; A moderniori verò tempore propter bella aliasque contingentias, adeò majorem excrescentiam habuit ad julios 15. & aliquid plus ratione aggii, ubi agitur de scutis stamparum modernarum; Et propterea cum ista inquisitio administraretur per unum Regularem non de facili conscium hujusmodi insensibilis augmenti, quod aurum in tempora habuit, atque probabiliter post plurium annorum decursum, Inquisitores pro tempore ignari essent de origine ac modo hujus reservationis, Ideòque inhærendo solito, continuarunt hujusmodi exactionem potiùs ex errore, qui excludit præscriptionem, vel saltem justam prębet causam restitutionis in integrum, ut in his specialibus terminis pensionis advertit Lotther. *dicto lib. 1. qu. 39. nu. 163.* & habemus generaliter receptum in materia restitutionis in integrum ex capite erroris, vel justæ ignorantiæ competentis adversus præscriptionem etiam longissimam 30. vel 40. annorum ex deductis per Thesaur. *decis. 134.* Burrat. *decis. 457.* cum aliis collectis per Add. ad *decis. 3. p. 3. rec.* istique videbantur hujus causæ termini.

AD-

ADNOT. AD DISC. XXXIV. cum seqq.

AGitur in his discur. de materia monetæ super qua viderì poterunt deducta sub diversis tit. & præsertim *tit de Credit. disc. 140.* ubi in adnotatione adsunt loca concordantia.

Decisiones proditæ in casu, de quo *disc. 36.* sunt inter illas Peutingerii *dec. 489. & 504.*

MEDIOLANEN. PENSIONIS SEU MONETÆ, PRO ALEXANDRO TERZAGO, CUM SEMINARIO MEDIOLANI.

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura, & resolutus pro Seminario.

De eadem materia monetæ, in qua solvenda est pensio, an & quando deferri debeat observantiæ, quæ diversa sit à reservatione, & de diversis speciebus scutorum, vel ducatorum auri, vel argenti.

SUMMARIUM.

1 FACTI series.
2 *De theorica super moneta, & quod tempus attendi debeat.*
3 *De pluribus speciebus scutorum auri majoris, & minoris valoris.*
4 *Ubi sint plures species monetæ, attenditur minor.*
5 *In moneta imaginaria non datur alteratio.*
6 *Unde proveniat diversitas valoris scutorum auri.*
7 *De specie reservationis in libris, ac moneta imaginaria.*
8 *Quando detur alteratio, etiam in imaginaria.*
9 *De reservatione in ducatis Regni Neapolitani, vel alterius regionis.*
10 *De reservatione in scutis monetæ Romanæ.*
11 *De alia in ducatis auri de Camera, Et quantum iste ducatus importet, & de scutis larghis.*
12 *Sub nomine scutorum auri in provisionibus Apostolicis quid veniat.*
13 *Expressio summæ seu valutationis an sit taxativè, vel demonstrativè.*

DISC. XXXV.

SUper eadem pensione per Gregorium XIII. de anno 1574. reservata in annuis scutis 880. auri ad favorem
1 Seminarii Mediolani super fructibus Præposituræ de Breda, super qua inter prædecessorem, & successorem habita fuit quæstio, de qua suprà *in alia Mediolan. disc. 26.* Post illam sopitam, nova excitata fuit inter dictum Seminarium ac ibi enunciatum Alexandrum Titularem super monetæ specie, in qua dictæ pensionis solutio fieri deberet; Prætendente Seminario eam faciendam esse in scutis auri juxtà formam reservationis, E' converso autem prætendente Titulari solvi debere ad rationem librarum septem, & solidorum quinque pro scuto, eodem modo, quo ab anno 1629. usque ad 1655. solverant Cardinales senior, & junior de Montealto dictæ Præposituræ possessores, quorum primus ante dictum annum 1629. (in quo per concordiam augmentum sequutum est,) eamdem pensionem solvebat ad rationem librarum quinque & solidorum 18. Introductaque causa coram A. C. pro Seminario judicatum fuit, idque canonizatum etiam per Signaturam Justitiæ, unde propterea Titularis acquievit, cum aliqua, ut mihi suppositum fuit, concordi moderatione.

In his autem disputationibus; Scribens ego pro Titulari, non negabam theoricam pensionario assistentem, de qua *disc. proximè præced.* quod cum reservatio facta esset in scutis auri, qui existunt, & sic in moneta vera non autem imaginaria, in ea facienda fit solutio, vel gratia commoditatis solventi,, in æquivalenti, ut *in eod. disc. præced.* ac etiam *sub tit. de Regal. disc. 126. & seq.* Atque agnoscebam non posse suffragari dispositionem text. *in cap. cum olim de cens.* Tunc ex motivis deductis *eod. disc. præced.* Tum quia in facto non verificabatur observantia pacifica uniformis 40. annorum, dum de anno 1629. exorta consimili quæstione, per transactionem factum fuit augmentum duarum circiter librarum pro scuto.

Dicebam tamen, tunc intrare difficultatem, quando alia non adesset scutorum species, nisi illa, quæ licèt pro diversitate Principatuum diversos habeat cunios, attamen uniformem habet valorem, ut sunt scuti auri, quos dicemus quatuor stamparum vel similes currentes per nundinas & plateas in cambiis, & qui solvuntur in Cancellaria Apostolica pro expeditionibus; quia tempore dictæ reservationis in Civitate Mediolani, quæ utpotè in loco beneficii ac destinatæ solutionis, in hoc, ut infra attendi debet, plures aderant species scutorum auri majoris & respectivè inferioris valoris, præsertim verò quidam scuti nuncupati *del Macello*, qui deindè reprobati fuerunt, adeout non extent amplius in rerum natura, ut etiam tunc adesse plures species scutorum auri majoris vel minoris valoris in Civitate Bononiæ patet ex *dec. 398. num. 8. part. 9. rec. & per tot.* Hinc proindè ad duo inferebam.

Primò scilicèt, quod reservatio intelligi debeat de specie scuti inferioris, ut servitus vel onus restringatur ad text. *in l. nummis ff. de leg. 3. cum concord* per Surd. *consil. 220. num. 5.* & Rota *dicta dec. 398. par. 9. rec. repetit. dec. 119.* post Merlin. *de pignor.* Et in specia- 4
libus terminis pensionis Lotther. *lib. 1. quæst. 39. num. 157. & seqq.* Et secundò, quod cum dicti scuti non essent amplius in rerum natura, ita redacti essent ad monetam imaginariam, quæ tractu temporis non recipit incrementum, vel decrementum, Lotther. *d. quæst. 39.* 5
num. 210. & seqq. & sub tit. de Regal. disc. 128. ac etiam *discurs. præced.*

Verùm, reflectendo ad veritatem (ab initio parti liberè pro stylo insinuatam) resolutio probabilis visa est, ex eisdem rationibus, de quibus *disc. præc.* non obstante dicta considerazione scuti auri inferioris valoris, quoniam supponebatur, quod ista species scuti haberet idem pondus, quod habebant alii scuti auri per Italiam, ac nundinas, & plateas currentes, ideòque ejusdem valoris esse deberet, 6
quando non haberet quamdam excedentem mixturam ligæ, ob quam communi opinione non currebat inter illos stamparum, sed erat alicujus minoris valoris, eo modo, quo etiam hodie habemus de scutis auri stamparum novarum, ac de illis, qui dicuntur ponderis veteris, quod illi de prima specie aliquem habent (licèt modicum) majorem valorem, in quo non erat causæ punctus, dum erat circa notabilem excrescentiam resultantem, non ab una, vel altera specie scutorum, sed ab ipso valore auri in genere.

Et ulteriùs advertebam, quod neque subsisteret dictum præsuppositum, ut de ista specie scutorum Mediolani reservatio intelligenda esset; Siquidem pluribus modis hujusmodi reservationes fieri solent; Aliquando scilicèt (sed 7
nimium raro) in moneta imaginaria regionis, putà in libris, quod officiales Datariæ admittere non solent; ut patet ex casu, de quo *suprà disc. 30.* & tunc cessat quæstio, cum ista species de sui natura non soleat recipere alterationem, licèt quandoque id etiam contingat juxta casum, & 8
de quo *dict. tit. de Regal. disc. 128.*

Aliquando verò fit in moneta vera regionis, putà in ducatis, ut contingit (exempli gratia) in illis pensionibus, quæ reservantur super Ecclesiis Cathedralibus, vel Metropolitanis Regni Neapolitani, quæ sunt ad Regiam nominationem, juxta casum, de quo *infrà disc. 37. & eod. tit. de Regal. disc. 126.* ubi disputatur, an Titularis admit- 9
ti debeat ad solvendum in loco Ecclesiæ ducatos currentes ibi proximo Regno Siciliæ ultrà Pharum, & deciditur negativè, sed non dubitatur attendendos esse ducatos juxtà monetam alterius Regni Siciliæ citrà, in quo sita est Ecclesia.

Et aliquando in scutis monetæ Romanæ quamvis beneficium esset extrà temporalem Ecclesiæ ditionem, juxtà casum, licèt in aliis terminis, de quo *eod. tit. de Regal. disc. 126.* ubi de alio casu in Insula Melevitana, 10
in quo obligatus ad præstationem solvere volebat in ea specie monetæ, quæ proportionatum valorem intrinsecum non habet, sed major valor est accidentalis ob leges illius M. Magistri, & decidituur, admitti quidem solutionem in ea moneta, sed in tanta quantitate, quod adæquet valorem scutorum auri.

Frequentiùs autem pensionum reservatio fieri solet in ducatis auri de Camera, qui constituuntur ex uno scuto auri quatuor novarum currentium stamparum, ac uno juxtà notorium receptum usum, quamvis, ut expertus sum occasione plurium disputationum habitarum super extinctionibus antiquiorum censuum impeditorum in ducatis auri, qui vulgò *larghi* nuncupabantur, quorum mentio habetur *decis. 149. par. 2. recent.* deberent importare

ali-

aliquid plus; Siquidem præsertim *in Romana census* pro Monasterio S. Mariæ Novæ, apud antiquarios inventi fuerunt plures hujusmodi ducati, seu scuti larghi, qui currebant in Camera, & Cancellaria illique in pondere, ac valore excedunt id, quod importat scutus auri stamparum currens cum uno julio pluris; Cum enim alii scuti aurei Italiæ, aliarumque Catholici Orbis regionum, quorum mentionem habet Gomez *in regula de valore quæst.* 9. *num.* 26. & reassumit Fenzon. *ad statut. Urb. cap.* 147. *n.* 146 haberent aliquem inferiorem valorem, hinc proindè sub Leone X. introduci cœpit quædam nova species scutorum auri juxtà formam, & valorem hodiernum, ut esset æqualis aliis scutis auri stamparum, & qui ad differentiam dictorum majoris ponderis, seu bonitatis, qui aliquam majorem materialem latitudinem habebant, dici cœperant *stricti*, illi verò *larghi*, sive *solis*.

Generaliter autem hodie, tam in litteris Apostolicis, quàm in quibuscumque privatis, vel publicis dispositionibus, sub nomine scutorum auri simpliciter, veniunt isti scuti breviores currentium stamparum, quorum usus est in
12 communi commercio platearum, ac nundinarum; Ideòque habetur dictus discretus modus reservandi pensiones, quod quandoque reservantur in ducatis auri de Camera, qui important majorem quantitatem in decima sexta parte plus; Et quandoque verò in scutis auri simpliciter importantibus dictam decimam sextam partem minus.

Et consequenter quando in hac reservatione Gregorius XIII. loquutus est de scutis auri, quamvis de jure, non data contraria expressione, solutio fieri debeat in loco beneficii; Attamen intelligitur de scutis auri currentibus in Dataria, & Cancellaria, juxtà cujus stylum regulatur Papæ voluntas, in qua probabiliter esse non potuerat hujusmodi scuti auri inferioris ligæ, seu valoris, qui Mediolani currebant, cum ista consideratio cadere posset in contractibus initis inter privatos ejusdem loci; Talisque est communis praxis juxtà decisiones, quæ suprà, ac etiam *disc. præced.* habentur; Ac propterea quando de anno 1629. per concordiam scutus auri, à libris quinque auctus fuit ad libras septem, non fuit præcisè statuere certum valorem, seu taxam, quæ se habere posset ad commodum, & incommodum utriusque, sed potiùs demon-
13 strativè, quia scilicèt tanti scutus aureus excretus importaret recipiendo solutionem in libris gratia commoditatis, cum in dubio potiùs demonstrativè, quàm taxativè id gestum præsumatur, ut *decis.* 114. *par.* 1. *recent.* & *d. decis.* 398. *part.* 9. & in aliis.

CALARITANA PENSIONIS.
PRO FRANCISCO BUSQUETO,
CUM DOMINICO, ET GEORGIO DE MARTINIS.

Casus decisus per Rotam pro Francisco ut infra.

De eadem materia monetæ, in qua solvenda sit pensio, & an concordia desuper inita cum uno Titulari allegari possit per successorem, & aliqua de judicio possessorio in jure exigendi pensionem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Possessio acquiritur per exactionem etiam unius termini, vel partis, & prodest contra successorem.*
4 *An expressio valoris importet taxam, vel stet demonstrativè.*
5 *De eodem ubi præcedit lis.*
6 *Secus lite non accedente.*
7 *Est quæstio voluntatis, & quomodo decidenda.*

DISC. XXXVI.

1 SUper Canonicatu Ecclesiæ Calaratanæ jam gravato pensione ducatorum Cameræ 500. ad favorem Cardinalis Lantes, de consensu possessoris reservata fuit pensio (quæ voluntaria dicitur) aliorum ducatorum similum 700. ad favorem Francisci, deindeque, cum de eodem Canonicatu provisus fuisset Dominicus reservata fuit altera pensio similium ducatorum 625. ad favorem Ambrosii; Verùm isto noviter proviso prætendente invaliditatem dictarum pensionum Francisci, & Ambrosii, introductaque lite coram A.C. deventum est ad concordiam, per quam utraque pensio in aliqua respectivè parte diminuta, seu reducta fuit, donec duraret altera antiqua pensio Cardinalis, atque in concordia, pensio Francisci ducatorum Cameræ 700. narrata, seu præsuppositа fuit in scutis 1015. declaratione adjecta, ut dicta reductio esset personalis ad favorem dicti Dominici non autem successoris; Cum autem dictus Dominicus assumpsisset in Canonicatu prædicto in coadjutorem cum futura successione Georgium nepotem; Hinc cum utraque respectivè super dictæ pensionis solutione, non circa substantiam, sed circa monetæ qualitatem, & quantitatem, denuò lis introducta fuit in Rota coram Peutingerio, atque sub diebus 4. Februarii, & 15. Junii 1654. prodierunt resolutiones Francisco pensionario concedentes manutentionem ad limites dictæ concordiæ, cum reductione, non obstante, quod cessasset dicta antiqua pensio per obitum Cardinalis, idemque postmodum dictum fuit sub diebus 14. Junii 1655. & 10. Maii 1658. coram Verospio subrogato, quamvis interim sequuta esset mors Dominici coadjuti; Postmodum autem habitis aliquibus disputationibus in resolutione circà monetam, in qua solutio facienda esset, deventum est ad concordiam, quæ controversiæ finem dedit.

In his autem disputationibus, duo fuerunt puncti, Unus in possessorio manutentionis in quasi possessione exigendi, Alter verò in bono jure super qualitate, & quantitate monetæ, in qua ista solutio fieri deberet.

Super primo processum est cum generalibus hodieque satis vulgaribus, ac receptis propositionibus super quibus circumferuntur dictæ decisiones, magnæque juxta currentem irridendum abusum retexebantur hinc indè allegationes, quod scilicèt existenti in quasi possessione exigen- 3
di, etiam per exactionem unius termini, quinimò partis, competit manutentio, quæ tamen danda est ad limites possessionis, & ultrà, etiam contra successorem in beneficio, qui nihil solvisset, cum jus metiamur ex persona actoris, seù possessoris, & consequentèr cum possessio esset juxtà reductionem in scutis monetæ 915. dictum fuit attendendum non esse, quod cessasset conventa diminutio scutorum centum temporaliter, ad vitam scilicet illius Titularis, vel respectivè donec antiqua pensio duraret, quoniam id præbere quidem poterat actionem petendi illud plus in exequutionem litterarum vel concordiæ, non autem in hoc judicio manutentionis, quod decernitur ad limites possessionis, & sic in ea summa, in qua fuisset possessio.

Quo verò ad alterum punctum monetæ; Non negabant scribentes pro Titulari theoricam, de quo *duobus discursibus præcedentibus*, quod cum reservatio facta esset in ducatis Cameræ, in illis vel moneta regionis, quæ eorum valorem adæquaret, solutio facienda esset, sed dicebant, quod cum in dicta concordia pensio narrata esset in scutis 1015. ita ad istam quantitatem redacta esset per speciem transactionis super valore ducatorum, seu scu- 4
torum auri, qui poterant crescere & decrescere, undè utraque pars æquè se haberet ad commodum, vel incommodum.

Verùm (in sensu etian veritatis) scribens pro pensionario, prorsus improbabilem dicebam hanc prætensionem, quoniam, ut advertitur *in decis.* 114. *par.* 1. *recen.* 5
in qua in specie agitur de hoc puncto, (super quo proindè illa passim circumfertur, quamvis non ageretur de pensione, sed de censu,) quod scilicèt tunc id rectè procedat, quando processisset lis vel saltem in extrajudiciali controversia super valutatione monetæ, super qua deindè concordatum esset; Sivè (ut pluries practicavi) partes concorditer ad evitandam alterationem aggi auri, aut pro majori commoditate solvendi ac exigendi respectivè, convenissent de certa uniformi, ac invariabili quantitate monetæ regionis.

Cumque tunc uterque commodo, & incommodo futuræ eventualitatis æquè subjaceat, hinc planum est, ut constito de hujusmodi voluntate, illa attendi debeat, ut etiam admittitur in his terminis pensionis in celebri Capuana coram Verospio *decis.* 490. *eod. part.* 1. *recent.* Secus autem ubi, ut in præsenti, lis, ac respectivè concordia 6
non fuit super moneta, & modo solvendi, sed super alio puncto, seu quæstione, quoniam tunc summa explicata stare potiùs dicitur demostrativè, quàm taxativè, ut in dubio

dubio est præsumptio; Ac etiam quia transactio cadit super iis, quæ sunt in lite, non super aliis, ut advertitur in suprà allegatis decisionibus 114. & 490. *par.* 1. *rec.* & *dec.* 398. *par.* 9. atque videtur verissima, & germana distinctio, cum conventio trahenda non sit ultrà id, quod in animo, ac voluntate contrahentium principaliter fuit; Talisque erat sensus Rotæ in ista causa, dum sola difficultas erat circa ordinem, sive incompetentiam judicii possessorii in eo pluri juxtà ea, quæ habentur *disc. seq.*

Sequentes decisiones noviter emanarunt in materia præcedentis discursus.

R. D. EMERIX DECANO.

Calaritana Pensionis.

Lunæ. 1. *Decembris.* 1692.

SAnctæ memoriæ Urbanus Octavus super Canonicatu Cathedralis Ecclesiæ Calaritanæ vacante per obitum Antonii Angeli Santucchii, & pensionibus ducatorum 1200. auri de Camera gravato, quem per litteras datas nonis Decembris 1637. ab Archiepiscopo conferri, & assignari mandaverat Dominico Martin reservavit eodem die, & anno de consensu ipsius Dominici, & sub narrativa valoris *per ascensum* ad 3500. ducatos similes, cum clausula, *ut asseris* aliam pensionem similium ducatorum 625. favore Ambrosii Santucchii Machin, qui illam exegit usque ad annum 1655. quo Dominicus supervixit, sed post hujus obitum, detractante Georgio Martin, qui vigore gratiæ Coadjutoriæ cum futura successione Canonicatum adeptus fuerat in illius solutione continuare egit, & obtinuit adversus ipsum anno 1658. à Vicario Generali Calaritano Judice in litteris reservationis pensionis deputato mandatum de manutenendo, quod devoluta causa ad A.C. Bulgarinum, revocatum fuit per sententiam absolventem Georgium ab impetitis, & ulteriùs declarantem pensionem esse nullam; Appellantem autem Ambrosio, & commissa causa clar. mem. Cardinali Cerro, fuit in possessorio, prævia *decis.* 629. *inter ejus impressas* relaxatum mandatum de manutenendo favore Ambrosii, & in petitorio, prævias duabus decisionibus; prima nempè *coram eodem Cerro inter ejus impressas* 899. & altera *coram Eminentissimo Vicecomite* illi suffecto 6. *inter impressas part.* 17. *recent.* latà fuit per ipsummet Eminentissimum Vicecomitem sententia priori A.C. Bulgarini conformis pro nullitate pensionis, contra quam interjecta rursus appellatione pro parte Ambrosii, & causa commissa bonæ memoriæ Priolo, prævias inter illius impressas 351. & 369. pronunciatum fuit per bon. mem. Albergatum per ejus obitum in causa substitutum: *infirmandam esse sententiam Eminentissimi Vicecomitis, & pensionem sustineri*, sed ab hac sententia commissa ad provocationem Georgii causa appellationis R. P. D. Rondinino, & post varios actus coram ipso gestos, utroque tam scilicet Georgio, quàm Rondinino ab humanis ereptis, ac in Georgii locum de Canonicatu proviso Joanne Paulo Nurra, & in locum Rondinini suffecto R. P. D. meo Cavallerino nunc ad Christianissimum Regem Nuncio Apostolico, proposito ter per ipsum consueto dubio, *an sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda*, nec ulla capta resolutione, excepto ordine dato sub die 3. Julii 1690. quod *strictè scriberetur super reducibilitate pensionis*, tandem hodie coram me illius vice causam reproponente, concluſum fuit pro infirmatione sententiæ Rotalis.

Sententia enim (ut liquet ex decisionibus bonæ memoriæ Prioli, quarum ad formam illa emanavit, unicè fundata fuit in eo, quod ob consensum per Georgium tunc temporis titularem pensioni præstitum in assecutione gratiæ Coadjutoriæ relevaretur Ambrosius Pensionarius ab onere justificandi valorem *per ascensum* ad 3500. ducat. auri de Camera narratum in litteris reservationis, tam in possessorio, quàm petitorio, sed corruit hujusmodi fundamentum in hodierna instantia, quæ non amplius agitur cum Georgio, sed cum Joanne Paulo per ejus obitum proviso, qui non modo nullum præbuit pensioni consensum, verum imò (ut inferius apparebit) adversus illam positivè dissensit, & reclamavit, ac refugit aliud amplexum per decisiones bonæ memoriæ Cerri, & Eminentissimi Vicecomitis, quod videlicet pensionarius in judicio petitorio, & contra Titularem, qui pensioni non consensit, tenetur plenè, & concludenter justificare valorem præfatum aliàs pensio non substinetur, ut tradit Garz. *de benefic. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 476. & *seq.* Lotther. *de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 38. *num.* 72. Adden. ad Gregor. *decis.* 57. *num.* 11. Rota *decis.* 306. *num.* 1. *par.* 10. *dec.* 41. *num.* 1. *part.* 17. *recent. decis.* 236. *num.* 9. *coram Bichio*, *decis.* 830. *nu.* 5. *coram clar. mem. Cardinali Cerro in Viterbien. pensionis* 26. *Junii* 1682. §. *Cum enim coram Reverendissimo Patre Domino meo Urfino in Albanen. pensionis* 2. *Aprilis* 1683. §. *secundo quia*, *coram bonæ memoriæ Rondinino*, & *in Romana pensionis* 25. *Junii ejusdem anni* §. *Nitebantur coram eodem*, *confirmata* 20. *Martii* 1684. *coram Domino meo Urfino*. Præsertim stante clausula ut asseris, quæ facit conditionem, & præsefert Papam fuisse de Beneficii valore dubium, deque eo voluisse à Pensionario doceri, ut advertit Rota *d. decis.* 306. *n.* 3. & 4. *part.* 10. *dec.* 265. *n.* 3. *part.* 15. *dec.* 130. *nu.* 3. & *seq. par.* 18. *rec. in dicta Viterbien. pensionis* §. *Eoque fortius coram D. meo Urfino.*, & in decisione, sive discursu edito pro concordia *in Majoricen. pensionis* 28. *Martii* 1689. §. *Quoniam cum sequenti coram me*.

Neque ad relevandum ab hoc onere Pensionarium quidquam facit, quod pensio reservata non fuerit sub aliqua explicita conditione, sed purè, quodque in illius reservatione facta occasione provisionis per obitum nulla, nec de jure, nec ex regulis Cancellariæ requireretur expressio valoris, nam quod pensio reservata non fuerit sub aliqua explicita conditione (præter quod confunditur ex præcitata clausula, *ut asseris*, quæ vel importat expressam conditionem, vel saltem virtualem, ac tacitam, quæ ad nunc effectum æquipollet expressæ, ut constat ex notatis per Garz. *de benef. par.* 1. *cap.* 5. *n.* 460. Rota *dec.* 880. *num.* 2. *coram Dunoz. Juniore*, & *dec.* 130. *num.* 3. & 4. *par.* 18. *recent.*) Nihil pertinet ad punctum oneris justificandi valorem, quod æquè incumbit Pensionario in pensione conditionali, ac pura, cum hac solum differentia, quod quando agitur de pensione conditionali, justificatio fieri debet etiam adversùs eum, quo pensioni consensit, cum consensisse dicatur sub eadem conditione, quod secus est, quando agitur de pensione pura, ut explicant Marescott. *var. resolut. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 74. & 75. Adden. ad Gregor. *dec.* 57. *num.* 12. Et quod nec de jure, nec ex regulis Cancellariæ requireretur expressio valoris in reservatione pensionis occasione provisionis per obitum (quidquid sit an subsistat) non urget in casu, quo, prout hic, ejus expressio, licèt forsan aliàs non necessaria, legitur in actu reservationis peractæ ad Pensionarii supplicationem, & cum sæpè dicta clausula, *ut asseris*. In his enim terminis necessaria fit illius verificatio ex facto, seu voluntate, tam Pensionarii, qui hanc sibi viam elegit ad obtinendum, ut ponderant Guttier. *Canon. quæst. lib.* 2. *cap.* 15. *sub num.* 76. Cochier. *ad regul. Cancellar.* 61. *numer.* 22. & *seqq.* Tondut. *de pension. qnæstion.* 61. *numer.* 3. & 4. quam etiam Papæ, qui sub hac conditione sine lege detulit reservationi ad tradita per Lotther. *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 41. *num.* 33. Rota *dec.* 144. *num.* 12. & *tribus seqq. p.* 4. *rec. tom.* 2.

Minus subsistit, quod Dominicus primus Titularis auctorizante Papa pensioni consenserit pro se, & suis successoribus ibi. *Pensionem annuam &c. per dict. Dominicum, cujus ad hoc expressus accedit assensus, & successores suos Canonicatum, & Præbendam prædictam pro tempore quomodolibet obtinentes &c. integrè persolvendam, &c.* quoniam (ut ex hisnet ipsis verbis satis constat) successores fuerunt particulariter comprehensi in obligatione solvendi pensionem, qui nihil influit in consensum, qui in subjecta materia non tangit substantiam debiti, sed potius modum debendi, & dicit solum approbationem, seu confessionem, quod beneficium sit capax tali pensione; Consensus autem personaliter relatus fuit ad ipsum Dominicum, neque per consequens afficit successores, qui non veniunt dependenter ab ipso, sed jus metiuntur à Papa, ex provisione per obitum, ut tradit Rot. *dec.* 144. *n.* 16. & *seq. par.* 4. *tom.* 2. *dec.* 306. *n.* 6. *par.* 10. *dec.* 187. *n.* 13. & 14. *par.* 11. *dec.* 27. *n.* 2. & *dec.* 265. *num.* 4. *par.* 15. *recent. decis.* 1122. *num.* 1. *vers. tam ex eo*, *coram Card. Seraphino*, & *dec.* 343. *num.* 1. *vers. nec ab onere cum seqq. coram Merlino*.

Prout nec refert, quod ab anno 1637. usque in præsens, pensio semper exacta fuerit, itaut ex tàm longi temporis exactione oriatur justificationis præsumptio, siquidem exactiones, quæ præcesserunt litem instructam coram Vicario Calaritano, non complectuntur spatium 30. annorum, prout omninò requiritur ad inducendam hujusmodi præsumptionem, ut firmat Adden. ad Burat. *decis.*

*decis.*296. *num.* 12. *versic. minus autem tempus*, Rota *penes* Marchesan. *de commiss. part.*1. *fol.* 523. *num.*2. *decision.* 569. *numero* 4. *coram Pænia*, *& decision.*41. *num.*17. *&* 18. *part.*17. *recentior.* aliæ autem subsequutæ non fuerunt pacificæ, quia lis, ut præmissum est à vicario Calaritano, delata fuit ad Auditor. Cam. Bulgarinum, & ab Aud. Camer. Bulgarino ad nostrum Tribunal, in quo deinceps perpetuò viguit, & adhuc viget, & factæ fuerunt calore mandati de manutenendo Pensionario concessi, & à signatura Justitiæ canonizati cum clausula præservativa exequutionis, & sic sive ex uno, sive ex altero capite non suffragantur, ut de primo tradit Rota *decision.* 294. *num.*13. *& seqq. coram Royas*, & de secundo *decision.* 273. *per tot. lib.* 2. *coram Puteo*, *& decis.* 921. *numer.* 32. *coram Dunozetto Juniore*, non attenta conjunctione temporum pro complendo 30. annorum spatio, prætensa sub obtentu, quod post directam causæ Commissionem bonæ memoriæ Rondinino, Titularis tunc temporis litem deserverit, & pensionem persolverit usque ad obitum, quoniam litis desertio cessat in facto, quia scilicet anno 1678. fuit ex parte ejusdem Titularis productus coram bonæ memoriæ Rondinino processus remissorialis, & anno subsequenti 1679. ad ejus instantiam propositum ac disputatum hodiernum dubium, prout ex causæ positione tunc distributa.

Nec demum turbat, quod etiam Joannes Paulus modernus Titularis saltem tacitè pensioni consenserit per hoc, quod in supplicatione Papæ porrecta pro consequutione Canonicatus narraverit eumdem valorem ducatorum 3500. narratum in litteris reservationis, expresserit hanc ipsam pensionem ducatorum 625. de cujus validitate agitur, & ulterius consenserit reservationi novæ ducatorum 100. quoniam narrativa valoris ducatorum 3500. facta fuit ad parendum officialibus Datariæ, qui pro eorum interesse recusarunt admittere supplicationem cum minori expressione, & facta fuit cum præambula solemni protestatione, non consentiendi valori, ac ex defectu illius justificationis impugnandi pensionem immediate etiam deinceps actualiter impugnatam, prout in specie respondendo huic objecto animadvertit Rota *decis.*306. *numer.*8. *part.* 10. *recent.* & denique facta fuit per modum negativum, videlicet, *per non excessum*, neque proinde trahi valet in approbationem alterius in litteris reservationis conceptæ per modum affirmativum, scilicet, *per ascensum*, quæ est longè diversa; cum prior verificetur in quolibet summa, hæc autem præcisè verificari debeat in summa narrata, ut dixit Rota *decis.*120. *num.*15. *part.* 17. *recent. decis.*237. *num.*4. *& sequen. coram Milino*, *decis.* 169. *num.*11. *& sequen. & coram Royas decis.* 880. *num.* 7. *& seq. coram Dunozetto Juniore*, *& in Compostellana Parochialis* 2. *Maji proximè præteriti* §. *non obstat*, *coram Rev. P. Dom. meo Caprara*. Expressio autem controversæ pensionis, ultra quòd facta fuit cum protestatione mox allegata, & fieri potuit, ac debuit ad differendam pro ejus rata solutionem annatæ, & ne illa reticita posterior corrueret tanquam subreptitia, ut observat Rota *decis.* 3. *&* 4. *de Pension. coram Cassador. decis.* 111 *num.* 3. *coram Mantica*, *& dec.*279. *num.*4. *coram Millino*, non dicit approbationem pensionis, sed nudum factum reservationis, quod etiam invalidè expleri potuit ex defectu intentionis Papæ, seu verificationis narratorum, ut retractando contrariam sententiam amplexam in decisionibus in objecto allegatis firmavit Rota *decis.*278. *num.*3. *&* 4. *penes* Posthum. *de manutent. dec.*306. *num.*7. *& pluribus seqq. par.* 10. *recent. dec.* 343. *num.*4. *&* 5. *coram Merlino*, *& in Arimen. pensionis* 10. *Maii* 1662. §. *Quia cum pensio*, *coram bon. mem. Avunculo meo*, & demum consensus reservationi novæ pensionis considerabilis esset adversus novum Pensionarium, non autem adversus antiquum, qui hujusmodi consensum non habet, maximè quia ille præsumi potest novæ pensioni præstitus sub justa credulitate, seu suppositione, quod antiqua esset nulla.

Non justificavit autem prærecensitum valorem ducatorum auri de Camera 3500. (quemadmodum ex hucusque firmatis tenetur) Ambrosius pensionarius, nam Testes ad hunc effectum adducti, qui ad ejus instantiam examinati fuerunt vigore remissoriæ expeditæ *coram claræ memoriæ Cardinali Cerro*, patiuntur plures notabiles exceptiones latè recensitas in *decisione Eminentissimi Vicecomitis*, quod nempè interrogati de valore Canonicatus respondet se nescire, omnes loquuntur de auditu, non deducunt expensas in recollectione fructuum necessarias, neque onera Canonicatus, & denique se restringunt ad annos quinque, eosque (ut ipsi clarè asserunt) fertiliores, non autem testantur de quinque annis ante, & quinque post reservationem juxta notoriam praxim in hac materia receptam, ac per consequens nihil probant, ut de Testibus non informatis Lotther. *de re benef. lib.* 1. *quæst.*43. *num.*12. *& lib.*3. *quæst.*20. *num.*85. ac de testibus deponentibus de auditu idem Lotther. *d. lib.*3. *qu.*20. *num.* 84. Tondut. *de pens. cap.*14. *num.*11. *&* 12. & de aliis non deducentibus expensas, & onera Fælin. *in cap. ad aures num.*14. *de rescript.* Rot. *dec.*40. *num.*7. *coram Pamphilio*, *& in Burgen. Præstimonii* 9. *Junii* 1684. §. *Neque visum coram me*, ac de non deponentibus per quinque annos ante, & quinque post reservationem, Rota *dec.* 213. *num.* 7. *coram Bichio*, & distinguendo inter valorem narratum *per non excessum*, & alterum narratum *per assensum*, in quo gratia Papæ fundatur *dec.* 62. *num.* 13. *par.* 10. *rec. & in dicta Burgen. Præstimonii*, *d.* §. *neque visum coram me*.

Non obstat discursus, qui fit super eisdem Testibus, quod scilicet ipsi deponant de omnibus, & singulis fructibus Territoriorum Villasor, & Sanlur ab anno 1637. usque ad 1642. quod fructus Canonicatus consistant in tribus ex quinque partibus decimæ horum fructuum, quodque inito eorum calculo juxta pretia tunc currentia tres quintæ partes ascendant ad annuas libras 19950. quæ junctæ cum aliis libris 465. quæ quot annis percipi solent ex distributionibus quotidianis, & aliis Canonicatus emolumentis, de quibus supponitur apparere ex libris Capituli conficiant annuas libras 20414. constituentes ad rationem juliorum quatuor pro qualibet libra ducatos auri de Camera 5103. quoniam (præter quod ille fundatur in Testibus patientibus exceptiones supracitatas, quæ non sinunt eis haberi fidem) non est etiam in semetipso perfectè concludens, primum, quia Testes non deponunt constanter, ac fixè de ea fructuum, eorumque pretiorum, quæ ex parte Pensionarii calculata fuit, sed de una summa, vel altera, ex quibus sumpta (prout fieri debet) summa minori, ut monet Tondut. *de pens. cap.* 14. *num.* 15. patet valde decrescere præmissum valorem ducatorum 5103. ac deinde, quia nec detrahunt portiones eorum, qui exempti sunt à Decimæ solutione, quibus non detractis nulla habetur certitudo quantitatis Decimæ, neque per consequens fructuum Canonicatus, qui ex ejus tribus quintis partibus constant, accedente præterea, quod libra Sardiniæ non constituit julios quatuor monetæ Romanæ, sed solum julios tres, & bononenos quatuor, ut ex fide Mercatorum data per Titularem.

Neque depositiones eorumdem Testium supplentur, seù roborantur ex adminiculis, non enim relevant dicta Testium nuper ad perpetuam rei memoriam examinatorum, quia isti nec faciunt adminiculum, ut dixit Rota in Civitatis Castellanæ bonorum 4. Junii 1681. §. *ex prædictis coram bonæ memoriæ Pauluccio*, nec pariter similes narrativæ valoris emissæ in binis provisionibus Dominici, & Georgii una cum solutione pensionis facta per Dominicum per spatium ferè 20. annorum; etenim narrativæ leguntur etiam in præcedentibus provisionibus remissiores, videlicet anno 1608. in ducatis 1250. & anno 1624. in ducatis 2000. & quod plùs est, factæ fuerunt per non excessum, quæ (ut præfatum fuit) verificantur in qualibet summa; & pensionis solutio fieri potuit etiam ad effugiendas molestias, & lites, quæ, ut docet quotidiana praxis non brevi temporis spatio, nec sine magno labore, ac sumptu terminari solent adversus Pensionarium existentem in quasi possessione exigendi, neque demum affictus anno 1632. stipulatus pro libris 5120. liberis ab omni obligatione pensionum, & onerum, quia hic pluribus annis præcedit tempus reservationis, quod solum spectare debet ad effectum justificationis valoris, ut tradit Lotther. *de re benef. lib.*1. *qu.*38. *num.* 69. plenè Rot. *in Pamphilonem beneficii* 12. *Januarii* 1685. §. *Minus obstat*, *& §. sed è contra coram R. P. D. meo Caccia*.

Quinimmò hujusmodi tam Testes, quam adminicula prosternuntur ex Testibus vigore alterius remissoriæ Rotalis examinatis ad instantiam Georgii Titularis, ac ex aliis examinatis ad perpetuam rei memoriam deponentibus, fructus Canonicatus non excedere valorem librar. 7000. qui longè distat à valore ducatorum 3500. pro quo conflando juxta memoratam mercatorum fidem requiruntur libræ 16727. 10. & rursus ex contrariis adminiculis, primo nempè quod una ex quinque partibus Decimæ fructuum

ctuum præfatorum Territoriorum spectans ad Ecclesias Parochiales ab anno 1637. usque ad 1654. semper locata fuit pro libris 1300. circiter, & solum anno 1651. pro libris 1450. ut patet ex serie locationum exhibitarum pro parte ejusdem Titularis, quæ tanquam continuatæ per spatium tot annorum benè probant valorem, ut pluribus adductis dictum fuit *in Salernitana pensionis* 4. *Maii* 1633. *coram bo. me. Ghislerio*, *in Alarien. pensionis* 7. *Junii* 1634. §. *Inter alios coram bonæ mem. Verospio*, *& in Romana locationis* 23. *Martii* 1639. §. *& non poterat coram eodem*, & altero quod cessis Pensionario fructibus Canonicatus per Georgium antecessorem, Pensionarius in redditione rationis administrationis eorum gestæ per plures annos remansit Creditor Titularis in libris 2730. & in ducatis auri de Camera 4000. pro pensionibus decursis, prout ex calculo per eumdem Pensionarium dato *coram bon. me. Priolo*, *& ex decisione super hoc puncto edita sub die* 7. *Januarii* 1676. *cor. Reverendiss. Bourlemont*.

Cessante igitur ex his Pensionario in justificatione valoris sibi incumbente pensio, ut sub initio dictum fuit, non substinetur neque etiam, quæ postrema fuit Pensionarii prætensio, ad mensuram deficientiæ valoris est reducibilis, quia scilicet purè reservata fuit sub narrativa certi valoris per *ascensum*, & cum clausula, *ut asseris*, in quibus terminis ex defectu illius justificationis corruit in totum, ut firmant Fagnan. *in cap. ad hoc num.*29. *de solut.* Garz. *de benef. par.*1. *cap.*5. *num.*427. Tondut. *de pens. cap.*15. *nu.* 5. *&* 6. Add. ad Buratt. *dec.*369. *num.* 8. & semper tenuit nostrum Tribunal, ut *in dec.*17. *num.* 1. *&* 2. *de rescript. coram Crescentio dec.*884. *num.*1. *&* 2. *coram Manzanedo*, *dec.* 880. *per tot. & præsertim num.* 8. *coram Dunoz. juniore dec.* 278. *num.*2. *penes* Posth. *de manutent. decis.*342. *num.*12. *& seq. par.*4. *tom.*2. *decis.*187. *num.*34. *&* 36. *part.* 11. *dec.* 41. *num.*4. *decis.*120. *num.*2. *& decis.*245. *num.* 32. *part.* 17. *recent. & in præcitata Majoricen. pensionis* 28. *Martii* 1689. §. *Quoniam*, *coram me*, ex duplici ratione, prima, quod ex falsa valoris expressione oritur vitium obreptionis, quod inficit totam gratiam, ut docet Fælin. *in cap. ad audientiam*, *num.*2. *de rescript.* & secunda quod ex clausula, ut asseris inducitur conditio, ex qua gratia fit individua, & ratione individuitatis in totum nulla, ut ratiocinatur Garz. *loco mox allegato num.*425. *& seq.* Rota *dec.*379. *num.* 9. *part.*19. *recent.* non refragantibus auctoritatibus in contrarium laudatis, quæ procedunt in reservatione pensionis, facta cum clausula *dummodò* centum pro Rectore remaneant, vel *dummodò* tertiam partem fructuum non excedat, ex qua conjicitur Papam voluisse pensionem subsistere in eo, quod superesset, salvis reservatis, ut in specie illas declarando dixit Rota *dec.*375. *ex num.*2. *usque ad* 15. *& dec.*379. *num.*4. *& seq. par.* 19. *recentior. & in dicta Romana pensionis* 25. *Junii* 1683. *cor. bon. mem. Rondinino*, *confirmata* 14. *Januarii*, *&* 20. *Martii* 1684. *coram R.P.D. meo Ursino*.

Nec reductio peti valet ex eo, quod de tempore reservationis Pensionarius reperiretur puer undecim annorum, quodque in illius litteris expressa fuerit ratio subveniendi ipsi de alimentis, quoniam puerilis ætas non est apta præservare gratiam à nullitate, de qua agitur, non enim in hac specie attenditur simplicitas supplicantis, sed voluntas, & intentio Papæ concedentis, ad litteram Text. *in cap. super litteris de rescript.* ubi Hostien. *num.* 10. *vers. vel per simplicitatem*, Abb. *num.*4. *&* 6. Joann. Andr. *num.* 10. Decius *num.*8. Latè Fagnan. *num.*62. Cravett. *cons.*68. *num.*11. Mascard. *de probat. concl.*846. *num.*4. *& seqq.* Rot. *dec.*410. *num.*10. *coram Bichio*, *decis.* 306. *num.*24. *& seq. par.*10. *dec.*120. *n.*18. *& seqq. part.*17. *& dec.*375. *num.* 19. *in fine par.* 19. *rec.* signanter in casu, quo prout hìc post transactam puerilem, imò etiam minorem ætatem Pensionarius non modò narrativam non retractavit, & institit pro gratiæ correctione, sed ipsam gratiam in Judicio produxit, & narrativam totis viribus substinere curavit, expediendo etiam ad hunc effectum remissoriam pro examine Testium. His enim stantibus censetur narrativam ratificasse, & suam agnovisse, nec ex capite simplicitatis evitare valet nullitatem ex ejus falsitate, ut firmavit Rota *dec.*181. *n.*4. *lib.*1. *coram Puteo*, *dec.* 410. *nu.* 18. *coram Bichio*, *dec.*306. *n.*25. *part.*10. *dec.*11. *num.*15. *& seq. part.* 11. *& dec.*120. *n.*18. *in fine par.*17. *& dec.*375. *n.*15. *& seqq. par.*19. *recent.* ubi respondetur *dec.*536. *par.* 4. *recen. tom.*3. adductæ pro Pensionario. Et ratio subveniendi Pensionario de alimentis respicit effectum gratiæ, magis quam causam, quæ stat in narrativa valoris ex qua Papa instruitur ad rectam rationem distributionis redituum Ecclesiasticorum ad notata per Sarnen. *ad regul. Cancell. de valor. exprimen. q.*1. *n.* 20. alioquin actum esset de conclusione tradita per Doctores, ac toties in nostro Auditorio canonizata, quod ex defectu justificationis valoris *per ascensum* narrati, pensio totaliter irritatur, cum vix una dari valeat reservatio, in qua hujusmodi expressio non legatur, ut inquit Lotther. *de re benef. lib.*1. *qu.*35. *n.*47. & patet ex ejus formulis relatis per Corrad. *in prax. benef. lib.*5. *cap.*2. *&* 3. *n.*1.

Et ita decisum fuit, utraque &c.

R. D. EMERIX DECANO.

Calaritana Pensionis.

Veneris 22. *Aprilis* 1695.

CUm ex defectu justificationis valoris Canonicatus in litteris reservationis Pensionis per ascensum ad ducatos auri Cameræ 3500. & cum clausula *ut asseris* narrati *die prima Decembris* 1692. decisum foret coram me infirmandam esse sententiam per bon. mem. Albergatum præviis geminis Decisionibus editis coram bon. mem. Priolo inter ejus impressas 351. & 369. pro validite Pensionis in proximè præcedenti Instantia prolatam, petiit, & obtinuit Ambrosius Pensionarius Remissoriam ad supplendas, seu roborandas probationes valoris tunc usque per semetipsum adductas. Eaque expedita, ac ejus vigore compilatio in partibus, & ad nos transmisso novo processu reproposui causam sub *die* 28. *Junii* 1694. & dictum fuit *dilata ad Kalendas*, & rursus *die* 29. *Novem.* subsequentis *iterum proponatur*, *& videant omnes*. Hodieque videntibus omnibus resolutio tandem prodiit *pro recessu à decisis*.

Licet enim dubium non fuerit apud Dominos quin Pensionarius ad effectum substinendi Pensionem in Judicio petitorio, in quo versamur, & adversus Titularem qui reservationi Pensionis non consensit teneatur plenè, & concludenter probare valorem præsertim stante clausula *ut asseris* quæ efficit actum reservationis conditionalem secundum Auctoritates pleno calamo relatas in præterita Decisione §. *Sententia*, ejusmodi tamen probatio satis resultare visa fuit in præsenti ex depositionibus Testium ad instantiam Pensionarii examinatorum anno 1668. ac ex pluribus circumstantiis; & adminiculis de quibus infra, sumptis potissimum non seorsim singulis, sed insimul omnibus, ut fieri debet in materia probationum Lotther. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 43. *num.* 23. 28. *&* 29. Rota *dec.*245. *num.* 2. *& seqq. coram Gregor. dec.*542. *n.*6. *& seqq. coram Dunoz. Jun. dec.*556. *nu.*7. *coram Bich. & decis.* 183. *ex num.* 7. *usque ad* 12. *coram Cardin. Cerro*.

Ex dispositionibus Testium; quoniam ipsi dilucidè affirmant, quod fructus Canonicatus consistunt in tribus ex quinque partibus Decimarum fructuum Villarum Sor, & Sanlur, quod fructus earumdem Villarum ab anno 1637. usque ad 1642. & sic de tempore reservationis pensionis sequutæ anno 1637. singulo quoque anno collecti, ac venditi fuerunt in quantitatibus, seu summis per eos relatis, ex quibus computatis etiam juxta sensum prioris Decisionis summis minoribus, patet tres quintas partes Decimarum constare libras 17658. iisque additis distributionibus quotidianis in summa annuarum librarum 464. de quibus constat ex libris Capituli, ac vice versa detractis expensis transportationis, conservationis, ac venditionis fructuum, nec non oneribus Canonicatui inhærentibus in annuis libris 2081. de quibus deponunt Testes nuper in vim remissoriæ rotalis examinati, valorem Canonicatus ascendere ad annuas libras 16041. & sic longè excedere ducatos auri Cameræ 3500. dum ad istos conficiendos, requirunt libræ dumtaxat 12500.

Non obstant objecta contra Testes adducta, nec enim officit, quod ipsi versati non fuerint in recollectione fructuum Canonicatus; quod deponant de simplici auditu; quodque signanter interrogati de ejusdem Canonicatus valore respondeat se nescire; Quoniam sufficiunt rationes aliàs per ipsos adductæ, quod à nemine informati vel subornati dicere, ac testificari possunt, & sciunt ex certa scientia, quia sunt *Agricolæ*, *& oriundi culturam exercebant*, *& quolibet anno publicari consueverat in dicta Villa quantitas fructuum recollectorum*, *& quod sic audiverunt à* Col-

Collectoribus Decimarum, quodque erat publica vox, & fama, ut de Testibus Agricolis Rota *dec.79. alias 10. n.4. coram Cæsare de Grassis*, & de auditu à Collectoribus fructuum, & Beneficiatis Ecclesiæ *dec.283. n.6. par.7. recent.* Et de publica voce, & fama Campanil. *diversf. Jur. Can. rubr.11. cap.13. n.193. §. Similiter*, Rota *dec.273. num. 1. & seqq. & dec.277. & sub nu. 3. & 4. coram Gregor.* Ponderando, quod non agitur de probandis fructibus unius, vel alterius Prædii, sed in universum omnium, & singulorum Prædiorum Villarum Sor, & Sanlur, in quibus terminis propter impossibilitatem habendi Testes de facto proprio, vel de visu, admittendi sunt Testes etiam de propalationibus in loco fieri consuetis, & de auditu à Collectoribus juxtà Theoricam Abbatis *in cap. cum Causam num. 8. de Testibus Cardinal. Zabarell. in cap. Præterea nu. 6. eodem tit. Bellamer. in Can. Testes §. De his 3.q.9. num. 1. & 2.* & firmata per Rotam *dec.277. sub num. 2. coram Gregor.* Hinc que tollitur, quod Testes dicant se nescire, quia intelligi debet, quoad valorem Canonicatus directum, & immediatum, & de præcisa quantitate fructuum usque ad obulum, super qua fuerunt interrogati, non autem quoad indirectum, & mediatum, deducendum scilicet, ut supra ex quantitate fructuum, ac Decimarum præfatarum Villarum.

Prout nec relevat, quod Testes non deponant constanter, ac fixè de certa fructuum quantitate; quod de eisdem fructibus non deponant per decennium, videlicet quinque annos ante, & quinque post reservationem, & quod in specie deponant de annis fertilioribus; nam quod de certa quantitate fructuum deponunt constanter, ac fixè nihil detrahit eorum depositionibus, dum ex præfatis accipiuntur summæ minores; Rigorosa probatio per decennium requiritur solùm ubi Titularis agit ad annullandam Pensionem, non autem ubi, prout hic agit Pensionarius ad illam subst inendam, quo casu satis est, quod concludat de tempore reservationis, vel per aliquot tantum annos eidem proximos, ut distinguendo tradit Lotther. *de re benef. lib.1. q.43. n.23.* Rota *dec. 213. n. 25. coram Bich. dec. 53. n.22. coram Arguell. dec.542. n.9.10. coram Dunoz. Jun. & dec.82. n.2.* post Tondut. *de Pension.* Et quod depositiones loquantur de annis fertilioribus, cessat quoties ut diximus, sufficit quod percutiant tempus reservationis, vel aliquos ei proximos annos, maximè quia non tam particulariter referri valent ad annatas, quam universaliter ad tempora fertiliora, quia scilicet ab inde citra succesfit contagium in Regno Sardiniæ, quo bonorum redditus decreverunt.

Nec demum turbat, quod Testes, non deducant, nec expensas pro fructibus necessarias, nec onera Canonicatus, nec portiones exemptorum à præstatione Decimarum; Quoniam hi defectus supplentur aliundè, prout benè suppleri posse notat Rot. *dec.293. num.3. & dec.335 sub n.1. par.1. diversf. dec.1831. n.19. coram Coccin. dec.245. n. 10. coram Gregor. & dec.227. sub nu. 9. coram Dunozett. sen.* Nam quoad expensas ex depositionibus novissimorum Testium de iis constat in summa dumtaxat librarum 1315. pro transportationibus fructuum, & in summa librarum vix 300. pro pensionibus horreorum, & custodia eorumdem fructuum, licet istæ ad abundantiam ex parte Pensionarii admittantur in summa librarum 550. per ipsum articulata: Quoad onera testantur iidemmet Testes, & liquet ex libris Capituli consistere solum in Subsidio pro triremibus, & Donativo ascendentibus ad libr.216. Quoad portiones exemptorum, eæ, ut Testes iidem referunt, vel nullæ adsunt, vel satis modicæ, adeòut iis etiam deductis ex libris 16041. in quibus valor probatus fuit, semper remaneant plusquam libræ 12500. quæ ut præfertur, conficiunt ducatos auri Cameræ 3500. non attenta depositione unius ajentis, *che le migliori sono degl' esenti*, quia illa ultra quod ad Villam Sor, cujus Testis erat incola, refertur, confunditur ex aliis concorditer ajentibus, vel nescire se se, quod adsint, vel certè paucos adesse exemptos.

Minus obstant objecta contra valutationem monetæ, nam quod ad conficiendos 3500. ducatos auri Cameræ sufficiant libræ 12500. monetæ Sardiniæ probatur ex mandato Procuræ per Dominicum primum Titularem expleto ad consentiendum Pensioni ducatorum mille monetæ Sardiniæ cum expressione etiam valoris Canonicatus in ducatis 5000. similibus, nam quilibet ducatus constat ex libris duabus cum dimidia, & sic ducati 5000. constituunt libras 12500. Eoque fortiùs stringit ejusmodi mandatum quia relativè ad ipsum facta fuit, imo fieri debuit expressio valoris in Litteris reservationis, in quibus specificè narratus legitur consensus Titularis, & probatur id ipsum ex eo, quod Pensio, licèt in origine reservata in ducatis auri Cameræ 625. fuit nihilominus deinceps semper pro tempore soluta in ducatis mille monetæ Sardiniæ conficientibus libras 2500. Et denique probatur ex eo, quod consimilis valutatio, seu conversio monetæ Sardiniæ in ducatos auri Cameræ servata dignoscitur in aliis causis ejusdem Regni, ut in *Ampurien. Decimarum coram Merlin. inter ejus impressas 662. & in Turritana Congruæ coram bonmem. Cardinali Taja inter impressas in recentioribus dec.287. & dec. 500. par. 14.* per regulam arithmeticam, quam ad hunc effectum ponderant informantes.

Nec in contrarium allegari meretur attestatio Mercatorum asserentium quod ducati auri Cameræ 3500. conficiant libras circiter 17000. quoniam ipsi monetas calculant, seu valutant juxta valorem earum intrinsecum, non autem juxtà valorem extrinsecum, cum quo hac in re procedi valuit per Officiales Datariæ, nec novum est, quod in materia valutationis monetarum stylus Mercatorum discrepet à stylo Officialium Datariæ, ut signanter animadvertere licèt in *dec.186. n.23. & 24. & dec.213. nu. 26. & 28. par.6. recent.* in quibus ducati Regni Neapolitani valutantur in ducatis auri Cameræ 75. pro quolibet centenario, & in dictis *dec.287. & 500. part.14. recentior.* in quibus libræ centum monetæ Sardiniæ calculantur in ducatis auri Cameræ 33. cum dimidio, quando attento intrinseco earum valore constituerent ducatos auri Cameræ dumtaxat 20. Nec pariter calculus per Plaicidum Levantem exaratus occasione administrationis fructuum Canonicatus susceptæ per Pensionarium quia confectus, & ordinatus fuit ad finem diversum, & semper recurrit quod cum agatur de re transacta per Datariam, non Mercatorum stylus, sed Datariæ spectari debet.

Et ex pluribus circumstantiis, & adminiculis, quorum primum est, quod Pensio per omnes Titulares soluta fuit videlicet ab anno 1627. usque ad annum 1658. per Dominicum, ab anno 1658. usque ad annum 1689. per Georgium, & ab anno 1689. usque in præsens per Joannem Paulum modernum collitigantem; hujusmodi enim solutiones per tantum temporis spatium continuatæ, plurimum conferunt ad arguendam veritatem narrati valoris, ut in specie advertit Rota *dec.186. n.16. & dec.213. nu.23. part.6. recen. dec.245. n.6. ibique*, Adden. *n.14 coram Gregor. dec.867. n.5. coram Merlin. dec. 542. n. 8. coram Dunoz jun. & dec.183. nu. 16. coram Cerro*. Non obstante, quod dicantur non fuisse pacificæ, quia ab anno 1637. usque ad annum 1658. de lite, seu aliàs interruptione solutionum non constat, & ab anno 1658. licèt aliqua lis intercesserit usque ad annum 1679. ea tamen potiùs in oppositum retorquetur, & auget præsumptionem præfatam, animadvertendo, quod tunc Titularis assumpsit sibi onus justificandi deficientiam valoris, & tamen nihil unquam deinceps justificare valuit, & Pensionem persolvit usque ad obitum, licet redditus ab anno 1653. superventi contagii diminuti fuissent; Secundum, quod concurrunt aliæ narrativæ valoris in ducatis auri Cameræ 3500. in provisionibus tam Titularium Antecessorum, quàm etiam moderni, quæ etsi factæ per non exactum deserviunt tamen ad comprobationem narrativæ valoris etiam per ascensum, cum talis præsumatur Beneficii valor, qualis fuit expressus, ut dixit Rota *dec.62. n.18. & 19. par.10. recent.* & in proximis terminis nuper *in Ferrarien. Cappellaniæ 10. Maii 1693. §. mirificè coram R.P.D.meo Ursino*. Testium denique fundatum in depositionibus Testium ultimo loco, servatis servandis examinatorum, testantium de communi voce, & publica fama Canonicatum esse pinguiorem omnibus aliis Ecclesiæ Cathedralis, ac etiam de auditu à Dominico primo Titulari ejus redditum circa tempus reservationis pensionis ascendisse ad libras 18000. qui quidem Testes de auditu à Titulari, ejusque confessione multum ad hunc effectum sunt attendendi, ut notat Rot. *dec. 293. n.1. vers. tum etiam par.1. diversf. dec.294. n.19. par.7. & dec.62. n.15. par.10. rec.*

Nec urgent circumstantiæ & adminicula in contrarium ponderata, nam ex duobus Testibus ad instantiam Georgii secundi Titularis examinati deponentibus de valore Canonicatus in libris 9000. Primus tanquam profitens se natum in Villa Sanlur, & in eadem versatum, ejusque Curatum, ac Decimarum Collectorem ibi. *E ciò dice il Testimonio saperlo di vera scienza, per esser informato della quantità delle sudette Decime, e del valore de frutti per esser della medesma Villa di Sanluri, e per esser stato Curato in essa per aver collettato dette Decime, e per essere cosa publica, e notoria &c.* vel videtur intelligendus de quantitate Decimarum ejusdem Villæ, prout etiam redditur verisimile perspectis depositionibus aliorum Testium, quorum mox meminimus, de valore Canonicatus in libris 18000. vel certè nihil concludit quoad Decimas alterius Villæ Sor, super quibus nullam reddit causam scientiæ; Et Secundus dignoscitur apertè mendax in eo, quod dicit se ratiocinatorem Capituli pro quintis Decimarum ad ipsum spectantibus, & rursùs distributiones quotidianas ab anno 1637. reddidisse libras 535. singulis annis &c. quoniam satis constat nullum ex quintis Decimarum, de quibus agitur spectare ad Capitulum, & distributiones quotidianas ascendisse, ut præmissimus ad annuas libras 464. Et ambo tolluntur ex eo, quod iis non attentis Georgius postmodum acquievit, & in solutione Pensionis continuavit usque ad obitum; Locationes regulariter non probant valorem eoque minùs ubi (prout hic) non afferuntur instrumenta desuper stipulata, ex quibus percipi valeat cum quibus pactis initæ fuerunt, & an comprehendant omnes fructus, vel potiùs certas eorum species, sed simplex diminuta fides Notarii super eorum existentia, quæ nec facit adminiculum Rota *dec.116. n.2. par.2, diversf. dec.22. n.10. par.7. & dec.263. n.4. par.19. rec.* Et demum, quod Pensionarius ex administratione fructuum Canonicatus per ipsum assumpta Creditor superextiterit non meretur animadversionem, sivè quia non probatur omnes fructus fuisse Pensionario cessos, vel per ipsum exactos, sivè quia fructus diminui valuerunt, prout in effectu diminuti dicuntur ex causa contagii, sivè tandem quia de tempore susceptæ administrationis Pensionarius Creditor remanebat pro terminis decursis.

Et in universum faciliùs hæc omnia recipienda visa sunt Dominis, quoniam anno demum 1668. Pensionarius assumpsit onus probandi valorem, & sic non solùm post triginta annos, & ultrà à die reservationis Pensionis, verùm etiam post intermedium contagium in Regno Sardiniæ, quo verisimiliter perierunt homines, & scripturæ, quibus manifestior fieri posset probatio valoris, in his quippè terminis mitiùs agendum cum Pensionario beneficiusque tractandæ, ac discutiendæ sunt ejus probationes ad tradita per Cyriac. *controv.462. num.33. & 34.* Rota *dec. 277. num. 5. coram Gregor. & dec. 695. num. 4. & 5. coram Merlin.*

Et ità decisum fuit utraque &c.

Altera decisio in præsenti causa emanata coram Reverendissimo D. Emerix Decano sub die 24. Aprilis 1693. non imprimitur, quia est super Remissoria.

RHEGINEN. PENSIONIS, PRO FRANCISCO, & ANDREA ENRIQUEZ, CUM ARCHIEPISCOPO.

Casus disputatus in Rota, & non resolutus, fortè sopitus per concordiam.

De pluribus concernentibus possessorium manutentionis in hac materia pensionum: Nempè, an possessio in exactione unius, vel plurium terminorum in parte suffragetur in toto; Et an in hoc judicio, ex parte pensionarii doceri debeat, necne de titulo reservationis; Et de materia cumulationis possessorii cum petitorio.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De pluribus conclusionibus in materia possessionis favore pensionarii.*
3 *Quod possessio in parte ad ejus limites sit manutenibilis.*
4 *In contrarium, quod possessio in parte etiam modica suffragetur in totum.*
5 *Conciliatur distinguendo.*
6 *Per partem dubiam non debet impediri pars clara.*
7 *De eadem declaratione, de qua num. 5.*
8 *In pensione non sufficit sola possessio, nisi justificetur titulus reservationis saltem per supplicationem.*
9 *De materia cumulationis possessori cum petitorio.*

DISC. XXXVII.

AD pensionem, quæ juxta stylum, occasione providendi Ecclesiam Metropolitanam Rheginen. ad Regis Catholici nominationem, super ejus fructibus reservata fuerat pro una vel pluribus personis ab eodem Rege nominandis cum solita clausula, *dummodo tertiam partem &c.* nominati fuerunt Franciscus, & Andreas fratres de Enriquez pro ducatis monetæ illarum partium centum pro quolibet; Provisus autem prætendens excessum dictæ tertiæ partis, plures terminos utrique soluit ad rationem ducat. 50. in totum; Cumque successor in Ecclesia, ex eadem causa excessus tertiæ partis prætenderet ad dictam pensionem non teneri, hinc introducta causa in Rota *coram Bourlemont*, pensionarij (suspenso petitorio) obtinuerunt in possessorio subscribi dubium; An eis danda esset manutentio, illoque disputato sub die 30. *Januarii* 1667. rescriptum fuit, ut videretur de bono jure, incertumque est, an causa ulteriorem progressum habuerit, cum amplius de illa actum non audierim. 1

In hac autem disputatione possessorii, non controvertebantur hinc inde conclusiones quas habemus receptas & quotidianas, adeout puerile videatur in casus contingentia desuper auctoritates congerere; Quod scilicet ad obtinendum in hoc judicio, sufficiat exactio etiam partis unius termini, quodque possessio metienda sit ex persona actoris, ideoque suffragetur etiam contra Titularem successorem, neque in eodem judicio quæratur de justitia vel injustitia, cujus inspectio rejicitur ad petitorium, cum sola possibilitas justificationis in petitorio sufficiat, & in quibus propositionibus insistebam ego scribens pro pensionariis, illæque locum habent etiam ubi agatur de pensione qualificata per clausulam, *dummodo mille*, seù *dummodò tertiam partem &c.* cum possessionis effectus in hoc consistat, inducendi capacitatis præsumptionem, quæ in petitorio quidem non sufficit, nisi quando ageretur de diuturna possessione pacifica 30. annorum inducente justificationis gratiæ præsumptionem transferentem onus probandi contrarium in alteram partem, ut pluries in præcedentibus, in quibus habetur ut hujusmodi propositiones locum habeant, quamvis agatur de odibili pensione voluntaria, & sine causa, quæ beneficio pleno de consensu possessoris reservata sit. 2

Non negabant scribentes pro Archiepiscopos istas conclusiones utpotè planas ac hodie præsupponendas; Dicebant tamen, quod cum solutiones, ex quibus deducebatur actorum possessio, importarent medietatem pensionis tantùm, quod scilicèt importante quolibet termino ducatos 50. pro quolibet, ista summa utrique soluta esset, hinc propterea, stante plurium hujusmodi solutionum acceptatione, ex tali observantia resultare dicebant, quamdam implicitam concordiam super prætensione incapacitatis solvendi solam medietatem, ideoque cum in ista solùm pensionarii essent in possessione, ad istius limites manutentio competere debebat juxta *decis. in Foroseмpronien. pensionis 16. Decembris 1613. coram Sacrato*, à qua aliæ derivant, ut apud Coccin. *dec.186. n.2.* Gregor. *dec. 557. n. 11.* Buratt. *dec.542. n.9. & 759. n.6.* cum aliis per Gratian. *discept. 426.* Post. *de manut. obser. 73. n. 169. & seqq.* Tondut. *hoc tract. cap.50. n.32.* atque cum hoc sensu processum fuit *in Calaritana de qua discurs. præced.* dando scilicèt manutentionem ad limites possessionis. 3

Quamvis autem ego, more Advocati plura deducerem, ac præsertim inculcarem casum, de quo supra *in Ravennaten. discurs. primo*, quod scilicet solutio modicæ summæ scut. 25. pro primo termino importante scuta ter mille, reputata fuit sufficiens ad manutentionem in totum, ex dicta propositione, ut solutio in parte sufficiat; Attamen reflectendo ad veritatem (partibus ab initio liberè insinuatam), credebam quod dicti scribentes benè dicerent, non tamen quod id esset sufficiens motivum ad denegandam manutentionem pro hac rata, in qua pensionarii erant in possessione mediante exactione plurium terminorum; Ubi enim Titularis recusat solvere pensionem, non ex infectione reservationis, minusque ex alio motivo, ob quod prætendatur illam corruere in totum, adeòut exceptio percutiat ipsius pensionis substantiam, sed solùm controversia sit super incapacitate, cujus excep- 4

ptio potius est modificativa quam impugnativa, tunc actus est dividuus, ac etiam in bono jure substineri potest pro parte; Et consequenter non placuit dictum rescriptum indefinitum, quoniam ità per partem illi quidam, impediebatur clara, super qua in hoc judicio nulla cadebat quæstio, cum probabilius videretur rescribi debere pro manutentione in parte possessa, & ad limites possessionis juxta praxim, de qua *in dicta Calaritana disc. præc.*

Quoverò ad dictam conclusionem, ut solutio etiam partis unius termini sufficiat ad constituendum pensionarium in quasi possessione exigendi in totum; Observabam eam procedere, quando agatur de pensione pura, non autem qualificata à clausula, *dummodò*, undè propterea solutio in parte argumentum præbeat agnitionis, vel animi Titularis recognoscendi simpliciter, ac indefinitè pensionarium, in quibus terminis procedunt auctoritates, ac decisiones dictam conclusionem firmantes; Secus autem ubi exceptio sit (ut dictum est,) modificativa ob clausulam qualificantem pensionem, quatenus exuberent fructus, cum tunc actus non possit esse operativus ultrà intentionem agentis; Clariùs verò, cum non ageretur de unica solutione, unde cadere posset dubietas, quo animo id gestum esset, agnoscendi scilicet pro ea parte, vel etiam in totum, sed agebatur de pluribus reiteratis solutionibus, clarè arguentibus dictam concordiam dubii eventus litis dimidiativam.

In hoc proposito autem judicii possessorii, ejusque supra insinuati privilegii, ut quærendum non sit de justitia vel injustitia; In una *Montis Regalis Pensionis* disputata coram A.C. cum Titularis, qui erat Rector Ecclesiæ parochialis gravatæ opponeret de exhibitione tituli reservationis, sine quo sola possessio suffragari non deberet, judex autem adhæreret scribentibus pro pensionario, qui insistebant in dicta propositione generali quod in hoc judicio non quæritur de justitia vel injustitia, sed attenditur nudum factum possessionis; Consultus ego ex parte Titularis, respondi justam esse oppositionem ex peculiari natura pensionis, seù veriùs, ex recepto Curiæ stylo, exhibendi, si non litteras, saltem supplicationem signatam manu Papæ, sine cujus auctoritate canonizanda non est possessio exigendi pensiones ecclesiasticas ut per Salust. *Tyber. in praxi l. 3. cap. 4. n. 6.* Garz. *par. 1. cap. 5. n. 455.* Lotther. *lib. 1. qu. 37. n. 50. cum seq.*

Frequentiores autem in proposito possessorii esse solent quæstiones in Signatura gratiæ, ubi Titulares ad evitandum hujus judicii rigorem, petunt concedi cumulationem petitorii, sive etiam in Rota, quando Signatura nolens desuper rescribere, committit causam cum clausula, *arbitrio*, an scilicet istud intret necnè; Super hoc autem puncto certa & determinata regula dari non potest, cum sit potius materia gratiosa seu arbitraria, & consequenter ex facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda; præsertim ex eo, an possessio sit omninò clara, & pacifica, vel totiùs turbida & controversa; Sive an bonum jus Titularis junctum cum Ecclesiæ paupertate, cujus detur sumus sufficiens, vel alia similis causa, inducat æquitatem seù probabilem rationem, ex qua resultet limitatio regulæ, quæ est in contrarium ex deductis per Post. *de manut. observ. 7. n. 41. cum seq.* Buratt. & Add. *decis.* 100. Rota *dec. 122. 524. & 686. par. 5. rec.* & in aliis.

Ideoque expertus sum id quandoque concedi, & quandoque denegari pro facti qualitate, ac arbitrio Sanctissimi, ubi de hoc agatur in Signatura, cum supremus Princeps non subjaceat rigorosis cancellis propositionum juris, intra quos è converso se continere solet Rota, quando id ejus arbitrio remissum est, ex nimium vulgari, & quotidiano principio, quod arbitrium regulatur à jure, cujus rigorem in aliquo tantum temperat ista clausula *arbitrio*, non autem ut judex, cui ita respectum est, possit juris receptas regulas egredi, cum id faciliùs facere potuisset ipse Papa si voluisset, unde ita rescribendo clarè explicare dicitur ejus voluntatem non faciendi gratiam, neque dispensandi juris dispositioni; sed quod ad ejus limites arbitrium pro facti qualitate pro concessione vel derogatione interponendum esset, cum sola facultate temperandi juris rigorem, talisque est quotidiana praxis.

ADNOT. AD DISC. XXXVII.

De modo acquirendi quasi possessionem exigendi pensionem per exactionem unius, vel partis termini habetur actum supra *disc. 5. 30. & 36.*

REATINA PENSIONIS, PRO FRANCISCO FIDO, CUM N.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Francisco.

De pensione reservata super beneficio habente annexam curam animarum. An & quando perneceſsè continere debeat curæ mentionem, qua neglecta, actus corruat, necne.

SUMMARIUM.

1 *Pensio habet viam executivam.*
2 *Quælibet proviſio, vel diſpoſitio ſuper beneficio curato continere debet mentionem curæ.*
3 *De congrua reſervari ſolita in beneficiis curatis.*
4 *Declaratur quando procedi, & quæ ad hunc effectum ſint beneficia curata.*
5 *Ex ſtylo arguitur Papæ voluntas.*

DISC. XXXVIII.

CUm ad favorem Franciſci reſervata eſſet penſio ſuper Dignitate in Collegiata, cui annexa erat cura animarum, penſionario coram A.C. petente ſolutionem penſionis in proceſſu exequtivo (quem non dubitatur competere pro penſione, Veſtr. *in praxi lib. 3. cap. ult.* Lotther. *lib. 1. q. 39. n. 67.* Buratt. *dec. 383. n. 1.* ubi Adden. & *deciſ. 841. & paſſim*); Excipiebat Titularis de reſervationis invaliditate ob non factam mentionem curæ animarum, quę in quacunque proviſione fieri debet, ac aliàs illa remanet invalida ex deductis per Menoch. *de arbitrar. caſu 201.* Garz. *par. 5. cap. 3. n. 120. & ſeqq.* Rota *dec. 684. par. 3. rec.* Gregor. & Adden. *dec. 450.* Ottob. *dec. 58.* potiſſimè verò in hac materia penſionis, in qua Concilium Tridentinum ſpecialiter providit, ut Eccleſiæ parochiales moderatè gravari debeant, adeout ſalva remanear congrua Rectoris ſaltem in centum, cui de ſtylo derogari non ſolet, adeout de facto melior ſit conditio parochialium quam Epiſcopatuum, quamvis iſtorum cura eſſet major; Quinimò licèt ex veriori opinione, conciliare decretum intelligendum veniat de centum monetæ loci beneficii, adhuc tamen clauſula *dummodò centum*, concipi ſolet de ducatis Cameræ, qui importare videntur ſummam ferè duplicatam.

His tamen non obſtantibus, cum ſenſu etiam veritatis, qualem agnovit quoque judex decernendo executionem; Dicebam improbabilem eſſe hujuſmodi exceptionem, non ſolùm ratione ordinis judiciarii, quod ſcilicèt ob proceſſum executivum, ac privilegiatum, exceptiones aliqualiter dubiæ, ac altioris indaginis admittendæ non ſint, ſed rejiciendæ ad petitorium, fortiùs verò, ubi ut in præſenti, accedat conſenſus cum obligatione cameræli juxta quotidianam receptam ac notoriam praxim; Sed etiam attentis meritis negotii principalis, quoniam ut habetur apud eoſdem ſupra allegatos, ac advertitur pluries *ſub tit. de Beneficiis* præſertim in Melphiten. *Cantoriæ diſc. 55.* ac etiam *ſub tit. de Paroch.* præſertim *diſc. 37.* ubi de inſtructione concurſus habendi ad Parochiales; Ea quæ in jure diſpoſita ſunt de beneficiis curatis, procedunt, ubi illa ſunt primario ac principaliter talia, ſecus autem ubi Eccleſia parochialis acceſſoriè unita eſt alicui Dignitati vel Canonicatui, cui de conſequenti, vel habitualiter tantum incumbat cura, cujus exercitium penès Vicarium exiſtat; Vel ubi etiam actualiter incumbat poſſeſſori ipſius Dignitatis, vel beneficii, cum in his materiis regula deſumatur à beneficio principali, ejuſque natura non autem ab eo quod acceſſoriè, vel conſecutivè ineſt.

Idque in hac facti ſpecie ad evidentiam probari dicebam ab ipſius Titularis obſervantia, ideoque intraret regula, *quod quiſque juris*, vel altera in foro ſatis frequens propoſitio, quod nemo admittendus eſt ad allegandum illum defectum quo ipſe laborat, quoniam ejus proviſio non fuit ad formam Concilii, tanquam de parochiali per concurſum, ſed tanquam de dignitate in Collegiata, nullaque curę animarum ſpecialis mentio facta eſt, niſi cum clauſulis generalibus, quod ſufficiens non eſſet, ſi verè ageretur de Eccleſia principaliter parochiali; Taliſque eſt Datariæ ſtylus, cui nimium deferendum venit, cum Dataria, & Cancellaria Apoſtolica dicantur organum Papæ, cujus voluntas ex hujuſmodi ſtylo deſumi ſolet ad effectum regulandi ſubreptionem, vel defectum intentionis *juxta dec. 214.* Manticæ *deciſ. 150.* Gregor. ubi Adden. Buratt. *deciſ. 510.* & frequenter; Multò magis his omnibus ſimul junctis in iſto proceſſu, ſeù judicio privilegiato & executivo, unde puto quod dictus Titularis acquieverit, dum amplius de cauſa actum non audivi.

1
2
3
4
5

ANNOT. AD DISC. XXXVIII. AD DISC. XLI

SUper contentis in his diſcurſibus non adfuit occaſio poſtmodum diſputandi; Quo verò ad punctum Simoniæ tactum *in diſc. 41.* Videri poterunt notata *ad diſc. 70. & 71. de Benef. & hoc tit. diſc. 80.*

AVERSANA CONSENSUS, INTER ALEXANDRUM BIANCARDUM, ET ALEXANDRUM CAPASSUM,

Votum ſeu reſponſum pro veritate.

An mandatum datum per proviſum ab Ordinario ad capiendam novam proviſionem Apoſtolicam, & conſentiendum penſioni ad favorem perſonæ ab ipſo Ordinario deſtinatæ, admittat pœnitentiam, & ſit quandocumque revocabile.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Mandatum datum ad conſentiendum penſioni eſt quandocumque revocabile re integra, etiamſi ſit juratum.*
3 *Quod generaliter in materia beneficiali.*
4 *Et quid in omni materia, ubi actus expectat perfectionem ab alio actu, an detur re integra pœnitentia.*

DISC. XXXIX.

VAcata in menſe ordinario parochiali Eccleſia Frattæ majoris, atque denunciato juxta formam Conciliarem magis idoneo Alexandro, Epiſcopus deſtinavit reſervationem penſionis ſcutorum 50. ad favorem alterius Alexandri, quia vero reſervationes penſionum, quæ fiant per Ordinarios magna requirunt requiſita de quibus *in Meſſanen. diſcur. ſequen.* Hinc inolevit uſus, ut ille cui per Ordinarium deſtinata eſt proviſio beneficii liberæ collationis, Apoſtolicam proviſionem obtineat, cujus occaſione conſenſum præbeat reſervationi penſionis ad favorem perſonæ ab Ordinario pariter deſtinatæ, & ad quem effectum à dicto Alexandro providendo datum fuit mandatum oportunum; Sed quoniam tunc ſub Innocentio X. hujuſmodi proviſiones denegabantur, idcircò nè aliàs devolutio ſequeretur, ſequuta fuit ordinaria libera proviſio; Immutato autem rerum ſtatu, quod ſcilicèt Alexander VII. ſucceſſor hujuſmodi gratiis facilem ſe præbuit, alter Alexander, cui deſtinata erat penſio, judicium inſtituit coram eodem Ordinario ſeu Vicario Generali ſuper dicti aliàs præſtiti mandati renovatione per reum conventum denegata; Cumque plures Advocati de partibus juxta ſtylum, longiſſimas ac elaboratas deſuper dediſſent allegationes hinc inde, adeout plus importaret impenſa impreſſionis, quàm illa obtinendi reſponſa peritiſſimorum beneficialiſtarum Curiæ, Vicarius Generalis inhærendo Epiſcopo tunc pro ſervitio Sedis Apoſtolicæ abſenti, tranſmiſſis dictis allegationibus ſeù reſponſis, meū deſuper votum ſeù conſiliū pro veritate petiit.

Reſpondi nimium vagos ac inanes fuiſſe labores hinc inde deſuper adhibitos cum tot propoſitionibus generalibus, ac ingenioſis argumentis, & illationibus, nullatenus verò tangendo punctum, qui facilis ac planus erat pro negativa, dum in ſpecialibus terminis mandati quamvis cumjuramento dati ad conſentiendum reſervationi penſionis, ut juramento non obſtante re integra ſit quandocumque revocabile, cæteris relatis firmatur *per* Rotam *deciſ. 437. nu. 2. par. 1. vee. ſeq.* Lotther. *lib. 1. quæſt. 35. num. 67.*

Quod generaliter in hac materia beneficiali receptum eſt circa mandata quamvis cum juramento data ad conſentiendum, ſive circa ipſos conſenſus præſtitos reſignationi beneficii ad favorem, vel permutationi aut coadiutoriæ, ut admittant ſemper pœnitentiam reintegra; donec ſcilicèt actus perficiatur per conſenſum Papæ qui illum animat ac informat, ex iis, quæ habentur deducta *in Toletana ſub tit. de Beneficiis diſc. 38.* ubi de quæſtione, an revocatio debeat intimari, itaut valeat necnè gratia ſignata ante intimationem, cujus quæſtionis occaſio in præſenti ex facto ceſſabat, ideoque planum eſſe dixi, ut reo convento abſolutoria concedi deberet, ut ſequitur eſt.

Et de hac materia pœnitentia ſeù revocationis actus in iis, quæ ab alterius conſenſu perfectionem expectant habetur plenè ac formiter actum *ſub tit. de donat. in Romana ſcù Albanen. vineæ diſcur. 54.* ubi in prophanis articulus expenditur, ſed in beneficialibus, ac ſpiritualibus ille eſt extra quæſtionem.

1
2
3
4

MESSANEN. PENSIONIS, AD PETITIONEM, ARCHIEPISCOPI.

Reſponſum pro veritate, ſcù ad inſtructionem.

An, & quando Epiſcopus, ſeu alter inferior collator reſervare poſſit penſiones ſuper beneficiis liberæ collationis, quæ per ipſum providentur.

SUMMARIUM.

1 *Quæſita ſuper quibus datum eſt reſponſum.*
2 *Etiam in caſibus, in quibus Ordinarius poteſt reſervare penſionem, id ſolum facere poteſt in certa quantitate, non autem in quota fructuum.*
3 *Quod ex juſta cauſa poſſit reſervare penſionem, & quæ ſit cauſa.*
4 *Juſta cauſa eſt aliundè juſtificanda, & non attenditur Ordinarii aſſertio.*
5 *Item reſervari poteſt durante jure proviſi, & non ultra.*
6 *Ceſſante neceſſitate penſionarii ceſſare debet penſio.*
7 *Scriptura non eſt de ſubſtantia reſervationis penſionis, & quale in ea, quæ reſervatur per Papam exigantur litteræ.*
8 *Quando ordinarius vult reſervare penſionem, curat, id fieri cum Apoſtolica auctoritate, quæ non interponitur, niſi obtineatur nova proviſio.*

DISC. XL.

COnſultus ex parte Archiepiſcopi Meſſanen. de anno 1652. an ſuper beneficiis liberæ collationis per ipſum providendis reſervare poſſet penſiones, præſuppoſita beneficii capacitate, & qualia requiſita deſuper deſiderentur; Et præſertim an quatenus concurrentibus requiſitis, oretenus jam facta eſſet reſervatio, poſſent ex intervallo expediri litteræ; Sive an ceſſante paupertate ejus, ad cujus favorem fieret reſervatio, puta quia de beneficiis proviſus eſſet ceſſare deberet penſio necnè.

Reſpondi, quod licèt non deſint Auctores relati per inferiùs allegandos, qui hanc poteſtatem ſoli Pontifici privativè tribuentes, illam indefinitè negent Ordinarios; Attamen magis communiter eſt recepta contraria, ut ſcilicèt id fieri poſſit, dummodò tamen non ſit in quota; cum id prohibitum ſit, ex regula, quod beneficia conferri debent ſine diminutione, ut *diſc. ſeq.* ſed ſolum permittitur in quantitate, idque ſequatur ex juſta cauſa, quæ exemplificari ſolet; Vel pro bono pacis, pro aliqua ſcilicèt lite componenda. Aut provincialitate Eccleſiæ; Sive pro pauperis ſchola ris ſubſtentatione, dummodo ad menſura ſeù proportionem neceſsitatis id ſequatur Ancharan. *conſ. 279.* Felin. *in cap. ad audientiam num. 4. & 5. de reſcript.* Rebuff. *de pacif. poſſeſ. num. 103. & ſeqq.* Gigas *de penſ. quæſt. 6.* Gonzal. *ad reg. 8. glo. 5. §. 5. num. 27. & ſeq.* Garz *part. 1. cap. 5. num. 245. & ſequentib.* Barboſ. *de Epiſcopo alleg. 85. num. 11.* Tondut. (longè poſt hæc editus) *de penſ. quæſt. 1.* Rota apud Millin. *dec. 104. deciſ. 166. num. 5. par. 2. rec.* ubi in ſpecie de penſione reſervata ad favorem pauperis nepotis ſtudiis operam dantis, & *deciſ. 386. num. 3. par. 5. dec. 94 num. 6. par. 6.* Idque videtur juſtum ac rationabile, quando diſcretè ad menſuram neceſsitatis id fiat, atque beneficii opulentia congruè patiatur, ut ſcilicèt, alteri pauperi, poſtquam proviſus eſt Rector de exuberantibus fructibus, tanquam per ſpeciem diſtributionis eleemoſynæ, ſubveniatur.

1
2
3

Juſta verò cauſa juſtificanda eſt aliundè per extrinſe-

4 cas probationes, neque in hoc defertur ipsius Ordinarii assertioni, ex generali propositione, de qua cæteris relatis apud Otthob. *dec.6.* & Rot. *decis.224. p.10.rec.* & sæpius, ut prohibitus facere, dicatur etiam prohibitus confiteri seu asserere, ne aliàs indirectè fiat, id quod directè prohibitum est, & ne lex verbis potius, quàm rebus imposita dicatur, & in his terminis habetur apud Rebuff. *ubi supra num.107.* Garz. *eadem c.5.nu.325.* & *seq.* Gratian. *d.discept.617.num. 18.* & *seq.* Barbos. *dict. alleg.85. nu.12.*

Est benè verum, quod hujusmodi pensio, quamvis hæc requisita concurrant, reservari non potest perpetuò ad vitam pensionarii, sed solum conceditur durante vita vel ju-
5 re provisi, ut apud allegatos; Ex ea pro meo judicio ratione, quod in potestate Ordinarii repositum non est gravare ipsam Ecclesiam, eique onus reale, vel servitutem imponere cum continuato effectu etiam in casu novæ provisionis, quæ ad Sedem Apostolicam ob reservationem, vel affectionem spectare potest, sed solùm ei concedatur facultas gravandi personam provisam, dummodo sincere, ac præsertim sine pacto id sequatur, juxta ea quæ habentur *in Vintimilien. disc. sequen.*

Cumque dicta facultas habeat causam præcisam necessitatis providendi, idcircò quamvis tunc non reperiissem auctoritatem, quæ specialiter descenderet ad hos terminos,
6 neque occasio præbuerit id formiter disputare, adhuc tamen dixi contra pensionarium probabilius respondendum videri, ut cessante necessitate cesset pensio ex regula, *cum cessante &c.*

Ad aliud verò quæsitum, an præsuppositis terminis habilibus ut supra subsistineretur reservatio oretenus facta, itaut ex intervallo litteræ expediri possent; Respondi planam videri affirmativam, quoniam, (ut pluries advertitur in præcedentibus, ac etiam *sub tit. de Beneficiis*) scriptura non est de substantia gratiæ, quæ solo verbo perficitur, litteræ
7 autem expediri solent ad memoriam, magisque certam ac tutam probationem ex deductis per Gonzal. *ad reg. octavam glos.12. n.47. & glos.55. n.23.* Et quamvis in pensionibus, quæ per Papam reservantur necessariæ sint litteræ, sine quibus pensio exigi non potest, & si de facto exigatur, gratia corruat, ex deductis supra *disc.29.* & 30. & in aliis; Attamen id provenit ex particulari stylo pro juribus, seu emolumentis officialium, idque concernit potius impedimentum exactionis, quam substantiam seu perfectionem gratiæ, ut locis citatis advertitur.

Stantibus autem tot difficultatibus seu restrictionibus, ob quas rari sunt casus, in quibus hujusmodi reservationes
8 Ordinarii auctoritate factæ pacificum sortiantur effectum, Hinc proinde inolevit usus capiendi provisionem Apostolicam ex integro, istaque occasione obtinendi reservationem pensionis, dum ex stylo Datariæ & Cancellariæ, simplex approbatio seu confirmatio pensionis reservatæ ab Ordinario non conceditur, ideoque inolevit hic usus obtinendi novam provisionem, ut advertitur per Rotam *decis. 595.n.5.p.5.rec.* & per Tondut. *dicto c.1.n.26. cum sequen.* Super hujus tamen provisionis concessione, neque certa regula dari potest, cum pendeat à stylo Pontificum, qui quandoque faciles, & quandoque difficiles in hoc se reddunt, ut vidimus de Innocentio X. qui id raro, ac difficillimè citra montes concedebat, alios verò faciles experti sumus.

VINTIMILIEN. PAROCHIALIS, PRO ALEXANDRO CASANOVA, CUM N.

Casus disputatus coram Prælato Judice commissario, resolutus pro N.

De eadem materia potestatis Ordinarii reservandi pensionem; Et quatenus reservatio non subsistineatur, An illa vitietur, vel potiùs vitiet provisionem, quæ simoniaca dici valeat.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 *De defectu potestatis Ordinarii reservandi pensionem sine causa.*
3 *Non est opus, ut causæ formalis justificatio præcedat.*
4 *Si non justificatur, vitiatur reservatio, sed non vitiat provisionem.*
5 *Nisi factum sit ex præcedenti conventione, cum providendo.*
6 *Quando dicatur adesse conventio ad hunc effectum.*
7 *Ubi quid adjicitur cum clausula, & non aliàs importat conditionem præcisam.*
8 *Quod in parochialibus facilius inducatur simonia, & de ratione.*
9 *Laudatur resolutio.*
10 *Reservatio habet statum implicitum validitatis, ideoque non vitiat.*
11 *De circumstantiis excusantibus simoniam vel invaliditatem.*
12 *Beneficium conferri non potest cum diminutione, ac aliàs actus est nullus.*
13 *Ordinarius etiam in casibus permissis non potest reservare pensionem in quota fructuum, sed in certa quantitate, & de ratione.*
15 *De differentia inter reservationem pensionis, quæ fit per Papam, & illam quæ fit per Ordinarium.*

DISC. XLI.

POstquam habitu concursu, ac servata forma Concilii 1
Tridentini, magis idoneus renunciatus fuit N. Episcopus in actu conferendi parochialem pensionem quinquaginta librarum ad favorem ejus Vicarii Generalis ex motivo paupertatis, ac infirmæ valetudinis reservavit, durante tamen vita, seu possessionem provisi, atque in litteris provisionis in dicta reservatio facta legitur cum clausula *non aliàs, aliter, nec alio modo*, atque in continenti antequam provisus possessionem obtinueret, penès acta Curiæ Episcopalis ad dictæ pensionis solutionem se obligavit; Hinc prætendens Alexander hujusmodi provisionem esse simoniacam, ex isto capite eandem parochialem certo modo à Sede Apostolica impetravit, præsentatisque litteris coram exequutore succubuit, commissaque causa appellationis in Curia Prælato, post plures disputationes, prima sententia provisi possessoris absolutoria confirmata fuit.

In his autem disputationibus habitis in hac secunda instantia in Curia; Ego, & cæteri scribentes pro impetrante Apostolico, plura dicebamus more inservientium causæ ad 2
illius opportunitatem, præsertim verò constituebamus fundamentum in defectu potestatis Episcopi reservandi pensiones super beneficii per ipsum collatis, quoties non concurrant requisita de quibus *in Messanen. disc. præcedenti*, super quorum veritate non defertur ipsius Episcopi assertioni, sed illa aliunde justificanda sunt (quod factum non erat) ex eisdem auctoritatibus quæ habentur deductæ eodem *disc. præcedenti*, quæ pariter in præsenti causa deducebantur; Atque hinc inferebatur, quod cum de jure beneficia conferri debeant absque diminutione, ita contra juris prohibitionem ista provisio sequuta esset.

Et quamvis scribentes in contrarium, ex eisdem auctoritatibus, & decisionibus *dicto disc. præcedenti* allegatis dicerent, quod non sit generaliter Episcopo id prohibitum, 3
sed potius permissum ex justa causa, quam opus non est præcedenter justificari, cum causa præsupposita, Episcopo sive eidem extrajudicialiter cognita justificari valeat ex intervallo, dum id non est de forma præcisa quæ omnino præcedere debeat pro solemnitate, sed respiciat certum effectum, & consequenter, quod actus fuisset in implicito statu vel in probabili opinione validitatis, quod sufficit, ut dici non valeat omnino infectus, ac simoniacus, sed potius, quod non justificata causa sufficienti, vitiaretur, non autem vitiaret, juxta ea, quæ in pactis, vel aliis accidentalibus non concernentibus substantiam vel perfectionem contractus vel alterius dispositionis passim recepta habemus, ut vitientur, non autem vitient, ut præsertim *sub tit. de censibus, & sub altero de cambiis*, ac alibi sæpius.

Respondebamus tamen, id rectè procedere quando non præcessisset pactio, sive taxativa voluntas aliàs non confe-
rendi, nisi quatenus providendus onus pensionis acce- 5
ptaret, atque ad id se obligaret, cum tunc, stante præcedenti pactione, actus simoniacus, ac invalidus remaneat, ex iis, quæ cæteris relatis plenè deducuntur per Fagnan. *in c. nisi essent de præben. nu.18. cum seqq. & nu.55.*

Quod autem ex præcedenti conventione vel sub expressa præcisa conditione aliàs adimente consensum ab actu, id sequutum esset, clarè probari dicebamus; Tum ex facti serie, quod scilicet litteræ collationis ac possessio sequutæ non fuerunt, nisi præcederet acceptatio pensionis cum obligatione illam solvendi; Tum etiam stante dicta clausula *non aliàs, aliter nec alio modo*, quæ de sui natura indu-

inducit formam, seu præcisam conditionem sine qua non,
7 ut receptum, ac frequens habemus in materia reservationis beneplaciti Apostolici, sive alterius solemnitatis, quod de jure intelligitur, quatenus opus sit, adeout si id non esset de jure necessarium tunc non implementum non obstaret; Secus autem si reservatio fiat cum dicta clausula, *& non aliàs, aliter nec alio modo*, quoniam tunc adhibitus videtur pòtiùs tanquam conditio, quam tanquam solemnitas, & consequenter ejus interventus præcisè necessarius est, quamvis de jure desiderandus non veniret ex relatis apud Greg. *& add. dec.* 192. Buratt. & *add* 374. & habetur *sub tit. de feud. disc.* 7 10. 37. & alibi pluries præsertim *sub tit. de alienat. & contract. disc.1.*

Atque his ego addebam, quod ubi aliqua dubitatio cadere posse circa simoniacam infectionem, quando agere-
8 tur de aliis beneficiis; Clarum id tamen remanebat, dum agebatur de provisione parochialis per concursum juxta formam præscriptam *a S.C.T. sess. 24. de reform. c.* 18. dum adeò rigorosè prohibetur quæcumque mixtura oneris, vel temporalitatis in provisione parochialium, ut damnetur, ac simoniacum declaretur quidquid Examinatoribus, vel ipsi Ordinario daretur, quamvis sub nomine salarii seu mercedis laboris; Ac etiam licet nulla intercederet pactio quæ est simoniæ essentiale requisitum, ut in sua materia *sub tit. de Paroc. disc.* 37. adeout juxta terminos juris communis ista infectio sine dubio non adesset, adhuc tamen per dictum jus novum inducitur, & sic quod magna differentia esset ubi agatur de Ecclesia parochiali, quam si ageretur de alio beneficio non curato.

Quamvis autem hæc, & similia, more scribentis ad opportunitatem clientis deducerentur, colligendo (ut currenti abusui satisfieret ad scripturarum ornatum) plures auctoritates super generalitatibus; Reflectendo tamen ad veritatem, parti ab initio liberè insinuatam, prævideri exi-
9 tum, qui mihi quamvis succumbenti, justus, beneque fundatus visus est, nedum ex circumstantiis facti (super quarum tamen justificatione aliqua inter causæ Patronos erat controversia ob non levem suspicionem suppositionis aliquorum actorum cum antidata) dum ex eis constabat, quod Episcopus re integra ad duos, vel tres dies retractaverat reservationem factam ex quodam postmodum detecto falso præsuppositio, quodque dicta clausula *non aliàs, aliter, nec alio modo* non fuisset adjecta ex ejus intentione, sed per Notarium, in cujus fide ob infirmam valetudinem folium in albo subscripserat pro litteris conficiendis, quo facto subsistente omnis difficultas ex eo cessabat.

Verùm etiam in solo puncto juris idem dicendus erat quoniam cum reservatio pensionis in Episcopus non sit ge-
neraliter damnata pro regula, sed ex veriori sententia de
10 qua *d. disc. præced.* permissa, quatenus tamen justa causa concurret; Hinc proinde, actus non est ab initio simpliciter, ac absolutè malus adeout collator dici valeat in dolo, vel culpa cum ex informationibus habitis, tam de majori valore Ecclesiæ, quam de indigentia pensionarii de Ecclesia benemeriti ob diuturnum servitium in munere Vicarii Generalis, rectè potuerit opinari, quod hujusmodi actus geri potuerit tanquam validus ac licitus, ipseque actus fuit in implicito statu validitatis ex legitimæ causæ futura justificatione, qua deficiente, hoc accidentale onus adjectum cum præsuppositio, quod potuerit adjici, detecta dicti præsuppositi falsitate, tanquam ex deficiente voluntate vitiatum remanet, non autem vitiat.

Potissimè verò ex triplici circumstantia; Primò scili-
11 cet, quod nulla concurrebat præcedens pactio, quæ necessaria videtur, atque est de essentia simoniæ ex deductis pluries *sub tit. de Benefic.* præsertim *disc.* 36. *& in aliis*; Secundò quia ex parte Episcopi actus gestus fuit publicè, ac palam absque alicujus machinationis, vel affectationis suspicione, dum non agebatur de pensione ad favorem conjuncti vel familiaris, atque causa saltem in parte de facto erat vera; Et tertio ex qualitate provisi, quilicet sufficientem habens idoneitatem pro exercitio curæ animarum parvi loci, non erat jurisperitus, qui vim, ac efficaciam clausularum, ac verborum in litteris provisionis contentorum perciperet.

Est benè verum, quod ubi dici posset, ut beneficium collatum esset cum diminutione, cum si non adesset simonia, adesset tamen nullitas ex auctoritatibus relatis per Fagnan. *ubi supra*, atque id actori sufficiebat cum lite pendente,
12 agnitis difficultatibus circa caput simoniæ, aliam fecisset impertrationem ex capite nullitatis; Verùm cessabat ex facto applicatio conclusionis, Tum quia diminutio effectum non habuerat, atque re integra revocata fuerat. Tum etiam quia tunc propriè conferri dicitur beneficium cum diminutione, quæ importet illius scissuram, quando fit collatio cum reservatione quotæ fructuum ad favorem alterius, quasi quod tunc reservatario aliquod jus in beneficio quæri dicatur; Ideoque ut advertitur *eodem disc. præced.* etiam in casibus, in quibus Ordinario licet reservare pensionem, id conceditur in certa quantitate pecuniaria, 13
non autem in quota fructuum, ex dicta differentiæ ratione, quod reservatio quotæ importaret speciem diminutionis, quam non importat reservatio quantitatis, ita referibilis potiùs ad præfinitionem modi distribuendi eleemosynam, quam beneficiatus ex valore fructuum excrescentium, de necessario, vel de congruo facere tenetur, ut scilicet loco distribuendi minutatim pauperibus, vel aliis piis operibus applicandi, eroget in subventionem pauperis scholaris, vel alterius de Ecclesia benè merentis, qui subsidio indigeat.

Hinc proinde ea videtur differentia inter reservationem quæ fiat per Papam, & illam quæ fiat per Ordinarium, quod prima, licèt pensionario non tribuat jus formale in beneficio, ejusque administratione, ac præeminentiis, adhuc tamen tribuit jus reale in ipsis fructibus etiam futuris pro terminis decursis per quandam hypothecam, vel actionem rei persecutoriam privilegiatam, adeout inter pensio- 14
narium ac Titularem quædam communionis species in fructibus inducta videatur sive constituta sit servitus in ipsius Ecclesia sit plena, sive sit vacua, ac sive pensionarius indigeat, sive non curata mutationis Rectoris, cum Papa tanquam absolutus dominus bonorum ecclesiasticorum hanc habeat potestatem, atque quamcunque obstantiam à jure positiva manantem tollere valeat.

Ubi vero agitur de pensione ex justa causa reservata per Ordinarium, tunc nulla servitus Ecclesiæ, vel ejus bonis imponi dicatur, nullumque jus reale pensionario acquiri, exercibile contra successorem vel de tempore vacationis, ut casu præcedenti, sed solum dicitur injungi quædam obligatio personalis ipsi provisо, ut quamvis invitus hanc subventionem tanquam eleemosynæ distributionem præstare debeat, dicta obligatione cum ejus persona terminante, adeout afficiat successorem, minusque Ecclesiam pro tempore vacationis, ideoque dici non potest, quod beneficium patiatur diminutionem.

MELEVITANA PENSIONIS PRO COMMENDATARIO JO. BAPTISTA ANSIDEO.

Discursus in congressu.

De facultate M. Magistri Hierosolymitanæ Religionis reservandi pensiones super Commendis, vel Dignitatibus; Et an milites non professi eas obtinere, vel retinere valeant.

SUMMARIUM.

1 *Super Commendis Religionis Hierosolymitanæ non possunt reservari pensiones pro laicis.*
2 *Est generale in beneficiis Regularibus, ut non conferatur nisi professis, vel promptis profiteri.*
3 *Pensiones ferè in omnibus jure beneficiorum regulantur in specie in hac Religione.*
4 *De facultate M. Magistri concedendi pensiones non professis.*
5 *Facti series seu casus controversiæ.*
6 *Novitii an dicantur Religiosi & ecclesiastici, vel sæculares.*
7 *Commendæ, & beneficia hujus Religionis sunt manualia & obedientiaria.*
8 *De facto solent esse ad vitam, quia sine dementia non tolluntur.*
9 *Non potest ex causa transactionis reservari pensio ad favorem alterius, quam litigantis absque beneplacito Apostolico.*
10 *De ordinatione obligante milites ad profitendum post 25. annos.*
11 *De intelligentia hujus ordinationis.*
12 *De ratione ob quam militiam vel officium sæculare amittitur pensio.*
13 *De alio casu controversiæ super eadem intelligentia, de qua num. 11.*

DISC. XLII.

1 Disponente Statuto Religionis Hierosolymitanæ *cap. 7. de Commendis*, ut pensiones super commendis reservari possint nisi ad favorem militum professorum ejusdem ordinis, quod etiam conforme est juris dispositioni circa dictas commendas vel alia beneficia regularia, ut eorum, quæ administrationem requirunt, non sint capaces nisi jam professi ejusdem Religionis, Aliorum verò administrationem non habentium, saltem qui professionem emittere habiles ac prompti sint, quasi quod 2 in beneficiis Regularibus professio sit species clericatus, qui in beneficiis sæcularibus necessarius est, Gonzal. *ad reg. 8. gl. 8. num. 78.* Garz. *part. 7. cap. 10. num. 20.* Burat. *decis.* 390. & 463.

Idque adinstar beneficiorum rectè statutum est in pensionibus, quoniam licet istæ importent quid merè temporale, unde de stricto jure, laici quoque illarum habiles existant; De recepto tamen Ecclesiæ, seu Curiæ stylo reservari non solent, nisi clericis, ut pluries in præcedentibus ac sequentibus advertitur, adeòut, tam super incapacitate laicorum, quàm super amissione ratione matrimonii, vel militiæ, sive professionis in Religione (ubi agatur de sæcularibus) vel delicti, cum beneficiis ferè in omnibus symbolizare videantur; Et in specie de incapacitate sæcularium, vel aliorum ordinum Regularium obtinendi pensiones super hujus Religionis commendis, Dignitatibus & beneficiis absque expresso M. Magistri, totiusque Conventus consensu disponitur: *in Constit. 9. Pii* 3 *IV.* confirmatoria alterius *Constitution. Clem. VII. §. 39. & in Constitut. 60. Greg. XIII.*

Per ordinationes autem Capituli generalis celebrati de an. 1631. dispensando d. Statuto, conceditur facultas M. Magistro reservandi pensiones pueris ejus honorario servitio addictis, jam ad habitum justitiæ admissis, quamvis 4 professionem non emiserint, neque alia stabilimentorum requisita necessaria habeant, illud præsertim residentiæ, Et quæ M. Magistri facultas in isto, aliisque casibus habilitandi ad pensiones personas aliàs incapaces enunciatur apud Otthob. *dec. 147. n. 20.*

In vim autem hujus facultatis, reservata fuit per M. Magistrum ad favorem N. Serestorii tunc unius ex dictis pueris honorariis, qui vulgè *paggi* nuncupantur, pensio 5 super commenda Viterbii, qua ad plures annos obtenta per Joannem Baptistam Ansideum satis probum, ac zelantem hujus Religionis militem emeritum, hic recusavit eam solvere, ex eo, quod dictus pensionarius post completam ætatem 25. annor. ac penè ad senectam redactus, contra Religionis ordinationes, ut infrà, neglexisset professionem emittere, sed in eodem novitii statu continuaret, atque introducta desuper lite in Consilio ordinario Melevitano, prodiit sententia pensionario favorabilis, confirmata in secunda instantia per consilium completum, à quo per appellationem commissa fuit causa in Rota.

In hoc statu, Commendatarius qui in duabus instantiis 6 succubuerat, Advocatorum & causæ Patroni congressum, præviis discursibus, convocavit, ad effectum consulendi, an cedere, vel causam prosequi deberet, in quo congressu tam in scriptis quam oretenus varia fuerunt vota; Aliqui enim credebant dictam pensionem invalida esse ob dictas Constitutiones Pii IV. & Gregorii XIII. prohibentes reservari pensiones sæcularibus, Verum istud votum omninò neglectum fuit, Tum quia, exceptis effectibus, qui in jure habentur ex professione resultantes super libertate redeundi ad sæculum, ac super capacitate testandi seu aliàs de bonis suis disponendi, seu beneficia sæcularia & pensiones retinendi, in quibus ac similibus, novitii jure sæcularium reputantur; In reliquis præsertim favorabilibus, habentur potius pro personis ecclesiasticis, quam sæcularibus ex collectis apud Sperell. *dec. 16.* Duran. *dec. 121. n. 38.* Dunozett. *decis. 641. num. 13.* & pluries in sua materia *sub tit. de Regularibus*, Tum clarius ob dictum stabilimentum Capituli generalis anni 1631. per quod isti pueri, qui M. Magistri servitio addicti sunt, non obstantibus professionis ac triennalis residentiæ defectibus, habilitantur.

Aliqui reflectentes ad tenorem litterarum reservationis quod illa facta esset ad vitam dicti Serestorii, dicebant illam esse invalidam, utpotè oppositam naturæ seu qualitati beneficiorum Regularium, quæ, cessante Apostolica dispensatione, sunt mannalia & obedientiaria, ut ultrà generalia quarumcumque aliarum Religionum beneficiis & commendis; In specie commendarum ac beneficiorum hujus Religionis Mohed. *decis. 10. de causa possessionis*, & *proprietatis*, Seraph. *dec. 1396.* atque tanquam satis punctualem deducebant *decis. 386. par. 5. rec.* ubi annullata 7 fuit perpetua pensio reservata super quadam hujus Religionis commenda.

Verùm pariter istud motivum reputatum fuit parum tutum, quoniam licet collationes beneficiorum ac reservationes pensionum ad favorem militum hujus Religionis habere soleant hanc formulam ad vitam, attamen id non sequitur ex intentione immutandi beneficiorum naturam, manualem, ac obedientiariam, adeòut resultet actus infectio, sed ob magis frequentem contingentiam, quod non nisi in casu magnæ demerentiæ, commendæ ac beneficia, seu pensiones de facto sunt ad vitam, quatenus incompatibilis transitus ad majora non causet vacationem, 8 non tamen exinde adempta dicitur potestas Religionis, ex causa adimendi, neque manualis, ac obedientiaria natura immutatur, ita adhibendo dictum terminum seu loquendi modum à communiter accidentibus.

Dicta verò *decisio 386. par. 9. rec.* annullat pensionem 9 non ex hoc motivo, sed quia agebatur de pensione reservata super commenda, quæ erat in lite, ex causa transactionis, non tamen ad favorem collitigantis, sed ad favorem tertii, qui non erat in lite, quod sine beneplacito Apostolico fieri non potest, ut allegando in speciem decisionem advertit Tondut. *hoc tract. cap. 1. num. 29.* & habetur apud Otthob. *dicta dec. 147. num 6.*

Restringebatur erga causa ad unicum motivum, quod stante dicto *Statuto cap. 7.* inhabilitante milites, qui professionis ac residentiæ requisita non habeant, dicta dispensatio resultans ab ordinatione anni 1631. utpotè causam habens teneræ ætatis hujusmodi puerorum, in quibus dicta 10 requisita verificabilia non sunt, effectum sortiri debeat, donec durat impedimentum ætatis, & usquequo devenerint ad legitimam ætatem 25. annorum, in qua ex ordinatione ejusdem Capituli generalis anni 1631. *c.* 39. admissi ad hujus Religionis habitum, emittere tenentur professionem sub pœna privationis facultatis gestandi habitum, ac amissionis ejus quod solutum est pro passaggio, omniumque aliorum privilegiorum.

Supponebatur autem quod utrumque, ordinarium, & completum Consilium, istud motivum jam deductum neglexisset, ex eo quod Religio in mente habeat, ut per istam ordinationem 39. incurratur solum pœna privatio- 11 nis antianitatis; non autem resultet privatio beneficiorum vel pensionum, ubi validè obtineantur, defectu professionis, & residentiæ non obstante, Iste verò intellectus dictæ ordinationis mihi parum probabilis videbatur, ideòque credebam ex hoc fundamento aleæ experimentum faciendum esse; Cum enim per dictam ordinationem disponatur, ut admissus ad habitum amittat quicquid solvit pro admissione seu passaggio, ac etiam prohibeatur deferre habitum, qui in novitiis consistit in alba cruce parva, quæ gestatur in pectore sine facultate illam gestandi majorem in pallio, per quam distinguntur professi à novitiis, ita quodammodo declarari videntur sæculares, atque cessare illa species clericatus, quæ necessaria est, ad instar eorum quæ infra in *Beneventana*, & *in Cæsaraugustana disc. 46. & 47.* habemus de cessatione pensionis propter mili- 12 tiam, vel officium merè sæculare cum clericatu incompatibile, cum id non proveniat, quia in jure statutum sit, ut hujusmodi officia vel militia causent pensionis amissionem, sed quia per hujusmodi statum incompatibilem cessat status clericalis, sine quo pensio ecclesiastica obtineri, vel retineri non potest, unde de consequenti cessat tanquam ex cessante requisito ad eam necessario; Sic à pari, cum dicta dispensatio pro hujusmodi pueris non habilitet puros laicos, sed supponat eos novitios, & in qualitate militum, dispensando solùm professioni, ac residentiæ, hinc proinde si cessat militiæ qualitas ob contrariam voluntatem, ita implicitè declaratam non profitendi post præfinitam ætatem, sed reassumendi statum sæcularem, cessare debet pensio, non per viam privationis ac pœnæ, sed per viam cessationis ac habilitatis juxta dicta exempla cessationis pensionis sæcularis per officium vel militiam.

Defuit tamen occasio id formiter disputandi, ac maturè veritatem inquirendi, vel ob concordiam, vel fortè ob mortem dicti pensionarii; Postmodum verò agnovit sensum Curiæ seu officialium Dataríæ esse, quod per dictum stabili-

stabilimentum inducatur mutatio status, ut scio ab eis consultum fuisse *Alexandro VII.* occasione Prioratus Ca- 13 puæ hujus Religionis, quem in infantia obtinuerat ab Innocentio X. matris patruo, Princeps Joannes Baptista Ludovisius, quatenus in dicta ætate professionem non emitteret; Ego verò & cæteri ex parte dicti Principis consulti putabamus de hoc timendum esse ob amplitudinem Indulti dispensativi ab eodem Innocentio concessi; Verum neque super hoc maturum judicium efformari potuit, dum imminente matrimonio per dictum ante ætatem contrahendo, ipse ut rem gratam Pontifici faceret, Prioratum prædictum aliàs de necessitate ob matrimonium ad breve tempus vacaturum, ex meo præsertim consilio in manibus dicti Pontificis liberè dimisit, unde cessavit occasio disputandi.

ANNOT. AD DISC. XLII.

AD materiam præsentis disc. videri potuerunt deducta in *hoc tit. disc. 89. & 92.*

AQUILANA PENSIONIS, PRO THOMA LOLLIO, CUM GREGORIO ALFERIO.

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura Justitiæ, & resolutus pro Thoma.

An promotio ad Episcopatum Titularem in partibus infidelium cessare faciat pensionem; & quatenùs hæc reservata sit super beneficio curato, An hujus qualitatis mentio necessaria in dispensatione, seu facultate illam retinendi in statu aliàs incompatibili.

SUMMARIUM.

1 *Pensio habet viam executivam.*
2 *Per promotionem ad Episcopatum vacant beneficia, & extinguuntur pensiones post adeptam tamen possessionem.*
3 *Secus autem per Episcopatum in partibus infidelium.*
4 *Quod mentio curæ sit facienda specialis.*
5 *Contrarium in dispensatione super retentione, & de ratione.*
6 *Mentio Juris patronatus, quando sit facienda.*
7 *De materia subreptionis, vel defectus intentionis.*

DISC. XLIII.

1 AD favorem Thomæ Lollii tunc Clerici Regularis Minoris, qui *Innocentii* X. sacramentales confessiones audiebat, per eumdem Pontificem, (regulari impedimento dispensantem, reservata fuit pensio scutorum centum super fructibus beneficii seu Abbatiæ S. Joannis de collemonte, occasione provisionis in persona Gregorii, qui dictæ pensioni consensum præstitit in forma; Cumque postmodum dictus Thomas ab eodem Pontifice promotus esset ad Ecclesiam Cirenensem ab Infidelibus occupatam, hinc Titularis denegare cœpit solutionem pensionis, utpotè cessatæ per promotionem ad Episcopatum absque particulari indulto retentionis incompatibilium, quo etiam 2 accedente, prætendebat Titularis, illud non suffragari, nisi facta speciali mentione curæ animarum quæ Ecclesiæ gravatæ incumbebat, unde propterea introducta causa coram A. C. ad favorem pensionarii, his non obstantibus, judicatum fuit, idque per Signaturam Justitiæ canonizatum, denegando appellationem suspensivam, quod controversiæ finem dedit.

In his autem disputationibus coram A. C. & in Signatura, ultra ea quæ concernebant ordinem judiciarium super validitate actorum, de quibus frequentiùs ad causæ Patronum potius, quàm ad Advocatos agere pertinet; Quoad concernentia merita negotii principalis, etiam in sensu veritatis) Dicebam scribens pro pensionario, improbabilem, nullique fundamento innixum esse Titularis prætensionem, quamvis nullum adesset indultum super incompatibilium retentione.

Licet enim, potius ex stylo Curiæ desumpto à Constitutionibus *Julii II. & Leon X.* quam ex dispositione juris,

per promotionem ad Episcopatum, quemadmodum incompatibilia reputantur beneficia etiam simplicia, quæ proinde vacant, ubi indultum retinendi non concedatur, ita etiam incompatibiles reputentur pensiones absque Indulto pariter cessantes; Attamen ubi etiam agatur de Episcopatibus actualem administrationem, ac residentiam habentibus, non sufficit sola promotio, nisi etiam concurrant consecratio, & adepta possessio, spectato effectu magis, quam ipsa Dignitate, ut apud Lotther. *lib. 1. qu. 41. num. 7. & 8.* Rota apud Otthob. *decis. 139. nu. 13.* ubi concordantes.

Et consequenter, ex eodem stylo receptum est, hujus- 3 modi Episcopatus Titulares in partibus infidelium dictam incompatibilitatem non causare, dum eorum possessio ac administratio non obtinetur Gabr. *conf. 200. numer. 1. in fine lib. 2.* Put. *decis. 18. tit. de pens.* Gratian. *discept. 296. num. fin.*

Hinc proinde nulla fuberat necessitas agendi de validitate, ac efficacia Indulti Apostolici super incompatibilium retentione, & an continere deberent necnè specialem mentionem curæ animarum, (ut regulariter in cujuscumque 4 dispositionibus animarum curam annexam habentibus, requiritur ex deductis *in Reatina disc. 38.* & alibi in sua materia *sub tit. de Benefic.*) dum etiam absque Indulto hæc pensio retineri posset, cum nunquam dicendum videatur, ut sit minus nullum quam nihil.

Verum ubi etiam tale Indultum necessarium esset, adhuc (eodem veritatis sensu retento) dicebam dictam specialem mentionem non requiri, quoniam, ut advertitur supra *in Ravennaten. disc. 1. & in Cæsaraugustana discurs. proximè seq.* & in aliis, hujusmodi Indul- 5 ta dispensativa super incompatibilitate, non continent novam gratiam, seu novum onus, quod super Ecclesia adjiciatur, unde propterea oporteat, ut Papæ, mentio fiat qualitatis beneficii, quod aliàs ob curam animarum, verisimiliter illud non fuisset gravaturus, quoniam est continuatio ejusdem oneris, Indultum verò continet solum remotionem obstaculi sive præservationem, ne sequatur illa vacatio, vel amissio, quæ aliàs sequi debuisset, nisi ita provisum esset, & consequenter non requiritur illa mentio, quæ alias in nova reservatione est necessaria, ut alibi hoc eodem titulo, ac sub illo *Jurepatron.* advertitur in fortioribus terminis pensionis super beneficiis de Jurepatronat. quamvis laicorum ex dota- 6 tione vel fundatione, quinimo etiam Regii, quoniam hujus qualitatis juxta unam opinionem, necessaria est mentio, vel saltem notitia, quæ tamen in Indulto seu dispensatione retinendi cum beneficio, vel statu incompatibili, absque dubio non requiritur.

Potissimè verò quia totum id percutit quæstionem voluntatis Papæ, aliàs verisimiliter deficientis, si talis mentio facta esset; Ista verò quæstio super defectu intentionis vel subreptionis, utpote facti potius quam juris, certam 7 ac determinatam generalem decisionem non recipit, sed ea pro judicis arbitrio pendet ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, verisimile vel inverisimile inducentibus, cum etiam possibilis, vel generica Papæ cogitatio hujusmodi defectum tollat, ac propterea dicitur materia arbitraria, ex deductis apud Gregor. & Adden. *dec. 150.* Merlin *dec. 243. nu. 8.* & frequenter; Ac proinde cum idem Pontifex rectè sciret quomodo dictus adeo intimus familiaris, nimium parce provisus esset, etiam in statu Religiosi, multo magis in altero Episcopi, in quo longè majori subsidio indigebat, utique nedum verisimilis, sed certa videbatur ejusdem Papæ voluntas, concedendo dictum Indultum, sub eo comprehendere hanc pensionem, non obstante dicta qualitate, quæ cognita vel cogitata, utique non retraxisset; Quod tamen totum discurrebatur ad superabundantiam, ac citra necessitatem, cum etiam sine Indulto eadem pensio retineri potuerint.

ANNOT. AD DISC. XLIII. & seqq.

AGitur in his disc. de causis, ob quas pensio admittatur, vel extinguatur, & de Indulto illas retinendi, super quo alia occasio non suppetit nisi illa, de qua in supplemento *hoc tit. disc. 83.* occasione agendi de facultate militum Lauretanorum; Et habetur etiam infra *disc. 75.*

CÆSARAUGUSTAN. PENSIONIS. PRO JOANNE DE FRANCIA, CUM N.

Casus decisus per Rotam pro Joanne.

De eadem materia indulti, seu dispensationis retinendi pensionem super beneficio sæculari in statu incompatibili Regulari; Et an hæc dispensatio prosit litteris non expeditis, ac subsequuta morte Papæ; Et quatenùs absque litteris exactio fiat, an pensio amittatur.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Per professionem in Religione vacant beneficia sæcularia, & cessant pensiones.*
3 *Resolutiones causæ.*
4 *Religio Hierosolymitana est vera religio ad omnes effectus, etiam illum, de quo n.2. & de differentia inter eam, & alias religiones militares remissivè.*
5 *Regulares ex Apostolica dispensatione obtinent, ac retinent beneficia sæcularia, & pensiones.*
6 *Gratia pura non cessat per mortem Papæ, atque per successorem dantur litteræ in forma* Rationi congruit.
7 *De Regula 53. Cancellariæ, nt dispensatio non suffragetur sine litteris.*
8 *Quoad dispensatum, idem est dispensationem non adesse, ac non suffragari.*
9 *Pensio exigi non potest alias, quàm vigore litterarum.*
10 *Declaratur, quando, & quare procedat.*
11 *Literæ non requiruntur ad substantiam, vel perfectionem gratiæ.*
12 *Indultum præventivum nihil dat de novo, sed conservat id quod habetur.*
13 *Declaratur Regula 53. de qua num.7.*

DISC. XLIV.

REservata usque ab anno 1630. pensione scutorum 180. super fructibus mensæ Archiepiscopalis Cæsaraugustanæ ad favorem Joannis de Francia; Cum hic vellet
1 emittere professionem in Sac. Religione Hierosolymitana, per quam, absque Apostolica dispensatione, sine dubio, obtransitum ad statum incompatibilem pensio amitti, seu cessare deberet, curavit de anno 1639. de mense Julii ab Urbano VIII. signari supplicationem super dispensatione, atque neglecta litterarum expeditione, de mense Augusti sequentis professionem emisit, & in exactione pensionis continuavit, usque ad annum 1640. in quo ab Innocentio X. successore in forma *Rationi congruit*, litteras expediri curavit; Habita verò per Archiepiscopum notitia dictæ professionis, non autem dispensationis, hinc super dicta pensionis cessatione causam introduxit in Rota *coram Royas*, ipsoque solum informante, obtinuit in contumaciam sententiam favorabilem, prævia brevi decisione, sub die 27. *Maii* 1652. *inter impress.* jusdem Rojas *dec.* 479. in qua solùm proceditur cum recepta conclu-
2 sione, ut per emissionem professionis regularis, cessent pensiones reservatæ super beneficiis sæcularibus, ob incapacitatem Regularium obtinendi, vel retinendi sæcularia sicuti è contra in sæcularibus, obtinendi, vel retinendi regularia; Commissa verò causa appellationis in eadem Rota *coram Peutingerio*, prodiit sententia præcedentis infirmativa ad favorem pensionarii, prævia decisione 17. *Martii* 1651. quæ habetur impressa apud Tondut. *de pensionibus decis* 17. Commissaque denuò appellatione in eodem Tribunali *coram Bichio*, præcessit resolutio ad favorem pensionarii in possessorio super manutentione in quasi possessione exigendi, sub die 28. *Januarii* 1656. & in immediatè sequenti Rota *sub die* 31. *ejusdem mensis*, prodiit alia resolutio in negotio principali confirmatoria posterioris sententiæ latæ ad ejusdem pensionarii ad favorem, unde puto quod Archiepiscopus acquieverit, dum amplius de causam actum non audivi, dictæque resolutiones *coram Bichio* habentur impressæ *in p.12. rec.dec.113 & 121.*

In his autem disputationibus, ego, & cæteri pro pensionario scribentes, non negabamus dictam veram, ac receptam conclusionem, cui inniti tur prima decisio *coram Royas*, quod scilicet per professionem etiam in ista Religione S. Joannis Hierosolymitani, extinguatur, ac cesset pensio reservata super beneficiis sæcularibus, cum ista sit in om- 3
nibus vera Religio ad omnes effectus, ut advertitur *sub tit. de testam.* pluries, ac etiam *sub tit. de Jurisdict. disc.92.* ubi 4
de differentia inter istam, ac alias militares Religiones S. Jacobi de Spata, de Calatrava, & de Alcantara, & similes, & ex Corrado *in praxi dispensat.* rejecta opinione Sanchez *ad præcepta Decalogi* advertit Tondut. *hoc tract. cap* 69. *nu.27. & seqq.* ac ad evidentiam comprobat praxis Datariæ, & Curiæ super dispensationibus, quæ desuper conceduntur.

Et è converso scribentes pro Titulari non negabant, quod ubi indultum Apostolicum super retentione servatis servandis perfectè obtentum esset cum expeditione litte- 5
rum, status regularis non impediat beneficiorum sæcularium ac pensionum retentionem, ut in specie capacitatis Regularium ex Apostolica dispensatione obtinendi, ac retinendi beneficia sæcularia, vel pensiones super eis *post scribentes in cap. cum de beneficio, de præben. in* 6. Paris. *de resignat. lib.6. quæst.2. nu.116.* Lotther. *lib.1. quæst.40. numer.* 209. *cum seq.* Rota apud Millin. *decis.45. numer.1. & seqq.* & apud Mantic. *decis.*104. *num* 6. *cum aliis in hujus causæ decisionibus.*

Minusque negabant, quod ubi non agitur de gratia in forma commissaria, seu alias conditionali, itaut conditio respiciat illius substantiam, ac perfectionem, sed agitur de gratia ab initio pura, & perfecta, non expiret per mortem Papæ, quamvis litteræ expeditæ non essent, cum 6
quandocumque per successorem expediri valeant in dicta forma, quæ vulgo dicitur *Rationi congruit*, ut plenè advertitur in dicta hujus causæ ultima decisione 121. *par.12.* ac docet inconcussa praxis quotidiana.

Dicebant verò, id rectè procedere quando ante emissam professionem dictæ litteræ quamvis ex quocumque intervallo expeditæ essent, adeout de tempore in quo assumitur status incompatibilis, dispensatio posset suffragari, secus autem, dum post signatam supplicationem, & ante expeditionem litterarum dictus status incompatibilis assum- 7
ptus est ex *Regul.53. Cancellariæ* disponente, quod nulli dispensatio suffragetur in judicio, vel extra, prius quàm litteræ desuper expediantur.

Si enim ex voluntate Pontificis dispensatio inefficax remanet, atque nullatenus suffragari potest absque litteris, utique de tempore, quo professio emissa est, habendum esse dicebant, ac si talis dispensatio non adesset, cum idem sit non adesse, ac esse inutile, sive inefficax; Et ideo quem-ad modum, si absque prævia dispensatione pensionarius professionem emisisset, nulli dubium esset, quod pensio per assumptionem status incompatibilis cessasset, ita pariter, quoniam si dispensationi daretur dicta operatio præservandi ab extinctione, illa suum plenum sortiretur effectum, atque dispensatio suffragaretur sine litteris, contra 8
expressam Papæ intentionem, ut ratiocinatur Lotther. *lib. 3. quæst.2. num.* 60. & 61. *cum duob. seqq.* ubi, quod *idem* sit quoad personam dispensati dispensationem non adesse, *& num.*74. *& seq.* ubi considerantur illa verba regula *in judicio, vel extra*, ex quibus generaliter, atque ad omnes effectus disponi videtur, gratiam remanere inefficacem, ac nullatenus suffragari.

Fortius verò quia dispensatus ita, non solum suum effectum præservationis obtinebat, sed etiam alterum continuatæ exactionis per plures annos, ex quo actu resultare dicebant extinctionem, ex peculiari natura pensionis, ut 9
exigi non valeat litteris non expeditis, ac aliàs, quam earum vigore, ex deductis supra *in Turritana disc.*30.

His tamen non obstantibus, contrarium, ut supra resolutum fuit, atque mihi pro pensionario scribenti, (reflectendo etiam ad solam veritatem) probabiles vitæ sunt resolutiones; Quatenus enim pertinet ad hoc ultimum objectum exactionis ante expeditionem litterarum, ac aliàs, quam earum vigore, illud nullius momenti videbatur, quoniam, ut advertitur eodem *disc.*30. expeditio lit- 10
terarum non percutit substantiam, vel perfectionem gratiæ, minusque statutum est in jure, ut pensio alias quam litterarum vigore exigi non possit, sed id solum provenit ex decreto annullativo, quo in ipsa prima reservatione adjici solet, unde cum illi jam satisfactum esset, neque in hac secunda gratia contineretur, hinc proinde nil obstabat, quod exactionem, etiam ante litteras hujus secundæ gratiæ impediret, ideoque tota difficultas residebat in primo objecto resultante à dicta *Regula* 53.

In hoc autem dicebam (atque decisiones admittunt) idem quod in præcedentibus pluries habetur, quod scilicet litte-

litteræ non requiruntur ad substantiam, vel perfectionem gratiæ, sed ad solam probationem, ac faciliorem execu-
11 tionem Mohed. *decis.9. ut lit. pend.* Cassad. *decis* 4. *num.2. de caus. possess. & propriet.* Mantic. *decis.* 281. *cum aliis in hujus causæ decis.* Illarumque defectus gratiæ substantiam, vel perfectionem eatenus percutit, quatenus vel in decreto adjecto ipsi gratiæ ita disponatur, vel quia per legem particularem ita dispositum sit; Potissimè verò in hac specie gratiæ potius conservantis jus quod obtinetur, potius per viam præservationis, quam per viam novæ conces-
12 sionis, aut per alteram curationis vulneris jam inflicti, quam restitutionis adversus amissionem jam incursam, & quæ novæ concessionis speciem habeat, cum tali casu, aliud gratia non operetur, nisi remotionem obstaculi, sive impedimentum futuræ vacationis, vel extinctionis alias resultantis, nisi cum dicto præventivo remedio illę, qui malum sentire debebat ex immutatione status, ita occurrisset.

Dispositio autem *Regulæ* 53. ut dispensatio ante litterarum expeditionem nullatenus, nec in judicio, nec extra suffragari valeat, non percutit substantiam seu validita-
13 tem gratiæ, cujus perfectio ab hoc fururo implemento pendeat, quoniam si ita esset, expiraret per mortem Papæ, neque de justitia prætendi posset à successore expeditio litterarum in forma *Rationi congruit*, sed percutit solum executionem, ac effectum contra invitum & opponentem, unde propterea expeditio litterarum sufficit, ut quando-cumque sequatur, dummodo ante oppositam, ac accep-tatam nullitatem, & jus oppositori quæsitum, juxta *cons.* 41. Soccin. *lib.3.* Cassad. *decis.35. in fine, & 36. num.2 ad Reg. Cancell.* Milin. *decis.*127. *num.2. & 3. cum aliis in dictis hujus causæ decisionibus præsertim ultima coram Bichio*; Ideoque tunc dictæ Regulæ dispositio locum habuisset, quando renuente Titulari solvere pensionem, utpotè extinctam per mutationem status, voluisset pensionarius illum cogere ad solutionem, ex fundamento dispensationis, per quam objectum cessaret, quoniam suffragari non posset nisi litteras exhibuisset, secus autem ubi occasio contradictionis defuit, quoniam sufficit, ut de tempore quo status immutatio sequuta est, jam Papa occurrisset, atque præventivè substituisset obstaculum per gratiam in substantia perfectam, quamvis illa pro exequutione, ac effectuatione, hoc extrinseco accidentali requisito litterarum indigeret.

MAJORICEN. PENSIONIS, PRO BASILIO DE CASTELUI, CUM EPISCOPO.

Responsum pro veritate.

De eadem materia indulti, seu dispensationis, super retentione pensionis, statu conjugali non obstante, an suffragetur pro bigamia vera, vel interpretativa.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *In possessorio non quæritur de justitia, vel injustitia, quæ remittitur ad petitorium.*
3 *In specie, non admittitur exceptio bigamiæ.*
4 *De Constitutione Pii V. ut dispensatio super statu conjugali suffragetur pro primo matrimonio, non pro aliis.*
5 *Nisi amplitudo verborum dispensationis aliter suadeat.*
6 *An privilegiis concessis super bigamia, ad certos effectus, non infertur ad alios.*
7 *Dispensatio retinendi pensionem in statu inhabili, non conceditur post jam sequutam caducitatem, seu amissionem.*

DISC. XLV.

1 AD nominationem Regis Catholici, reservavit Innoc. X. super fructibus Ecclesiæ Majoricen. pensionem regalium 3500. ad favorem Basilii de Castelui militis de Calatrava, & conjugati, cum eo dispensando, ut non obstante statu conjugali ac etiam professione in dicta militia, emissa, vel emittenda, vel non incessu in habitu clericali, eam obtinere, ac retinere posset; Cumque post perfectam, ac effectuatam gratiam, pensionarius, qui plurium annorum spatio in exigendi quasi possessione erat, veram ex duplici matrimonio bigamiam contraxisset; Hinc Episcopus innixus *Constitu-tioni 71. alias 73. Pii V.* prætendere cœpit indultum non

suffragari, ac pensionem extinctam esse; Quare ex parte pensionarii desuper pro veritate consultus.

Respondi distinguendo inter possessorium & petitorium; In possessorium siquidem, jus pensionarii erat in tuto, cum de pacifica & valida quasi possessione exigendi per 2
plures annos in facto non dubitaretur, qua posita, de plano intrabat recepta, & quotidiana conclusio, de qua pluries in præcedentibus, ut in hoc judicio, non quæratur de justitia vel injustitia, cujus solum possibilis justificatio in petitorio sufficit, sed attendatur nudum factum possessionis, tam contra eum, contra quem possessum est, quam contra successorem, cum in hoc jus metiamur ex persona actoris, & possessoris, ut ultra generalia, de quibus præsertim supra *disc.* 37. in his specialibus terminis exceptionis bigamiæ, non attendendæ in hoc judicio, dictum fuit *in Ravennaten. pensionis 5. Julii* 1660. *coram Albergato impress.* post Zuff. *de legit. proces. decis.* 67. *num.* 10. edita in casu, de quo supra *disc.*1. atque, ob difficultatem, quàm ut infra in petitorio habebam, dixi, quod in hoc possessorio 3
principaliter insisti deberet, quoniam, cum plures superessent termini debendi, id de facili honestam concordiam parare poterat, ut credo sequutam, cum amplius de causa actum non audierim.

Quoverò ad petitorium, seu merita negotii principalis, aliquam sentiebam difficultatem contra ipsum pensionarium, ob dictam Constitutionem 71. *aliàs* 73. *Pii V.* reas-sumptam per Lotther. *lib* 1. *q.*40. *n.*205. dispositur, ut dis- 4
pensatio obtenta pro retinenda pensione in statu conjugali, suffragetur pro primo matrimonio, non autem pro ulteriori, atque ita dictum fuit *in Palentina pensionis* 21. *Novembris* 1586. *coram Blanchetto*, cujus decisionis mentionem faciunt, Lotther. *ubi supra num.*208. Gonzal *ad reg.*8. *gl.*11. *num.* 73. & Rota *in Cæsar augustana coram Lancellotto* apud Marchef. *tom.2 fol.*593. *n.*7. confirmata apud Greg. *dec.*516. & admittititur *decis.* 75. *nu. penult. & fine part.* 5. *rec.* cum qua pertransit Tondut. *hoc tract. cap.* 78. *num.* 38. & 39. 5
quoties scilicet, non adsit talis clausularum, ac verborum amplitudo, quod etiam capiat plura matrimonia, eorumque reiterationem.

Et quamvis considerarentur privilegia concessa militiæ S. Jacobi de Spata reiterandi matrimonia, huic etiam mi-litiæ de Calatrava communicata; Attamen ut in specie ad- 6
vertitur *in dicta Palentina coram Blanchetto*, tale privilegium operativum est, circa præservationem ab irregularitate, ac ab amissione status militaris, aliisque præjudicialibus affectibus à bigamia resultantibus, non autem ad hunc effectum, stante dicta Constitutione Pii V. quæ posterior est dictis privilegiis, ideòque dici non potest, quod per ista, illi derogatum sit.

Quæsitum quoque fuit, an consuli posset obtinendo desuper dispensationem; Ad quod respondi, quòd juxtà stylum, id esset opus desperatum, ut expertus fueram in alia causa, pro Duce Maquedæ, qui ob militiam, notabilem pensionem ecclesiasticam amiserat, quoniam ubi non agitur de gratia præservativa, per quam occurratur futuræ amissionis, juxtà deducta *in pluribus disc. præcedent.* sed post jam incursam caducitatem, seu amissionem, tunc est species novæ reservationis, novique gravaminis ex integro, ut advertitur apud Merlin. *decis.* 832. *num.*3. Cum enim ita Ecclesia libertatem jam acquiserit, concedi non solet dispensatio, quoniam ut dictum est, esset reservare novam pensionem ex integro, ut advertitur etiam infrà *in Cæsaraugustana disc.* 47.

BENEVENTANA PENSIONIS PRO VINCENTIO MACULANO, CUM ARCHIEPISCOPO.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Vincentio, pendet in Rota.

An, & quando pensio amittatur, per militiam sæcularem? Et de interpretatione indulti, eam retinendi, militia non obstante.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Quod per militiam pensio amittatur.*
3 *Pensio præsumitur reservata tanquam clerico.*
4 *De ratione conclusionis, de qua num.2. & n.12.*
5 *Quod amittatur per officia sæcularia.*

6 *Affirmat*

6 *Aliud est agere de privatione clericatus, & privilegiorum clericalium, aliud de amissione pensionis.*
7 *Quod durum sit assumere disputationem in casibus decisis.*
8 *De difficultate habita adversus decisiones, de quibus num. 2. & num. 15.*
9 *Clerici possunt militare pro Papa.*
10 *Et succedunt in feudis in statu Ecclesiastico.*
11 *De capacitate Episcopi succedendi in feudis.*
12 *De ratione ob quam pensio amittitur ob militiam.*
13 *Non dicitur bellum, vel exercitus ubi eligitur populus ad defensionem.*
14 *Pro defensione licitum est clericis arma sumere, & militare.*
15 *De ratione dubitandi de decisionibus, de quibus num. 2.*
16 *De alio casu, ut militia non causet amissionem pensionis.*
17 *Dispensatio pro uno impedimento non suffragatur pro altero.*
18 *Militia non reduplicatur, si pluries militetur.*
19 *Quod dispensatio pro statu conjugali non suffragetur pro secundo matrimonio, & de ratione.*
20 *Quod dubitari possit, quod indultum pro una militia, non suffragetur pro altera.*

DISC. XLVI.

1 EAdem facti serie præsuppositâ, de qua in eadem hac causa *disc.* 2. Cum Vincentius unus ex pensionariis ibi enunciatis in bello Cretensi contra Turcas officium Tribuni militum assumptisset, prævio tamen indulto Apostolico per *Alexandrum VII.* concesso retinendi pensiones hujusmodi militia non obstante, deindeque ob aliquas Apostolicæ Sedis occurrentias, seu præventivas diligentias ad defensam, ab eodem Alexandro, consimiles munus Tribuni militum sibi collatum esset, Hanc prætensionem Archiepiscopus excitavit, super extinctionem, seu amissione pensionis ex causa hujus secundæ militiæ dicto indulto, non obstante, utpotè diversam causam habente militandi contra Infideles; Verùm dicta prætensione rejecta per A.C. exequutio litterarum Apostolicarum decreta fuit, per Signaturam canonizata, & pendet appellatio in Rota.

In disputationibus autem super hoc militiæ puncto habitis coram A. C., ac etiam in Signatura occasione agendi, an rescribendum esset de appellatione ad solum devolutivum non retardata interim exequutione; Duo fuerunt puncti; Primò scilicèt; an dictum indultum concessum occasione dictæ militiæ Cretensis, pro hac altera militia suffragaretur; Et secundò, an secluso etiam dicto indulto, hæc posteriori militia esset talis, quod per eam pensio amissa est.

2 Quatenus pertinet ad hunc secundum punctum militiæ sæcularis causantis pensionis amissionem; Scribentes pro Tituli, potissimum fundamentum constituebant in punctualibus *decisionibus* 69. & 216. *coram Celso* edita *in Firmana pensionis*, in quibus, cæteris plenè relatis, firmatur ut quoties agitur de pensione ecclesiastica reservata tanquam clerico, ut in dubio præsumitur, quoties expressè non constat in contrarium reservatam esse tanquam laico
3 illa per assumptionem militiæ sæcularis illicò amittatur, quamvis miles non pugnasset, neque sæva exercuisset, quoniam id attenditur ad effectum incurrendi irregularitatem, non autem ad istum effectum amittendi beneficia, vel pensiones, cum militia sæcularis in proposito consideretur solùm tanquam probatio voluntatis clerici dimittendi clericatum, ad assumendi statum sæcularem, ob omnimodam incompatibilitatem inter unum statum ac alterum, dum miles sæculi, non potest esse miles Christi; Quod etiam firmatur *in eadem Firmana* 1. *Julii* 1665. *coram Albergato*, & *in Abulen. coram eodem Celso* inter suas *decis.* 338. Et in terminis fortioribus simplicis officii sæcularis Notariatus firmatum fuit *in Cæsaraugustana pensionis* 14. *Junii* 1660. *cor. Verospio* edita in casu, de quo *disc. proximè seq.* Et de assum-
5 ptione simplicis officii Gubernatoris sæcularis firmatum fuit *in Rom. pensionis* 15. *Junii* 1668. *coram Albergato*.

Atque ad auctoritates Canonistarum super trina monitione, quæ præcedere debet, Respondetur in eisdem *decisionibus* 69. & 216. *Celsi*, cum quibus aliæ super allegatæ procedunt ut id rectè procedat ad effectum privationis aliorum privilegiorum clericalium, à quibus non benè infer-
6 tur ad privationem beneficiorum, vel pensionis, ducto argumento à matrimonio, quod contractum cum unica, & virgine, compatibile est cum clericatu, ejusque privilegii. Et tamen quamvis contrahens matrimonium expressè profiteatur velle continuare in statu clericali adhuc amittit beneficia, & pensiones.

His tamen non obstantibus, negligendo assumere quæstionem super ipso puncto generali, ac in abstracto in dictis decisionibus firmato, an scilicèt assumptio militiæ sæ- 7
cularis ipsos jure absque dicto requisito monitionis præfactum effectum causet, cum in Curia nimium dura provincia sit assumere disputationem articulorum ex integro, quoties plures decisiones habentur in diversis causis editæ; Atque relinquendo desuper locum veritati, dictaque conclusione, juxtà sensum Rotæ, admissa.

Adhuc dicebam, (etiam cum sensu veritatis) eam non esse applicabilem ad casum, eodem modo, quo neque applicabilis erat ad alterum, de quo in dicta *Firmana*, in
qua advertebam, quod nullum constitui poterat fundamentum, dum reproposita causa coram eodem *Albergato* sensus erat recedendi, quod in quandam reverentiam trium decisionum sequutum non fuit, atque, ut a pluribus Auditoribus percepi, sequi debuisset, nisi mos collitigantis finem dedisset controversiæ, dum quod sciam causa amplius reproposita non fuit.

Dicta siquidem incompatibilitas militiæ sæcularis cum clericatu (quo cessato cessant de consequenti beneficia, & pensiones reservatæ tanquam clerico, tanquam ex cessante habilitate, seu requisito necessario, sine quo obtineri, vel retineri non possunt) rectè procedit in militia Principis sæcularis, non autem in illa Papæ, cui compatibiliter clerici, nedum in minoribus, sed etiam in sacris, qui- 9
nimò in prælatura constituti inserviunt in militia, ut docent chronicæ, atque de jure benè probari observabam ex deductis per Jason. *cons.* 119. *lib.* 4. *per totum*, ubi agendo de quæstione, an Cardinalis, vel alter clericus, quamvis in sacris, succedat in feudis, illaque retinere pos- 10
sit, concluditur affirmativè in feudis Status ecclesiastici, quorum sit Princeps, ac Dominus Papa, quoniam licèt feudum importet militiam omnibus majorem, magisque qualificatam, etiam ad effectum incompatibilitatis retinendi beneficia, vel pensiones, ut advertitur infra *in Mediolanen. disc.* 48. attamen id non procedit in militia Papæ, cui rectè clerici militando serviunt, & consequenter cessat dicta ratio status incompatibilis.

Et de capacitate etiam Episcopi succedendi in feudis Status Ecclesiastici latè habetur cæteris relatis per Fagnan. *in cap. quæ in Ecclesiarum de Constit. ibique n.* 104. refert verba Jasonis, *ubi suprà*, & de qua *Fagnani* doctrina in his terminis capacitatis clericorum succedendi in feudis, habetur *sub tit. de feud. disc.* 54. ad etiam *disc.* 47. edito (licèt aliud propositum) pro eodem Episcopo, pro quo scripsit Fagnan. *ubi suprà*.

Si enim juxtà sensum earundem decisionum, id non provenit ab irregularitate, quæ contrahatur in bello, sed solùm à dicta ratione incompatibilitatis, ob subjectionem sæculari Duci militum, vel Principi, ac ob juramentum, quod eidem præstatur, ut habetur etiam *in Cæsaraugustana discurs. sequen.* non autem ex alia causa; Hinc proinde de consequenti resultat, quod cessante hac ratione in servitio Papæ, qui est Princeps ecclesiasticus, ac legitimus super clericorum rectè illi jurantium subjectionem, ac fidelitatem, nulla suppetit ratio, ob quam, cessante, vel non concurrente causa, resultare debeat ejusdem causæ effectus.

Clariùs verò, ac pro meo judicio extra omnem difficultatem in hac facti specie, quoniam exercitus, quem Pontifex congregavit, & in quo pensionarius unus ex militum Tribunis deputatus fuit, directus non erat ad formale bellum offensivum pro alicujus Regni, vel Provinciæ, seu Civitatis conquisitione, vel recuperatione, sive ob inimicitiam cum alio Principe, vel ad injuriam ulciscen- 13
dam, aut alteri Principi militanti assistendum, sed solùm ad parandam defensionem adversus illas molestias de facto, quæ ex quadam (licèt vana) jactatione timeri poterant, unde propterea potiùs fuit quædam electio proprii populi ac subditorum, segregando imbelles, ac inhabiles, juxtà exemplum, quod in Scriptura sacra legitur 1. *lib. Machabeorum*, Ideóque non fuit se adscribere militiæ, militare servitium formiter assumere, sed tantùm pro habilitate, ac peritia personæ, gerere partes subditi parati ad proprii Principi, propriæque patriæ ac sui, suorumque defensionem, quod clericis, & ecclesiasticis rectè licitum est, utpotè ex causa defensionis, magis quàm belli, & pugnæ, ut frequenter praxis docet in Civitatibus

tatibus ac locis obsessis, seu alias invasionem inimicorum timentibus, quod etiam clerici, sæculares, ac Regulares arma sumunt Diaz. de Bello *sect.* 3. *quæst.* 1. Medices *in summa quæst.* 76. Crispolt. *de re milit. cas.* 2. *num.* 74. Bellett. *disquis. Cleric. de disciplina regulari* §. 18. *num.* 15. Dian. *tract.* 4. de Bello *par.* 7. *resol.* 35. & *tract.* 2. *part.* 10. *de prohib. ne cleric. præsint exercitibus*, Cardinalis de Lugo *resp. moral. lib.* 5. *dub.* 14.

Atque ex hoc motivo ut supra nimium dubitatum fuit de juribus dictarum *decis.* 69. & 216. *coram Celso*, Et rationabiliter quidem, cum in eo casu non ageretur de militante in exercitu, sed solum de assumente custodiam cujusdam Arcis existentis in pacifico Statu ecclesiastico ad solam defensionem ab incursionibus Turcarum, & infidelium quod cuicumque clerico quamvis in sacris, licitum est.

Et ex qua ratione, in quodam congressu dicebam, non improbabiliter substineri posse, ut non esset factus locus extinctioni quarundam pensionum, quas super Ecclesiis
16 Comen. & Melphien. ex translatione in eum facta per Principem Nicolaum Patrem, possidebat Princeps Jo: Baptista Ludovisius filius, qui eidem patri successerat in Præfectura maritimæ classis Regni Sardiniæ, stante quod ista classis principaliter erecta ac retenta esset pro defensione, à Turcarum, ac infidelium incursibus, unde propterea etiam ecclesiastici in ejusdem substentatione contribunt; Imò supponebatur, ut per Apostolicum Diploma ipsis Ecclesiasticis quamvis in sacris circa irregularitatis incursum, ex dicta causa in illis triremibus militare licitum esset, quamvis subsequens earundem pensionum extinctio ex causa matrimonii hujusmodi quæstionis occasionem substulerit.

Hinc proinde advertebam opus non esse agere de altero puncto Indulti Apostolici, dum illo etiam cessante, ita res in tuto erat; Ubi verò de illo agi oporteret; Quamvis scribentes pro Titulari magnum constituerunt fundamen-
17 tum in altera conclusione deducta in eisdem *decis.* 69. & 216 *Celsi*, latiusque reassumpta in dicta *Romana pensionis* 15. *Junii* 1668. *coram Albergato*. ac in aliis supra insinuatis, quod scilicet dispensationes strictè, ac rigorosè attendi debent in solo casu præciso, non autem extendi de casu ad casum, quamvis rationis identitas, imo majoritas urgeat adeout concessa super statu conjugali, vel bigamia, quod est minus ut in *eisdem decisionibus* latè probatur, in quibus concordantes cumulantur.

Attamen admittendo dicti assumpti veritatem, dicebam æquivocum consistere in applicatione, dum non agebatur
18 de extensione dispensationis de casu ad casum, ut dicti scribentes opponebant, sed de habilitatione pensionarii ad retinendum pensiones in statu militari, qui utpotè respiciens personam, non recipit multiplicationem, ob militarium, vel munerum diversitates, juxta ea exempla, quæ habentur *sub tit. de Beneficiis discurs.* 3. quod suscipiens in duabus, vel tribus Universitatibus eundem doctoratus gradum in legibus, non per hoc est bis, vel ter doctor, cum similibus; Ita suscipiens statum militarem, non ex eo, quod in pluribus diversis exercitibus militet, dici potest duplicatus, vel multiplicatus miles.

Et quamvis pro ratione dubitandi obstare videretur deducta *in Majoricen. discurs. præced.* ut dispensatio concessa super statu conjugali suffragetur per unico, non autem
19 pro duplici matrimonio; Attamen id provenit ex peculiari lege desuper edita, ac etiam ex peculiari ratione bigamiæ magis oppositæ clericatui, seu statui Ecclesiastico; Ista verò ratione cessante, atque ad rem non applicabili, nulla videbatur subesse probabilis ratio, cui hæc prætensio innitatur, cum illud bellum fuerit occasio concessionis indulti, atque ut nostri dicunt, magis causa fiendi quam causa essendi.

Tunc autem observabam probabilem dubitandi rationem cadere posse, quando Datariæ stylus esset regulariter denegandi hujusmodi Indulta pro aliis militiis, adeout
20 illa militia cum infidelibus fuisset causa specialis, ac finalis concessionis, quę alias facta non esset, quod dici non poterat, dum stylus est indefinitè hujusmodi indulta concedendi; Ac etiam quia, dum hujusmodi indultum etiam pro bigamia, & sic in fortiori casu concessum est, hinc pro isto minori non fuisset denegatum, potissimè quia dictum bellum Cretense non fuit enunciatum tanquam causa unica, sed unà cum aliis meritis, ac impulsibus, ex consueto formulario in parte proœmiali hujusmodi gratiarum præmitti solitis, unde propterea intrare dicebam vulgarem, ac receptam distinctionem, de qua præsertim pluries *sub tit. de Renuntiat.* & sub altero *de alienat.* & *contract.* inter unicitatem, vel pluratitatem causæ, ut ita distinguatur finalir ab impulsiva.

CÆSARAGUSTAN. PENSIONIS SEU NOTARIATUS, PRO ANTONIO DE SEGOVIA, CUM LUDOVICO AUGUTINO ESCULANO.

Casus decisus per Rotam pro Antonio.

An pensio amittatur, seu extinguatur ob officium Notariatus Judicis sæcularis, vel per aliud sæculare officium.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De amissione pensionis ob militiam.*
4 *Quid per officium Tabellionatus.*
5 *An procedat in tabellionatu criminali.*
6 *Et qui credant hoc officium licitum in clerico.*
7 *An quæsita ex Notariatu tanquam illicita cadant sub spolio.*
8 *Quod officia acquiri soleant in dominio, non autem in exercitio.*
9 *De legibus Regnorum inhabilitantibus clericos ad officia sæcularia, & feuda.*
10 *An istæ leges valeant.*
11 *Irregularitas non causat amissionem pensionis.*
12 *De prohibitione canonum iu clericis ne suscipiant officia sæcularia, quid operetur.*
13 *Quod obtinens dispensationem fateatur impedimentum, & dispensatio non suffragatur re non integra.*
14 *Obtenta ad majorem cautelam non præjudicant.*
15 *Juramentum ratione officii, quod præstatur per clericum laico, quid operetur.*

DISC. XLVII.

1 OB officium Scribæ Tribunalis Justitiæ Aragoniæ, assumptum per Ludovicum Augustinum habentem pensionem ducatorum 200. super fructibus Canonicatus Metropolitanæ Ecclesiæ S. Salvatoris possessi per Antonium, hic judicium super dictæ pensionis amissione instituit, obtentisque aliquibus sententiis in partibus, ac introducta per appellationem causa in Rota *coram Verospio*, ipso Antonio informante in alterius contumaciam sub die 14. *Junii* 1660 pro extinctione, seu cessatione pensionis prodiit resolutio, quæ deinde produxit etiam aliam resolutionem *in Romana* 2
pensionis 15. *Junii* 1668. *coram Albergato*.

Præcipuum dictæ resolutionis fundamentum fuit, idem assumptum, cum quo per eamdem Rotam processum fuerat *in Firmana pensionis coram Celso*, inter suas *dec.* 69. & 3
216. super extinctione pensionis ob assumptionem militiæ sæcularis, utpotè incompatibilis cum clericatu, cui ita implicitè renunciatum censetur, & consequenter, ut cessante clericatu, tanquam requisito substantiali sine quo pensio ecclesiastica reservata tanquam clerico obtineri, vel retineri non potest, illa cesset, ex latiùs deductis *in Beneventana disc. præced.* procedendo cum doctrina *Innocentii in cap. sicuti ne cleric. vel monach.* quæ licèt impugnetur per Jo: Andr. circa tabellionatum, vel aliud officium simile in genere, attamen ab eodem recepta est, ubi agatur de tabellionatu Judicis criminalis suscepto à Rege, vel Principe sæculari, cum id clericis prohibitum sit; Potissimè verò ob juramentum, quod Principi sæculari præstandum est; Atque cum hac distinctione inter officium sæculare meré incompatibile cum clericatu, utpotè in criminalibus, & alterum quod, licèt 5
sæculare, admixtum non habet exercitium juri sdictionis criminalis, proceditur *in Pistorien. pensionis* 23. *Junii* 1670. *coram Bourlemont*. Et in specie officii Notariatus, ut sit oppositum clericatu Zabarell. *dicto cap. sicut num.* 2. cum quo alii pertranseunt in ejusdem decisionibus deducti, cum a liis per Fagnan. *in eod. caput sicut num.* 12. & *seq.*

Et quamvis alii sequentes opinionem Jo: Andreæ cre- 6
dant dictam incompatibilitatem non adesse ex deductis per Covar. *pract. qq. c.* 19. *n.* 8. & Farinac. *in fragm. verb. cleri-*
cus n. 212.

cus n.212. cum seq. Attamen id intelligendum venit de Notariatu circa acta voluntariæ jurisdictionis, in confectione scilicet instrumentorum, vel etiam circa acta jurisdictionis contentiosæ in causis civilibus, non autem in criminalibus, atque ita advertunt Majol. *de Irregular. lib.2.cap.6. n.5.* Graf. *de effect.cleric.effect.8.n.11.* ac habetur etiam deductum *in Tudertina de accursiis sub tit. de Testamentis* occasione examinandi quæstionem, an bona quæsita per clericum
7 qui Notariatus officium exercuit, cadant necne sub spolio.

Quamvis autem ego scriberem pro Antonio obtinente (sine tamen contradictore) Attamen resolutio, reflectendo ad veritatem, non placuit, ex eo potissimum, quod ubi etiam præmissa essent admittenda, adhuc cessare videbatur applicatio ad factum, quoniam pensionarius ex titulo venditionis, vel alio, istud officium scribæ obtinuerat, potius in dominio, ac habitu pro emolumentis, aliisque præeminentiis, quam pro actuali exercitio, quod per substitutos, vel conductores explicari solet; adeout hujusmodi officia emi soleant, etiam per viros Nobiles, seu aliàs ad exercitium ineptos pro solo emolumento, aliisque
8 juribus, ut præsertim de officio civili Gubernatoris Urbis, quod inter eosdem Notarios comparativè ad illa A. C. vel Tribunalis Cameræ, inferioris ordinis censetur, possesso in dominio per viros nobiles ad solum emolumentum, habetur *sub tit. de Regal. discurs. 21.* Adinstar officiorum scriptorum litterarum Apostolicarum, vel Summatorum, & Plumbatorum, aliorumque officialium Datariæ, de quibus *eod.m tit. de Regal. disc.2.* quod licèt mechanicum exercitium annexum habeant, adhuc tamen acquiruntur per Magnates, & Cardinales in dominio, cum exercitium explicetur per substitutos, Atque in Urbe, piissima Archiconfraternitas Charitatis possidet officium criminale Gubernatoris, quod est magis, cum in illo tractentur omnes causæ capitales, & tamen id non adversatur qualitati loci pii, & ecclesiastici, cum exercitium sit penes substitutos, vel conductores.

Aliqua probabilitas pro resolutione consistere videbatur in legibus fori illius Regni inhabilitantibus clericos, tam
9 ad obtinenda, quam ad exercenda officia sæcularia, de quibus vel similibus legibus latè agit Salern. *cons.17.* ubi de illis Regni Siciliæ ultra; Et de consimilibus legibus Regni Siciliæ citra, seu Neapolis inhabilitantibus clericos, tam ad feuda, quàm ad officia habetur pluries *sub tit. de feud.* præsertim *disc. 16. cum dub. seq.* Et fortiùs ob juramentum, quod Principi laico præstandum est.

Verùm neque id captivabat intellectum, quoniam hæc inhabilitas non provenit à Sacris Canonibus, quorum dis-
10 positio in his materiis attendenda est, sed à particularibus legibus ipsius Principis laici, nolentis ad ejus feuda, vel officia admittere, nisi ejus subditos, adeout non desint Canonistæ ac Morales credentes ut hujusmodi leges, utpotè Ecclesiasticæ libertati contrariæ, irritæ, ac invalidè sint, ac habetur præsertim *eodem tit. de feud.disc. 54.* atque ab ejusdem principis sæcularis gratia, seu dispensatione pendet clericorum habilitatio, ut patet ex deductis in dictis *disc. 16. cum duob. seq. de feud.* Atque in dicto Regno Neapolis, aliisque Regnis, & Principatibus, frequens praxis docet, quod clerici etiam in sacris, vel in ecclesiastica dignitate constituti Regia officia etiam primaria exercent; Ideoque si id ex ipsius Principis expresso indulto concedi potest, suffragari absque dubio valet etiam implicita, seu tacita habilitatio resultans à permissione, seu tolerantia, quam rectè ille qui officium acceptat, ac etiam exercet, credere, vel supponere potest: Et consequenter non resultat pernecessè omnimoda incompatibilitas, ex qua oritur præsumptio dimissionis clericatus cum formali transitu ad statum sæcularem, ut est in militia, cujus prohibitio, seu incompatibilitas cum clericatu non pendet à legibus Principis laici, sed ab ipsis sacris Canonibus, atque in hoc versari videtur æquivocum, assimilando istum casum officiorum cum altero militiæ, ob dictam evidentem differentiæ rationem ob quam mihi, quamvis ob utriusque partis amicitiam non scribenti, ab utroque tamen requisito, non placuit resolutio in dicta altera *Romana pensionis 15. Junii 1668. coram Albergato*, dum illa officia, de quibus ibi agitur, ac etiam majora Præsidatus scilicet Provinciarum, & similia, etiam per Equites Hierosolymitanos, vel per clericos in sacris, quinimò, & in majoribus Ecclesiasticis Dignitatibus constitutos ex Regia explicita, vel implicita permissione exerceri videmus, ideòque non viget vera, & omnimoda incompatibilitas à jure canonico inducta.

Distinctio autem, an officium admixtam habeat, necnè cognitionem causarum criminalium, & capitalium, cum qua in eisdem decisionibus supra insinuatis proceditur, neque ad rem facere videtur, cum id solùm percutiat incursum irregularitatis, quæ ut in eisdem decisionibus, ac etiam *disc. præced.* advertitur, non causat amissionem pensionis vel beneficii, dum neque homicidium voluntarium, vel aliud crimen quantumvis majoris irregularitatis inductivum, hujusmodi effectum producit ut infra *in Perusina disc. 49.* Igitur dicta distinctio nihil ad rem, cum tota vis consistat in omnimoda incompatibilitate, ex qua resultat implicita dimissio clericatus ut supra.

Et quamvis concurreret etiam ipsorum Canonum prohibitio super sæcularium officiorum susceptione, ac exercitio, ut præsertim est in isto tabellionatus judicis criminalis 10
in eodem c. sicut ne cleric. vel monach. non exinde tamen resultat vacatio beneficii, vel amissio pensionis ipso jure, sed juxta magis communem, ac receptum ejusdem decretalis intellectum plenè reassumptum per Fagnan. *ibid.* potest ab ejus ecclesiastico superiore prohiberi, etiam sub pœna privationis beneficii, atque interim durante hoc illicito exercitio, id quod quæritur, tanquam illicitè quæsitum prætendi potest, ut cadat sub spolio juxta disputationem habitam *in dicta Tudertina de Accursiis sub tit. de Testam.*, dum idem text. comminatur privationem post monitionem, ergo non intrat privatio ipso jure.

Aliquam difficultatem facere videbatur dispensatio, quam pensionarius ad biennium post obtentum officium ob- 13
tinere curavit, quasi quod ita fassus esset impedimentum ex deductis apud Gregor. *dec. 331.* unde propterea benè in decisione dicitur, quod illa utpote obtenta re non integra, & post incursum privationem non suffragetur cum esset species novæ reservationis, novique oneris, cui subjicitur Ecclesia, quæ jam suam libertatem quæsivit; Sed pariter non videbatur motivum considerabile, cum sæpius hujusmodi dispensationes obtineri soleant ad potiorem cautelam, omnemque difficultatem removendam, quæ proindè 14
non præjudicant, Gregor. *dec.125. n.10. cum seq. dec.173. n.1. & seq p.7. rec.* & frequenter, cum sit propositio hodie plana, nimiumque in foro frequens.

Juramenti verò præstatio, neque obstaculum facit, quoniam illud est restrictum ad concernentia administrationem 15
illius officii, quod à manibus laici suscipitur, adinstar illius juramenti fidelitatis, quod clerici, aliique ecclesiastici præstare solent Principi laico ratione feudi, cujus ratione illi subsunt, ut pluries advertitur *sub tit. de feud.* Atque in plerisque Tribunalibus praxis est, quod clerici suscipientes tutelam, vel aliam administrationem à judice laico, illi jurant benè, & fideliter administrare, ac rationes reddere, cum similibus, Ac posito etiam, quod id fieri non possit nec debeat, attamen id continebit actum illicitum, ob quem clericus ab ejus superiore prohiberi, ac puniri poterit, non autem, ut exindè dictus effectus resultet, ideòque placuit resolutio *in d. Pistorien. coram Bourlemont* ubi de susceptione officii Magistratus Civitatis, quod pensionis amissionem non causet.

MEDIOLANEN. PENSIONIS
PRO CARDINALI SABELLO,
CUM MARCHIONE VINCENTIO CAPPONO.

Casus decisus per Rotam pro Vincentio.

An feudum obtentum à Principe laico causet effectum militiæ super privatione, vel extinctione Pensionis; Et quid de simplici Dignitate, seu titulo, Ducis, Marchionis, vel Comitis; Et incidenter de his titulis, eorumque introductione.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De amissione pensionis ob militiam, vel officium sæculare.*
3 *Feudum est milltia.*
4 *Atque Militia major, ratione formalis juramenti.*
5 *Ideoque per illud cessat pensio.*
6 *De clericorum inhabilitatione obtinendi feuda.*
7 *Pegaso amittitur ob non incessum in habitu.*
8 *De vario causarum eventu præter spem, vel timorem.*
9 *Resolutio causæ.*
10 *De ratione ob quam aliquando non enunciantur resolutiones causarum, de quibus tractatur.*
11 *De origine, seu introductione titulorum Ducum, Marchionum, & Comitum.*
12 *De veris Ducibus, Marchionibus, & Comitibus, & de differentia etiam inter istos.*
13 *Titulati subordinati alicui Principi, sunt impropriè, ac abusivè tales.*
14 *Sicuti sunt Archidiaconus, & Archipresbiter nostrorum temporum.*
15 *Adhuc tamen isti titulati cum actuali feudo, & jurisdictione retinendi aliquas præeminentias.*
16 *Quæ tamen non competunt illis, qui habent titulum in sola nuncupatione ex privilegio.*
17 *Ad quos honorificos effectus dictæ Dignitates concedi soleant.*
18 *Quod non sit deferendum Consulentium auctoritati.*

DISC. XLVIII.

1 CONtra Vincentium Capponium ex Apostolica reservatione possidentem annuam pensionem scutorum 200. super Præpositura in commendam possessa per Cardinalem Sabellum, obtinente à M. Duce Florentiæ ejus naturali domino dignitatem, seu titulum marchionatus cum subsequuto usu, prætensionem excitarunt præfati Cardinalis ministri super pensionis extinctione, freti pluries insinuatis decisionibus *in Firmana pensionis coram Celso* inter suas *dec.69. & 216.* ac alteri *in Cesaraugustana pensionis 14. Junii 1660. coram Verospio* edita in casu de quo *disc. præced.*
2 per quas firmatur ut pensio amittatur per militiam, vel tabellionatum, seu aliud officium sæculare, ideòque multò magis ob hujusmodi majorem, ac primi ordinis militiam, quæ per Barones, & Magnates in quolibet Principatu constitui dicitur.

Quare desuper ex parte ejusdem Cardinalis consultus; Dixi determinationem pendere à facti qualitate, & circumstantiis, an scilicet dictus marchionatus annexus esse feudo per ipsum à Principe laico suscepto, vel potius esset meré honorarius, ut in aliquibus Italiæ partibus in usu est, ut primo casu rectè procedat conclusio, quoniam feudum militia est, ideòque incompatibilitatem habet cum clericatu, *ut in*
3 *cap.1.§.ex hoc illud de feud.fœmin.& cap.1.§. qui clericus si de feud.fuerit controv.* cum concordan. pluries deductis *sub tit.de feud.* præsertim *disc. 54.* Ac extra omne dubium quando dicto juri feudali accedat Principatus jus scriptum, vel non scriptum, quod non, nisi laicis feuda permittat.

Quinimò hæc dicitur militia major ea simplici, de qua agitur *in dictis dec. 69. & 216.* Celsi, cum aliis *in Beneventana disc.46.* Tum quia primi ordinis; Tum etiam quia for-
4 male, magisque solemne præstatur Principi laico fidelitatis, ac subjectionis juramentum, quod à simplicibus militibus etiam de jure præstandum, recessit ab aula, vel non adeo solemniter præstatur; Ideòque etiam ex hac militia à
5 feudo resultante istum effectum oriri, in specie advertitur apud Tondut. *hoc tract. cap. 77.n.7.cum seqq.* Atque in illis Regionibus, vel Principatibus in quibus, ut dictum est, feuda non obtinentur, nec possidentur, nisi per meros laicos, argumentum à simili non videtur improbabile, quam-
6 vis neque omninò totum ex consideratione, de quibus *disc. præced.* quod scilicet clericorum inhabilitatio ad obtinenda, vel possidenda feuda, non provenit à sacris Canonibus, qui potius contrarium supponere, vel disponere videntur *in c.6 & 7.de foro competent.* adeout plures Canonistæ velint improbas esse consuetudines, seu leges communes feudales, aliasque leges particulares inducentes hujusmodi inhabilitationem, cui ipsemet Princeps laicus dispensare potest, & consequenter non viget illa omnimoda incompatibilitas, quæ per ipsos Canones inducta est inter clericatum, ac militiam formalem in exercitu.

7 Nisi dicatur, quod ubi dictus usus viget, ut feuda non obtineantur, nisi per laicos, altera resultet hodie specie privationis, vel incompatibilitatis, ob non incessum in habitu, & tonsura juxta Constitutionem *Sixti V.* sed quidquid sit de his; Dixi quod ista circumstantia actualis adeptionis feudi probabile disputationis motivum præberet, secus autem ubi ea cessante, ageretur de mera verbali, ac honoraria dignitate, cum tunc, ubi non suffragaretur dictum motivum Constitutionis *Sixti V.* nullum subesse videretur probabile fundamentum, cui prætensio initi posset.

Adhuc tamen dicti ministris litis aleam tentare voluerunt freti quotidianæ experientiæ ab ingeniorum varietate, tot scribentium diversis opinionibus resultanti, quod scili- 8
cet frequenter, in illis causis, in quibus doctiores, ac provectiores Advocati pro veritate consulti, concorditer succumbentiam timent, felicem, ac facilem victoriam reportant; Et è converso, succumbentiam patiuntur in iis, quas planas credunt.

Taleque fuit hujus causæ experimentum in prima instantia, quoniam introducta causa coram A. C. sententia prodiit Titulari favorabilis, declarans pensionem extinctam quamvis de honoraria dignitate absque feudo ageretur, contra meum votum; Verùm introducta per appellationem causa in Rota *coram Ottalora*, contrarium sub 9
die 27. *Junii* 1666. resolutum fuit, atque hæc resolutio mihi, quamvis succumbenti probabilis visa est, unde consului Titulari, quod acquiesceret, vel eo quo posset modo se concordaret, ut sequutum credo, dum amplius de causa actum non audivi, meaque consuetudo fuerit nullam habendi sollicitudinem de causarum progressu, & an mutarentur defensores, id nihil curendo, ideòque non minus 10
si, quandoque diversæ habentur resolutiones, quarum mentio non habeatur in hujusmodi adnotationibus ad privatam memoriam, ac instructionem (ut sæpiùs insinuatum est) principaliter editis.

Scribens igitur more Advocati causæ inservientis, tam in prima instantia coram A. C. quàm in altera in Rota, ad probandum quod ipsa marchionatus qualitas statum sæcularem adinstar militiæ, vel saltem officium sæculare præseferret, unde propterea intrarent dictæ jam editæ decisiones *coram Celso, & Verospio*, altius, ac in origine materiam reassumendo super hujusmodi Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum titulis, ac dignitatibus in jure communi, vel in Romana Republica ignotis, dicebam quod.

Postquam ob translationem Romani Imperii sub Constantino Magno ad orientem, illud in his partibus occidentalibus, præsertim in ejus capite, ac Metropoli Roma, tot- 11
passum est, Hunnorum, Vvandalorum, & Gothorum incursiones, his omnibus sub Justiniano nostrorum legum compilatore, ab Italia Belisarii, ac Narsetis celeberrimorum Imperialis exercitus Ducum opera expulsis, ex ejusdem Narsetis justa indignatione à muliebri impudentia causata, sub Justino Justiniani successore, in eamdem Italiam Longobardi introducti fuerunt, per quos, five ad distinguendum dominia, five ad distinguendum munera militaria, hujusmodi Ducum, ac Marchionum, & Comitum titulus introductus est, ac successivè, juxta Principatuum, ac nationum diversos mores, hunc titulum marchionatus diversas habere significationes, benè deductas per nostrum Frecciam *de sub feud lib.2.cap.5. quis dicatur Marchio*, Mastrill. *de Magistr.tom.2.lib.4.c.6.* Larata *theatr.feud.tom.1.c.5. dilucidat.17.* apud quos concordantes.

Deindeque ad favorem Normandorum verificatum fuit vulgare dicterium, quod inter duos litigantes tertius gaudet, quod scilicet in bello inter dictos Longobardos, & Græcos, ipsi Normandi, utraque natione expulsa, totius ferè Italiæ dominium adepti sunt, aliqua parte excepta Cisalpinæ, Galliæ, quæ utpote Longobardis remansa, Lombardiæ, quod nunc retinet vocabulum adepta est.

Normandi abolito Regio titulo, quod Longobardi (Gothos immitantes) etiam adhibuerunt, atque Provincias, vel Civitates cum annexis inter se dividendo, hujusmodi jam introductos titulos Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum magis adhibuerunt, denotantes tamen plenum, ac absolutum dominium, ac Principatum cum omnimoda independentia, ac jure illius allodii, per quod non dicitur recognosci nisi Deus, (cum adhuc non inolevisset usus feudorum, qui moderniori tempore introductus, vel instauratus fuit per Germanos occasione adventus Imperatoris Occidentis ad Italiam) usque quo Rogerius, juxta unam opinionem primus, vel juxta alteram secundus, Calabriæ Comes, ac etiam ob Saracenorum expulsionem effectus Comes Insulæ Siciliæ, ita majori obtenta potentia, ex auctoritate Anacleti antipapæ, vel Innocentii II. Regium titulum utriusque Siciliæ (sive fuerit usurpatio, sive legitimus titulus) adeptus est.

Hinc reliqui, qui prius absoluti Domini, & Principes erant, illum in Superiorem recognoscere coacti sunt, adhuc tamen in eorum dominio, etiam cum jure Principatus, ac majoribus Regalibus continuantes, juxta illorum Ducum, Principium, Marchionum, & Comitum speciem, quos in Italia habemus atque Princ.pes, vel Potentatus dicimus, frequentius verò in Germania, sub

aliqua

aliqua ſcilicet ſuperioritate vulgò (*ſovranità* nuncupatur) Imperatoris, donec dicti primi Dominii continuarunt; Eis autem ceſſatis, ſub dictis Regibus diviſæ utriuſque Siciliæ, aliiſque ſupremis Principibus, adinſtar dictorum Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum, qui verè dignitatis feudatarii ſunt, inferioris ordinis Baronibus, ac feudatarii s privilegiativè honorificentiæ cauſa per ſpeciem aſſimilationis, ac adinſtar, hujuſmodi tituli concedi ceperunt, quos hodie in tanta frequentia uſque in abuſum habemus, qui tamen veram dignitatem obtinere non dicuntur, cum véri Principes, Duces, Comites, & Marchiones, in cæremoniali Romano; vel in Apoſtolicis, ſeu Imperialibus legibus, ac decretis enunciati ſint ſolum illi feudatarii veræ dignitatis, qui feudum cum jure Principatus, & cum Regalibus obtinent, quales ſunt dicti Imperiales feudatarii Italiæ cum pleno dominio, ac Imperio, quamvis, & inter iſtos ſuperioris, ac inferioris ordinis vigeat differentia conſiderari ſolita ad intellectum Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.24.de reformat.cap.*9. circa exceptuatio-
12 nem Regum, vel Principum jura Regni habentium, à revocatione juriſpatronatus, ſive à rigoroſa forma in illis probatione in Potentibus inducta, ut advertitur in ſua materia *ſub tit. de Jurepatronat.* Plures etenim in Italia exiſtunt Imperiales feudatarii qui in feudo, quamvis exiguo omnia jura Imperii etiam Regalia habent juxta illam feudatariorum diſtinctionem, quæ habetur *ſub tit.de feud. diſc.*66. & tamen dici non poſſunt Principes, ſeu Potentatus, ut alii dicuntur.

Præfati verò ſubfeudatarii, ſeu Barones Regi, vel alteri ſupremi Principi ejuſque Conſiliis, & Magiſtratibus omnino ſubordinatam juriſdictionem habentes quamvis
13 hujuſmodi titulis, ac dignitatibus decorati ſint, attamen impropriè, ac abuſivè, non autem verè dicuntur tales, ut advertunt Aponte *de Poteſt. Proreg. tit. de elect. official. §. 8. num. 19. & ſeqq.* & cæteri de quibus *ſub tit. de feudis* pluries, præſertim *diſc.* 84. *& in Baren. Baldachini ſub tit. de præeminent. diſc.* 26. Ideòque moderni Principes, Duces, Marchiones, & Comites, quos in utriuſque Siciliæ Regnis, ac etiam in Statu Eccleſiaſtico, aliiſque Italiæ partibus habemus, alteri Principi omninò ſubordinati, impropriè, ac abuſivè in ſola nuncupatione ſunt tales, adinſtar dignitatum eccleſiaſticarum, Archi-
14 diaconi, & Archipresbyteri, quas hodie habemus abuſivè, ac impropriè in ſola nuncupatione, tanquam per imaginem antiquæ dignitatis, quæ annexam habebat nativam juriſdictionem, quod ſcilicet Archidiaconus erat Epiſcopi Vicarius natus, ac fixus in temporalibus, Archipresbyter verò in ſpiritualibus, ut advertitur *ſub tit. de præeminent. in Parmen.diſc.*20.

Eſt benè verum, quod hujuſmodi licet abuſivi Titulari, licèt non omnibus, adhuc tamen aliquibus potiuntur præeminentiis, quæ de jure veris Ducibus, Comitibus, vel Marchionibus competunt, ſed per quandam imaginem;
15 ſeu aſſimilationem, eodem modo, quo in dicta *Parmen. diſc.*20.*de præeminent.* advertitur de Archidiacono, & Archipresbytero, Et in ſpecie Titulatorum cum hac diſtinctione advertitur etiam in dicta *Baren. Baldachini eodem tit.de præeminent.diſc.*26.

Quia verò etiam hujuſmodi impropriæ dignitatis uſus, nonniſi poſſeſſoribus feudorum juxta eorum introductio-
16 nem congruit, Hinc proinde ad caſum ſcribendo more advocati dicebam, ſupponendam eſſe feudalem, ſeu baronalem qualitatem extra Statum Eccleſiaſticum ceſſante particulari conſuetudinem cum clericatu incompatibilem, & ſucceſſivè ceſſante clericatu ceſſare penſionem, quæ juxta receptam præſumptionem, ubi non conſtet eam reſervatam eſſe tanquam laico, clericatum exigit, ac ſine illo amittitur, ut *in præcedentib.*

Verum fallacia erat in applicatione, cum hujuſmodi dignitates, vel tituli etiam ſine feudo, honorificentiæ cauſa
17 per Principes concedi ſoleant ad quoſdam honorificos effectus, non autem omnes illos, quos feudorum, ſeu Oppidorum, & Caſtrorum poſſeſſores obtinent ex deductis per Maſtrill.*de Magiſtr lib.*4. *c.* 10. iſtaque honorifica nuncupatio in verbis potius, quàm in re, nullam cum clericatu incompatibilitatem habet, attentis præſertim Etruriæ, ac Lombardiæ moribus, Et conſequenter nullum aderat probabile fundamentum, cui hæc prætenſio innixa eſſet.

Hinc verò edocemur id, quod frequenter in aliis inſinuatum eſt, quantum ſcilicet deferendum ſit auctoritati illorum Conſulentium, quos, ex ipſorum conſiliorum contextu patet, non deciſivè, ac ad veritatem, ſed conductitio more, ad pecuniam, ſeu cauſæ opportunitatem ſcripſiſſe, ingenium acuendo in deducendo motiva fallacia, & apparentia, quæ ſæpius magis quàm vera recipi ſolent.

PERUSINA PENSIONIS PRO ANGELO UBALDO, CUM TORQUATO CÆSAREO.

Caſus deciſus per Rotam pro Torquato.

An penſio amittatur propter bannum capitale ex cauſa homicidii cum publicatione bonorum.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Cauſæ reſolutio.*
3 *Per homicidium, vel aliud delictum non vacant beneficia, neque amittuntur penſiones, niſi ita cautum ſit, ſed poteſt id decerni in pœnam.*
4 *Penſiones eccleſiaſticæ in hoc regulantur jure beneficiorum.*
5 *De differentia inter penſiones, & beneficia ad hunc effectum, & num.* 10.
6 *Reſtitutio adverſus bannum reponit in ſtatu priſtino & num.* 12. *&* 14.
7 *An ſub confiſcatione veniant penſiones diſtinguitur.*
8 *Penſio regulatur cum terminis uſufructus.*
9 *Uſusfructus extinguitur per maximam capitis diminutionem.*
10 *De alia differentia inter beneficia, & penſiones.*
11 *De purgatione contumacialis banni infra annum non ultra.*
12 *Reſtitutio adverſus privationem non ſuffragatur poſt jus alteri quæſitum.*
13 *Declaratur deciſio* Millini.
14 *Quando reſtitutio ſuffragetur in juribus tertio quæſitis remiſſivè.*

DISC. XLIX.

TOrquato aliàs ob inquiſitionem de homicidio capita- 1
liter in contumaciam bannito cum bonorum confiſcatione, poſt reſtitutionem verò petente ab Angelo Canonico Cathedralis ſolutionem annuæ penſionis ſcutorum 50. ſuper ejus Canonicatu reſervatæ, iſtoque denegante, ac allegante penſionis extinctionem; Introducta lite coram A. C. prodiit ſententia Titulari favorabilis ſuper penſionis extinctione propter bannum; Contrarium verò in altera inſtantia occaſione ſummariiſſimi poſſeſſorii retinendæ per Torquatum intentati deciſum fuit per Rotam 29. *Januarii* 1663. *coram Cerro*, atque canonizante Signatura manda- 2
tum de manutenendo cum ſolita clauſula *ſine præjudicio*, Titularis acquievit, vel ſe concordavit, dum de cauſa amplius actum non audivi.

Ultra igitur generales quotidianas propoſitiones, quas in dicto poſſeſſorio habemus, quod in eo non quæritur de juſtitia, vel injuſtitia, ſed attenditur nudum factum poſſeſſionis rejectis exceptionibus altioris indaginis ad petitorium, quæ propoſitiones fuerunt cauſa, quod Signatura ita reſcriberet; Quatenus pertinet ad merita negotii principalis; Scribentes in contrarium, quibus adhæſit Rota, procedebant cum magis communi, ac recepta traditione Canoniſtarum, de quibus Rebuff. *in prax.* 5
Beneficial. tit. de modo amitten. benefic. num. 69. Gabriel. *conſ.* 187. *num.*2. *lib.*2. Garz. *part.*11. *cap.* 19. *num.* 39. *& ſeqq.* Lotther. *lib.*3.*quæſt.*32.*num.*48. cum aliis in cauſæ deciſione, ut ſcilicet beneficia eccleſiaſtica non vacant per homicidium, aliaque crimina quamvis irregularitatis inductiva, niſi in caſibus, in quibus ita in jure ſtatutum ſit; Benè tamen crimen eſſe poteſt juſtum motivum judici ad condemnandum ad hanc pœnam privationis beneficiorum, juxta caſum, de quo *in Montis Alti parochiali ſub tit. de Benefic. diſc.* 73. & de quo agit Spada *conſ.* 79. *lib.* 3. Et conſequenter licèt penſiones eccleſiaſticæ, ubi reſervatæ ſunt tamquam tales pro clerico, aſſimilentur beneficii, eorumque jure cenſeantur ex deductis *in pluribus proximè præcedent. diſcurſ.* 4
occaſione militiæ, vel officiorum ſæcularium, attamen, certum eſt, facilius in criminoſo tolerabilem eſſe retentionem penſionis, quàm beneficii, cum illa, (ut pluries in præcedentibus advertitur) non percutiat ſubſtantiam beneficii, neque jus ſpirituale tribuat, ſed ſolum temporale

rale ſuper fructibus, cujus laici de jure ſunt capaces, neceſſitas verò clericatus, potiùs reſultat à ſtylo Curiæ, ita interpretante voluntatem Papæ reſervantis, & conſequenter intrat argumentum deſumptum ex vulgari *auth. multò magis*, quod ſi per homicidium, aliaque qualificata delicta non vacant beneficia, multò minus amittuntur penſiones.

Clariùs verò ob ſubſequutam plenariam reſtitutionem, per quam reſultat repoſitio in priori ſtatu, perinde, ac ſi
6 bannum ſequutum non eſſet, ex iis, quæ cæteris relatis plenè firmantur per Rotam apud Merlin. *dec.*125. *repetit. dec.* 449.*p.*5.*rec.& ſub tit. de Regal. diſc.* 160.

Quamvis autem præmiſſa in ſuis reſpectivè caſibus vera ſint, atque à me ſcribente pro Titulari non impugnarentur, Attamen ex defectu applicationis ad caſum, magis placuit determinatio judicis primæ inſtantiæ, potiſſimum quia deciſio non ſatisfacit iis, quæ ut infra deducebam, ſtante illa circumſtantia, quod reſtitutio per viam gratiæ poſt annum ſequuta eſſet.

Diſputat enim in ſpecie caſum Gambarus *de author. legat. lib.*6 *num.*723.*cum ſeqq. &* 741. *juxtà impreſſionem inter tractat. magnos modernos tom.* 13.*p.*2. an ſententia banni capitalis continens quoque publicationem bonorum comprehendat penſiones, atque bene diſtinguit, quod, Aut agitur de penſione merè temporali, & rectè venit ſub bonorum, ac jurium confiſcatione ad commodum fiſci, Aut verò de penſione eccleſiaſtica; & ſecus, ſed tanquam
7 per mortem civilem, naturali aſſimilatam, extinguitur, atque Eccleſiam libertatem acquirit, eo modo quo de jurepatronatus non tranſeunte in fiſcum pœnalem cum publicatione bonorum ex delicto habetur in *Lunen. Sarzanen. ſub tit.de jurepatronat. diſc.* 38.

Iſta doctrina mihi videbatur benè fundata, & rationabilis, (ut etiam judici primæ inſtantiæ viſa eſt) quoniam
8 ſi poſſidens penſionem per bannum capitale effici dicitur ſervus pœnæ, ac incapax poſſidendi bona, & jura, Hinc proindè tranſire non poſſunt in fiſcum ita gerentem perſonam hæredis anomali delinquenti, eaque ſtare non poſſunt in aere, ac poſſeſſore, & Domino.

Ad quod probandum ponderabam ſatis proximos terminos uſufructus, cum quibus beneficialiſtæ iſtam penſionum materiam regulare ſolent, ex iis quæ habentur infra *in*
9 *Albanen. penſionis diſc.* 68. quoniam per capitis maximam diminutionem ex banno capitali reſultantem, per quam bannitus ſervus pœnæ efficitur, extinguitur uſufructus ad text. *in l. corruptionem, C. de uſufruct. §. finitur Inſtit.* eodem, & communiter ſcribentes, de quibus Caſtill. *de uſufructu c.* 66. *n.* 20. In beneficiis etenim verificabilis eſt vacatio, cum non implicet per aliquod tempus Eccleſiam, vel capellam remanere viduatam, ſeu ſtare ſub incerto, an duret, necnè jus Rectoris; Secus autem in penſionibus; in quibus utpotè juribus vitalitiis non datur formalis translatio de uno in alium, neque vacatio, ſed reſultat extinctio ipſo jure per Eccleſiæ reſtitutionem priſtinæ libertati.

10 Et quamvis ubi agitur de ſententia contumaciali, adhuc duret ſpes, vel potentia ejus reſolutionis, quæ reſultat à purgatione per comparitionem infrà annum, quo elapſo irretractabiliter reſultat vacatio beneficiorum, quibus in propoſito penſiones quoque ut ſupra aſſimilantur, juxtà diſtinctionem, de qua *in Ferrarien. Vallium poſt conſ.*239. Spadæ *lib.*2. *in Melit. parochialis* 31. *Januar.*1650. Bichio, & in aliis, cum declarationibus, de quibus *ſub tit. de bene-*
11 *fic. d. diſc.* 73. Nihilominus id præmiſſis non adverſatur, quoties dicta purgatio ſequatur, cum ex ſolo banno contumaciali reſultare non dicatur vera mors civilis, vel inductio maximæ ſervitutis pœnæ, ſed ſolum induci videtur quædam ſuſpenſio, ſeu amiſſio conditionalis, ac revocabilis, quatenus ſcilicet contumacia non purgetur, unde ſequuta purgatione fit retrotractio ad ſuum initium quodam jure poſt liminii, & per excitationem potius à ſomno, quàm à more, ſeu per remotionem obſtaculi; Secus autem poſt elapſum annum, cum tunc irretractabiliter vacatio reſultet ex proximè allegatis, ideòque cum in hac ſpecie elapſus eſſet annus, dicta purgatio non intrabat.

Atque hinc reſultare dicebam non ſuffragari reſtitutio-
12 nem adverſus bannum obtentum, quoniam cum non eſſet per viam juſtitiæ declarando innocentiam, ſed per viam gratiæ, poſtquam Eccleſia jam perfectè libertatem acquiſierat, hinc dicta reſtitutio non operatur, ut in ſpecialibus terminis beneficialibus, Lotther. *lib.* 3. *q.* 18. *nu.* 164. *&* 166. Rota *in d. Meliten. parochialis* 31. *Januarii* 1650. Bichio; Et conferunt quæ in proximè præcedentibus pluries habentur de indulto retinendi penſiones non obſtante militia, vel alio ſtatu incompatibili, quoniam non ſuffragatur ad penſionem jam extinctam, niſi facta ſpeciali mentione conſtet quod Papa explicitè, vel implicitè reintegrationem concedere voluerit, tanquam per ſpeciem novæ reſervationis.

Magnum fundamentum conſtituebatur ex parte penſionarii, ac etiam conſtituitur in deciſione cauſæ *in dec.*227. 13
Millini, de qua Adden. *ad dec.*1.*n.*9.*& ſeqq.p.*9. *rec.* ſtante currenti abuſu deferendi cæca fide auctoritatibus ſpecialibus; Mihi autem videbatur debile fundamentum, dum dicta deciſio non agit de banno capitali cum publicatione bonorum, ſed de quadam impropria, ac potius media, quam maxima capitis diminutione reſultante à condemnatione ad carceres, vel triremes, ideòque non videbatur facere ad caſum.

Et de ſimplici reſtitutione adverſus bannum, & confiſcationem non ſuffragante contra tertium habetur formi- 14
miter actum *ſub tit. de Regalibus ad materiam fiſc. diſt. diſc.* 160. ubi plures caſus diſtinguuntur; Ac propterea punctus non erat in homicidio, vel alio delicto pro quo ſententia prodierat, ſed in ipſo banno per annalem contumaciam confirmato dictum irretractabilem effectum producente, atque his deciſio non ſatisfacit.

ROMANA PENSIONIS SUPER CANONICATU IN TRANSTIBERIM PRO ANGELO CIAJA, CUM GUIDONE MUCCIOLO.

Caſus diſputatus in Rota, & reſolutus pro Angelo ut infra.

An reſervatio novæ penſionis in locum antiquæ de conſenſu poſſeſſoris caſſatæ, importet novam penſionem ex integro, vel potiùs antiquæ translationem, ad effectum, inſpiciendi, An antiqua ſit juſtificanda necnè; Et incidenter aliqua de clauſulis præjudicialibus impedientibus judicium ſuper impugnatione.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutio cauſæ.*
3 *Quod etiam in diſputationibus reſpicientibus ordinem agi ſoleat de meritis.*
4 *De aperitione oris, quando concedatur.*
5 *Faciliùs hæc datur, quàm reductio gratiæ.*
6 *Denegatur non docto de juſtitia petentis.*
7 *De clauſulis claudentibus os, ac tollentibus juriſdictionem.*
8 *Dictæ clauſulæ non impediunt dari de non comprehenſione, vel defectu intentionis.*
9 *Declaratur, quando neque de his dari poſſit.*
10 *De ſtylo abſtinendi, ac remittendi partes ad Signaturam gratiæ.*
11 *Vitium primæ penſionis influit in ſecundam, ſi hæc eſt per viam translationis.*
12 *Quomodo conſtet non eſſe per viam translationis, ſed novæ reſervationis.*
13 *De eodem.*
14 *Ponderatur diverſus modus reſervationis.*
15 *De clauſula*, etiamſi aliæ.
16 *De aliis circumſtantiis denotantibus diverſitatem.*
17 *De punctuali doctrina probante, quod ſit nova reſervatio.*
18 *Quando habenda ſit pro translatione, ſeu prorogatione antiquæ.*

DISC. L.

PRævia ceſſatione antiquæ penſionis ſcutorum 90. 1
aliàs ad favorem Jo: Baptiſtæ Peruzzii, ſuper Canonicatu S. Mariæ in Tranſtiberim reſervatæ, atque de ejuſdem Jo: Baptiſtæ conſenſu ceſſatæ, Alexander VII. aliam conſimilem ſuper eodem Canonicatu motu proprio reſervavit ad favorem Prioris Angeli Ciaje ejus intimi familiaris, & cubiculi præfecti; Cumque Guido

Cano-

Canonicatus possessor dictam pensionem impugnare prætenderet; Postquam in processu exequutivo cor. A. C. contra eum relaxatum fuit mandatum canonizatum à Signatura Justitiæ cum consueta clausula, *non retardata solutione pensionis*, obtinuit committi causam *in Rot. cor. V. Com.* atque subscribi dubium, *an pensio subsistineatur*.

Verum opponente pensionario de clausulis præjudicialibus claudentibus os judici, & parti, & ne invaliditate gratiæ cognosci posset, hinc dicto dubio addita fuit, altera pars, an scilicet potius obstent præjudicialia, illudque sub die 8. *Februarii* 1669. resolutum in hac secunda parte tantum ad favorem pensionarii super dicta obstantia, unde propterea Titularis recursum habuit ad Signaturam gratiæ pro obtinenda aperitione oris, & hoc pendet.

In disputatione igitur habita in Rota, & in præparatione alterius habendæ in Signatura Gratiæ, tres erant puncti; Primò super obstantia clausularum; Secundò super concedenda, vel deneganda aperitione oris; Et tertiò in meritis negotii principalis, de quo etiam actum fuit; Quamvis enim principalis quæstio esset ordinis super obstantia clausularum, attamen actum fuit quoque de meritis, Tum ex utriusque Signaturæ stylo de illis gustandis, ad effectum benè regulandi arbitrium etiam super hujusmodi incidentibus, quæ ordinem respiciunt; Tum fortius, quoniam in hac materia aperitionis oris (utpotè arbitria) certa, & determinata regula generalis non datur, sed decisio pendet ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, potissimum verò ex justitiæ, vel injustitiæ fumo; Ubi enim constat, gratiam, vel aliam provisionem munitam clausula sublata, & *decreto irritanti*, aliisque clausulis impedientibus dari de surreptione, & obreptione, ac defectu intentionis, seu aliàs impugnari contineat exorbitantiam, ac præjudicium tertii super jure sibi aliàs legitimè competente, & tunc de facilis oris aperitio concedi solet, cum hæc non tollat vim gratiæ, neque illius substantiam percutiat, sed solum removendo obstaculum, quo ad ex clausulis resultat, habilitet judicem, ac partem, ad faciendum id quod est de jure.

Secus autem ubi petatur revocatio ipsius gratiæ, sed dispositionis mediante reductione ad viam juris, ac si non emanasset, cum tunc magis strictè, ac circumspectè procedatur.

Si verò injustitiæ fumus ex parte petentis non detur, fortiùs autem si per alteram partem detur fumus injustitiæ, cui in dubio assistit juris præsumptio, & tunc etiam dicta simplex habilitativa oris aperitio denegatur, ex eanimium probabili ratione, quod Principis partes sunt extinguendi, ac supprimendi non autem suscitandi injustas, & calumniosas lites, ut per Gratian. *discept.* 959. *n.* 1. & 2. *dec.* 461. *num.* 5. & *sequent. part.* 1. *rec. dec.* 297. *num.* 3. & 4. & *dec.* 485. *n.* 2. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *dec.* 358. *num.* 4. & *per tot part.* 11. quæ reputatur in materia magistralis, & in aliis.

Quo verò ad primum punctum disputatum in Rota super dictarum clausularum obstantia, non negabant scribentes pro Titulari virtutem, ac operationem dictarum clausularum adimentium jurisdictionem, atque, ut vulgò dicitur claudentium os, & ligantium manus judicis, & partis, ex copiosè cumulatis per Barbos. *claus.* 175. *n.* 1. & *seqq.* Marta *de claus. p.* 1. *claus.* 176. Merlin. *dec.* 297. alias *dec. n.* 9. *p.* 5. *rec.* & *dec.* 247. *n.* 2. & 3. *p.* 11.

Dupliciter tamen respondebant, Primò scilicet, quod dictæ clausulæ non impediunt dari de defectu intentionis, sed aliàs exceptiones percutiunt *juxtà dec.* 398. Seraphini *cum aliis in dicta decisione* 246. *n.* 8. *cum seqq. p.* 11. *n.* 7. Ubi etiam haberur quod non impediunt posse cognosci de non comprehensione; Et secundò quod ipsi non impugnabant secundas litteras Alexandri ad favorem Angeli, quæ hujusmodi clausulis munitæ erant, sed impugnabant primam reservationem ad favorem Joannis Baptistæ transferentis, quæ eis destituta erat.

Utraque tamen responsione ejecta, dicebam, atque Rota ampiexa est, pro clausularum obstantia respondendum esse; Quatenus enim ad primam responsionem pertinet, advertebam illam procedere, quando agatur de sola clausula *sublata*, & decreto irritanti, cum tunc non impediatur cognosci de non comprehensione, vel defectu intentionis, quia non est impugnare de directo gratiam, ac voluntatem Papæ, sed dicere, quod voluntas non adest, Secus autem ubi cumulativè quinque concurrunt; ut in præsenti; Primò scilicet clausula *subiata*; Secundò decretum irritans; Tertiò prohibitio generalis impugnandi, vel dandi de nullitate; Quartò prohibitio magis specialis dandi de surreptione, & obreptione; Et quintò prohibitio specialissima dandi de defectu intentionis, ac de non comprehensione, ut ita distinguendo, atque contraria conciliando cæteris relatis benè firmatur *in d. dec.* 247. *p.* 11. *recent.* & in hujus causæ decisione; In qua ex traditione Gonzales *ad reg.* 8. *gl.* 66. *num.* 54. & Marchesan. *de commission. aperit. oris p.* 2. *fol.* 416. *num.* 55. advertitur etiam ad Curiæ stylum, non de facili adversus hujusmodi clausulas disputationem assumendi, dum Papa est præsens, ac de facili adiri potest pro remotione obstaculi, seu declaratione ejus intentionis.

Et quo ad alteram responsionem, dicebam quod erat supponere pro conclusione id, quod in meritis erat principaliter in quæstione, an scilicet posterior reservatio ad favorem Angeli dictis clausulis munita, dependentiam omnimodam haberet à prima tanquam per speciem translationis, vel potius esset omninò nova, & independens, ideòque adducebam dilemma benè etiam deductum in causæ decisione, quod scilicet; Aut dicendum est ut secunda gratia sit omninò nova, ac independens à prima, & nil referebat de primæ viribus agere, quoniam sive valida, sive in invalida nihil ad nos; Aut verò erat eadem, & tunc habebamus expressam dispositionem Papæ prohibentis impugnari.

Quo verò ad punctum meritorum, ille consistebat in jam insinuata circumstantia, an scilicet reservatio ad favorem Angeli esset nova ex integro, vel potius esset eadem cum prima, itaut ageretur de pensione translata; Isto enim secundo casu ego admittebam conclusionem, de qua *duobus discurs. proximè sequentibus*, ut vitium primæ influat in secundam, cum pensio translata, quoad ipsam Ecclesiam gravata, sit una, & eadem, licet diversa quoad personas, quarum transmutatio facta est; Secus autem ubi est nova directa reservatio ex integro, ut ita distinguendo habetur, Asten. *pensionis cor. Coccino dec.* 615. *p.* 1. & 256. *p.* 2. *rec.* & reassumit Lotther. *lib.* 1. *q.* 40. *n.* 5. & *seqq.*

Omninò autem veriùs videbatur, quod non ageretur de translatione antiquæ pensionis de uno in alterum cum sola mutatione personarum, ipsius pensionis natura, vel substantia non immutata, sed potius ageretur de reservatione omninò nova, & independenti, considerando solùm antiquam enunciatam, tanquam extinctam de consensu possessoris, ut ita Papa sciret beneficium effectum esse liberum, & capax novi oneris, adinstar impositionis, novi census quæ fieret super fundo alio censu gravato, quo vigente esset incapax, sed fieret capax per consensum, quem primus creditor censuarius præstet extinctioni primi census, ac liberationi fundi, quoniam ita est removere obstaculum incapacitatis, non autem quod secundus census sit idem cum primo juxta terminos generales text. *in l. fin. C. de remiss pignor. cum similibus*.

Idque ad evidentiam, ac litteraliter probari dicebam ex ipsis secundis litteris, adeout rectè intraret vulgaris regula textus *in l. ille aut ille*, *ff. de leg.* 3. ut in claris, & expressis non intrent præsumptiones, & argumenta; In verbis enim per quinque vices Papa profitetur novam pensionem reservare nullo unquam adjecto verbo denotante translationem antiquæ, ibi, *Tibi pensionem annuam vigore tamen præsentium persolvendam reservamus*; Et ibi, *Teque in quasi possessione dictam pensionem per præsentes reservatam exigendi*; Et ibi, *perinde ac si pensio per præsentes reservata de expresso dicti Guidi consensu reservata fuisse*; Et ibi, *Ac Guidum, & successores ad integram solutionem pensionis per præsentes reservatæ hujusmodi iuxta reservationis, constitutionis, & assignationis prædictarum tenorem*; Et ibi, *mandamus quatenus faciant auctoritate nostra pensione per præsentes reservatam tibi persolvi*.

Et ultrà verba prædicta, magis ponderabam modum diversum denotantem substantiam voluntatis, quæ perpetuò, ac in meo sensu principaliter attendi debet, quam verborum formalitas; Siquidem prima pensio tanquam species voluntariæ, a beneficio pleno de consensu possessoris, erat ad supplicationem, cum narrativa certi valoris, & sub conditione de jure subintellecta, quod beneficium gravatum non esset alia pensione, cujus omissa mentio inducit reservationis nullitatem, ut pluries in præcedentibus; Ista verò reservatio facta fuit motu proprio, & quod magis sub omninò diversa forma, cum cura omissam mentionem valoris, quàm fortius in ea forma magis favorabili, ac privi-

privilegiata, cum qua ad favorem conjunctorum, vel familiarium reservari solent pensiones, quæ ita vulgò *Palatinæ* dicuntur, cum clausula scilicet, *etiam si aliæ*, &c. ob quam, ubi etiam beneficium, aliis pensionibus gravatum esset nil refert, quod earum mentio facta non sit, Mantic. *decis.* 93. Millin. *decis.* 279. *num.* 8. Lotther. *lib.* 1. *q.* 38. *n.* 68. *cum seqq.* & pluries in præcedentibus.

Et quidem esset dare in Papa, & Datariæ officialibus fatuitatem manifestam, si ad favorem adeò intimi familiaris facta esset reservatio cum expressione, quod fieret motu proprio, & cum tot prohibitionibus, & clausulis, præsertim cum dicta, *etiam si aliæ*, absque aliqua valoris expressione si dependentiam habeat à priori pensione reservata, sub expressione certi valoris præcisè à pensionario justificandi in totum adeout defectus in obolo totum vitiaret, juxta ea, quæ pluries in præcedentibus habentur agendo de hujusmodi pensionibus voluntariis beneficio pleno, ideoque ista omnimoda inverisimilitudo pro meo judicio omnem penitus difficultatem removere videbatur.

Adducebam etiam pragmatico more, (ut currenti insipido usui satisfacerem) tanquam individualem decisionem 638. Buratt. *num* 2. ubi punctualiter firmatur consimilem reservationem, directè ac immediatè factam per Papam prævio consensu antiqui pensionarii super cassatione alterius consimilis pensionis, importare novam reservationem, non autem translationem, Et fortè apud aliquos majorem impressionem faciebat hæc auctoritas, quam facerent reliqua omnia, de quibus supra, Et tamen id apud me, nullius, vel modici momenti reputabatur, cum incidenter non examinato articulo potius ex mente alicujus id enunciaretur, ut advertitur *disc. seq.* ubi de dicta decisione.

Potissimè quia inter antiquum, ac novum pensionarium nulla concurrebat conjunctio sanguinis, neque id sequutum erat ad ejusdem antiqui pensionarii supplicationem, ut ita ille successorem in pensione sibi faceret juxtà casum, de quo *disc. seq.* sed solum antiquus pensionarius se habuerat merè negativè tollendo se de medio, ac liberando beneficium, ut ita istud remaneret capax alterius pensionis, cujus alias incapax fuisset juxtà illam speciem extinctionis ad hunc effectum novæ sub diversa tamen forma, quæ enunciata habetur suprà *in Nucerina dif.* 10.

ADNOT. AD DISC. L. & seqq.

De materia aperitionis oris contenta in *disc.* 50. videt poterunt deducta *sub tit. de Judic. disc.* 20. & *disc.* 30. *in Rei. Cur.*

Cætera autem quæ concernunt articulum an importet translationem, vel novam reservationem, nulli habentur peracta.

Decisiones autem enunciatæ in *disc.* 51. secunda excepta, sunt *impress. part.* 13. *recent. disc.* 142. & 299.

FERRARIEN. PENSIONIS
PRO ANDREA BERTONO ARCHIPRESBYTERO TRECENTÆ,
CUM CURTIO COLORETTO.

Casus decisus per Rotam pro Andrea, postea concordatus.

De eadem materia, An secunda pensio reservata per Papam ad favorem unius prævia cassatione consimilis antiquæ pensionis ad favorem alterius, importet translationem, vel potius novam reservationem, ad effectum Constitutionis 144. Urbani VIII. impedientis translationem pensionis aliàs translatæ sine consensu Titularis: Et de materia istius consensus, quando & quomodo intervenire debeat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De Constitutione 144. Urb. VIII.*
4 *De decisione 638. Buratti, ut sit nova reservatio.*
5 *Contrarium quod sit translatio.*
6 *Quod dicta constitutio loquatur etiam de reservatione.*
7 *De ratione dictæ constitutionis.*
8 *Quod attendi debeat ratio, vel substantia voluntatis non formula verborum.*
9 *Nova reservatio dicitur illa, quæ fit super Ecclesia libera.*
10 *Motivata ex sensu alicujus non important decisionem.*
11 *An translatio sit odiosa, & præjudicialis.*
12 *Distinguuntur species auctoritatis Papæ, quæ in hac materia adhibetur.*
13 *Distinguuntur etiam species translationum.*
14 *In Papa non datur ignorantia juris.*
15 *Quod consensus Titularis possit præcedere, & sequi.*
16 *Declaratur dummodo integra.*
17 *Libertas sequi dicitur ipso jure absq; hominis ministerio.*
18 *An possit quis approbare quod semel reprobavit.*
19 *Prælatus præjudicat in quærendis, non autem in quæsitis.*
20 *Resignatio ad favorem non abdicat jus à resignante nisi effectuetur.*
21 *Declaratur ut secus sit si non effectuatio sit culposa.*
22 *Quando dicatur esse culposa, & quando non.*
23 *Translatio, quando afficiat successorem venientem ex persona propria.*

DISC. LI.

Pensio scutorum 300. auri per Gregor. XIII. super Ecclesia parochiali Trecentæ reservata ad favorem Camilli, de istius consensu, ac etiam de illo Titularis per Clementem VIII. extincta fuit, & contemporaneè nova scutorum 250. similium auri reservata ad favorem Oratii dicti Camilli nepotis, qui tractu temporis in vim indulti, eam transtulit in Curtium, atque prævia impugnatione cum lite plurium annorum, Titulari tunc temporis, ob remissionem majoris partis terminorum decursorum, consensum dictæ translationi præstitit, ac pensionem donec vixit solvit; Andreas verò noviter de Ecclesia provisus dictam translationem impugnando, litem instituit coram Ordinario, à cujus sententia ad favorem pensionarii emanata, per appellationem introducta causa in Rota coram Bevilacqua, datoque dubio, an pensio subsistineatur, sub diebus 15. Decembris 1659. & 18. Junii 1660. negativè ad Titularis favorem responsum fuit, atque expedita sententia, ea confirmata fuit in altera instantia coram Taja prævia decisione 18. Martii 1661. & commissa causa in tertia instantia coram Albergato, honesta concordia controversiæ finem dedit.

In his autem disputationibus, duo erant punti; Primò scilicet, an versaremur in terminis translationis pensionis alias translatæ, unde propterea intraret Constitutio 144. Urbani VIII. disponens indultum transferendi non suffragari pro pensionibus aliàs translatis, nisi accedat consensus Titularis, quod pendebat ab eo, an pensio, quam transferens possidebat ea reservatione facta in vim cassationis alterius antiquæ, dicenda esset nova vel potius translata: & secundò quatenus dicenda esset translata, adeout præfata Constitutio Urbani intraret, An consensus post acceptatam nullitatem, ac litem habitam, ut supra præstitus sufragaretur.

Quoad primum; Scribentes pro pensionario præcipuum fundamentum constituebant in punctuali *decis.* 638. Buratt. *n.* 2. ubi in specie firmatur, ut sit nova reservatio, utpotè directè, ac immediatè facta per Papam, non autem per delegatum in vim indulti de transferendo, ideoque dicebant ut dict. Constitutio utpotè restrictiva, in casu præciso translationis intelligi deberet.

Quamvis autem de tempore istarum disputationum, adhuc actum non esset de casu, de quo *disc. præcedent.* ubi in proximis terminis firmatur eam esse novam reservationem, non autem translationem; Adhuc tamen nedum tempore, quò in ista causa scribebam pro Titulari, sed etiam post dictam aliam disputationem habitam, reflectendo ad solam veritatem probabiles censui dictas resolutiones, ut ad effectum istius controversiæ, translationis potius speciem actus haberet quam novæ reservationis, ex pluribus fundamentis; Primò scilicet qui in decisionibus *in Asten. coram Coccino decis.* 641. *part.* 1. & 656. *part.* 2. *recent.* id supponitur, ac sentit etiam Lotther. *lib.* 1. *quæst.* 40. *num.* 5. & 6. ubi quod indefinitè dicitur pensio translata, sive fiat immediatè coram Papa, sive mediatè ex ejus delegatione, coram persona in Ecclesiastica dignitate constituta.

Secundò ob amplitudinem verborum dictæ Constitutionis 144. Urbani, ubi alternativè de translatione, ac de nova reservatione loquitur, ibi: *Aut mediantes earumdem pensionum antiquarum cessatione de novo illas reservandi*, &c. Et ulterius in eodem §. ibi: *Aut quod aliàs pensiones hujusmodi translatæ, seu de novo reservatæ fuerint expressum*

sum sit. Et ibi: *vel clausula etiamsi pensiones forsan aliàs translatæ, vel de novo reservatæ fuerint appositæ sit*, atque in hoc fundamento potissimè insistit Rota in decisione edita in secunda instantia *coram Taja*, in qua, non autem in primis *coram Bevilacqua*, de hoc puncto actum fuit.

Tertiò pro meo sensu magis stringenter, attenta ratione, seu substantia voluntatis Pontificis dictam Constitutionem edentis, ne scilicet in pensionibus detur species successionis, atque nedum unus, sed successivus transitus de una
7 persona ad alteram detur, ideoque juxtà propositionem pluries insinuatam *sub tit. de fideicom. & in aliis de contract. & de credito*, *& sub tit. de benefic. disc.* 5. ac alibi, punctus non est in formulis, vel figura verborum, sed in substantia voluntatis, attento principaliter fine, seu effectu per disponentem desiderato; Ut etiam in specialibus ter-
8 minis translationis pensionis pro interpretatione Constitutionis 69. ejusdem Urbani VIII. habetur apud Rojas *decis.* 318. *num.* 5. Ideoque nihil refert, an prorogatio oneris, quæ speciem successionis habet concipiatur per verba denotantia translationem, vel reservationem, cum nova re-
9 servatio, verè, ac propriè fieri dicatur, quando Ecclesia libera hoc onere gravatur ex deductis apud Otthob. *dec.* 22. *n.* 38. *& seqq.*

Neque de allegata auctoritate Burat. *decis.* 638. *nu.* 2. advertebam habendam esse rationem, Tum quia, ut adver-
10 titur *disc præced.* id obiter insinuatur ex sensu alicujus Auditoris, quod non importat decisionem Rotæ, ut in specie Penia *decis.* 5. *in fin.* juxtà Venetam impressionem; Tum etiam quia non fuit de hoc puncto formiter actum, sed ad alios effectus, quinimò *n.* 8. potiùs supponitur actum importare speciem translationis, seu prorogationem servitutis; Excitatur tamen objectum ex tunc recepta propositio-
11 ne, de qua apud Merlin. *decis.* 243. *n* 13. aliàs *decis.* 24. *p.* 5. *recent.* quod translatio non esset odiosa, minusque importaret prorogationem oneris, ac servitutis, propter possibilem præmorientiam translatarii, procedendo cum vulgari dicterio, quod sæpiùs mori solet priùs agnus, quàm ovis; Hæc autem propositio per istam Constitutionem Urbani abolita est, inductaque altera in oppositum, quod sit odiosa, & importet oneris, ac servitutis prorogationem, ut advertitur *in Rom. pensionis* 23. Maji 1644. cor. Meltio impres. post Zacch. de Salar. *decis.* 22. & in aliis, de quibus infrà *in Romana pensionis super Canonicatu in Cosmedin. disc.* 61.

Minusque his adversantur ea, quæ habentur *disc. præced.* & quæ parum sensato primo aspectu viderentur forsan de directo contrariam, quoniam ut pluries advertitur in præce-
dentibus, in proposito pensionis voluntariæ beneficio ple-
12 nè, sive in proposito valoris super pensionibus reservatis occasione reservationis, ac alibi; Dupliciter in ista materia Papa se habet; Primò scilicet tanquam approbator privatarum conventionum inter partes super reservatione novæ pensionis, vel super transmutatione personæ pensionarii; Et secundò, quando ipse motu proprio, ut sibi benevolis benefaceret, pensiones reservet, seu aliàs de fructibus bonorum Ecclesiasticorum disponat; Primò enim casu Papa tollit prohibitionem aliàs de jure militantem, nè partes in his materiis pacisci valeant, atque ita præstat speciem assensus contractui inter partes inito ad earum supplicatione, & hic erat præsens casus, dum inter primum pensionarium, & titularem habita fuit conventio super mutatione personæ pensionarii cum recompensa illius diminutionis in sexta parte, atque Papa se habuit merè approbativè, & sic verè est prorogatio ejusdem oneris, ejusdemque pensionis, Non sic est in casu, de quo *discurs. præced.* quoniam inter novum pensionarium, ac antiquum, nulla intercedebat conventio, sed solùm primo pensionario suum jus annihilante, atque Ecclesiam in vero statu libertatis reponente, ita faciendo se mortuum purè, ac simpliciter; non autem conditionaliter, & correspectivè, ut in præsenti, postmodum Papa, non primi pensionarii gratiam, neque ad favorem certæ personæ ab ipso pensionario præcisè volitæ, sed ad favorem personæ ipsi Papæ placitæ, motu proprio, novam fecit reservationem, undè propterea nimis diversæ sunt facti circumstantiæ.

Item observabam nimium considerabile esse an ultimus actus, de cujus validitate agitur, fiat per delegatum juxtà
13 consuetam formulam translationis, vel fiat per ipsum Papam; Primò enim casu delegati potestas coarctata est neque ille explicitè, vel implicitè sanare potest defectus aliàs urgentes; Non sic est in altero, quoniam quando Papa rectè sciens dispositionem juris, vel Apostolicarum Consti-
14 tutionum, quarum ignorantia in eo ob peritissimorum officialium assistentiam non datur ac etiam sciens quomodo pensio possideatur ab eo, qui consensum cassationi præstat, ita implicitè obstaculum removere censetur, eique dispensare, ut advertitur *in Taurinen. disc. seqq.* Ideoque magna differentia inter unum casum, & alterum.

Quò verò ad alium punctum, an scilicet posito, quod actus caderet sub dicta Constitutione Urbani, esset illi satisfactum per subsequutum Titularis consensum; Ego, & cæteri pro Titulari scribentes, admittebamus, (ut etiam Rota admisit) assumptum scribentium pro pensionario, quod scilicet iste consensus requisitus non esset pro solem- 15
nitate, vel forma sive ad auctorizandam personam, unde propterea intervenire deberet in ipso actu, sed requiritur pro interesse, & consequenter potest præcedere, ac etiam subsequi juxtà communiter notata ad materiam textus *in l. fin. C. ad Maced. cum concord.* in proposito consensus paterni in contractibus filiorum familias *sub tit. de contract. & sub altero de credito*, *& de dote*.

Dicebamus tamen id rectè procedere, quando consensus præcessisset, vel etiam subsequutus esset re integra, nullaque præcedente oppositione, seu declaratione nullitatis actus, qui proindè esse diceretur in implicito statu validitatis, secus autem post jam agnitam, ac declaratam 16
nullitatem, seu denegatum assensum, cum tunc jus Ecclesiæ quæsitum sit, illiusque libertas inducta, cum non agatur de reintegratione, quæ exigat factum positivum hominis, sed de liberatione, quæ ex legis ministerio ipso jure sequi dicitur, juxtà ea, quæ in his terminis pensionis, cæteris relatis plenè habentur *in Sipontina pensionis 8. Junii* 1648. *coram Peutingerio impress. decis.* 203. *part.* 10. *recent.* & post Tondut. *de pension. decis.* 100. Et consequen- 17
ter subsequens consensus Titularis revalidare non poterat nullitatem jam consumatam, ac effectum sortitam, cum esset species novæ servitutis, novique oneris, seu reservationis, ut in fortioribus terminis Apostolicæ dispensationis super impedimento inducente pensionis amissionem, re non integra postquam amissioni locus factus est habere supra *in Cæsaraugustana discurs.* 47 & in aliis.

Et quamvis iidem scribentes deducerent propositionem in decisione coram Taja motivatam, quod scilicet potest 18
quis in sui præjudicium approbare id quod semel reprobavit, ex deductis in proposito denegati assensus postea concessi apud Rosental. *de feud. cap.* 7. *concluf.* 4. *num.* 6. & 9. Cyriac. *controv.* 293. *num.* 2. Ancharan. *decis.* 166. *num.* 10. & 11. Attamen id rectè procedit in præjudicium ipsius facientis, ac in iis quæ ab ejus pendent potestate non autem in supplantationem successoris, vel Ecclesiæ, quoniam ita esset dare facultatem beneficiato gravandi Ecclesiam nova pensione, quod indubitatum est fieri non posse; Prælato siquidem, vel Rectori facultas datur præjudican- 19
di non acquirendo, sive in remittendo, vel non agnoscendo in curiam caducitatem non declaratam, non autem postquam declarata est, & jus Ecclesiæ quæsitum, ut in sua materia *sub tit. de alienat. & contract.* ideoque istud motivum pro meo judicio videbatur omninò contemptibile, quamvis apud aliquos plausum haberet (talis est ingenuorum varietas.)

Major autem difficultas (ab aliqua probabilitate non aliena) habita in ultimis disputationibus *coram Albergato*, & quæ concordiæ ansam præbuit, in eo residebat, quod adhuc superviveret antiquus pensionarius, qui translationem in vim indulti fecerat in Curtium nepotem, unde propterea deducebatur conclusio, de qua pluries in sua materia *sub tit. de Benefic.* quod resignatio ad favorem certæ personæ, dicitur conditionalis, quatenus scilicet effectum sortiatur in persona per resignantem volita, sin minus actus habetur pro infecto, atque non abdicat jus neque possessionem à resignante; Sic à pari cum eadem in omnibus videatur ratio, quod scilicet eatenus pensionis possessor illam à se abdicare voluit, ejusque cassationi consensum præstitit, quatenus illa effectum sortiretur in translatario, non autem, ut Ecclesia acquireret libertatem, cum id in animo non habuerit.

Huic nimium efficaci motivo, dabam ego eamdem re- 21
sponsionem, quæ pluries habetur *eod. tit. de Benefic.* præsertim *in Toletana Archipresbyteratus*, *& in Hispalen. Benefic. disc.* 35. *&* 36. quod scilicet id procedat, quando ineffectuatio, citra culpam resignantis, vel resignatarii provenit à facto tertii, puta Papæ nolentis illam admittere, seu ex alio non culposo accidenti, secus autem ubi ex facto, & culpa.

Responsio de jure erat solida, Verum difficultas erat in appli-

applicatione, an scilicet invaliditas translationis ob non adhibitum titularis consensum dici posset culposa, cujus contrarium mihi quamvis pro Titulari scribenti probabilius videbatur, cum nullitas non proveniret à vitio intrinseco culposo, ut e.g. est in casu, de quo infrà *in Conimbric. disc.* 64. super translatione facta sub conditione, quatenus transferens decedat cum similibus; In præsenti etenim adhibitus non fuit consensus in ipsa translatione, Vel quia
22 probabilis haberetur spes, seu credulitas illum obtinendi, Vel fortius quia ex præmissis constat, probabiliter credi potuisse, quod ageretur de nova pensione, non autem de alias translata, cum esset juris articulus dubius, qui juxta receptam, ac frequentem propositionem, assimilatur ignorantiæ facti, justamque excusationem inducit.

Ponderabatur etiam, stante, quod dictus consensus præstitus fuerat per viam transactionis ad dirimendam litem, an scilicet intrare possent ea, quæ pluries habentur
23 *sub tit. de fideicom.* præsertim *disc.* 172. *& seqq. & sub tit. de feud. disc.* 49. *& sub illo de emphyt. disc.* 52. super transactione bona fide inita obligante successorem, quamvis jure suo independenter venientem; Verùm hujus quæstionis examen cessabat ex manifesto defectu applicationis, ob notoriam deficientem bonam fidem, cujus interventus tunc prætendi potuisset, quando à translatario aliquid remissum fuisset, quod concerneret Ecclesiæ, ac successoris utilitatem, puta diminuendo pensionem, secus autem dum dimissio concernebat privatam utilitatem ipsius Titularis transigentis, super terminis scilicet decursis per ipsum debitis, undè propterà istud motivum omninò deficiebat in radice.

TAURINEN. PENSIONIS

PRO JOANNE MARIA BUTERIO, CUM N.

Casus disputatus coram A. C. sub incerto exitu, credo resolutus pro Jo: Maria.

De eadem materia, An reservatio immediatè facta per Papam consimilis pensionis, quam possidebat alter, qui ejus cassationi consensum præbuit, importet translationem, vel potius novam reservationem, ad effectum oneris justificandi valorem primæ pensionis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Translatarius docere debet de validitate pensionis translatæ.*
3 *Etiamsi fiat per viam novæ reservationis.*
4 *Contrarium ad hunc effectum justificationis, ubi fiat per reservationem à Papa immediatè.*
5 *Quando translatio valeat etiam ultrà medietate non obstante Constitutione Urb. VIII.*
6 *De implicita derogatione congruæ conciliaris.*
7 *Quod idem actus importet translationem, & novam reservationem diversis respectibus.*
8 *Quomodo deferri debeat decisionibus, & doctrinis.*

D. I. S. C. LIII.

1 PRinceps Cardinalis Mauritius à Sabaudia, cui in dimissione Cardinalatus, ex satis rationabili motivo pro temporum opportunitate ducendi uxorem, concessum fuerat indultum retinendi pensiones Ecclesiasticas in summa scut. 500. aliàs in summa aliorum scutorum 640. retinens vigore facultatum competentium æquitibus SS. Mauritii, & Lazari, consensum præstitit in Dataria super cassatione pensionis scutorum 300. ad ejus favorem reservatæ super Abbatiæ, N. ut nova pensio in eadem summa reservaretur, ut sequutum fuit per litteras Apostolicas in forma novæ reservationis ad favorem Buterii, cui agenti cor. A. C. ad executionem litterarum Apostolicarum
2 opponebat Titularis de dictæ translationis nullitate, ex eo quod non justificaretur valida reservatio pensionis ad favorem transferentis, seu non doceretur de ejusdem facultate retinendi, dum illa proveniens ex indulto, jam consumpta erat in pensionibus antecedenter translatis, deducendo conclusionem, quod ut translatarius agere valeat, docere debet de valida reservatione Pensionis ad favorem transferentis ex regula, *nemo plus juris*, &c. atque ex recepta beneficialistarum propositione, ut resignatarius teneatur docere de valido titulo resignantis, ut de translatario Spad. *conf.* 67. *n.* 2. *lib.* 3. & passim.

Contrarium ego scribens pro Joanne Maria pensionario verius dicebam, compatibiliter tamen cum deductis *disc. prox. præc.* super Constitution. 144. Urb. VIII. ob identi- 3
tatem rationis, sive uno, sive altero modo mutatio personæ pensionarii fieret, cum in effectu esset prorogare servitutem, atque dare ulteriorem commutationem ultrà primam, secùs autem ad alios effectus, illum præsertim oneris justificandi validitatem primæ pensionis, quod incumbit translatario, quando translatio juxta consuetam formam fiat coram delegato in vim indulti, secus autem, ubi 4
per ipsum Papam & fortius si motu proprio quamvis supplicatio præcederet, cum tunc iste modus, per quem oportet pro expeditionibus solvere componendam, ac notabilem impensam facere, aliàs non necessariam, ubi in forma simplicis translationis cor. delegato procederetur, nè ista cautela inanis, ac ventosa remaneat, dicendum est, istum resultare effectum eximendi ab hoc onere ex voluntate Papæ, qui illum actum naturaliter, ac de facto translationem importantem, facere voluit per viam reservationis ad hunc effectum eximendi à justificatione primæ pensionis, ut firmatur in pluries allegata *Asten. pensionis cor. Coccino decis.* 645. *p.* 1. *&* 656. *p.* 2. *rec.* quæ prodierunt in consimili implicita translatione facta sub hac forma per eumdem Principem Mauritium, & habetur etiam apud Lotther. *lib.* 1. *q.* 40. *n.* 5. *& seqq.* præsertim *n.* 8.

Clarius verò, quia Papæ narratus fuit defectus, quo in primo possessore laborabat pensio, expeditionis scilicet 5
litterarum, undè sciens, & nihilominus admittens, ità dispensare videtur cuicumque defectui, illum supplere.

Idque probabam à simili, quod si fiat translatio cor. delegato in vim indulti, ea fieri non potest, in eo quod excedat medietatem fructuum, juxtà Constitutionem 20. Urbani VIII. de qua pluries infrà præsertim *disc.* 55. Et tamen si fieret juxtà hanc formam, seu cautelam immediatè scilicèt coram Papa, cui narretur valor, undè agnoscat pensionem excedere medietatem, & tamen reservet, 6
utique non videtur, quod intret dicta Constitutio, cujus ignorantia non datur in Papa, qui potest illi derogare; Adinstar eorum, quæ habemus circa congruam à Concilio Trid. dema ndatam in Cathedralibus, ut salva esse debeant mille pro Episcopo, quoniam si ex processu consistoriali constet de valore, cujus ita Papa notitiam habeat, & tamen pensionem reservet absque adjectione clausulæ *dummodò mille*, censetur implicitè derogatum congruæ conciliari quamvis non congruæ alimentariæ, 7
nisi huic expresè renunciatum sit cum obligatione se substentandi de proprio, ut habetur suprà *in S. Severi disc.* 16. *& disc.* 90. *sub tit. de Benef.* & in aliis; Et consequenter ista species translationis dicenda videtur quod pro respectuum diversitate diversam habeat naturam, ut scilicet ad certos effectus habeatur pro translatione, ad alios verò pro nova reservatione.

Atque hinc edocemur id, quod sæpè mea est consuetudo advertendi, ut circumspectè procedendum sit in deferendo decisionibus, ac auctoritatibus, benè consideratis 8
singulorum casuum diversis circumstantiis, non autem cum cæca fide, id, quod in uno casu dicitur, cuicumq; alteri applicare, cum benè compatibile sit, ut in duobus casibus, qui videntur identifici atque sub eisdem conclusionibus cadentes, diversæ prodeant determinationes ob diversas circumstantias, seu diversos effectus, de quibus sit quæstio.

AVENIONEN. PENSIONIS, PRO CAROLO EUSTACHIO CUM ARCHIEPISCOPO.

Responsum pro veritate.

An consensus Titularis Constitutione 144. Urbani VIII. requisitus in translatione pensionis aliàs translatæ, probetur, seu præsumatur præstitus, ex continuata plurium annorum solutione pensionis facta translatio.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Constitutio Urb. circa translationem pensionis alias translatæ cessat, si in indulto de ea fiat mentio ut est in Conclavistis.*
3 *Observantia erronea, & cum falso præsuppositio non attenditur.*
4 *Consensus, à dicta Constitutione requisitus potest præcedere, & subsequi.*
5 *Ubi forma respicit certum effectum impleri potest per æquipollens.*
6 *Quale tempus requiratur ad inducendam præsumptionem beneplaciti.*
7 *De differentia inter præsumptionem tituli, vel accidentis.*
8 *De præsumptione interpellationis.*
9 *Quod pensio habeat speciem alimentorum.*
10 *De consensu præsumptio ex tollerantia, &c.*

DISC. LIII.

1 IN vim indulti transferendi pensiones concessi per Urbani VIII. in ejus Constitutione 9. conclavistis, qui fuerunt in conclavi, in quo ipse Pontifex creatus est Scipio unus ex eorum numero, pensionem scutorum 50. quam super fructibus Ecclesiæ Avenionensis jure translationis possidebat, transtulit in Carolum nepotem, qui ad Archiepiscopis pro tempore, continuato spatio sexdecim annorum, eam pacificè possedit; Postmodum verò Archiepiscopus noviter provisus innixus Constitution. 144. Urban. VIII. prohibenti transferri pensiones alias translatas nonnisi accedente consensu Titularis, de quo non constabat, in forma benevola, & extrajudiciali, non solvendi prætensionem excitavit; Quare desuper pro veritate ex parte Caroli consultus.

Respondi, quod absque necessitate assumendi altiorem inspectionem super implicito, seu præsumpto consensu à dicta diuturna pacifica observantia resultante, cessare videbatur ad favorem pensionarii omnis difficultas ex solo
2 facto, dum in eadem Constitutione excipitur casus, in quo indultum contineat facultatem transferendi pensiones etiam alias translatas, quæ facultas in dicta Constitutione 9. ejusdem Urbani expresè legitur attributa conclavistis, de quorum facultatibus in hoc proposito habetur pluries præsertim *in Eugubina disc.* 62.

Verùm ubi ista circumstantia non accederet, sed age-
3 retur de simplici indulto per dictam Constitutionem moderato, sive ad ejus normam concesso, adhuc dicebam inspiciendum esse an ex parte Titularis concludenter probari posset negativa, tam consensus præstiti, quàm animi illum præstandi, quodque prædecessores pensionem solvissent præsupponendo translationem esse validam, utpotè dictæ Constitutionis notitiam non habentes, ut tunc pro invaliditate actus, ac ad favorem Titularis respondendum veniret; Licèt enim (ut infrà,) diuturna observantia, præsumptionem inducat, attamen est præsumptio juris tantum, contraria probatione elidibilis, juxtà dispositionem text. *in c. pervenit de cens.* ubi quod non datur census erroris, & advertitur etiam supra *in Imolen. disc.* 34. ac habetur generaliter *sub tit. de alien. & contr. disc.* 1. ac alibi pluries in proposito beneplaciti Apostolici præsumpti, seu præsumptionis alterius solemnitatis ex longa, vel longissima observantia resultante, ut cesset ex
4 contraria probatione, vel efficacioribus præsumptionibus, & admiculis.

Quatenus verò de hoc non constaret; Dixi probabilius pro pensionario respondendum esse, quoniam ut advertitur supra *disc.* 41. iste consensus non requiritur pro solemnitate de forma præcisa, adeòut expresè in ipso actu intervenire debeat, neque certam formam habet; ideòque potest præcedere, ac subsequi, dummodò reintegra, & ante declaratam nullitatem; Imò etiam oretenus, ac implicitè præstari potest, juxtà ea, quæ generaliter habemus
5 in jure recepta in actibus non requisitis pro forma præcisa, sed pro solo interesse; ac ad certum finem, seu effectum, ut sufficiat implementum per quodcumq; æquipollens ex plenè cumulatis per Add ad *dec.* 542. *p.* 4. *rec. to.* 3. *n.* 82. *& seq.*

In quæstione autem, de qua plenè Gabr. *de præsumpt. concl.* 1. Greg. & Add. *dec.* 354. Burat. & Adden. *dec.* 120. &
6 communiter, ut in dicta sua materia *sub tit. de alienat. & contract. disc.* 1. & alibi, ac etiam *sub tit. de dote disc.* 143. an scilicet ad præsumendam extrinsecam solemnitatem, vel alium actum, requiratur observantia longissimi temporis, vel sufficiat illa temporis longi; Quidquid scribentes variaverint, distinctio est, inter ea, quæ expressam, ac vehementem habent juris residentiam, ut e. g. est alienatio bonorum Ecclesiæ, cum similibus, & ea in quibus adeò jus non resistat, ut primo casu observantia debeat esse longissima, quæ præsuppositis suis terminis sufficit, quoties non obstet moderna Constitutio 157. Urbani VIII. secus autem in altero in quo sufficit illa longi temporis.

In hac autem secunda distinctionis parte credebam, quod 7
versaremur, dum non agitur de probando ipsum gravamen seu titulum, juxtà terminos textus *in l. cum de in rem verso, ff. de usur.* quo casu probabilius est, ut attenta dispositione juris Canonici, cum qua in his materiis procedendum est requiratur quadragenaria, juxta dispositionem textus *in cap. pervenit de censib.* ubi communiter Canonistæ 8
præsertim omnium latiùs materiam examinat Butrius, sed agebatur de qualitate extrinseca, & accidentali, cujus defectus in efficacem redderet titulum, qui explicitus, non autem præsumptus habetur; Ut in proposito interpellationis requisitæ à statuto ad effectum, ut currant usuræ dotales, quod ipsa continuata solutio usurarum plurium annor. spatio sequuta probet interpellationem, sive quod solvens habuerit se pro interpellato, habetur per Rot. *dec.* 153. *p.* 4. 9
rec. tom. 2. *& sub tit. de dote disc.* 161. & in aliis pluries; Atq; *in d. dec.* 153. adhibetur à simili termini textus *in d. l. cum de in rem verso*; Multò magis quia agebatur de tempore excedente metam decem annor. notabiliter, atque improbabilis videtur ignorantia dictæ Constitutionis in Prælatis adeò qualificatis.

Quinimo cum pensio speciem habere videatur alimentorum, hinc ad exuberantia deducebam ea, quæ cæteris relat. habetur apud Dunoz. *dec.* 449. repet. *dec.* 194. *n.* 6. *p.* 7. *rec.* ut alimentorum favore sola triennalis observantia 10
suffragetur, Et conferunt quæ habentur *in Neapolit. Seminarii cor. Dunoz.* inter suas *dec.* 982. de consensu præsumendo per longam observantiam, seu acquiescentiam, cum similibus; Atque huic responso Archiepiscopus ejusque Consultores acquieverunt.

ADNOT. AD DISC. LIII.

DE præsumptione consensus habetur *in hoc tit. disc.* 94.

TUDERTINA PENSIONIS, ET INDULTI PRO CARDINALI CARPINEO, CUM CARDINALI ALTERIO.

Discursus super controversia extrajudicialiter, ac benevolè discussa, & co. ordata.

De constitutione 112. Urbani VIII. de non transferendis pensionibus super Ecclesiis possessis per Cardinales, quando procedat; Et an dicatur pensio translata cadens sub dicta Constitut. illa, quæ reservatur abusivè, seu eventualiter post mortem alterius pensionarii.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De Constitutione 112. Urb. VIII. super Ecclesiis possessis per Cardinales.*
3 *Non procedit accedente consensu, vel si tunc non erat Cardinali.*
4 *De comprehensione Cardinalium sub his vel similibus indultis.*
5 *Quod dicta Constitutio non capiat reservationem eventualem, quæ non est translatio, &c.*

DISC. LIV.

DImissa per Card. Lante Eccl. Tudert. sub reservatione pens. scut. 900. & indulti transferendi beneficia reser- 1
vata, & affecta, de illa provisus fuit Card. Carpineus, qui ad aliquos annos eam quoque dimisit sub reservat. consimilis pensionis scut. 900. effectum fortituræ, si & postquam cessasset altera, de qua supra, atque de Ecclesia provisus fuit Cardinalis Joannes Baptista Alterius, inter quem, ac dictum Cardinalem Carpineum, subsequta mors Cardinalis Lante, duplicem excitavit controversiam, unam scilicet super jure indultario conferendi beneficia affecta, & reservata, juxtà casum præcisum consimilis controversiæ, de qua *sub tit. de Benefic. disc.* 2.

Et

Et alteram super dicta pensione, cui Titularis obsta-
2 re prætendebat Constitutionem 112. Urbani VIII. disponentem, ut transferendi facultates non suffragentur in pensionibus reservatis super Ecclesiis possessis per Cardinales absque speciali mentione, vel sine ipsius Cadinalis consensu, ea tamen sopita fuit per concordiam, per quam Carpineus obtinendo pensionem, cessit indulto conferendi, dum potiebatur altero in Ecclesia Eugubina, à qua ad istam translatus fuerat.

Scribens autem pro Cardinali Carpineo; Quatenus ad
3 hunc punctum pensionis pertinet, etiam cum sensu veritatis, Dicebam improbabilem esse prætensionem Titularis ac nullatenus obstare dictam Constitutionem 112. Urban. VIII. ex triplici fundamento; Primò scilicet quia eidem pensioni consensu præstiterat dictus Cardinalis Alterius postquam in statu Cardinalitio constitutus erat, quod excipitur in eadem Constitutione, undè propterea cessabat quæstio ex solo facto; Secundò quia Constitutio loquitur de translatione pensionum super Ecclesiis, quæ de tempore concessionis indulti transferendi, vel de tempore translationis obtineantur per Cardinales, quorum utrumque cessabat, cum indultum transferendi per multos annos præcederent antequam dictus Cardinalis Alterius Cardinalitiam dignitatem, & Ecclesiam obtineret, illaque reservatio pensionis eventualis, quam Titularis Consultores, dicebant translationem à Cardinali Lante in Carpineum facta erat Sede Episcopali vacante, & priusquam de illa provideretur dictus Cardinalis Alterius, qui proin-
4 dè Ecclesiam oneratam invenit, undè propterea cessat dictæ Constitutionis ratio, quod detur mutatio personæ pensionarii, vel prorogatio oneris, & servitutis in Ecclesia possessa per Cardinalem, dum de tempore dictæ mutationis, ac prorogationis hoc requisitum non concurrebat, ideòque sibi imputet, cur Ecclesiam gravatam acceptaverit, ut in proposito comprehensionis Cardinalium sub indulto transferendi pensiones habetur *decis.* 46. 452. & 464. *p.* 5. *rec.* quarum prima est repetit. apud Duran. *dec.* 66. & conferunt, quæ in aliis terminis super comprehensione Cardinalium cæteris relatis habentur plenè deducta apud Otthobon. *dec.* 257.

Verùm omnis difficultas penitus cessabat ex tertio cla-
5 ro, ac indubitato fundamento, per quod admirationem concipiebam, ut reperirentur Advocati, qui nimis probo, ac integerrimo Cardinali dictam prætensionem consulerent, cum hujusmodi reservatio omnino nova, ac independens esset ab antiqua pensione, ex tunc, & ab initio perfecta, dilata solum executione ad tempus quo prima cessaret juxta ea quæ habentur supra *in Ravennaten. & in Benevent. disc.* 1. & 2. adeòut, nec quidem remotè caderent termini translationis, sive intraret quæstio de qua supra *disc.* 51. & 52.

ADNOT. AD DISC. LIV. & seqq.

AGitur in his disc. de facultatibus, seu indultis transferendi pensiones, super quibus pariter occasio non dedit postmodum disputare, Solumque in supplemento *hoc tit. disc.* 83. agitur de militibus Lauretanis an sint capaces assequendi novas pensiones per viam translationis.

Posterior *dec.* emanata in casu de quo *disc.* 68. habetur impress. *dec.* 8. *p.* 15. *rec.*

CREMONEN. PENSIONIS INTER N. DE BONJOANNE, ET N. DE GAZANICA.

Responsum pro veritate.

De Constitutione 20. Urb. VIII. prohibente translationem pensionis in parte excedente medietatem fructuum, Et quale tempus attendi debeat pro fructuum quantitate, seu valore regulando; Et cui ejusdem valoris justificatio incumbat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur puncti, seu quæstiones.*
3 *Ad effectum Constitutionis 20. Urb. VIII. super medietate salva attenditur tempus translationis.*
3 *De declarationibus dictæ Constitutionis factis ab eodem Urbano.*

5 *Quod materia istius Constitutionis sit frequens, & de ratione.*
6 *De ratione ob quam dicta Constitutio remaneat parum proficua.*
7 *Onus probandi valorem incumbit Titulari impugnanti translationem.*
8 *Probatio debet esse rigorosa cum peræquatione decennali.*
9 *Translatio ultrà medietatem vitiatur solum in excessu.*
10 *Quando defectus valoris vitiet in totum, & non intret reductio in parte.*
11 *Datur cautela pro substinenda pensionis translatione, ut ei non obstet ista Constitutio.*
12 *Fraus non præsumitur, neque fraudem committere dicitur, qui sua jure utitur.*
13 *Quod dicta cautela sit periculosa, ideòque rara, & de ratione.*

DISC. LV.

TRansferente Bartholomæo Gazanica in duos ex fratre nepotes pensionem scutorum 200. in toto, vel 1
in parte, quam habebat super Præpositura S. Agathæ, aliis pensionibus gravata, prætendere cœpit Titularis invalidam esse translationem ex eo, quod sibi non remaneret salva medietas fructuum, juxta Constitution. 20. Urbani VIII. quæ ubi non obstet expressa derogatio in hujusmodi indultis transferendi, semper viget, ac subintelligitur; Hinc (incertus ex cujus parte) pro veritate consultus fui super dictæ Constitutionis intelligentia, ac praxi, præsertim verò circa tempus, quod attendendum sit pro regulando valore, an scilicet illud reservationis, vel alterum translationis, Et quatenus istud secundum attendendum esset; cuinam incumbat onus illum probandi, ad effectum videndi, an intret Constitutio, necnè, & quomodo probatio concludere debeat, Ac etiam quatenus Constitutio intraret, an translatio vitiaretur in totum, vel 2
solùm pro parte excedente, ideòque quatuor erant puncti; Primò in tempore; Secundò in persona, cui onus probationis incumbat; Tertio in modo probandi; Et quartò, an actus vitietur in totum; vel in parte.

Ad primum respondi, planum esse, ut attendi deberet tempus translationis, non curato tempore reservationis, minusque habita ratione narrativæ valoris factæ per Titularem, cum sensus Constitutionis sit, ut de tempore, 3
quo translatio sequitur salva Titulari remaneat medietas, ut apud Rojas *dec.* 169. 184. & 217. in quibus particulariter actum fuit de hac Constitutione, & in quarum ultima referuntur plures ejusdem Constitutionis declarationes oretenus factæ in Signatura gratiæ per eumdem Urbanum conditorem cum Rotæ Decano; Idemque fuit dictum 4
in Romana pensionis 23. Junii 1656. cor. Albergato impress. *p.* 12. *rec. decis.* 201. & in aliis atque hoc jure passim vivitur in Curia, ubi nulla frequentior est quæstio, quam ista, cum in dies moriantur Cardinales, Prælati, Pontificum conjuncti, & familiares, & alii transferentes pensiones in familiares, vel conjunctos, aliosque benevolos, nulla- 5
que ferè practicatur pacifica translatio, adversus quam Titulares de ista Constitutione non opponant, quamvis necessitas probandi, quæ illis incumbit, ut infrà, magis verò ejusdem Constitutionis dispositio, ut interim non retardetur solutio in processu executivo donec per rem judicatam, vel tres conformes incapacitas canonizetur, magnum sit Titulari frænum, cum ita loco unius dupli- 6
cem pensionem solvere cogantur, unam scilicet ipsius pensionis, & alteram substentationem litis, quæ in judicio ordinario diuturna esse solet, undè propterea de facto ista Constitutio optimam, ac laudabilem provisionem modicæ, ac ferè nullius operationis in praxi remanet, ideòque sanctius videretur, ut resecatis tot litium, & Tribunalium circuitibus, Rotæ, vel particulari, qualificatæ Congregationi, hujusmodi controversiæ examinandæ committerentur summariè, ac appellatione remota.

Ad secundum pariter dixi extra controversiam esse, ut onus probationis incumbat Titulari alleganti invaliditatem actus, ut in eisdem supra allegatis in decisionibus 7
ac docet praxis quotidiana.

Ad tertium circa modum justificandi valorem in dictis decisionibus coram Rojas, quæ in hac materia sunt magistræ, iste punctus examinatus non fuit, cum in facto adesset rigorosa probatio decennalis in ea forma, quæ requiritur, ubi agitur de materia objectiva per decennalem scilicet peræquationem, de qua habetur ad hanc materiam valoris *sub tit. de Benefic. disc.* 90. ac etiam advertitur plu- 8

ries in præcedenti occasione agendi de infirmatione pensionis ex defectu valoris, verùm ità in his terminis etiam firmatum fuit in allegata *Romana pensionis 23. Junii 1656. cor. Albergato decis. 201. p. 12.* & in aliis, quia videtur sapere speciem objecti.

Ad quartum, dixi esse pariter extra controversiam ob
9 ejusdem Constitutionis litteralem dispositionem, ut firmatur in dictis decisionibus cor. Rojas, & per Lotther. *lib. 1. q. 36. n. 127.* ut actus non vitietur in totum, sed solùm in parte excedente, quoniam, ut pluries in præcedentibus advertitur, excepto casu pensionis sine causa, seu voluntariè beneficio pleno, sive altero pro regressu resignantis ad suum beneficium, in quibus defectus in parte vitiat in totum,
10 in reliquis pensio dicitur materia vidua, in qua tantam affert utilitatem totum respecta totius, quantam pars respectu partis, ideòque utile per inutile non vitiatur.

In proposito autem hujus Constitutionis, quando casus præbeat pensiones esse magnas ab eadem personas possessas, ac fructuum medietatem absque dubio excedentes,
11 adeòut indultum, quod præsertim in Cardinalibus esse solet pro scutis mille, inane ita remaneret, quandoque consultum est, ut volens transferre, prius liberè extingueret notabilem pensionis partem, ut ita ea quæ remanet, dicatur infrà dimidiam partem eaque deinde validè transferatur; Ut (e. g.) possidet quis pensionem scut. 3. millium super Ecclesia valoris quatuor millium, & fortè minus, ut frequenter contingit, si pensionarius in vim indulti transferre velit mille, translatio remaneret invalida, cum ita remaneant integra tria mille, hoc est mille translata, & his mille penes transerentem, ideòque præcedat extinctio pura, seu casatio bis mille, cum ita reliqua mille, quæ remanent erunt citrà hujus Constitutionis prohibitionem validè transferibilia, quæ cautela præsertim adhibita fuit in ea pensione, de qua habetur mentio supra *disc. 1.* Et quamvis ex parte Titularis in eo casu opponeretur, quod id factum esset in fraudem, attamen neque in Tribunali A.C. neq; in Signatura in hoc exauditus fuit, Tum ex regula, quod fraus in dubio præsumenda non est, juxtà vulgare text. *in l. 1. C. de dolo, cum concord.* quodque fraudem facere non dicitur, qui suo jure utitur, cum attendatur id,
12 quod principaliter ordinatur ad propriam utilitatem, non autem damnum, quod exinde consequutivè resultat ad vulgarem regulam text. *in l. altius, C. de servit. & aqua*, de qua sæpè *sub tit. de servit. disc. 2. & seqq.*

Tum clarius, quia Ecclesia æquè se habet ad lucrum, & damnum, quinimò potiùs ad spem lucri, quia scilicet, pensionarius qui mori credit, convalescere, ac diu supervivere potest, pensione jam extincta, quæ sine dubio non reviviscit; Et ob quam rationem, est cautela nimium periculosa, nimium rarò adhibita, nisi quando ob infirmitatem junctam cum gravissima ætate superviventia reputetur disperata, ut in dicto casu contingebat, & ob quem timorem frequenter contingit quod aliqui pensionarii transferendi facultate non utuntur, nè scilicet convalescentes, ac superviventes denudati remaneant, cum fieri non possit translatio sub conditione mortis, ut in specie habetur infrà *in Conimbricen. disc. 64.*

FLORENTINA PENSIONIS
PRO ARCHIEPISCOPO,
CUM ALIQUIBUS TRANSLATARIIS.

Responsum pro veritate.

An in impetratione indulti de transferendo, sive in ipsa translatione, intret regula *de viginti* sive *de infirmis resignantibus*; Et aliqua de hujusmodi indultorum moderatione.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Regula de infirmis resignantibus non procedit in pensionibus.*
3 *De aliis Regulis, in quibus idem procedit.*
4 *Quando intret surreptio necnè.*
5 *Pensiones solent transferri etiam in mortis articulo.*
6 *Etiam indultum transferendi solet concedi infirmo.*
7 *Quando actus factus ab infirmo dicatur fraudulentus, remissivè.*
8 *De decis. 701. Merlini.*
9 *De differentia inter translationem, vel novæ pensionis reservationem.*

DISC. LVI.

CUrtius miles Hierosolymitanus, possidens super Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ fructibus pensionem sc. 100. in eum translatam per Cardinalem Sachettum avunculum, dum existeret in statu gravis infirmitatis, ex qua ad paucos dies obiit, indultum Apostolicum transferendi obtinuit, ejusque vigore translationem fecit; Archiepiscopus autem prætendens invalidam esse translationem, me pro veritate consuluisser ejus prætensionem potissimum fundando in regula *de infirmis resignantibus*. 1

Respondi, regulam prædictam de beneficiis Ecclesasticis disponentem, non habere locum in pensionibus, ut decisum tempore Leon. X. testatur Gomes. alias Sarnen. *ad eamdem regulam quæst. 16.* & sequuntur Mandos. *ibid. qu. 11.* Paris. *de resignatione lib. 2. q. 15. n. 13. lib. 6. q. 4. n. 34. & lib. 12. qu. 3. num. 13.* Garzias *de Benefic part. 1. cap. 5. n. 257.* Gigas. *de pensionibus q. 58.* ubi dicit hoc verùm saltem de stylo Curiæ; Idemque habetur in aliis regulis Cancellariæ, quæ loquentes de beneficiis non comprehendunt 2
pensiones; Ut de regula 45. de consensu habetur *in Elboren. pensionis 8. Martii 1558. Corduba, & Romana pensionis 29. Octobris 1633. Ubaldo*; Ac etiam in proposito Constitutionum super confidentia beneficiali, ut loquentes de beneficiis non capiant pensiones habetur in præcedentibus, ideòque ex isto capite non videbatur hujusmodi translatio impugnabilis. 3

Prætendebatur ex parte Titularis saltem impugnari posse ex capite surreptionis ob non expressam periculosam infirmitatem transferentis, ex deductis per Merlin. *decis. 701.* 4

Verùm pariter dixi istud motivum non esse tutum, quoniam non causatur surreptio ex taciturnitate earum rerum, quæ de stylo non solent narrari, neque verisimiliter Papam retraxissent à gratia, Buratt *dec. 638. n. 6.* Merlin. *dec. 243.* aliàs *dec. 24. p. 5. rec.* Ubi agitur de translatione, quotidiana praxis docet, ut concedatur fieri posset etiam ab infirmis, imò, & in mortis articulo constitutis, ex ea ratione, quia Ecclesia non dicitur gravari novo onere, ob incertitudinem, quod translatarius transferenti præmori valeat, ut advertitur in allegatis decisionibus Buratti, & Merlini; Et licèt per Constitution. 144. Urbani, ista ratio sublata videatur, ideòque antiquata sit Beneficialistarum traditio circa odibilitatis negationum, nihilominus in hac parte nil immutatum videtur, quoniam adhuc durat eadem praxis concedendi Indulta faciendi translationes etiam in mortis articulo. 5

Considerari poterat in contrarium, quod ista praxis percuteret exercitium, seu exequutionem Indulti, per quod 6
etiam in hoc periculoso tempore id expresè conceditur, non autem ipsius Indulti concessionem de tempore habili faciendam; Sed neque videbatur motivum tutum inspecta consuetudine Papæ concedentis, qui præsertim circa initia facilis esse solebat ad hujusmodi gratias concedendas, ut de illa concessa Cardinali de Montealto morienti habetur alibi mentio; Accedente etiam qualitate personæ eidem Papæ satis benevolæ, ut in specie ponderatur Buratt *d. decis. 638. in fine*.

Et fortiùs quia nulla fraus, vel dolus considerari poterat, dum gratia obtenta fuit per procuratorem, qui etiam fecit translationem, dum principalis erat absens ab Urbe per plures dietas, atque decesserat sexta die post gratiam obtentam, adeòut nuncius infirmitatis haberi non potuerit, nisi ad summum decima die ante obitum, qui terminus excepta regula *de viginti* non arguit fraudem, ut per scribentes magis communiter receptum habetur in materia matrimonii, vel professionis in Religione, aliorumque similium actuum causantium præjudicium tertii, in cujus fraudem eos gestos esse dici valeat; Licèt enim ex veriori, id remissum sit Judicis arbitrio, nihilominus istud circumferri solet circa modicum spatium duorum, vel trium dierum, ut liquet ex congestis apud Capyc. Latr. *consult. 133. & sub tit. de dote disc. 103.* potissimè, ubi non agatur de tali morbo, quod mors etiam per plures dies tanquam certa prævideatur, Ideòque; cum circumscripta ista Regula de viginti, procedendum esset cum solis terminis juris communis, non videbatur, quod iste terminus esset talis, ut exindè dolus, vel fraus desumi valeat. 7

Neque suffragari videbatur *dicta decis. 701.* Merlini, cum ibi non ageretur de his terminis translationis, seu facultatis transferendi pensionem aliàs reservatam, sed de reservando de novo pensionem voluntariam cum consensu Ti-

su Titularis, in gravi, & periculosa infirmitate constituti, undè propterea rectè firmatur reservationem esse surreptitiam, quoniam si Papæ hujusmodi circumstantia narrata esset, absque dubio gratiam non concessisset, ut advertitur supra *in Comen. disc. 5* Magna enim differentia est gratiam super reservatione novæ pensionis voluntariæ, ac alteram facultatis transferendi pensionem aliàs legitimè reservatam.

Tum quia per primum actum, Ecclesia jam libera gravari dicitur novo onere, seu servitute, per secundum verò agitur solùm de quadam prorogatione eventuali, ex qua (licet rarius) Ecclesiæ libertas, quandoque citius obtinetur; Tum etiam quia pensiones voluntariæ regulariter habent præsumptionem fraudis, cujus ratione adiici solet decretum annullativum in casu, quo terminorum solutiones per Titularem consentientem verè, & effectivè non sequantur, ac etiam circa valoris expressionem, aliaque
9 narrata strictè, & rigorosè proceditur, ut de hujusmodi voluntariis pensionibus pluries in præcedentibus deductum habetur, ideòque longa differentia est inter unum casum, & alterum, unde propterea, stante præsertim quod non ageretur de summa valdè notabili, consului requirenti, quod acquiesceret, ut sequutum fuit, dum plures alii advocati super eodem puncto consulti nullo communicato colloquio, in eamdem devenerunt sententiam.

PISANA, ET AVERSANA TRANSLATIONIS.
PRO ARCHIEPISCOPO, ET EPISCOPO respectivè, & aliis,
CUM TRANSLATARIIS CARDINALIS ALTERII.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Translatariis, postea concordatus.

An translatio continens incertitudinem personarum, in quas facta sit, vel summarum, aut Ecclesiarum dicatur invalida, necnè.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Translatario competit etiam via executiva, & num. 13.*
3 *De exitu causæ.*
4 *De invaliditate dispositionis ob incertitudinem.*
5 *In specie translationis pensionis ex hoc defectu.*
6 *Qualis incertitudo adesset in casu.*
7 *An ordo scripturæ tollat defectum incertitudinis.*
8 *De eodem, & quando id procedat.*
9 *Facultas si exerceatur in excessu, an actus vitietur.*
10 *Quomodo repartitio inter plures Ecclesias gravatas fieri debeat.*
11 *Quod incertitudo tollatur per conjecturas.*
12 *De venditione, vel dote sine certo pretio, vel certa quantitate.*
13 *De processu executivo, & modo rescribendi in pensionibus.*
14 *Quando dictus processus executivus non intret.*
15 *A liquidatione datur appellatio.*

DISC. LVII.

1 CArdinalis Joannis Baptista Alterius habens consuetum indultum transferendi pensiones usque ad summam scutorum mille, ac possidens plures pensiones super Ecclesiis, Pisana, Aversana, & Alerien. & super Canonicatu Basilicæ Vaticanæ, ac etiam super quodam simplici beneficio, declaravit velle transferre, 300. super Pisana, 400. super Aversana, 45. super Canonicatu, & 55. super beneficio, dictaque declaratione facta, transtulit scuta 200. ad favorem Æmilii germani fratris, tunc Episcopi Camerinen. ac Nuntii Neapolis (qui longè post hæc scripta, prævio modicorum dierum Cardinalitio statu, ad summum Pontificatus apicem sub Clem. X. nomine evectus fuit) atque hanc declaravit transferre partim super Ecclesia Aversana, & partim super Canonicatu, reliquum verò usque ad summam scut. mille transtulit ad favorem sexdecim familiarium nominatorum, ad rationem scutorum 50. pro quolibet, nulla facta specificatione super qua Ecclesia singulis pensio transferetur.

Hinc proindè Titulares prætendere cœperunt translationis invaliditatem ratione incertitudinis, atque introducta causa coram A. C. reputata non fuit exceptio sufficiens ad impediendum processum executivum, quem non dubitatur competere translatariis, ubi potissimum pensio 2
pacificum habuit effectum penes transferentem, neque de ipsius primæ reservationis validitate dubitatur, ideòque resolutum fuit pensionariis, atque resolutio canonizata etiam per Signaturam justitiæ, undè causa ulteriorem disputationis progressum non habuit, quamvis lis non omninò inutilis fuerit Titularibus, ob aliquam concordiam.

Resolutio quoad negotium principale mihi, quamvis scribenti pro Tularibus, placuit justaque visa est, solum- 3
que ut infrà, de stricto jure parum probabilis visa est resolutio Signaturæ in non admittendo appellationem, quod fortè potiùs prodiit ex quadam non improbabili æquitate, dum translatarii pro majori parte erant pauperes aulici, quibus aliàs magis expediens fuisset litem deferere, quam eam cum adeò qualificatis Titularibus substinere.

Duæ igitur erant inspectiones; Una scilicet in meritis super dicto motivo incertitudinis; Et altera ordinis super processu executivo, vel ordinario respectivè.

Quatenùs pertinet ad primam, Scribens pro Titularibus deducebam more advocati reguiam textus *in l. duo sunt Titii, ff. de testam. tutel. & l. 3. §. incertum, ff. de acquir.* 4
possess. ubi Civilistæ, & *in c. auditis de præsumpt.* ubi Canonistæ cum. concord. apud Surd. *decis. 168. num. 28. cum seqq.* & per Rotam *in Catacen. hæreditatis coram Cerro decis. 310. & 350. p. 10. rec.* & in eadem causa *sub tit. de testam.* super cujuscumque dispositionis invaliditate ratione incertitudinis.

Et in specialibus terminis pensionis deducebam plenissimam, ac elaboratam *decis. 38. p. 6. rec.* quæ in Curia 5
circumfertur tanquam magistralis, ubi firmatur invaliditas translationis ratione incertitudinis, dum transferens gravi morbo pressus, duobus executoribus, seu fiduciariis commiserat pro eorum arbitrio distributionem translatæ pensionis inter familiares, atque pro invaliditate actus deciditur.

Potissimè quia, licèt in isto casu adesset certitudo personarum, ac summarum, unde propterea diversus erat 6
ab altero quo agitur *d. dec. 38. p. 6.* adhuc tamen aderat incertitudo respectu Ecclesiarum gravatarum, quarum interesse poterat magis unum, quam alterum pensionarium habere, dum inter eos respectivè aderant juvenes ac senes, ac etiam valetudinarii, & debiles, ac validi, & robusti.

Scribentes, in contrarium insistebant solum in dicta diversitate, cum qua curabant evitare objectum *d. dec. 38.* 7
& quoad dictam solam incertitudinem inter Ecclesias, dicebant illam sublatam remanere ex ordine scripturæ tento inter Ecclesias, ac personas respectivè, ut scilicet primo nominati conferentur pensionarii Ecclesiæ primæ nominatæ, & sic successivè ad text. *in l. quoties duobus, ff. de usufruct. & l. cum solvendo, ff. de hæred. instit. & l. generaliter proinde, ff. de fideic. libertat.* cum concordant. in terminis proximis per Caldas. *de nominat. emphyt. q. 10. ex nu. 41. & 44.* eoque relato Salgad. *in labyrint. p. 2. c. 4. n. 48. & seq* & Rota *dec. 485. p. 4. rec.*

Ista responsio in stricta juris censura non videbatur facere ad rem, quoniam dicta conclusio, verè, & proprie 8
procedit in iis, quæ totalem certitudinem in omnibus habentia, ob defectum materiæ plenarium effectum assequi non possunt; Puta relinquit testator pro manumissione quatuor servorum scut. 500. quæ ad omnium manumissionem non sufficiunt, non per hoc enim dispositio vitiatur, sed practicari debet pro primo nominatis tanquam prædilectis cum similibus; Et in propriis terminis translationis pensionis, si habens facultatem transferendi mille, transferat tribus personis scuta 500. pro quolibet, itaut summa transferibilis, ità omnibus non sufficiat, non per hoc actus 9
vitiatur, sed substinetur ad favorem duorum primo nominatorum, cum quibus facultas consumpta remanet, ut in specie *dict. decis. 485. p. 4. rec.* & plenè ex Caldas. & aliis reassumit Salgad. *in labyrint. ubi supra*, in proposito Regiæ facultatis concessæ obligandi bona majoratus usque ad certam summam, ubi facultatarius utitur in excessu obligandi in summa majori.

Ideòque posita validitate actus potiùs dicendum esset, quod pro judicis arbitrio repartitio facienda esset inter dictas Ecclesias tanquam in hac parte oneris socias, ut 10
omnium esset æqualis conditio circa probabilem spem libertatis à valetudinariis, ac senibus speratam juxtà illam speciem contributionis, de qua *sub tit. de feudis ad*

materiam Bullæ Baron. disc. 89. Sed quidquid sit de his ita incidenter deductis , non autem maturè firmatis , adhuc ista incertitudo , utpotè modica , atque de facili certificabilis ex judicis arbitrio , ut supra , sive etiam apta recipere dictum intellectum resultantem ab ordine scripturæ , non videbatur apta causare vitiationem actus, sed quod potius recipienda essent ea, quæ ex conjecturata voluntate circa hunc defectum habentur *in d. Catacen. coram Cerro dec. 310. & 350. p. 10. rec.* & in eadem *sub tit. de testam.* Vel ea , quæ habentur *sub tit. de dot. disc. 151. à n. 13.* & apud Merlin. *dec. 567. & dec. 665. aliàs decis. 172. & 248. p. 6. rec.* pro substentatione contractu emptionis , & venditionis , vel dotis non obstante aliqua pretii incertitudine , quæ æquitate præsertim suadente , ex judicis arbitrio suppleri potest.

Quò verò ad alterum punctum ordinis ; De stricto jure credebam , etiam in sensu veritatis , quod non intraret processus executivus non tamen ex supra insinuata æquitate damnandis ; Siquidem licèt non dubitetur , ut translatario competat eadem via executiva , quæ competit ipsi transferenti , quodque ipsa pensio sit de sui natura executiva , ut passim apud scribentes , & Rotam receptum est , atque docet quotidiana praxis Signaturæ rescribentis cum clausula *sine retardatione* , vel cum altera *sine præjudicio* .

Attamen ubi concurrit hujusmodi circumstantia incertitudinis , quæ ubi etiam non induceret nullitatem actus, adhuc tamen requirit liquidationem , seu certificationem à judice faciendam hinc ab ista intrare debet appellatio , cum in ea consistere posset gravamen in mala distributione ; Ut in terminis pensionis reservatæ super pluribus beneficiis absque distinctione quantitatis super uno , vel super altero Gomez. aliàs *Sarnen. in compend. Signaturæ regist. r. in regula de non judicando juxta formam supplicationis post q. 16. n. 87. vers. & est alius casus* , Gigas. *de pens. q. 85. n. 5.* Anton. August. *de solut. pension. n. 2.* Rota *dec. 1516. p. 3. diversi. lib. 3.* Rub. *in clausulario registrato inter ejus singularia clausul. 762. n. 47.* Totther. *de Benef. lib. 1. q. 38. n. 14. & n. 19.*

Et generaliter , quod à sententia super liquidatione detur appellatio , quamvis in executivis , Scaccia *de appel. q. 17. lim. 9. n. 36. & seqq.* Salust. *in praxt lib. 1. c. 27.* Grass. *de except. c. 36.* Rot. *dec. 379. p. 9. rec.* & frequenter , ac habetur in sua materia *sub tit. de judiciis* .

PANORMITANA TRANSLATIONIS

PRO ARCHIEPISCOPO,

CUM MARCHIONE GERINO.

Responsum pro veritate .

An in translatione requiratur, necnè forma præcisa, ut prius antiqua pensio cassetur , ac deindè altera reservetur , ut in indulto disponitur ; Vel sufficiat de consensu primi pensionarii reservationem fieri ad favorem secundi; Et an in translationibus pensionum super Ecclesiis de jurepatronatus, aliquid habeatur speciale.

SUMMARIUM.

1 Facti series .
2 De punctis , seu quæstis .
3 *Pensio non solet reservari super beneficio de jurepatronatus Regio sine consensu patroni .*
4 *Secus autem in facultate transferendi .*
5 *Quod translatio sit odiosa .*
6 *In translatione non attenditur formalitas verborum , de substantia veritatis .*
7 *De operatione clausulæ* , omni modo meliori .
8 *De facultatibus , & privilegiis militum Lauretanorum .*
9 *Facultas retinendi indultum transferendi indiget nota speciali , & non venit sub dispensatione retinendi pensionem .*
10 *Quod pensiones non sint incompatibiles , cum Episcopatu Cardinalitio , qui non obligat ad residentiam , & est compatibilis cum alio Episcopatu .*
11 *Incompatibilitas pensionum , cum Episcopatu provenit potiùs à stylo .*

DISC. LVIII.

SUper Metropolitana Eccl. Panormitana reservata fuit pensio scut. 1750. ad favorem Cardinalis Caroli de Medices, qui in vim indulti Apostoli, coram persona in ecclesiastica dignitate constituta, consensum præstitit , ut ea reservaretur , ad favorem Marchionis Gerini ; Archiepisc. autem prætendebat dictam pensionem non deberi ex quatuor ; Primò , quod cum dicta Ecclesia esset de jurepatronatus Regio , ista translatio fieri non poterat sine consensu patroni; Secundò , quod translatio esset male facta, & citrà formam indulti, dum non præcesserat cessatio pensionis antiquæ ; Tertiò , ob incapacitatem translatarii ; Et quartò, quod dicta pensio ante hujusmodi translationem cessasset per promotionem d. Cardinalis ad Episcopatum Tusculanum ; Atque desuper meum consilium pro veritate petiit.

In omnibus respondi contra Archiepiscopum requirentem ; Primum enim motivum de plano tollebatur ex facto (ipsi tamen Archiepisc. ignoto,) quod scilicet d. Cardinalis jam obtinuerat assensu Regis per ejus Oratorem apud Pontificem præstitum; Et ulterius dicebam, quod etiam de jure, quamvis in reservatione pensionis super jurepatronatus Regio requiratur patroni consensus, vel saltem mentio specialis , eo quia non solet Papa de facili id agere sine dicto consensu, ut advertitur in sua materia *sub tit. de jurepatr.* Secus tamen dicendum est , ubi agitur de pensionis jam validè , ac servatis servandis reservatæ translatione ; Ex ea ratione , quod Ecclesia novo non gravatur onere , sed est eadem pensio, ut generaliter in quocumque jurepatronatus, Spad. *conf. 85. n. 8. lib. 3.* Rot. *dec. 501. p. 1. rec.* & apud Otth. *dec. 22. num. 39. & seqq.* Et in specie jurispatronatus Regii Simonetta *dec. 33.* Rot. *dec. 307. p. 3. rec.*

Est benè verùm, quod istæ auctoritates procedunt cum antiqua propositione , quod translatio non sit odiosa , nullumque gravamen, vel præjudicium inferret ob possibilem translatarii præmorientiam transferenti , ista verò propositio rationabiliter hodie ab aula recessit ob Constitutionem 144 Urb. VIII. per quam servitutis , vel oneris prorogatio de sene ad juvenem , vel de moribundo ad sanum, (ut ipsa natura ad evidentiam docet) reputantur præjudicialis, ac onerosa , idcircò in casus occurrentia maturè reflectendum est , an dictæ auctoritates recipiendæ sint, cum satis probabilis ratio dubitandi urgere videatur ; Adhuc tamen occasio non dedit id formiter disputare .

Quo verò ad secundum punctum ; Quamvis consueta formalitas sit ista , quod scilicèt prius de consensu possessoris pensionis cassetur antiqua,& deindè per delegatum fiat reservatio novæ; Attamen ista est formalitas verborum, quæ non attenditur, sed potiùs attendenda est substantia veritatis, eo enim ipso, quod de consensu primi pensionarii in vim indulti delegatus novam facit reservationem ad favorem translatarii ab ipso primo pensionario voliti , implicitè , ac per necessarium antecedens subintelligitur cassatio , dum nova creatio sequi non potest sine corruptione antiquæ , atq; sufficit, quod ita certificetur persona , per cujus mortem naturalem , vel civilem pensio cessare debeat , ut benè advertitur per Rot. *dec. 50 p. 4. rec. tom.* 3. Fortiùs verò ubi accedit clausula, *omni modo meliori* , ut ultrà generalia quæ de operatione dictæ clausulæ habemus satis vulgaria, in terminis pensionis apud Duran. *dec. 60. n. 38.*

Ad tertium, difficultas pariter cessabat ex facto , ob plura officia militiæ Lauretanæ , quorum quolibet inducit capacitatem pensionis in duc. 200. Cameræ non obstante statu conjugali , ac non incessu in habitu , dictaque officia multiplicant dictas summas in eadem persona juxtà *dec. 758* Seraph. cum aliis apud Tondut. *hoc tr. c. 77*

Demum quartum motivum, pariter tollebatur ex facto ob dispensationem Cardinalis concessam , non solùm super retentione incompatibilium , cum sub ista non veniat facultas transferendi , quæ indiget nota speciali , ex deductis per Add. ad Buratt. *dec. 464.* apud Dunoz. *dec. 830.* Tondut. *hoc tr. c. 72.* sed etiam super facultate transferendi .

Verùm , ubi etiam dicta dispensatio non adesset , adhuc ego discurrendo credebam , quod ea non esset necessaria, quamvis adhuc occasio disputare non dederit, unde propterea maturum judicium desuper efformari non potuit, quoniam isti sex Episcopatus Cardinalitii , utpotè annexi ipsi Cardinalatui cum qualitate antianitatis non inducunt incompatibilitatem etiam cum alio actuali , ac residentiali Episcopatu , dum non obligant ad residentiam , ut ultrà antiquam plurium sæculorum observantiam, articulo maturè discusso in Congregatione particulari ab Alexandro VII. deputata declaratum fuit occasione optionis , quem Car-

Cardinalis Brancaccius Episcopus Viterbiensis fecit de Episcopatu Sabinensi , alio Episcopatu retento ; Si enim isti sex Episcopatus Cardinalitii sunt compatibiles cum alio Episcopatu actuali , ac beneficiis , & Commendis Monasteriorum , multò magis , & absque dubio cum pensionibus , in quibus incompatibilitas , seu cessatio pensionum potius resultat à quodam Curiæ stylo; Et quemadmodum non cessat per Episcopatum in partibus, ut advertitur suprà in Aquitana *disc. 43.* ita in præsenti , cum eadem ratio militare videatur imò major.

FERRARIEN. PENSIONIS

PRO

CARDINALIBUS URSINO , ET SABELLO,

CUM CARDINALI ANTONIO BARBERINO , ET ALIIS.

Casus decisus per Rotam , ut infrà .

An valeat translatio in articulo mortis facta per infirmum , etiam nutu , & signis ad interrogationem ; Et an translatarius gaudeat transferentis anterioritate adversus pensionarios posteriores ; Et incidenter de moderatione Constitution. 144. Urbani VIII.

SUMMARIUM.

1 Facti series .
2 *De Constitutione Urbani VIII. super pensionibus aliàs translatis .*
3 *Lex nova edita per viam declarationis ; respicit etiam præterita .*
4 *De moderatione dictæ Constitutionis in isto casu tantum .*
5 *De resolutionibus causæ super facultate transferendi pensionem aliàs translatam .*
6 *Etiam translatario competit anterioritas transferentis adversus pensionarios posteriores .*
7 *De invalida translatione ex defectu mentis infirmæ .*
8 *Fieri potest translatio etiam per constitutam in articulo mortis .*
9 *In materia translationis non intrat Regula de infirmis resignantibus .*
10 *An translatio fieri possit ad interrogationem nutu , ac signis .*
11 *De circumstantiis redolentibus sinceritatem translationis factæ nutu , ac signis .*

DISC. LIX.

PRinceps Perettus possidens super Ecclesia Ferrarien. pensionem scutorum 3. mil. in cum translatam per Cardinalem de Montealto seniorem , graviter infirmus , ac morti proximus , in vim indulti Apostolici , coram persona in ecclesiastica dignitate constituta , impeditus loqui , ad interrogationem , nutu , ac signis eam transtulit pro summa scutorum 1500. in Abbatem Perettum filium, qui fuit postèa Cardinalis de Montealto junior , & pro alia summa scutorum mille in Cardinalem Ursinum , tunc pariter Abbatem ejus nepotem , aliamq; fecit transtulationis pensionis scutor. mille ad favorem familiarium super alia Ecclesia , de qua habetur actum *dec. 38. p. 6. rec.* & enunciatum est supra in Pisana , & Adversana *disc. 57.* Cum autem de dicta Ecclesia Ferrarien. tunc provisus esset Cardinalis Macchiavellus, lite pendente coram A. C. super hujusmodi translationis validitate , & executione , prodiit Constitutio ultima Urbani VIII. per viam declarationis , (quod operatur , ut habeat oculos retro , & non trahatur solùm ad futura , ut est regularis natura legis novæ , sed capiat etiam præterita , Farinac. *in fragm. verbo lex n. 36. tum seqquen.* Honded. *consil. 14. lib. 2.* Rota apud Merlin. *dec. 231. num. 7.* apud Burat. *decis. 167. nu. 4.*) per quam disponitur , ut translatio pensionis alias translatæ, seu pensionis reservatæ super Ecclesia possessa per Cardinalem fieri non possit, nisi in indulto expressa mentio de hoc fiat, vel respectivè Titularis consensus accedat, dictæque Constitutionis vigore , in dicto Tribunali A. C. prodiit sententia super translationis prædictæ invaliditate .

Habito verò recursu per translatarios ad Innocentium X. successorem , obtentum fuit in plena Signatura Gratiæ committi causam in Rota cor. Dunozetto dicta Constitutione non obstante , perindè ac si respectu hujus causæ tunc pendentis non emanasset , ea tamen in reliquis firma remanente ; Unde prodierunt resolutiones translatariis favorabiles sub diebus 2. Martii 1646. & 18. Junii 1649. quæ habentur impressæ inter decis. Dunozett. *decis. 758. & 830.* & quarum prima est repetit. post Tondut. *de pens. decis. 86.*

Cum autem super eadem Ecclesia, Cardinalis Antonius Barberinus pensionem possideret scutorum 3. mil. sibique expediret dictas antiquas pensiones aboleri , ne alias ob Ecclesiæ incapacitatem exclusus remaneret; Hinc mortuo dicto Macchiavello, reassumpsit causam coram eod. Dunozetto super duplici puncto ; Primò scilicet, super concursu super fructibus dictæ Ecclesiæ , ac respectivè super hæreditate dicti Macchiavelli , inter ipsum , & dictos translatarios concurrentes pro terminis decursis; Et secundò , super dictæ translationis nullitate , utpotè facta à constituto in articulo mortis nutu , & signis.

Super primò prodiit resolutio translatariis favorabil's sub die 30. Maii 1657. ut *dec. 999.* ejusdem Dunozetti enunciata superiùs in Melphien. concursus *disc. 19.* atque usq; ad hunc causæ statum Ego non scripsi , sed solùm in altero puncto , quo proposito sub die 21. Junii 1660. nulla capta fuit resolutio, sed audito forsan sensu Rotæ super actus validitate , dictus posterior pensionarius acquievit .

In hac autem disputatione ; Scribens pro dicto oppositore , totum desumebant ex iis , quæ per Rotam firmata fuerant in Perusina pensionis 28. Martii 1649. & 9. Dec. 1650. cor. Peuting. quarum prima est *dec. 307. p. 10. rec.* ubi declaratur invalida translatio pensionis facta per Cardin. Ubaldum in articulo mortis constitutum, ac sensibus destitutum , quasi quod ita casus esset in individuo decisus.

Scribens ego pro translatariis dicebam , quod in his terminis pensionis nil habetur speciale , dum in eodem indulto expressè disponitur , ut translatio etiam per graviter infirmum , ac in mortis articulo fieri possit , talisque est recepta , & quotidiana praxis , de qua etiam supra *disc. 66.* ubi quod in hac materia non intret Regula *de infirmis resignantibus* , non attendenda , nisi in suo casu , ut etiam advertitur in proposito resignationis officiorum *sub tit. de Regal. disc. 6.*

Unde propterea remanent solùm termini generales , quos habemus in materia testamentorum , ac ultimarum voluntatum , & cum quibus etiam processum fuit in dicta Perusina , an sciiicet legata , aliæque dispositiones per ultimam voluntatem , nutu , ac signis fieri valeant ad interrogationem .

Ista verò non est quæstio juris , quæ certam , ac uniformem recipiat determinationem , sed est potiùs quæstio facti , ex singulorum casuum qualitate , ac particularibus circumstantiis decidenda , an scilicet disponens esset , necnè mentis compos , benèque perciperet, id , quod sincerè interrogatus , cum nutu , ac signis annuere voluit , ut in sua materia *sub tit. de testam.*

In hac autem facti specie , tam qualitas insignium virorum , qui actui assistentiam præstarunt , quàm aliæ circumstantiæ , clarè præseferre videbantur illius sinceritatem ; Cujus etiam magnum adminiculum ego deduci observabam ex accerrima , & alta disputatione habita *in d. dec. 38. p. 6. rec.* super invaliditate translationis ratione incertitudinis , cum præsuppositio quod alia requisita concurrent ; Fatuitas enim fuisset dictam altiorem inspectionem assumere , si tunc , quando negotium erat recens, ac faciliùs probari poterat , verùm esset , quod transferens non esset mentis compos , atque in statu disponendi per nutum , & signa , ideòque omninò improbabilis videbatur impugnatio .

PISTORIEN. PENSIONUM

PRO CAROLO, ET JACOBO DE CELLESIIS

CUM N.

Responsum pro veritate .

An indultum transferendi capiat pensiones alias translatas , & an consensum alicui familiæ , vel generi personarum , exerceri possit cum extraneis , vel potiùs restrictum sit ad illos de eadem familia , vel genere; Et è converso, an transferri possit pensio in filios, vel attinentes.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *De Constitutione Urb. VIII. prohibente transferri pensiones alias translatas.*
3 *Non procedit, ubi indultum id expressè concedat.*
4 *A jurepatronatus activo non infertur ad passivum.*
5 *Quod habens facultatem transferendi pensionem, non possit transferre in filium.*
6 *Contrarium verius.*
7 *Consideratur difficultas, de qua num. 5. ut facilior sit translatio in extraneum, &c.*

DISC. LX.

1 INter plura privilegia, quæ Urbanus VIII. concessit Francisco Bracciolino ejus familiari, fuit illud, ut ipse ejusque fratres, ac eorum filii, & descendentes, pensiones Ecclesiastica pro tempore ab eis possessas, quamvis alias translatas, transferre possent in summa ducat. 300. Cameræ pro quolibet; Cùmq; Franciscus junior, ex translatione in eum facta à Juliano ejus patre d. Francisci senioris nepote, certas pensiones possideret super Canonicatibus, & beneficiis possessis à Carolo, & Jacobo, illasque in vim dicti indulti transtulisset ad favorem aliquorum extraneorum; Hinc Titulates, ultrà exceptionem resultantem à Constitutione 20. ejusdem Urb. VIII. super excessu medietatis, in qua nulla cadebat juris quæstio; sed tota erat facti super valore, dum ad formam ejusdem Constitutionis indultum expressè conceptum erat; Ex duobus aliis fundamentis prætendebant invalidam esse translationem; Primò, quia agebatur de pensione aliàs translata, ideòque sine speciali eorum consensu illa fieri non potuerat, juxtà ejusdem Urbani Constitutionem 144. de tempore concessi indulti, adhuc non editam; Et secundò, quòd cum dictum indultum concessum esset in gratiam filiorum, ac descendentium dicti Francisci familiaris Papæ ejusque fratrum, ex verisimili concedentis intentione, suffragari non deberet, nisi personis de illo genere, non autem extraneis. Quare desuper ex parte Titularium consultus, utroque puncto contra ipsos respondi.

Quatenùs enim pertinet ad primum; Dicebam distinguendo tempora, quod licèt ante prædictæ constitutionis editionem motivatum, aliàs fuerit per Rotam *dec.* 485. *n.* 4. *par.* 4. *recent.* ut facultas transferendi non suffragetur quo ad pensiones aliàs translatas ubi earum expressa mentio non fiat, atque cum hac decisione superficialiter, (frequentius) pertranseat Tondut. *hoc tract. c.* 28. *nu.* 34. Attamen verius, magisque receptum est contrarium, ut scilicet indultum concessum transferendi quascumque pensiones, suffragetur etiam quoad alias translatas, ut ex Lotther. *lib.* 1. *quæst.* 40. *num.* 95. & aliis firmatur per Rotam articulo formiter discusso apud Dunozett. *decis.* 768. & 830. quæ prodierunt in Ferrarien. de qua *disc. præced.* Multò igitur magis, ac extrà omne principium dubitandi, ubi id expressè conceditur in indulto, ut in præsenti; Et per quam circumstantiam advertebam, cessare quoque dictam superventam Constitutionem 144. quoniam in eadem excipitur, iste casus, ubi scilicet in indulto; personum etiam translatarum mentio fiat.

Quo verò ad alterum; Ex duplici fundamento dicebam dictam restrictionem non intrare; Primò scilicet ex iis, quæ pluries habetur *sub tit. de jurepatr.* ut ex jurepatronatus activo non inferatur ad passivum, neque ex eo, quod ex Apostolico privilegio, vel fundatoris dispositione, alicui generi data sit facultas præsentandi ad beneficia resultat necessitas exercendi facultatem prædictam in personis de illo genere; Sic à pari cum nulla dignosci videatur differentia, quoniam privilegium percutit facultatem facientis actum, non autem personam, cum quo ille faciendus est.

Et secundò fortiùs, quoniam Gigas *de pension. q.* 86. desumendo argumentum à prohibitione successionis filii in beneficio patris resultante à Constitutione Clement. VII. & à Concilio Trident. motivat, ut idem dicendum videatur in pensionibus, quasi quod facultas transferendi sit exercibilis cum aliis, non autem cum propriis filiis, vel descendentibus. Et quamvis ex recepto usu, contrarium sit verius, ubi non agatur de filiis illegitimis, cum quibus aliqua cadit difficultas, ex motivatis apud Tondut. *hoc tr. c.* 31. *num.* 16. *cum seqq.* quod tamen adhuc occasio non præbuit formiter disputare, ut maturum judicium desuper efformari potuerit, & super quo ponderanda sunt ea quæ in proposito successionis filii in beneficio patris motivantur in Tranen. Canonicatus *sub titul. de benef. disc.* 66. Attamen observabam satis in proposito considerabilem esse difficultatem motivatam, ut supra per Gigantem, ut ita dignoscatur quod difficilius hujusmodi facultates transferendi sint exercibiles cum personis de proprio genere, quam cum extraneis; Non quod difficultas subsistat, sed per argumentum à majori, ut insubsistens sit dicta restrictio, quæ per Titulares prætendebatur, ideòque concludebam, quod aliud non remaneret probabile fundamentum, nisi supra insinuatum resultans ex Constitution. 20. Urbani; quod ut dictum est, totum pendet ex facto, ac probationibus valoris, nullamque habet juris inspectionem, ut advertitur suprà *disc.* 55.

ROMANA PENSIONIS SUPER CANONICATU IN COSMEDIN PRO N. URSINO CUM SEBASTIANO FRANCO.

Casus disputatus coram A. C.

An facultas transferendi competens Conclavistis, suffragetur pro pensionibus reservatis etiam super distributionibus quotidianis absque speciali mentione. Et quatenus non, An translatio simpliciter facta subsistineatur super fructibus certis, ad ratam eorum capacitati, vel potiùs corruat in totum.

SUMMARIUM.

1 FActi series.
2 *Possessio transferentis suffragatur in omnibus translatario non tamen ad effectum manutentionis, sed datur immissio.*
3 *Quod facultas transferendi non suffragetur in pensione super distributionibus quotidianis.*
4 *De ratione dubitandi in contrarium.*
5 *De materia distributionum remissivè.*
6 *Non per hoc prohibita est translatio pensionis super fructibus.*
7 *Translatio est individua, & substineri potest pro parte.*
8 *Contrarium quod neque substineatur in hac parte.*
9 *Damnatur stylus deferendi simpliciter decisionibus, & auctoritatibus.*
10 *Decisiones sunt intelligendæ juxtà doctrinas, quas allegant.*
11 *Non sunt decisiones in iis, quæ dicuntur incidenter.*
12 *Impugnatur conclusio, de qua n.* 8.
13 *Super eodem ad id probandum datur simile.*
14 *Quod cautè procedendum sit in decisionum extensione.*
14 *De eadem conclusione, de qua n.* 3. & 4.
16 *Datur distinctio, de qua specie distributionum conclusio intelligi debeat.*

DISC. LXI.

SUper Canonicatu Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ in Cosmedin, occasione illam jam vacantem providendi, 1
reservata fuit pensio, tam super præbenda, & fructibus quàm super distributionibus quotidianis, ad favorem Marchionis Francisci Ursini, contra quem Sebastianus in Canonicatu successor, litem excitavit super pensionis nullitate ob falsam narrativam valoris, atque succumbendo in possessorio, sententiam favorabilem reportavit in petitorio, suspensam per appellationem; In hoc autem statu decedens pensionarius, in vim facultatis transferendi competentis Conclavistis, de quorum numero ipse erat, 2
utpotè in conclavi assistens Cardinali Ursino, partem dictæ pensionis transtulit ad favorem N. pariter Ursini, quo in vim dictæ translationis petente cor. A. C. solitam immissionem translatariis competentem ex quodam Curiæ stylo, per quem licet receptum sit, ac extrà controversiam, ut possessio transferentis, ad omnes alios effectus suffragetur translatario non tamen ad illum interdicti retinendæ, seu remedii manutentionis, sed solùm datur illud adipiscendæ, sive immissionis, æquè tamen privilegiatum circa processum executivum, ac exclusionem suspensivæ appellationis, ut cæteris relatis, Buratt. *dec.* 638. *n.* 5. ubi Adden. *litt. B*, Posth. *de manut. obser.* 55. *à n.* 155. Tond. *de pens c.* 20. *n.* 4. & 22.

Excipiebat Titularis de dictæ translationis invaliditate, ex eo,

ex eo, quod indultum transferendi conclavistis concessum non comprehendat pensiones reservatas super distributionibus quotidianis, juxtà ea, quæ recedendo à præcedenti decisione 15. Februarii 1636. coram Pirovano firmantur in Romana pensionis 23. Maii 1644. coram Meltio impress. post Zacch. *de salar. disc.* 26. ac moderniori tempore in Romana pensionis 23. Martii 1666. coram Taja, & 17. Aprilis ejusdem anni coram Emerix, recedendo à præcedenter firmatis in eadem causa 15. Februarii 1664. & 20. Martii 1655. coram Ninot. & 29. Martii 1666. coram eodem Taja. 7

Scribens Ego pro translatario, negligendo reassumere quæstionem in dictis decisionibus hinc inde editis tractatam, an scilicet indultum conclavistarum, utpotè per verba generalia, & effrenata loquens de pensionibus reservatis super quibuscumque fructibus, redditibus, & proventibus, 4
suffragetur in illis, quæ reservatæ sint super distributionibus quotidianis, quasi quod illa verba, *redditibus*, & *proventibus*, *fructuum*, discretè à verbo, *fructuum*, atque munita generali, ac effrenata verba, *quibuscumque*, apta sint quotidianas distributiones etiam comprehendere, ut in specie Spad. *cons.* 62. *num.* 5. *lib.* 3. Penia *decis.* 216. *num.* 2. & super quo plura colligit elaboratus additionator *ad decis.* 597. *par.* 4. *recent. tom.* 3. ubi nimium se diffundit in hac materia distributionum quotidianarum, earumque privilegiorum, præsertim circa reservationem, ac translationem pensionis, ut absque nota speciali hujusmodi onus non recipiant. 5

Atque admittendo opinionem negativam in posterioribus decisionibus firmatam (absque tamen proprii judicii interpositione;) Dicebam, quod cum ista pensio reservata esset tam super præbenda, & fructibus, quàm super distributionibus, hinc ubi quo ad istas, utpotè privilegiatas, atque speciali nota dignas indultum non suffragaretur, adhuc tamen translatio subsistineri deberet super præbenda, & fructibus, super quibus nulla cadebat quæstio; quodque propterea concedi debuisset immissio ita restricta ad præbendam, & fructus, cum distributionum exceptuatione, quamvis fructus non ascenderent ad summam translatæ pensionis proportionatam, dum receptum est, quod pensio materiam dividuam continet, in qua tanta est utilitas in toto respectu totius, quanta in parte respectu partis, ideòque utile per inutile non vitiatur, sed substinetur in parte, ut habetur pluries in præcedentibus, præsertim *disc.* 55. ex decisione 153. & 173. Manticæ, Buratt. *decis.* 12. & 369. ibique Adden. & in aliis frequenter cum sit principium receptum, ac hodie certum. 6

Acquiescebat his judex, jam paratus ad petitæ immissionis concessionem juxtà dictam restrictivam; Verùm ex parte Titularis deductæ fuerunt duæ decisiones Rotæ in Lauretana pensionis 11. Februarii 1667. coram Cerro, & 4. Junii 1668. coram Calatajù, in quibus infirmatur translatio indefinitè ex eo, quod distributionum mentio facta non sit, quamvis beneficium pensione oneratum ultrà distributiones, haberet quoque fructus; Et licèt Ego exagerarem, quod dictæ decisiones editæ una tantum parte informante non examinarent formiter articulum, sed incidenter id assererent; Quinimò ad superabundantiam, dum in eo casu infectio pensionis aliud habebat solidius, ac principale fundamentum falsæ narrativæ valoris, atque ex auctoritatibus, cum quibus illæ procedunt, convinceretur, 8
quod percuteret solum punctum distributionum, dum solùm allegantur decisiones superius insinuatæ, idque rectè idem judex agnosceret; Attamen ob maledictum, ac abominabilem abusum, qui adeò damnabiliter irrepsit, atque in dies crescit, deferendi simpliciter, ac in sola littera præsertim decisionibus, hinc quamvis doctus, ac probus, nimium tamen timidus, & obsequens, distitit sub dubios, nihil determinando, expectare volens ejusdem Rotæ declarationem. 9

Mihi ad solam veritatem etiam reflectendi, ista difficultas nullius videbatur momenti, dum dictæ posteriores decisiones editæ, ut dictum est, una tantum parte informante, simpliciter procedunt cum aliis supra allegatis loquentibus de pensione super beneficiato Basilicæ Vaticanæ nullos fructus certos habente, cum in ea Ecclesia totum consistat in distributionibus ratione interessentiæ, ac servitii personalis, ideoque articulis hujus mixtura nullatenus examinatus fuit, & consequenter dictæ decisiones nullam in proposito auctoritatem facere debeant, ex dupli- 10
ci propositione, primò scilicet, quod doctrinæ, vel decisiones intelligendæ veniunt juxta auctoritates; quas allegant Bart. *in leg. non solum, §. liberationis verba nu.* 7. *ff. de lib. legat.* Rot. *decis.* 302. *n.* 9. *par.* 4. *recent. tom.* 2. & *decis.* 155. *n.* 56. *par.* 6. *recent.* Et secundò, quod decisiones Rotæ dicuntur tales in eo puncto, qui principaliter disputatus, 11
ac decisus fuit non autem in iis, quæ obiter, ac articulo non discusso dicuntur, ut pluries eadem Rota antiqua, & moderna protestata est, ut apud Seraph. *decis.* 299. *in fine*, & *decis.* 17. *n.* 9. *par.* 7. *decis.* 285. *n.* 12. *par.* 9. & *decis.* 196. *n.* 39. *p.* 11. *recent.*

Examinando autem punctum dicebam etiam in sensu veritatis, nullum adesse probabile fundamentum, cui ista dubietas innitieretur, tum ratione subjectæ materiæ divi- 12
duæ, per quam utile per inutile non vitiatur, ut supra; Tum clarius, quia esset dare inconveniens, ut inducta ad favorem retorqueantur in odium, quodque deterioris conditiones esset ille, qui minus privilegiatus est, quam ille, qui magis, quoniam habens pensionem in forma ordinaria super solis fructibus certis, illam transferre posset, dictaque facultate privatus remaneret ille, qui eam habet magis privilegiatam tam super fructibus, quàm super distributionibus.

Dabam in hoc exemplum practicum, quod si regulariter sub bonorum hypotheca non cadentibus bonis feudalibus, vel fideicommissariis, aut Regalibus, ut sunt officia, & 13
loca montium, cum similibus in commercio non existentibus, Princeps, vel alter, ad quem pertinet, assensum præbeat, ut hypoteca, ista quoque bona de jure prohibita capiat, talis autem assensus interpretetur, ut sit personalis, non autem cessibilis, vel transmissibilis, prorsus utique vanum esset asserere, quod hæc prohibita transmissibilitas, vel cessibilitas operari deberet, ne transmitti, vel cepi posset hypotheca super juribus, ac bonis indifferentibus, & non prohibitis, quo nil absurdius; Atque ita edocemur, quàm cautè procedendum sit in extendendis de- 14
cisionibus ob hujusmodi effectus, qui resultant apud inferiores judices in ipsa Curia, quantò magis in inferioribus, ac pedaneis in partibus.

Quatenus verò pertinet ad dictam conclusionem, in ista disputatione, ut supra præsupposita m, quod scilicet facultas transferendi, quamvis per verba generalia, & effrena- 15
ta concepta, non capiat pensiones reservatas super distributionibus; Ego non scripsi in causa, in qua dictæ decisiones hinc inde prodierunt, ideòque maturum judicium efformare non potui, quænam haberent majorem probabilitatem; Istius verò, ac aliarum causarum occasione ponderabam, parum probabile videri, desuper certam, ac determinatam regulam generalem statuere, sed cum quæstio 1
sit potiùs voluntatis & facti, quàm juris, quid scilicet verisimiliter Papa concedens indultum in animo habuerit; Hinc pro inde ex singulorum casuum qualitate & circumstantiis decisio regulari debet; Si enim agatur de beneficio, quod habeat fructus certos congruos habeatque etiam distributiones solo servitio personali proportionatas tanquam nudum præmium laboris, tunc rectè dicta opinio negativa procedit, cum onus pensionis hujusmodi distributionibus verè sit incongruum, ac exorbitans, ideòque si datur una exorbitantia in reservatione, dari non debet ejus multiplicatio, seu prorogatio in translatione, atque isto 16
casu rectè intrant posterioris decisionis fundamenta; Ubi verò, juxtà distinctionem pluries ponderatam, præsertim *sub titul. de beneficiis disc.* 90. & *sub tit. de jurepatronat. disc.* 10. agatur de pinguibus beneficiis Ecclesiæ habentis veros fructus certos resultantes ab ejus prædiis, ac bonis, adeòut eorum natura attenta veri fructus dicendi sint, ex laudabili tamen consuetudine, vel instituto redacti sint ad formam distributionum pro meliori Ecclesiæ cultu, absque eo, quod dici valeat non adesse exuberantiam, sed esse præmium præcise adæquatum servitio, ac labori personali, ut sunt Canonicatus Basilicarum Urbis, ac etiam longè pinguiores Canonicatus, ac Dignitates Ecclesiæ Toletanæ, aliarumque Hispaniæ Ecclesiarum, utique incongruum videtur, quod in istis in parte excedente dictam proportionatam servitii remunerationem, cadant ea, quæ in præcisis distributionibus habentur, cum secluso effectu, ut illi, qui non intersunt, ac non inserviunt, ex dicto rationabili usu, vel instituto participare non debeant, in reliquis pars excrescens, quæ potiùs pinguiorem provisionem, quam nudum præmium servitii importare videtur, fructuum jure potiùs regulanda veniat, adhibendo propositionem, in quæstionibus voluntatis perpetuò, ac principaliter adhibendam, ut non cortex, & figura verborum, sed substantia verisimilis voluntatis attendi debeat, & de qua pro-

propositione pluries *sub tit. de fideicommiss.* & sub aliis *de cred. & de contractib.* ac etiam *in beneficialib. sub tit. de benefic. disc.* 5.

EUGUBINA PENSIONIS PRO EPISCOPO, CUM COMITE CARPINEA.

Responsum pro veritate.

De eadem facultate conclavistarum, seu dapiferi conclavis transferendi pensiones, An suffragetur, si pensionarius habens talem facultatem efficiatur bigamus; Et an eadem facultas suffragetur pro pensionibus reservatis super Ecclesiis Cathedralibus; Et quid de facultate competente militibus S. Stephani.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De facultatibus militum S. Stephani.*
3 *A facultate retinendi non infertur ad facultatem transferendi pensiones.*
4 *De facultatibus conclavistarum, & dapiferorum, & an obstet bigamia.*
3 *An derogatio Concilii Lateranensis requisita in reservatione pensionis super Cathedrali requiratur in facultate transferendi.*

DISC. LXII.

1 COmes Marius de Carpinea dapifer Cardinalis Caroli de Medicis in conclavibus Gregorii XV. & Urbani VIII. obtinens posteà pensionem scutorum 200. super Ecclesia Eugubina, illam de anno 1669. transtulit in Comitem Uldericum filium, atque prætendente Episcopo dictæ translationis invalidatem ex qualitate bigamiæ per dictum Marium contracta, ab eodem desuper pro veritate consultus; Cum in dicto transferente duplex concurreret titulos pro dicta transferendi facultate, unius scilicet militis S. Stephani, & alter dapiferi.

Quatenus pertinet ad primum; Respondi illum non suffragari, quoniam licèt inter privilegia huic militiæ concessa per Pium IV. registrata *in Bullario post ejus Constitutionem* 60. ac etiam in volumine statutorum ejusdem militiæ, sit istud, ut statu conjugali, ac bigamia non obstantibus, pensiones in certa summa retineri, ac etiam transferri valeant; Attamen illa moderata fuerunt per Constitut. 73. Pii V. enunciatam supra in Majoricen. *disc.* 45.

2 Et quamvis per Constitut. 104. Sixti V. & 46. Pauli V. prævia dictæ Pianæ Constitutionis moderatione hujusmodi facultates reintegratæ fuerint; Attamen quia reintegratio loquitur de retentione, non autem de translatione, hinc ad istam trahi non potest, ex recepta conclusione; quod à facultate retinendi non infertur ad magis odibilem facultatem transferendi; juxtà *dec. Caputq.* 303. *par.* 2. & *decis.* 99. *par.* 3. *cum concord.* per Tondut. *de pension. cap.* 32. & indubitatum dicitur in Romana pensionis 15. Februari 1644. coram Ninot. in hac parte non revocata.

Difficultatem vero contra requirentem habebant ex alio titulo dapiferi, ob amplas facultates resultantes à Constitutione 9 Urbani VIII. §. 11. Nil obstante, quod illa mentionem non faciat de uxoratis, ac bigamis, quoniam probabilis mihi videbatur ratio ponderata per Rotam in dicta Romana pensionis coram Ninot. quod scilicet Papa contentetur solo facto validæ, ac legitimæ competentiæ pensionis, ut illa transferri possit; Quamvis enim à dicta decisione recessum sit coram Taja, & Emerix; Attamen recessus non fuit circa istam conclusionem, sed circa alteram, ut sub dictis facultatibus non veniant pensiones reservatæ super distributionibus quotidianis, ut *disc. præced.* Et de quo puncto, ut scilicet data habilitatione retinendi pensiones matrimonio non obstante, ex uno titulo inefficaci ad translationem suffragetur facultas transferendi competens ex alio titulo, habetur infrà in Camerinen. pensionis *disc.* 78.

Ponderabam pro Titulari dici posse, quod cum d. Constitutio Urbani loquatur de pensionibus super beneficiis curatis, vel non curatis, suffragari non debeat quoad pensiones reservatas super Ecclesiis Cathedralibus, quarum respectu requiritur mentio specialis cum derogatione Concilii Lateranen. verum motivum non videbatur subsistere, quoniam juxtà decisionem in Parmen. pensionis coram Clementem VIII. & alias, de quibus Millin. *decis.* 277. ista generalitas, de quibuscumque pensionibus super quibuscumque beneficiis, comprehendit etiam Cathedrales, dictarumque decisionum auctoritate, ita firmant etiam Gratian. *discept.* 551. *n.* 19. & Tondut. *de pension. cap.* 31. *n.* 10. neque quod scirem, habetur decisio in contrarium.

Ideoque dicto Episcopo consului, ut pro meo sensu vel acquiesceret, vel concordiam eo, quo meliori posset modo obtineret; Non acquievit autem, sed aliis assumptis defensoribus litem substinuit coram A. C. & in Signatura, sed succubuit.

ROMANA FACULTATIS TRANSFERENDI AD PETITIONEM CUJUSDAM CARDINALIS.

Discursus pro veritate.

An Constitutio Urbani VIII. disponens, ut super Ecclesiis possessis per Cardinales transferri non possint pensiones absque speciali mentione, procedat in illis Ecclesiis; quarum Cardinales non sint amplius possessores, sed eis dimissis, sint reservatarii fructuum.

SUMMARIUM.

1 *De Constitutione Urbani VIII. super facultate transferendi pensiones super Ecclesiis possessis per Cardinales.*
2 *Reservatarius fructuum non habet jus in Ecclesiæ, neque est ejus possessor.*
3 *Sed habet aliquod majus quam pensionarius.*
4 *Reservatarius fructuum non habet jurisdictionem.*
5 *Dicta Constitutio suffragatur etiam Cardinalibus reservatariis.*
6 *Etiam in legibus immorandum non est in cortice verborum, sed in substantia veritatis.*
7 *Pensio non tribuit jus in beneficio, sed in fructibus.*
8 *De Constituttone 20. Urbani VIII. ut procedat etiam favore reservatarii fructuum.*
9 *De declarationibus dictæ Constitutionis factis ab eodem Urbano.*

DISC. LXIII.

DIsponente sæpiùs enunciata Constitutione Urbani VIII. de qua apud Dunozett. *decis.* 778. & 830. ut facultates transferendi pensione non suffragentur quoad illas Ecclesias, de quibus provisi essent Cardinales absque speciali mentione; Consultus fui ex parte cujusdam docti Cardinalis, an eadem Constitutio comprehendat Ecclesias alias per Cardinales possessas, postea verò dimissas cum reservatione fructuum ad eorum favorem, injuncto eis onere solvendi Episcopo noviter provisо congruam.

Respondi pro negativa facere, quod reservatarii fructuum dici non possunt possessores Ecclesiarum seu de illis provisi, quoniam stante provisione alterius Episcopi, non potest dari alter provisus, vel possessor, quoniam esset dare, vel monstrum duorum capitum in uno corpore, vel duos sponsos unius sponsæ, quorum utrumque in jure implicat, ut pluries advertitur *sub tit. de jurisdict.* super controversia inter Ordinarios, & inferiores Prælatos, ac etiam in altero ibi annexo *tit. de præeminent.* occasione agendi de materia Cathedralitatis.

Et quamvis reservatarius fructuum aliquid plus habere videatur, quam simplex pensionarius, ideòque juxtà unam opinionem, sub legibus disponentibus de pensionariis, hujusmodi reservatarii non veniunt, ex deductis per Spad. *consil.* 150. *lib.* 1. (quod neque transit absque difficultate, ex iis, quæ habentur *sub tit. de benefic. disc.* 81.) Attamen istud majus jus tale quale sit percutit quandam majorem servitutem redolentem speciem usufructus, juxtà plenè deducta *decis.* 1. *p.* 9. *recent.* quæ reputatur in materia magistralis; Vel percutit administrationem temporalem ipsorum bonorum, ac fructuum, non autem spiritualem, vel jurisdictionalem, cum sibi non remanet jurisdictio, vel aliud jus, nisi illud quod per Papam reservetur, ut *decis.* 762. *par.* 2. *rec.* cum aliis *sub tit. de benefic. disc* 2. Et consequenter dicebam intrare axiomata satis vulgaria, quæ habemus in materia legum correctoriarum, ac exorbitantium, ut non detur extensio de casu ad casum, sed intelligi debeant in casu præciso, ac in littera, ut præsertim habetur pluries *sub tit. de succes.* ubi ad materiam Statutorum.

Probabiliorem verò dixi mihi videri affirmativam, quoniam dictæ Constitutionis tenor ostendit, quod Papa in ejus editione non respexit ad sublevandas Ecclesias, dum de istis possessis Prælatos non curavit sed principaliter respexit ad personas Cardinalium, pro substinenda eorum dignitate, pro qua majus bonorum, ac reddituum temporalium subsidium necessarium est, ideoque procedendum est, cum adeò frequenter enunciata propositione, (quæ pro meo sensu omnium legis, vel hominis dispositionum regulatrix esse debet,) ut non cortex, seu formalitas verborum, sed substantia veritatis, sive finis, ac effectus per disponentem seu legislatorem volitus attendi debeat quoniam lex non verbis, sed rebus imposita est ut advertitur *in l fin. c. de usur.* atq; grammaticorum non autem Juristarum & Judicum sunt partes in sola grammaticali significatione immorari, ut pluries *sub tit. de fideicommiss. & sub tit. de contract. & alibi.*

Cum igitur ex pluries in præcedentibus insinuatis, pensio non tangat spiritualitatem beneficii, neque in eo aliquod jus in re, vel ad rem tribuat, sed solum percutiat temporalitatem fructuum, hinc de consequenti spectatur effectus; an fructus ob prorogatam pensionem, diminutionem pati debeant, necne, ideòque percutit eum, ad quem fructus pertinet, sive possideat Ecclesiam, sive non.

Ideòque in terminis alterius Constitutionis 20. ejusdem Urbani VIII. super prohibita translatione ultrà medietatem fructuum, ut attendi debeat ratio, seu verisimilis intentio Pontificis, non autem formalitas verborum habetur apud Rojas *dec.* 184. *n.* 14. & 15. & *per tot.*

Omnemque difficultatem cessare dixi, idque in claris poni ex declarationibus ejusdem Urbani factis in plena Signatura Gratiæ, cum Rotæ Decano registratus apud Rojas *dec.* 217. super dicta Constitutione 20. quarum prima est, ut quod disponitur de Titularibus, ac beneficiatis in hujusmodi reservatarii fructuum quoque intelligi debeat, ideòque ubi habemus declaratam voluntatem legislatoris, quamvis occasione alterius legis, nullam suppresse dixi quæstionem negligendo desuper facere cumulos axiomatum, ac regularum cum copiosis allegationibus juxta leguleici vulgi stylum, dum virum doctum, ac versatum alloquebar.

CONIMBRICEN. PENSIONIS PRO BENEDICTO DEL MEDIA, CUM SIMONE MONTEIDO.

Responsum pro veritate.

De invalida translatione pensionis sub conditione mortis transferentis; Et quando mentio dictæ mortis faciat translationem, conditionalem, & consequenter invalidam.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Translatio facta sub conditione mortis transferentis est invalida.*
3 *De translatione conditionali.*
4 *An vitietur conditio vel potius vitiet translationem.*
5 *De resignatione ad favorem non abdicante jus à resignante, si non effectuatur.*
6 *Declaratur conclusio, de qua n.* 2.
7 *Quando causa dicatur finalis, vel impulsiva.*
8 *Datur simile de donatione contemplatione matrimonii.*
9 *Et quando conditio dicatur præcisa importans causam finalem, ut vitiet.*

DISC. LXIV.

1 OBtinens Benedictus, senior indultum transferendi pensionem Apostolica auctoritate possessam super Canonicatu Cathedralis, illam servatis servandis transtulit in Benedictum juniorem nepotem, atque in translationis instrumento, Notarius candidè narrans finem, ad quem hujusmodi translationis fiunt, dixit, ut decedente ipso transferente posset translatarius post ejus mortem dicta pensione potiri. Quare Titulari super dictæ translationis invaliditate jactationes faciente ex dicta causa, ex parte translatarii pro veritate desuper consultus fui.

Respondi, quæstionem esse potius facti, & applicationis quàm juris; Receptum est enim apud Beneficialistas, translationem factam sub conditione mortis transferentis esse invalidam, Navarr. *cons.* 65. *lib.* 5. Parif. *de confident. quæst.* 23. *n.* 49. Garz. *p.* 1. *cap.* 5. *n.* 54. *cum seqq.* Lotther. *lib.* 2. *quæst.* 40. *n.* 19. & 20. Et de translatione conditionali, Gabr. *consil.* 185. & *seqq. lib.* 1. Solùmque isto casu cadere posset quæstio quam adhuc disputare occasio non dedit, an ista conditio vitiet vel potiùs vitietur, ad effectum, ut conditione vitiata valida, & pura remaneat translatio; vel ad effectum, ut invalida ipsa translatione existente, non abdicetur jus à transferente penès quem pensio remaneat, ac si translatio facta non esset ex conclusione, de qua supra in Ferrarien. *disc.* 51. ut actus factus ad favorem alterius, conditionem implicitam habeat, quatenus effectum sortiatur, sin minùs non abdicet jus à faciente ex defectu intentionis, & in quo videtur decisio pendere à facti circumstantiis, malam, vel respectivè bonam fidem, justamque credulitatem, seu excusationem inducentibus, necne, cum ex hoc resultet, an intret dicta conclusio, vel potius ejus limitatio enunciata *eod. disc.* 51. ubi ineffectuatio proveniat à culpa facientis.

Verùm in casu, de quo agitur, Respondi pro meo judicio ex parte pensionarii timendum non esse, utpotè extra casum conclusionis procedentis ubi actus dici possit conditionalis; utpotè conceptus per clausulas, seu verba taxativa, & alias excludentia animum faciendi, adeòut casus mortis percutiat substantiam dispositionis, atque actus perfectio pendeat à purificatione dictæ conditionis, quæ fuerunt causa finalis, ac præcisa sine qua non; Secus autem, si mors respiciat potiùs causam impulsivam, seu motivum id faciendi, juxta hodie satis vulgarem, ac receptam distinctionem, quam habemus in materia donationis factæ cum mentione mortis, ex plenè deductis per Rotam apud Merlin. *decis.* 644. *repetit. decis.* 9. *par.* 7. *rec.* & pluries in sua materia *sub tit. de donation.* Ubi enim respicit solùm causam impulsivam, seu motivum faciendi, tunc planum est non facere actum conditionalem.

Et hic erat casus quoniam instrumenti tenor ostendebat quod imminens mors à transferente sene juxtà naturæ ordinem formidata juxtà fortè omnium translationum casum fuerit causa impulsiva, seu motivum illam faciendi pro effectu considerato in plenè enunciata Constitutione 114. Urbani VIII. ut translatarius tanquam junior, & validus juxtà naturæ ordinem, ac frequentiorem contingentiam, pensionem obtineret, illaque non extinguatur; non tamen exindè inferri potest, quod actus esset verè conditionalis, juxta ea, quæ frequenter habentur *sub tit. de donation.* in propositio donationum, quæ fiant contemplatione certi, ac determinati matrimonii. Quoniam in eis fieri solet narrativa pro meliori provisione, ac subsistentatione filiorum procreandorum, ac uxoris, & tamen non per hoc, quod matrimonium citò solvitur, vel quo filii ex illo non procreantur, vel quod donatarius debita contrahat, sive bona distrahat, exindè resultat donationem dici conditionalem, cum similibus; Tunc enim objectum procederet, quando præcisè sub dicta conditione translatio facta esset, itaut effectum sortiri non deberet, nisi quatenus dicta mors sequeretur, & non alias, quod istius translationis tenor verè non improbat; Ad quod conferunt, quæ habentur supra in Vintimillien. *disc.* 41.

BONONIEN. PENSIONUM PRO PHILIPPO ROZZOLO CUM N.

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura, & resolutus pro Philippo.

An in materia pensionis intret confidentia eodem modo, quo in beneficiis; Et quando translatio dicatur confidentiaria, itaut invalida remaneat, necne.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De probatione simulatæ translationis.*
3 *In pensionibus, an & quomodo intret confidentia damnata per Constitutiones Apostolicas.*
4 *Translatio debet esse talis ut certificetur pensionarius.*
5 *Quod cadat confidentia, vel simulatio de jure communi.*
6 *Non prohibetur translatarius, nullo accedente pacto ex gratitudine pati, ut transferens potiatur pensione.*
7 *De justis causis excusantibus exactionem factam à transferente.*
8 *Processus executivus pensionis non retardatur per exceptiones dubias.*
9 *Translatario competit via executiva.*

DISC. LXV.

CUm Carolus Lilius Gregorii XV. familiaris pluries possideret pensiones super aliquibus beneficiis existentibus in diœcesi Bononiensi, & alibi, ac etiam super Ecclesia Urbanien. de qua agitur infrà *disc.* 67. illas in vim indulti transtulit in Philippum ex sorore nepotem in pupillari ætate constitutum, sub ejus tutela, & educatione viventem, deindeque continuavit in earundem pensionum exactione, ut prius usque ad obitum, quo sequuto, cum Philippus factus adultus habita dictæ translationis notitia, in illius executionem Titulares de solutione pensionis pulsaret, eis allegantibus dictæ translationis invaliditatem utpotè simulatæ, seu confidentiariæ, introducta fuit causa coram A.C. ac resoluta pro pensionario, Signatura etiam probante, unde propterea possessores beneficiorum acquieverunt, litem prosequentes super alio puncto Episcopi Urbanien. ut infrà *disc.* 67.

In disputationibus autem desuper habitis tam coram A. C. quàm in Signatura, ex parte Titularium invalida prætendebatur dicta translatio ratione confidentiæ, quam clarè probare dicebant ex eo quod idem transferens plurium annorum spatio in ejusdem pensionis exactione nomine proprio, ut prius continuasset, deducendo terminos generales quos habemus in materia simulationis donationum, vel alterius alienationis probatæ ex continuatione donatoris in possessione bonorum donatorum.

Et magis proximè adducebant auctoritatem Parisii *de confident. quæst.* 23. & Garz *par.* 5. *cap.* 3. *n.* 43. *& seqq.* qui sentire videntur, quod quidquid sit de quæstione an Constitutiones Pii IV. aliorumque Pontificum loquentes de beneficiis, locum habeant in pensionibus ad effectum censurarum, ac pœnarum, in quo probabilior videtur negativa juxtà decis. 156. Peniæ juxta Ludunen. cum concord. per Garz. *ubi sup. n.* 52. Attamen secus dicendum sit quoad invaliditatem actus, quoniam illud in translatione præcipuum, ac essentiale videtur, ut certificetur persona pensionarii, per unius obitum pensio cessare debeat, & ne alias fieret locus fraudibus, ut uno eorum præmoriente evitari possit extinctio per supervenientiam alterius, ut infra in Cremonen. *disc.* 70. ac juxta ea, quæ à simili habentur frequenter in materia societatis officii *in eo tit. post illum de usuris lib.* 5.

Quamvis autem ego scribens pro translatario deducerem auctoritatem, Lotther. *lib.* 3. *quæst.* 29. *n.* 84. *& seqq.* ubi non assentiendo Garsiæ, & Parisio *ubi sup.* probare conatur, quod in materia pensionis, utpotè merè temporali nullam redolente spiritualitatem non cadant termini confidentiæ; Attamen reflectendo ad veritatem, advertebam id rectè procedere ad effectum inspectionis, an intrarent, necne dictæ Constitutionis Apostolicæ; secus autem, ut intrarent ea, quæ generaliter habemus disposita de jure communi in donationibus, aliisque actibus præsertim in dictis satis proximis terminis societatis officii, ob dictam claram rationem fraudis ideòque motivum non placebat.

Probabile autem videbatur alterum motivum, quod tunc intraret confidentia, vel fraus, quando præcedat pactio, in cujus executionem resignans, vel transferens continuet in possessione, vel exactione, secus autem, ubi nulla accedente conventione, atque actu purè, ac perfectè explicato resignatarius, vel translatarius ex voluntario motivo gratitudinis, obligationis antidotalis patiatur transferentem, vel resignantem potiri comoditate emolumenti, sive alia justa causa accedat, ut apud Vermiglioli. *conf.* 153. *n.* 2. Rota apud Gregor. *dec.* 238. *n.* 8. apud Peniam *d. dec.* 156. juxta Lugdunen. aliàs 125. *juxta Venetam repetit.* apud Marchesan. *de commiss. p.* 1. *fol.* 518. cujus etiam mentionem faciunt Garsias *dicta p.* 1. *cap.* 5. *n.* 52. & Tondut. *hoc tract. cap.* 26. *n.* 4.

Duplex autem justa causa præsenti accedebat; Una scilicet, quod translatarius pupillus, patre destitutus vivebat sub tutela, & administratione ejusdem transferentis, qui per hujusmodi continuationem jus pupillo quæsitum tollere non potest, & dum ob dictam pupillarem ætatem præcedentis pactionis requisitum verificabile non erat; Et altera, quod plures aderat pensiones per beneficiis in Statu Veneto ubi admitti non solet executio ad favorem translatariorum, idcircò ad removendum hoc impedimentum de facto continuari solet in exactione per transferentes non publicata translatione, ut in specie advertitur *in d. dec. coram Penia.*

Et tamen dicebam scribens in Signatura, sufficere id esse dubium, ac altioris indaginis, ut retardari non debeat processus executivus seu rescriptum cum clausula, *non retardata* id denegando solùm, ubi constanter de nullitate clara, Barbos. *clauf.* 162. Duran. *decis.* 60. *n.* 11. *& dec.* 377. *n. fin. p.* 3. *rec.* & frequenter, neque dubitatur, ut translatario competat eadem via executiva, quæ competeret transferenti in vim ejus litterarum, ex deductis per Barbos. *in d. cla clauf.* 162. Duran. *d. dec.* 60. Millin. *dec.* 40. *n.* 2. Adden. ad Buratt. *dec.* 638. *n.* 14. *& passim.*

IMOLEN. PENSIONIS PRO EPISCOPO, CUM CAPITULO S. PETRI.

Casus disputatus coram A.C. pendet in Rota.

De eadem materia translationis confidentiariæ vel simulatæ factæ in persona unius capacis ad commodum alterius incapacis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Solent pensiones reservari sub nomine unius ad commodum alterius.*
3 *Potissimè id practicatur in illis, quæ reservantur super beneficiis Hispaniæ.*
4 *Indulta ad favorem nepotum, vel conjunctorum Pontificum latè interpretantur.*
5 *Si relinquitur legatum sub onere ad favorem incapacis non per hoc legatum vitiatur.*
6 *Pensio dicitur materia dividua, & translatio valet in parte.*
7 *Quando conditio vitiet, vel vitiétur.*
8 *Translatio sit odiosa, necne.*
7 *In dubio pro libertate contra servitutem judicandum est.*
10 *Non valet translatio ad favorem capacis, ad commodum tamen incapacis.*
11 *Translatio importat solùm mutationem personarum æquè subjectarum morti.*
12 *Habens pro se regulam sufficit eam allegare, ut fundet intentionem.*
13 *De eodem, de quo n.* 3.
14 *Sed id non solet practicari in Italia.*
15. *Quando practicata sit translatio favore manus mortuæ.*
16 *Non potest fieri translatio, ut commodum sit transferentis.*
17 *Necessitas conventientiæ dicitur etiam obligatoria.*
18 *Quando etiam in rebus dividuis obstet individuum voluntatis.*
19 *Declaratur quando utile per inutile vitietur rectè.*
20 *De argumentis simulationis translationis.*

DISC. LXVI.

ASsumpto per eundem Principem Pamphilium enunciatum supra *disc.* 1. pio, ac generoso opere, ornandi omnia Altaria Basilicæ Vaticanæ argenteis crucifixi simulacris, & candelabris, assignavit ad hunc effectum pensionem scutorum mille, & quinquaginta super Ecclesia Imolen, dicta que assignatione per quinquennium circiter effectum sorti ta, imperfecto opere, morti proximus in vim indulti, eandem pensionem transtulit in personam junioris Canonici ejusdem Ecclesiæ, sub lege, ut pecunias exindè retrahendas Capitulo tradere teneretur pro dicto opere perficiendo; Episcopo autem dictam translationem impugnante introducta desuper causa coram A. C. seu Prælato deputato, post aliquas disputationes, curavit Capitulum per commissionem Sanctissimi causam adhuc indecisam avocari, & committi in Rota, ubi pendet.

In his disputationibus habitis coram Prælato, ex parte Capituli

Capituli duo deducebantur. Primò scilicet, quod ob generalitatem indulti loquentis de facultate transferendi in quascumq; personas, prohibitum non esset transferre etiam ad commodum Capituli, non perpetuo, sed ad vitam unius ex Capitularibus, dum quotidiana praxis docet pensiones reservari in persona unius ad commodum alterius ut apud Buratt. *decis.* 724. ubi in specie de simili reservatione ita simulata, & habetur quotidie in reservationibus quæ fiunt super beneficiis Hispaniarum ad commodum Italorum, vel aliorum diversæ nationis, ex deductis apud Dunozet. in Toletana *dec.* 761. Potissimè quia agebatur de indulto concesso nepoti latè ac benignè interpretando ex iis, quæ in terminis consimilis indulti habentur apud eundem Dunozett. *decis.* 768. & 830.

Et secundò, quod in omnem eventum, stante potissimum clausula, *omni meliori modo*, vitiatum remaneret onus translatario injunctum, non autem ipsa translatio, quæ pura, & perfecta erat, dum onus non percutiebat substantiam, seu accidentia; Unde si quis relinquat prædium, vel alia bona personæ capaci, cui injungat onus dandi fructus in toto, vel in parte Minoribus Observantibus incapacibus, cessabit onus, non autem vitiabitur legatum, ex iis, quæ habentur in sua materia *sub tit. de Regular.* ac etiam forte *sub altero de Legat.* Potissimè verò, quia pensio dicitur materia dividua, non autem individua, adeout si fiat translatio ultrà summam, quàm ab indulto permissam, non per hoc actus vitiatur, sed remanet solùm vitiatus in excessu, Lother. *lib.* 1. *quæst.* 40. *num.* 64. Tondut. *de pension. cap.* 23. *num.* 14. Spad. *conf.* 67. *num.* 1. *lib.* 3. Mantic. *decis.* 153. & conferunt in idem ea, quæ bene habentur apud Salgad. *par.* 2. *cap.* 4. ut habens facultatem obligandi bona majoratus pro certa summa, si obliget pro majori, non per hoc obligatio remanet vitiata in totum, sed vitiatur excessus.

Atque ad idem comprobandum, cum non modica evagatione, ac superfluo allegationum cumulo, deducebantur ea, quæ in materia censuali, præsertim frequentiùs per Cenc. & Duard. *in eodem tract.* colliguntur circa onera, & pacta, quæ substantialia, naturalia, vel accidentalia contractus respiciant, ad dignoscendum, an onus, vel pactum prohibitum vitiet, vel vitietur; Ac etiam, quæ in materia ultimarum voluntatum habemus in turpibus, vel impossibilibus conditionibus vitiandis, ac habendis pro non scriptis, non autem vitiantibus; Et consequenter, quod translatio valida, & firma remanere deberet ad commodum Canonici, ad cujus favorem translatio facta erat.

His non obstantibus (etiam cum sensu veritatis;) Dicebam pro translationis invaliditate respondendum esse cum ad id sufficiat, ut versaremur in dubio, quoniam quidquid antiquiores verè fabulosè dixerint ut translatio, servitutem, vel onus non proroget, neque odiosa censenda sit ob possibilem præmorientiam translatarii, quamvis junioris, ac validioris: Hodie tamen ex pluries insinuata Constitutione 114. Urbani VIII. receptum est id, quod prius inspecta naturali veritate à frequentius, ac ferè semper contingentibus erat etiam absolutum, ut scilicet dicatur odiosa, utpotè prorogans servitutem & consequenter, quod in dubio judicandum sit pro libertate in servitutis exclusionem, ex collectis per Barbos. *axiomat.* 137. *& passim*, ac habetur *sub tit. de feud. & sub altero de jurepatron.* pro una, vel altera specie servitutis excludenda.

Verùm credebam, quod in dubio, sed in claris pro hac parte versaremur; Fundata enim intentio est Titularis in conclusione firmata per Rotam in Nolana pensionis coram Sacrato impress. apud Marchesan. *par.* 1 *fol.* 127. *ex conf.* 61 Navar. *de simonia*, quod invalida sit translatio fiduciariè facta in persona capaci, ad commodum ac utilitatem incapacis, ideoque nisi ex parte volentis subsistere translationem doceretur, quod Capitulum; quod est manus mortua esset capax, (quod utique in jure probari non potest quoniam translatio aliud non est, nisi mutatio personæ æquè subjectæ morti naturali, vel civili, ob quam Ecclesia suam libertatem consequi possit) firma remanet regula, quę Titulari assistit, juxtà propositionem, de qua apud Mantic. *dec.* 251. *n.* 4. Barbos. *axiom.* 198. & communiter, ut habens pro se regulam, habere dicatur intentionem fundatam non probata limitatione.

Neque alicujus momenti esse dicebam dictum primum fundamentum ex parte Capituli deductum, quod soleat fiduciaria reservatio fieri in persona unius ad commodum alterius, quod etiam in translatione practicatur, quoniam moriente illo Hispano fiduciario, vulgò nuncupato *testa di ferro*, in cujus persona pensionum reservationes fiunt, ut infrà *disc.* 73. ad commodum aliorum, tunc ædem pensiones in alium pariter Hispanum fiduciarium transferuntur, ne aliàs per mortem pensionarii extinctæ remaneant, quoniam id rectè procedit in Hispania, ubi de receptu usu ad confervandas eas leges, seu privilegia ad favorem nationalium, hoc temperamentum adhibetur, secus autem in Italia, ubi cessante hac ratione non est in usu facere hujusmodi simultas, ad fiduciarias reservationes ut apud Buratt. *decis.* 835. *num.* 6. Lother. *lib.* 1. *quæst.* 36. *n.* 108. Potissimè verò ad favorem manus mortuæ, cum id, quamvis ad tempus, nonnisi rarò, & cum gratia speciali fieri, solet, ut nostris temporibus vidimus de gratia, quam concessit Alexander VII. Cardinali de Montealto juniori, ut ad certum tempus transferre posset pensionem ad commodum Ecclesiæ S. Andreæ Valle pro ejus aside perficiendo.

Considerabam ulterius, rectè intrare conclusionem, de qua Navar. *d. conf.* 61. *de simon.* Parisi. *de confident. qu.* 13. *n.* 49. Lother. *lib.* 1. *quæst.* 40. *nu.* 19. & 26 Sanch. *consil. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 46. *num.* 7. quod scilicet fieri non posset translatio sub lege, ut ejus commodum esse deheat ipsius transferentis, vel alterius ab eo voliti, ut habetur etiam suprà, in Conimbricen. *disc.* 64. & hic videbatur casus, quoniam cum transferens dictum opus in vita suscepisset animo, ac intentione illud perficiendi, ita in effectu, commodum translationis non erat, neque Capituli, neque Canonici translatarii, quorum nulla erat utilitas, quod dictus major ornatus fieret, dum Capitulum nullum habet onus ornandi, vel providendi dictam Basilicam, sed potius id tendebat ad utilitatem, si non bursalem, absque dubio honorificam ipsius transferentis ejusque memoriæ, ac posteritatis, & sic in effectu videtur factam esse translationem ad commodum transferentis ita disponentis de pensione inhabili, & quando non est amplius pensionarius.

Et quamvis in contrarium diceretur, quod nullam desuper transferens contraxerat obligationem, ideòque nec ipse, nec ejus hæres ad operis perfectionem cogi potuisset, nihilominus quidquid sit de hoc, quod examinare neglectum est, utpotè extra causæ necessitatem; Dicebam juxtà ea, quæ præsertim habentur *sub tit. de dote disc.* 78. *& seqq.* ex Franch. *dec.* 677. *nu.* 7. *& aliis*, quod duplex datur necessitas; Una præcisa jure actionis, vel judicis officio: Altera verò moralis resultans à lege, seu ratione congruentiæ, quia nempè indecorum sit non facere, istaque secunda necessitas, præsertim apud nobiles, & magnates major, magisque præcisa reputari solet, ne aliàs objici valeat dictum Evangelii, de eo, qui cœpit ædificare, & non potuit consumare, unde propterea, ut habetur in sua materia *sub tit. de credito*, quamvis regula sit ut debitore ex pluribus causis aliquam solutionem ejus creditori faciente absque expressione causæ, referenda sit ad magis urgentem, ac onerosam, attamen, si alia viget causa recentior, minusque de jure obligatorio, quæ tamen legem congruentiæ habeat, ad istam potiùs referenda est, cum similibus.

Quo verò ad alterum punctum, an scilicet non subsistente dicto onere injuncto translatario consignandi pecuniam exigendam Capitulo pro dicto opere dicto onere vitiato, ipsa translatio subsisteret ad commodum Canonici; Ultra ea, quæ etiam in rebus naturaliter dividuis ob individuum voluntatis habentur deducta per Merlin. *controv.* 15 *lib.* 2. & Rotam *dec.* 325. *post* 2. *vol. consil.* Farinac. cum aliis quæ desuper habentur in proposito alienationis bonorum Ecclesiæ *sub. tit. de alienat. & contract. dis.* 1. *& in aliis*, quando utile per inutile vitietur.

Advertebam hujusmodi inspectionem cadere, quando defectus non est in substantia, sed in accidenti, quia scilicet faciens actum, illum verè substantiare voluerit cum eo, cum quo factus est, illi tamen aliquod onus, vel conditionem injungendo ad commodum alterius, in quibus terminis cadunt omnes quæstiones, quas desuper habemus; Secus autem, ubi defectus est in ipsa substantia, quod scilicet faciens, non cum eo, cum quo actus initus est, sed cum altero verè facere voluerit, ita simulatè supponendo, personam capacem loco personæ incapacis, tunc enim non intrant isti termini, sed potius alii, de quibus *toto plus valere quod agitur, quam quod simulatè concipitur*, & consequenter si actus invalidus est ad favorem ejus, qui principaliter in animo habitus fuit, substineri non poterit ad favorem fiduciarii, ut quotidianum habemus in fiduciariis dispositionibus, quæ fiant sub nomine personæ capacis ad commodum incapacis, vel prohibitæ puta spurii.

Quod

Quod autem actus principalis directus esset, non ad personam Canonici, minusque ad illam Capituli, sed ad solum finem perfectionis operis, ob honorificentiam, vel complacentiam ipsius transferentis, qui etiam post mortem hujus pensionis dispositionem habere voluit, clarè comprobari obser vabam; Primò ab ipso veritatis primordio, quod illa pensio ad dictum opus destinata fuit; Et secundò fortius, quia in facto tanquam certum, ac absolutum supponebatur, quod transferens nullam penitus rationem affectionis haberet erga translatarium, cujus neque superficialem cognitionem habebat, atque eatenus illius personam elegit, quatenus ejus ætas, spectato ordine naturæ, probabilem induceret spem majoris durationis pensionis, adeout si transferens cogitasset translationem effectum non sortituram, utique hujusmodi summæ adeò notabilis translationem non fecisset, dum ex aliis translationibus in summa valdè notabili limitatè ad favorem propriorum filiorum factis etiam de minoribus pensionibus, neglectis familiaribus, vel conjunctis, aliisque benevolis, ita manibus palpari videbatur hæc veritas, quod scilicet omninò à transferentis animo alienum fuerit gerere actum cum ipso translatario, atque ad ejus commodum.

URBANIEN. PENSIONIS PRO PHILIPPO ROZZOLO, CUM EPISCOPO.

Casus decisus per Rotam pro Philippo, postea concordatus.

An facultas transferendi cesset ob immutatum Ecclesiæ oneratæ statum, quia scilicet de Collegiata fiat Cathedralis; Et de processu executivo competente translatario; Et de præsumptione extinctionis pensionis resultante à diuturno pensionarii silentio, vel negligentia in exigendo.

SUMMARIUM

1 *Acti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Si Ecclesia gravata pensione mutet statum, ac efficiatur Cathedralis, non præjudicat pensionario.*
4 *Translatario datur eadem via executiva, quæ transferenti.*
5 *Pensio diu non exacta præsumitur extincta.*
6 *In annuo debito conditionali non datur præscriptio unica.*
7 *Declaratur concluso, de qua n. 5. quando procedat.*
8 *Præscriptio statutaria, vel præsumpta solutio, non intrat in dubio negato, & ad favorem debitoris, qui prætendebat se non esse talem.*

DISC. LXVII.

TRanslatio per Carolum facta ad favorem Philippi nepotis juxtà seriem, de qua sup. *disc.* 65. cum contineret etiam pensionem reservatam super Ecclesia, quæ tunc
1 erat Regularis, deindè verò per Urb. VIII. sæcularizata erecta fuit in Cathedralem Urbanensem, impugnabatur per dictæ Ecclesiæ Episcopum ob dicti status immutationem, ob quam ad Concilii Tridentini præscriptum, salva remanere debet congrua scutorum 100. Quare introducta desuper causa coram A. C. ab isto relaxatum fuit mandatum ad favorem pensionarii, suspensum tamen per Signaturam committentem causam in Rota coram Celso, cum clausula suspensiva, *si quid exequendum*, datoque dubio ad formam rescripti sub die 4. Junii 1659. ad favorem pen-
2 sionarii prodiit resolutio, quæ habetur inter decisiones Celsi *decis.* 304. illaque ansam præbuit concordiæ, per quam controversia finem accepit.

Tam in Rota, quàm in Signatura, duo erant puncti, de quibus actum fuit; Primò scilicet, an translationi obstaret dicta immutatio status Ecclesiæ, quæ de Regulari, seu Collegiata efficiatur Cathedralis; Et secundò, circa processum executivum competentem, necne stante præsumptione extinctionis resultante à silentio annorum viginti circiter.

Primum objectum, nullam habebat subsistentiam, quo-
4 niam hujusmodi immutationes status, quoties expresè contrarium non disponitur, non præjudicant juribus tertii cum ipsa immutatione, seu erectione compatibilibus; Tum ex clausula, *sine præjudicio*, in eis adiici solita; Tum ex regula de jure tertii quæsito non tollendo, ut in his specialibus terminis, ut pensio reservata super Ecclesia Collegiata, vel inferiori non cesset per ejus erectionem in Cathedralem, Seraph. *dec.* 1410. *n.* 20 & 21. & *dec.* 1444. *n.* 9. Lother. *lib.* 1. *q.* 42. *n.* 1. Pir. Corrado *in praxi lib.* 2. *c.* 15. *n.* 101.

Quo verò ad alterum, non negabant scribentes pro Episcopo receptam conclusionem, ut eadem via executiva, quæ competeret transferenti, competat etiam translatario 4
juxtà *decis.* 40. Millini *dec.* 60. Duran. *dec.* 22. Otthob. & in hujus causæ decisione; Dicebant tamen, quod stante diuturno silentio, pensio præsumebatur extincta, juxtà doctrinam Gomes. *in compend. Signaturæ regist. post q.* 5
16. *ad reg. de non judicando juxtà formam supplicationis n.* 86.

Verùm facilis erat responsio, quoniam aut dictum silentium deducebatur in ordine ad præscriptionem, & illa non intrabat, cum ageretur de annuo debito conditionali, 6
in quo receptum est etiam tricennalem præscriptionem non sufficere, nisi pro annualitatibus decursis, juxtà plenè deducta *dec.* 373. *par.* 9. *rec.* & in his terminis Gigant. *hoc tract. quæst.* 83. *num.* 9. *cum seqq.*

Aut verò in ordine ad præsumptionem, & pariter de plano cessabat objectum ex duplici responsione; Primò, quia dicta doctrina Gomesii, & Cavalerii *decis.* 299. *nu.* 5. 7
cum concordan. procedit ubi quæstio sit inter pensionarium superviventem, & Titularem successorem non informatum, cum tunc adversus ipsum pensionarium negligentem, utpotè benè informatum de facto proprio, dicta præsumptio intret ad favorem successoris non informati, & in his terminis loquuntur dictæ auctoritates. Non autem versabamur in casu oppositio, quod scilicet pensionarius, in quem in pupillari ætate existentem, translatio facta fuit, erat ignarus, è converso autem ab initio semper fuit idem Titularis à quo solutio fieri debuisset, ideòque docere poterat, quomodo & quando id sequutum esset.

Et secundò, quia ut habetur in proposito statutariæ præscriptionis, vel præsumptæ solutionis *decis.* 192. post Zach. 8
de oblig Cam. dec. 284. *par.* 9. *rec.* apud Dunozett. *dec.* 849. *nu.* 15. & sæpè *sub tit. de credito*, nunquam intrat præsumpta solutio ad favorem ejus, qui pulsatus negavit debitum, atque allegavit se non esse debitorem, cum non præsumatur solutum id, quod quis prætendat non debere; Et propterea cum Titularis pulsatus oppofuisset de inefficacia translationis ob mutatum Ecclesiæ statum, ita prætendendo non teneri ampliùs ad pensionem, hinc detecta irrelevantia istius exceptionis, incongruè recurrebat ad alteram præsumptæ extinctionis.

ALBANEN. PENSIONIS PRO ANDREA TAMANTINO, CUM JOANNE PELAGALLO.

Casus decisus per Rotam pro Joanne.

An valeat translatio pensionis, cujus commoditas alteri cessa sit in præjudicium cessionarii; Et incidentar; An eadem pensio alteri cessa, per cedentem extingui possit.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quare legis propositionibus assistentibus justè judicetur in contrarium.*
4 *Possessor beneficii gravati potest sibi acquirere commoditatem pensionis, & num.* 31.
5 *Dantur plura similia.*
6 *Beneplacitum Apostolicum requiritur in extinctione mediante pecunia, sed non in cessione commoditatis.*
7 *Quare magis expediat cessio commoditatis, quam extinctio.*
8 *De ratione, ob quam resolutiones non displicent.*
9 *Quomodo deferendum sit doctrinis, & decisionibus.*
10 *Quod post cessam commoditatem, non possit extingui pensio, & num.* 17.
11 *De eodem, ubi commoditas est alteri reservata, & n.* 19.
12 *Invalidum est indultum transferendi pensionem, si adest pactum ut non possit transferri, & num.* 20.
13 *Pensionarius post exactos aliquos terminos, non potest transferre pensionem.*
14 *Pensio regulatur cum terminis usufructus, & n.* 23.
15 *Quando usufructus alienetur, vel cedatur.*
16 *Cedens non potest exercere actiones post cessionem, & num.* 24.
17 *Impugnatur opinio, de qua nnm.* 10.
18 *Seu declaratur, quando procedat.*
19 *Declaratur altera, de qua num.* 11. *ut procedat in pensionibus Hispaniarum, quæ non cessant per mortem reservatarii.*
20 *Declaratur concluso, de qua num.* 12.
21 *Et altera, de qua num.* 13.
22 *Translatarius metitur jus suum directè à Papa, & num.* 24.
23 *Impugnatur, seu declaratur concluso, de qua num.* 14.
24 *De conclusione, de qua num.* 16.
25 *Pensiones Ecclesiasticæ non sunt in commercio.*
26 *Est in commercio commoditas, & de ratione differentiæ.*
27 *Beneficium potest resignari, licèt commoditas fructuum alteri cessa sit.*
28 *Idem in officiis, & locis montium, ac aliis similibus.*
29 *Pensionarius contrahendo matrimonium, vel assumendo statum incompatibilem præjudicat cessionario commoditatis.*
30 *Emens commoditatem pensionis, quid emere dicatur.*
31 *Ut possessor beneficii onerati acquirens commoditatem pensionis dicatur homo diversus.*

DISC. LXVIII.

POstquam Federicus Ubaldinus cesserat commoditatem pensionis possessæ super Canonicatu Albanen. Gaspa-
1 ri, qui deindè eam cessit eidem Joanni possessori Canonicatus, protestanti quod acquirebat, tanquam tertius ex persona propria, effectus est conclavista, atque morti proximus, in vim facultatis conclavistis competentis dictam pensionem transtulit in Andream, qui in solito processu executivo mandatum obtinuit contra dictum Joannem Titularem, sed commissa per Signaturam causa in Rota coram Priolo, cum clausula suspensiva, *parito litteris arbi-*
2 *trio*, sub diebus 4. Decembris 1658. & ... Januarii 1667. Titulari prodierunt resolutiones, quarum prima est *decis.* 397. *par.* 12. *rec.* atque in hoc statu causa silet.

In ista præsertim causa expertus sum id, quod frequenter in aliis dicere solent medici, *pulsus bonus, urina bona,*
3 *& æger tendit ad mortem*, quod scilicet juris conclusiones uni parti assistant, quæ tamen succumbat, ob quandam non scriptam æquitatem, seu certum quid nobis ignotum, quod suadeat pro altero judicandum esse, ob eam scilicet circumstantiam, quod cessionarius commoditatis pensionis esset idem Titularis ejus debitor, qui verè in animo habuit à pensionis onere se eximere in totum, & è converso pensionarius cum ipso Titulari contrahendo, idem in animo habuisse videtur.

Et quamvis ex juris fictione, illaque plurium formalium, seu intellectualium personarum distinctione, quàm in jure absolutam habemus, idem Titularis pensionis debitor,
4 ejus commoditatem absque dubio translativè acquirere possit pro persona propria, contradistincta ab illa beneficiati, absque eo, quod intret incompatibilitas actionis, & passionis in eodem subjecto, adinstar illius acquisitionis, quàm
5 hæres beneficiatus facere potest contra hæreditatem, sive possessor feudi, vel majoratus, aut fideicommissi contra ipsum feudum, majoratum, vel fideicommissum, & cætera, ex iis, quæ habentur deducta *sub tit. de feud. disc.* 23. & alibi pluries; Attamen attenta quadam naturali veritate videtur, quod acquirens, in ordine ad cedentem voluit eum omninò de medio tollere, non autem adhibere
6 viam extinctionis, sed potius cessionis commoditatis; Tum ad effectum evitandi necessitatem obtinendi Apostolicum beneplacitum, quod indubitanter necessarium est, quando extinctio non gratuita, sed mediante solutione anticipata aliquorum terminorum fiat, ut suprà *disc.* 5. & infrà *disc.* 80. non tamen requiritur juxtà receptam, absolutamque praxim (juris quoque principiis innixam, ut infrà) in cessionem commoditatis.

Tum fortiùs, quia est prudens, ac optima cautela, quam
7 ego pluries adhiberi consului, præsertim in casu, de quo *disc. seqq.* ac etiam in gravioribus casibus aliquorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, qui ita pensiones reservatas super Ecclesiis ab eisdem possessis, acquisierunt, ob illud dilemma, quod aut pensionarius præmoritur, & obtinetur intentum extinctionis, aut supervivit, & cum Titularis, quatenus naturaliter moriatur, commoditatem ad ejus heredes, vel successores transmittere potest, vel pro seipso retinere, quatenùs dimittat Ecclesiam, donec cedens vivat, & ne aliàs naturali, vel civili morte ad breve tempus contingente, pinguis provisio successoris paretur cum proprii matrimonii jactura, ut quandoque praxis docuit.

Ideòque mihi quamvis scribenti pro pensionario, ex dicta naturali veritate, seu non scripta æquitate, non im- 8
probabiles vitæ sunt resolutiones, improbabilia tamen, ac in puncto juris parum fundata earum fundamenta, quæ propterea malè applicarentur, ubi consimilis quæstio non esset cum ipsomet Titulari utramque personam, ut supra gerente, sed vel cum solo cessionario commoditatis, vel cum solo Titulari allegante cessionem tertio factam, ideòque bona decisio, sed mala ratio decisionis.

Atque hinc edocemur, quam ineptus, ac erroneus sit pragmaticus abusus, (qui tamen adeò inolevit, ut Juri-starum naturalis effectus videatur, atque apud eorum vul- 9
gus necessarius) insistendi in solo cumulo decisionum, & auctoritatum, sive decisiones, & consilia in sola littera attendere, atque cu icumque casui applicare, non indagando circumstantias, ob quas in eo casu benè decisum sit in altero autem, quamvis simili, ac penè fraternizante malè decideretur, pessimèque applicentur illæ propositiones, quæ ad quendam aliàs justè resolutionis, ornatum pro stylo deducentur.

Examinando siquidem dictarum resolutionum fundamenta, illorum potissimum fuit in deductis per Lotther. *in lib.* 1. *quæst.* 42. *nu.* 12. *cum seqq.* & Salgad. *in labyr. par.* 1. 10
cap. 43. *num.* 14. *cum seqq. & nu.* 45. *cum seqq.* ubi impugnando firmata per Rotam in Mediolanen. coram Marcomontio *decis.* 129. *par.* 1. *rec.* firmatur ut cedens non possit in præjudicum cessionarii extinguere pensionem cum Titulari, ejusque cassationi consensum præstare.

Secundò, in decisione 56. Millini, ubi pariter firmatur idem, ut pensionarius extinguere, seu cassare non pos- 11
sit pensionem in præjudicium commodatari.

Tertiò, ponderantur firmata apud Otthobon *decis.* 329. in specie invaliditatis translationis, quinimò inva- 12
liditatis indulti transferendi obtenti per pensionarium post initum pactum cum Titulari de non transferendo, quasi quod jus prius tertio quæsitum, cujus mentio facta non sit, surreptitiam, ac inefficacem reddat gratiam, istamque decisionem dicebant scribentes in contrarium esse punctualem, dum transferendi facultas super venerat post factam cessionem.

Quartò magnum, ac potissimum fundamentum constitutum fuit in auctoritate, Gigan. *quæst.* 88. utpotè indivi- 13
dualiter decidente casum, dum agit de translatione facta, postquam Titularis aliquos terminos anticipatos pensionario solverat, ut à translatario molestari non posset.

Quintò, quia in communi sensu Caccialuppi, Gigant. Lotther. & aliorum Beneficialistarum, ac etiam Rotæ 14
apud Millin. *dicta dec.* 56. & in aliis, receptum est, pensionem Ecclesiasticam assimilari usufructui, atque cum eis termini regulari, usufructus autem extincti, seu remissio per usufructuarium ad favorem proprietarii, seu cessio ad favorem tertii fieri non potest in præjudicium ejus cui prius cessus esset, ex auctoritatibus in hujus causæ decisio- 15
nibus deductis, & de quibus etiam, examinando materiam usufructus habetur *sub tit. de dote disc.* 148. occasione agendi de usufructu dato in dotem.

Et demum, stante pacto, per quod cedens (juxtà consuetum formularium hujusmodi cessionum,) nedum transtulit amplissimè omnia jura, nullo jure pro se retento, 16
sed etiam se obligavit ad quamcumque cessionarii instantiam consensum præstare in Dataria super cassatione pensionis, unde propterea omne penitus jus à se abdicasse censentur, ex iis, quæ cæteris plenè collectis habentur apud Salgad. *in labyr. par.* 1. *cap.* 27. *num.* 52. & apud Rot. *decis.* 44. *num.* 1. & 16. *par.* 11. *recent.* & in aliis pluries, ac habetur etiam *sub tit. de credito*, frequenter quod ubi scilicet agitur de cessione adeò amplè concepta, tunc translatæ sunt etiam actiones directæ, vel quamvis istæ penès cedentem remaneant, utpotè non abdicabiles, atque (ut juristæ dicunt) ossibus affixæ, adhuc tamen earum exercitium inutile remanet.

Nullum verò ex his fundamentis in puncto juris, quatenus

tenus ad rem pertinet, subsistens, vel applicabile videbatur; Singula etenim examinando; Quatenus pertinet ad
17 primum deductum ex auctoritate Lotther. cum quo pertransit Salgad. *ubi sup.* super prohibita facultate pensionarii cassandi, seu extinguendi pensionem in præjudicium cessionarii commoditatis; Dicebam scribens in causa tanquam Advocatus, quod si in pragmatico stylo, auctoritatibus earumque majori calculo inhærere volumus, magis deferendum erat auctoritati Rotæ firmantis contrarium quam Lotther. qui causæ Patronus, vel Advocatus, decisionem impugnare conatur, potissimè quia dictam decisionem sequuntur Tondut. *lib. 1. quæst. benefic. 35. & hoc tractatu cap. 21. num. 17.* & Amaiden. *de stylo Datariæ cap. 27. num. 15.* qui dicit hunc esse Curiæ stylum, istiusque testimonio deferendum esse dicebam, cum usque ad decrepitam ætatem fuerit in Curia Advocatus, ac etiam plurium annorum spatio, Datarii Urbani UIII. Auditor.

Ista responsio, (reflectendo ad veritatem) non placebat; Tum ob nimiam genii, ac styli alienationem ab hoc insipido pragmatico stylo; Tum etiam, quia in casu, de quo agitur *d. decis. 239.* mihi etiam probabilior videtur opi-
18 nio Lottherii, & sequacium, non quidem ex aliquibus vagis, ac generalibus fundamentis ponderatis ab eodem, & à Salgado ejus sequace, præsertim circa assimilationem usufructus, cum id contineat æquivocum clarum, ut infrà in responsione ad quintum fundamentum, sed ex circumstantia fraudis, ac malæ fidei ipsius Titularis, qui rectè sciens pensionem esse alteri cessam, & postquam cessionarium agnoverat in creditorem, extinctionem affectaverat cum cedente, non absque collusionis, ac fraudis vehementi suspicione, ideòque intrabant termini generales text. *in l. 3. C. de novation.* ut advertit Tondut *hoc tract. d. cap. 21. num. 26.* quæ ratio in præsenti non intrabat.

Quo verò ad secundum fundamentum constitutum in decisione Millini, illud pariter æquivocum magis elarum continere dicebam, ibi enim agitur de pensionibus, quæ
19 super Hispaniarum beneficiis ad conservandum privilegia, sive ad tollendum obstaculum de facto illarum pragmaticarum, reservantur sub nomine, seu in faciem Hispani merè confidentiarii, qui vulgò nuncupatur *testa di ferro* ad commodum Itali, sive alterius Nationis, benèque dicitur, ut per consensum hujusmodi confidentiarii in præjudicium commodatarii pensio cassari non possit, quoniam ex regula *plus valere, quod agitur, &c.* substantia pensionis verè in commodatario magis residere dicitur, quàm in reservatario, qui fiduciariè solum nomen ita accomodare dicitur, adeòut non per illius mortem naturalem, vel civilem, sed per illam commodatarii pensio cessare, seu extingui dicatur, ut advertitur in Toletana coram Dunoz. *inter suas decis. 761.* impressa etiam apud Diana *resolut. moral. par. 8. in fine*, & habetur infrà *dis. 73.* ideòque isti termini omninò extranei sunt à casu.

Prout omninò extraneam dicebam *dictam decis. 239.* Otthobon. ut supra ponderatam in tertio fundamento, ibi
20 enim benè dicitur subreptitiam esse facultatem obtentam transferendi pensionem non facta mentione conventionis initæ in ipso limine reservationis de non transferendo; Tum quia Titularis alias Ecclesiam ita gravatam fortè non acceptasset; Tum etiam, quia ex tunc ita quæsitum videtur aliquod jus Ecclesiæ, pro sperata libertate, ac impedita prorogatione servitutis, unde si Papæ id narratum fuisset, verisimiliter non concessisset gratiam, cujus impetratio in impetrante, fraudem, ac fidei violationem redolere videbatur, quorum neutrum in præsenti dici poterat; Ut enim habetur infrà, nullam fidem violare dicitur cedens, qui actum alteri proficuum gerere curat post ejus mortem, ob quam omne cessionarii jus, ac interesse cessavit; Ac etiam, quia ista facultas non fuit procurata, sed supervenit cum optima fide, accessoriè, & consecutivè ad superventam qualitatem conclavistæ, & sic pariter ista decisio, quæ in suo casu est vera, ad rem facere non videbatur.

Minusque ad rem faciebat doctrina Gigant. *d. quæst. 88.* ponderata pro quarto fundamento, ex eadem ratione, de
21 qua suprà in primo fundamento, cum in eo casu Titularis exciperet de liberatione ob anticipatam solutionem bona fide factam cedenti, cum non prohibeatur debitor anticipatè solvere suum debitum, quamvis eventuale, sive conditionale, non data mixtura juris, vel præjudicii tertii tunc vigentis, atque rectè tunc intrat conclusio, de qua pluries in sua materia *sub tit. de credito*, & *alibi*, de exceptione competente contra cedentem, ut competat etiam contra cessionarium; Licèt enim verè, ac propriè de stricta censura, isti termini non intrent, cum adinstar resignatarii beneficii, translatarius suum jus à Papa potiùs metiri dicatur, attamen de facto, ac naturali veritate inspecta, totum obtinet à transferente per quandam speciem successionis, ac etiam Titulari proprio creditori anticipa- 22
tè solventi magnâ assistit æquitas; Quinimò considerabam quod ista doctrina, quatenus ad rem pertinet, potiùs retorquebatur, quoniam Gigas, potiùs tanquam absolutam supponit validam translationem, non obstante anticipata solutione facta per ipsum Titularem.

Æquivoca etiam videbatur assimilatio usufructus, licèt enim ad plures effectus dicta parificatio intret, atque
23 per Beneficialistas adhiberi soleat, non tamen procedit in omnibus, dum plures differentiæ inter pensionem, & usumfructum ponderantur per Tondut. *hoc tract. dicto c. 11. num. 32. cum seqq.* atque ut advertitur *sub tit. de dote disc. 148* (ubi ponderatur differentia inter cessionem usufructus bonorum indifferentium, ac cessionem officiorum, & locorum montium, aliorumque jurium regalium, seu etiam feudorum, & similium) usufructus commercium non impeditur ex ejus intrinseca natura, sed solùm ob jus, vel interesse proprietarii; Secus autem in hujusmodi juribus, quæ de eorum intrinseca natura non sunt in commercio sine beneplacito Principis, ut præsertim est pensio, quæ cedi non potest alteri, neque extingui cum recompensa temporali, non ob aliquod interesse Papæ, (cujus assensus omninò requiritur,) sed ratione subjectæ materiæ, cujus commercium ex Curiæ stylo interdictum est; ut infra *discur. 80.*, & sic verè termini sunt omninò diversi.

Demùm prorsus inepta pro meo sensu videbatur ponderatio scribentium in contrarium super defectu potestatis cedentis habendi exercitium directarum actionum postquam
24 in ampla forma utilis alteri cessit, hic enim manifestus videbatur error in terminis, quoniam juxtà insinuatos terminos resignationis beneficii, translatarius non dicitur verè, ac directè suum jus metiri à transferente, cujus cessionarius dicatur, cum hoc jus non sit cessibile, sed illud metitur à Papa, ipso transferente solùm in aliquo cooperante in eo, quod se tollit de medio, atque in gratiam ejus, cui nova reservatio facienda est, vacuum relinquit illum locum, quem ipse occupabat, ut in sua materia *sub tit. de benefic.* habetur pluries in proposito resignationis beneficii ad favorem; Atque isti sunt quotidiani pragmaticorum errores, ita deducendo quid pro quo atque commiscendo triticum cum palea, vel zizania.

Ad magis autem comprobandas dictas responsiones, convincendamque dictorum fundamentorum fallaciam, seu malam applicationem, istam materiam reassumendo per ejus principia; Dicebam absolutum esse in jure, ut pensiones Ecclesiasticæ quoad ipsarum substantiam, vel jus, etiam gratis, multò minùs mediante pecunia, excepto casu legitimæ translationis in vim Apostolici indulti, de uno in alterum transferri non possint, cum solùm concedatur facultas gratuitò, non autem cum recompensa illam cassandi, vel minuendi, ut pluries in præce-
25 dentibus advertitur, ideòque sunt de illis rebus, quæ non sint in commercio, eodem modus quo non sunt recta, ac propria feuda, sive officia, vel loca montium, aliaque jura Regalia, aut ipsa beneficia Ecclesiastica, quorum jure ferè in omnibus pensiones regulari videntur.

Et quamvis frequentissima, receptaque praxis doceat, ut etiam sine beneplacito Apostolico, ex privata conventione de facto sint in commercio mediante pecunia, vel
26 alia recompensa. Attamen id non est circa ipsius pensionis substantiam, seu aliquod jus in re, vel ad rem, sed est in sola commoditate, prout facta est, non ex aliquo peculiari jure, vel stylo pensionum, sed ex illa generali conclusione, quam habemus ex theorica Bart. *in l. si is, quis usufructus, ff. de pignorib. & l. codicillis, §. instituta, ff. de legat. 2.* ut scilicet etiam in feudis, vel officiis, aliisque juribus Regalibus in commercio non existentibus, sive in emphyteuticis, vel fideicommissariis, strictissimam alienandi prohibitionem habentibus, adhuc tamen cedi possit simplex commoditas, ex ratione, quod per illam, nullum acquiri dicitur jus in re, vel ad rem, neque in aliquo ipsa substantia tangitur, sed importat nudum factum exactionis, mandatario nomine cedentis in rem propriam, idest, quod ipso jure continuante tam in directis, quam in utilibus actionibus incedente, istius vice, ac nomine, tanquam mandatarius exigit cessionarius fructus, postquam separati à sua causa productiva, effecti sunt de bonis indifferentibus, ac liberæ dispositionibus, ut ista materia commoditatis habetur pluries *sub tit. de feud.* præsertim *disc. 60. & sub tit. de emphyt. disc. 44.* & sub altero *de dote disc. 146. & seqq.*

Continuante igitur integro, perfectoque jure in ipso cedente, ubsque eo, quod cessionario aliquod jus in re, vel ad rem acquisitum sit, hinc nil subesse videtur, quod prohi-
27 beat validam translationem in alterum, ut sine dubio dicendum veniret in facultate resignandi beneficium, quamvis beneficiatus commoditatem fructuum alteri cessisset, vel obligasset; Atque docet quotidiana observantia in officiis venalibus, seu in locis montium, aliisque similibus juribus Regalibus, quod si uni vendantur, vel obligentur sine assensu ejus, ad quem pertinet, possunt liberè alteri cum assensu vendi, vel obligari absque eo, quod primo emptori aliquod jus quæratur, ut pluries in sua materia *sub tit. de Regalibus ad materiam officiorum, & locorum montium*; Et hic videtur casus præcisus.

28 Et quamvis in contrarium diceretur, aliquam adesse differentiam ex eo, quod officia, vel feuda non sint in commercio de sui natura ob interesse domini; Attamen hæc videbatur frigida responsio, cum absque dubio pensiones, ac beneficia sint minùs in commercio, quam dicta alia jura, ideòque ubi etiam ob hujusmodi translationem cessionario commoditatis præjudicetur, quia nempè transferens posteà supervivat, & consequenter duret jus cessionarii, id causare quidem poterit actionem contra cedentem ad damna, & interesse, non autem jus in re, vel ad rem contra tertium, in quem validè facta est translatio, juxtà dictos terminos venditionis officiorum, & locorum montium, ac etiam eos, quos de jure communi in rebus Indifferentibus habemus ad materiam text. *in l. quoties, C. de rei vendicat. l. si hæres uterque, ff. de actionib. empt., l. emptorem, C. locati, cum similib.*

Et quemadmodum pensionarius contrahendo matrimonium, vel profitendo in Religione, sive assumendo statum militarem, aut aliàs dimittendo Clericatum, facere potest, ut pensio extinguatur, non obstante interesse,
29 vel præjudicio cessionarii commoditatis, cui solùm actio remanet, ad quanti interest durare vitam naturalem cedentis in statu capaci retinendi pensionem, juxtà ea, quæ habentur *disc. seqq.* ita non videtur, quæ differentiæ ratio urgeat, cur idem pensionarius, qui per actum tacitum, ac implicitum facere potest cessare pensionem, idem facere non possit per actum expressum extinctionis, vel translationis.

Clarius verò, ubi contingente transferentis morte, (ut in præsenti sequutum est,) nullum interesse, vel præ-
30 judicium cessionarii est ampliùs considerabile, quoniam ipse, ut habetur *disc. seqq.* emere dicitur aleam vitæ naturalis cedentis, cujus morte sequuta; cessio evanescit, nilque sua interest, an per hujusmodi mortem, Ecclesia acquirat libertatem, vel potiùs servitus prorogetur, dum nihil ad se. Et quamvis in hac facti specie de facto istud interesse duraret ob accidentalem circumstantiam, quod idem cessionarius esset quoque possessor beneficii onerati, attamen istud est accidens, quod de jure in nulla penitùs
31 consideratione habendum est, ob supradictam reduplicationem personarum, unde propterea in hac cessione considerandus est tanquam tertius omninò diversus à possessore beneficii; Et consequenter, de stricta juris censura non videbatur, ubi dictæ resolutiones figerent pedes, quamvis ex jam insinuata non scripta æquitate, non omninò displicuerint; Ad ista vero advertendum est pro aliis casibus, in quibus non intret dicta particularis circumstantia, hujusmodi æquitatis inductiva.

MELFICTEN. PENSIONIS
PRO FRANCISCO ANTONIO DE LUCA, CUM HÆREDITATE FRANCISCI MASCAMBRUNI.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Francisco Antonio.

Cessata, seu extincta pensione, cujus commoditas alteri cessa erat propter delictum cedentis, ex quo sequuta est ejus mors per manus justitiæ; An cessionarius agat de evictione, vel ad damna; & interesse contra cedentem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Evictio de natura rei non præstatur.*
3 *Acquirens commoditatem pensionis, quid acquirere dicatur.*
4 *In juribus vitalitiis non de facili intrat læsio.*
5 *Resolutio causæ.*
6 *Subfeudatarius non agit ad evictionem devoluto feudo.*
7 *Secus si devolutio sit ex delicto, vel culpa, & de ratione.*
8 *Conductor an habeat actionem contra locatorem, ob jus suum expiratum.*
9 *Moriens per manus justitiæ voluntariè, & culposè mori dicitur.*
10 *Pensionarius delinquendo, vel mutando statum, tenetur cessionario ad interesse.*
11 *De cautela adhibenda in cessione commoditatis pensionis.*

DISC. LXIX.

EX causa resignationis aliquorum beneficiorum facta 1
per Franciscum Canonici, aliàs Mascambrunum, ad favorem Julii, & Aloysii de Luca, Franciscus Antonius eorum frater major, (tunc Archidiaconus Cathedralis in patria, postmodum Episcopus Anglonen. unde translatus est ad Ecclesiam Nazarenam,) adhibendo prudentem cautelam insinuatam *disc. præc.* mediante pretio scutor. 1700. reportavit cessionem commoditatis dictæ pensionis; Cum autem dictus Franciscus, à summo favore apud Pontificem, ac purpuræ jam destinatus, velut alter Sejanus, juxtà consuetos fortunæ ludos, ad manus carnificis transitum fecisset, mediante capitis obtruncatione, aliquo autem præambulo tempore condemnationis, Pontifex illum privasset beneficiis, ac pensionibus, istaque in alterum transtulisset, qui dictis Titularibus molestias pro pensione in futurum decurrenda inferre cepit, (quamvis ex meo prudentiali negotii regimine sine effectu;) Hinc ex parte dicti Francisci Antonii, opus assumpsi recuperandi ab hæreditate dicti cedentis summam prædictam per annum anteà circiter solutam, introductaque causa coram A. C. nedum scribentibus pro hæreditate, ipsisque judici, sed etiam jam docto, ac primario Advocato, quem mecum ego tunc junior, assumpsi, exorbitans videbatur prætensio, ob contrariam theoricam, ac praxim, ut per mortem cedentis cesset jus cessionarii, cui aliqua evictionis actio non competat, dum dicitur resultare evictio de natura rei, quæ de jure præstanda non est ad communiter notata *in l. si familiæ, Cod. familiæ erciscund.* cum concordantibus deductis 2
in Ariminen. Castrorum *sub tit. de feud. disc. 44.*

Acquirens enim cessionem commoditatis pensionis, 3
emere dicitur incertam aleam vitæ cedentis, ut in specie Amaden. *de stylo Datariæ cap. 27. num. 7.* Tondut. *hoc tract. cap. 17. num. 16. cum aliis disc. præced.* & consequenter, cessato jure cedentis per ejus mortem, cessionarius casui, vel fortunæ suum damnum referre debet, 4
& cujus periculi ratione hujusmodi jura vitalitia minùs æstimantur, neque de facili in eis intrat læsio, ex deductis præsertim *sub tit. de Regal. ad materiam locorum montium disc. 30.*

His tamen non obstantibus (cum sensu etiam veritatis, 5
qualem quoque judex agnovit, relaxando mandatum exequutivum,) dicebam dictæ restitutionis prætii locum esse; Cùmque in his spedialibus terminis, aliquibus adhibitis diligentiis non haberentur doctrinæ punctuales hinc recurrendo ad similia (in quo propriè ingenium, ac peritia Jurisconsulti consistere videtur) id probabam cum similibus, valdèque proximis terminis feudalibus.

Disputant enim feudistæ, an cessa commoditate, vel 6
facta subinfeudatione feudi, cujus devolutio deindè sequatur, aliqua cessionario competat evictionis actio contra cedente, & communiter concluditur negativè, ubi devolutio sequatur per mortem naturalem, seu aliàs ex natura rei, sine culpa, & facto cedentis, vel subinfeudantis cum dicatur evictio de natura rei, quæ præstanda non est, nisi expressè promittatur; Secùs autem, ubi devolutio sequatur ob felloniam, vel aliud factum culposum cedentis, vel subinfeudantis, quoniam tunc intrat actio evictionis, vel saltem restitutio pretii, ex ea ratione, quod inter contrahentes in contractum deducta videtur vita naturalis, seu illud jus, quod juxtà regularem cursum sine culposo accidenti duraturum est, ut post Bald.

& Alvarot. & alios *in cap. 1. §. rursus quib. mod. feud. amittat.* observet Thomas de Marin. *de genere, & qualit. feud. tit. 2. p. 2. n. 128.* cujus verba refert Rosenthal. *c. 9. concl. 99. in fin.* Et hic videtur casus præcisus, potissimè ubi tale accidens nullatenùs cogitari, vel prævideri potuit.

Atque in idem conferre observabam, quæ habentur apud Barbos. *in leg. filiofamilias, §. fin. nu. 22. ff. solut. matr.* & alterum Barbos. *de Episcopo alleg. 94. n. 12.* de locatione
8 facta ad certum tempus per beneficiatum, vel similem habentem jus pro sola ejus vita, & cujus locationis species sit talis, quod succesor ei stare non teneatur, an scilicet conductor actionem habeat ad interesse contra locatorem pro inobservantia contractus, atque distinguitur, quod aut jus locatoris resolvitur per mortem, vel translationem, aut alium casum, seu factum involuntarium, & non tenetur, aut ex facto voluntario, & fortiùs verò si culposo, & illicito, & secus.

Quod autem moriens per manus justitiæ ob ejus deli-
9 cta, dicatur potiùs mori voluntariè, & ex quasi contractu, quem delinquens facere dicitur cum justitia, adeòut à seipso occidi dicatur, benè probat Castracanus *de societ. offic. cap. 29. n. 11. in fin. & per tot.* cujus fundamenta approbata Rot. apud Zacch. *de societ. offic. dec. 54.*

Atque sicuti ipso pensionario contrahendo matrimonium, vel assumendo militiam, seu alium statum sæcularem, vel regularem incompatibilem, unde resultaret ex-
10 tinctio pensionis, dubitandum non esset, quod teneretur ad evictionem, vel ad restitutionem pretii, cum alias posset ita circumvenire, atque habendo in animo diversum assumere statum locupletari cum aliena jactura, ita pariter voluntariè committendo delictum, ob quod idem resultet effectus, ut nulla subesse videatur differentia; Delicta siquidem nocere debent delinquenti, ut eorum pœnas luat, non autem tertio innocenti, *leg. ita vulneratus, ff. ad leg. aquiliam*, ubi omnes Criminalistæ, cujus oppositum ita sequeretur, quoniam ita ex delicto damnum redundaret in tertium innocentem, cum cujus jactura ipse delinquens, qui damnum caussavit, vel ejus hæreditas locupletata remaneret, quo nil absurdius.

Quamvis autem juxtà præmissa obtentum esset, attamen nullus fuit victoriæ effectus ex axiomate; quod inanis est actio, quam inopia debitoris excludit, dum assem hæreditarium absorbuerunt debita anteriora, illud præsertim Datariæ ob refectionem damnorum à mala officii administratione resultantium.

Ista verò causa me docuit in hujusmodi cessionibus ad-
11 hibere cautelam, quæ hodie (me auctore) transit in commune formularium, quòd scilicet cedens promittat non fecisse, neque in futurum facere debere aliquid, ob quod pensio extinguenda sit, vel alias cessatura, quam per solam mortem naturalem à Deo provenientem, idque satis congruum, ac rationabile videtur.

ROMANA, seu &c.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

An & quando cessio pensionis facta per eum, qui habebat in facultatibus eam transferendi, etiam per schedulam privatam, importet translationem, & sic cessionem ipsius substantiæ pensionis, vel potiùs cessionem commoditatis, ad effectum inspiciendi, per cujus mortem cedentis, scilicet, vel cessionarii pensio extingui, seu cessare debeat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Translatio potest fieri etiam per schedulam privatam.*
3 *Non requiritur certa forma, sed voluntas quoquo modo probari potest.*
4 *Per cujus mortem cesset pensio, an per illam cedentis, vel cessionarii.*
5 *Expenduntur argumenta denotantia processum esse per viam translationis.*
6 *In contrarium, quod potiùs processum sit per viam cessionis commoditatis.*
7 *Immorandum non est in verbis, sed in substantia veritatis.*
8 *In dubio judicandum est pro extinctione pensionis, & de rationibus.*
9 *De mutatione periculi vitæ in societatibus officiorum.*
10 *Quare Advocati scribant etiam contra propriam opinionem, & quando id liceat.*

DISC. LXX.

IN vim indulti transferendi, non solum coram persona 1
in Ecclesiastica dignitate constituta, sed etiam coram Notario, & testibus, quinimò per schedulam privatam, possessor pensionis per schedulam propria manu subscriptam illam cessit alteri, dicta verò schedula malè concepta fuit per verba æquivoca, quoniam cumulati fuerunt termini, cessionis commoditatis, ac juris pensionis, promiscuè unum, ac alterum terminum pluries explicando, necnon constituendo cessionarium procuratorem ad exigendam pensionem ejusdem cedentis nomine; Sequuta verò cedentis morte, orta est controversia, an pensio extincta esset, atque desuper meum votum expetitum fuit.

Cumque non dubitaretur de facultate transferendi 2
etiam per schedulam, stante, quod in indulto ita expressè disponebatur, ex deduct. apud Paris. *de resignat. lib. 6. q. 4. n. 42. in fin.* Rota *dec. 400. n. 1, & 2. par. 1. divers.* Minusque quod in translatione certa forma servata non esset, dum transferendi voluntas, & intentio quomodocumque probari potest, juxtà *dec. 334.* Putei *lib. 2. n. 2.* Coccin. *dec. 722. n. 4.* Lotther. *lib. 1. q. 40. n. 45. 47. & 49.* Rot. *dec. 153.*
n. 14. par. 5. rec. & in aliis; Hinc restringebatur difficultas 3
potius ad factum, quàm ad jus, quid scilicet dictus cedens facere voluerit, an transferre pensionem, vel potiùs cedere solam commoditatem, cum ex hoc penderet decisio,
in cujus persona, ipsa pensio substantiata remaneret, ac 4
successivè, per cujus mortem sequi deberet extinctio, ut sæpiùs *sub tit. de societ. offic.* ac etiam *de dote disc. 147.* adeò ut in propositionibus juris concordaremus scribentes hinc inde, solaque discrepantia erat in applicatione.

Plura verò pro utroque sensu concurrebant; Quod enim procedi voluerit per viam translationis; Primò, ur- 5
gebant illa verba, *cedo jus exigendi pensionem*, hoc enim adversatur cessioni commoditatis, quæ importat nudum factum, nullumque jus, nec in re, nec ad rem tribuit, ut suprà *disc. 68.*

Secundò, quia dicitur ad vitam cessionarii, quod congruit translationi, non autem cessioni commoditatis, cum hæc pendeat à vita cedentis, non autem ab illa cessionarii, qui licèt supervivat moriente cedente, nihil prætendere potest, & si præmoritur, transmittit cessam commoditatem ad hæredes.

Et tertiò, quia dictum est id fieri in vim Apostolicæ facultatis, quod utique opus non fuisset exprimere in cessione commoditatis, quæ sine aliqua facultate fieri potest.

E' conversò explicitè dicebatur cedi commoditatem, ideòque ponderabam regulam vulgarem, de qua *dec. 110. p. 6.* & frequenter *sub tit. de emphyt.* ut talis dici debeat contractus, qualis à partibus, in verbis explicatur; Secundò, quia
cessionarius constituebatur procurator irrevocabilis in 6
rem propriam ad exigendum, quod verè, & propriè congruit cessioni commoditatis, ex deductis suprà *eod. disc. 68.* incongruit autem translationi, per quam persona transferentis annichilatur, atque translatarius percipit jure, ac nomine proprio; Et tertiò, obligatio cedentis manutenendi cessionem donec vixerit cessionarius, quod arguit in animo cedentis fuisse ejus longiorem vitam, ac pensionis durationem, coarctando cessionem ad vitam.

Ista posteriora argumenta videbantur magis urgentia, potissimè verò attenta verisimilitudine resultante à magis florida ætate, magisque incomparabiliter robusta complexione, ac valetudine cedentis, ex cujus habitu, longissima vita centum annorum ex naturali cursu sperari poterat, cum è conversò cessionarius in graviori ætate constitutus, tunc valetudinarius, malèque affectus esset, atque hoc
magis apud me urgebat, precedendo cum mea consueta 7
propositione, nunquam immorandi in cortice, ac figura verborum, (cum id gramaticis congruat, vel cathedraticis pro tyronibus instruendis, non autem viris forensibus,) sed attendendo substantiam verisimilis voluntatis.

Et nihilominùs advertebam sufficere, ut ex præmissis
hinc inde colluctantibus, ambiguum remaneret, an actus 8
importaret veram, ac formalem translationem, necne, ut in dubio pro Titulari responderi debuerit ex tribus fundamentis; Primò, quia ubi Titularis probat mortem ejus, qui in provisione beneficii per Papam deputatus fuit pensionarius, fundata ejus intentio dicitur super Ecclesiæ libertate, ac pensionis extinctione, unde qui allegat contrarium,

quod

quod scilicet mutata esset pensionarii persona, concludenter, ac univocè probare debet, non autem per probationem dubiam, & æquivocam, seu incertam, ut ultrà generalia satis vulgata axiomata, in his terminis pensionis ob incertitudinem translationis, benè ac latè habetur firmatum per Rot. *dec. 38. par. 6. rec.* de qua suprà in Pisana *disc. 57.*

Secundò, ex iis, quæ pluries habentur *sub tit. de societ. offic. lib. 5. post tit. de usur.* ad materiam renovationis socie-
9 tatis, seu magis proximè ad materiam mutationis periculi vitæ, quod in hujusmodi rebus vitalitiis, actus qui importet mutationem personæ, seu periculi, debet esse clarus, & expressus, ut ita certum sit ex cujus persona cessatio sequi debeat; ne aliàs detur via fraudibus, quodque ille, cui tale jus competit, ut vulgò dicitur in Curia, stare possit *à cavallo al fosso*, attendendo contingentiam casus, atque allegando existentiam juris in una, vel altera persona, ut magis expedit, ex ibi deductis.

Tertiò, ex satis vulgari, receptoque axiomate, ut in dubio attendi debeat regula, quæ pro libertate facit; Et ex
10 his respondi, quod de juribus cessionarii videbatur posse nimiùm dubitari.

ROMANA PENSIONIS
PRO JOANNE ANTONIO CARPANO
CUM FRANCISCO MARCHESIO.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Francisco, pendet in Rota.

An terminus adjectus in reservatione pensionis super expeditione litterarum, cum decreto annullativo gratiæ, possit prorogari per Cancellariæ Officiales; Et quando adversus nullitatem à dicto non implemento resultantem, competat justa excusatio, necne.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De decretis annullativis ob non expeditionem litterarum.*
3 *Litteræ non sunt de substantia, ideoque officiales prorogant terminum.*
4 *Quod officiales non possint alterare substantiam gratiæ.*
5 *De distinctione inter privationem beneficiorum, & amissionem pensionis.*
6 *Quod valeat stylus, de quo num. 3.*
7 *Consuetudo etiam mala excusat.*
8 *Impugnatur distinctio, de qua n. 5.*

DISC. LXXI.

1 OB resignationem beneficii factam per Philippum, cum ipsum beneficium resignatum non esset capax totius conventæ pensionis, curavit resignatarius ab amico, (juxtà frequentem stylum in præcedentibus pluries insinuatum,) præstari consensum reservationi partis dictæ pensionis, super beneficio per se possesso, atque cassata prima pensione, altera ad favorem Francisci de consensu reservata esset, cum in beneficio successisset Joannes Antonius hic renuens dictam pensionem solvere, duplicem allegabat nullitatem; Unam resultantem à decreto annullativo ob exactionem pensionis, litteris adhuc non expeditis, & alteram ob aliud decretum annullativum in casu, quo non expedirentur litteræ infrà sex menses, infrà quem terminum expeditas non esse certum erat, assumptaque desuper causa coram A. C. primum nullitatis caput nullam habebat juris inspectionem, sed totum consistebat in facto, an constaret, necne de dicta allegata exactione, ante litterarum expeditionem, quod deducebatur ex quadam confessione, quàm ex parte pensionarii dicebatur fuisse fiduciariam, ac simulatam, ad alios effectus, ideòque totum pendebat ab eo, an probatio ad id facta, concluderet necne.

Restricta igitur juris difficultate ad secundum caput, ex-
2 trà controversiam erat, quod ex hujusmodi decretorum non implemento, seu contraventione resultat irritatio gratiæ juxtà decisiones 20. & 127. Millini, Peniæ *dec. 185.* Mantic. *dec. 286.* & Add. ad Buratt. *dec. 759. lit. B*, & in specie Tondut. *hoc tract. c. 37. n. fin.* Verùm defensio pensionarii restringebatur ad prorogationem obtentam ab Officialibus Cancellariæ, allegando, ac etiam probando, quod ta-

lis esset usus illi rationi innixus, quod hujusmodi decreta super expeditione litterarum non adjiciuntur pro substan-
tia, & perfectione gratiæ, sed pro interesse officialium, ob 3
emolumenta ab expeditionibus resultantia ut advertitur etiam in Turritana *disc. 30. & in aliis*, ideòque interessati in quorum gratiam dictus terminus definitus est, prohibendo non veniunt proprio juri renunciare, ac terminum prorogare, ut dè stylo Datariæ, vel Cancellariæ; tendendo etiam contra Apostolica decreta, habetur *dec. 356. p. 1. rec. & dec. 361. post 2. vol. cons. Farinac.*

Scribens autem ego pro Titulari dicebam regulam esse in contrarium, quod scilicet Cancellariæ officiales altera-
re non possunt decreta Apostolica, vel substantiam gratiæ 4
Cavaler. *dec. 255. n. 8. cum seqq. & dec. 284.* Duran. *dec. 265. n. 1. & seqq.* Atque respondendo ad dictas decisiones in contrarium, dicebam eas procedere, ubi agatur de incurrendo privationem beneficii jam obtenti, quod importat pœnam formalem exigens delictum positivum cum dolo, & culpa
inexcusabili, adeòut quælibet excusatio sufficiat; Secus 5
autem ad effectum præsentis controversiæ super reservatione pensionis, ut illa exigi possit, cum ita non adimplendo decretum, esset potiùs non adimplere conditionem emolumenti obtinendi, seu juris quærendi, ad quem effectum sufficit ipsum non adimplementum de facto, juxtà receptam distinctionem, de qua cæteris relatis plenè habetur *sub tit. de fideic.* in Neapolitana hæreditatis *disc. 154.* ac alibi pluries, præsertim *sub tit. de matr. & alibi.*

Attamen, reflectendo ad veritatem, maturum judicium,
adhuc desuper efformare non patui, sed expectatur Rotæ 6
judicium, quoniam quidquid sit de dicti styli subsistentia, cui assistere videtur dicta non incongrua ratio, dum etiam adversus Apostolicas Constitutiones, quarum vis non pendet à populorum usu, datur non usus in Curia, ob Papæ tolerantiam, ex deduct. *dec. 194. par. 4. recent. tom. 2.* Quando
etiam de hoc principaliter disputando, in contrarium res- 7
ponderi deberet, adhuc tamen dicebatur ex parte pensionarii, quod id sufficientem inducere deberet excusationem ex recepta propositione, quod consuetudo, quamvis mala, & quæ reprobari meretur, in pœnalibus excusat, ex plenè deductis per Farinac. *qu. 95.* Bero. *consil. 190. lib. 3.* Vermil. *cons. 159. n. 40.*

Neque suffragari dicebatur dictam distinctionem datam
inter amissionem juris quæsiti, & impedimentum juris 8
quærendi, illa etenim de jure est vera, sed fallaciam esse dicebatur in applicatione, quoniam ut habetur supra in dicta Turritana *disc. 30. & in aliis*, gratia reservationis ad sui substantiam, vel perfectionem non exigit litteras, sed per solam supplicationem manu Papæ signatam est perfecta, litteræ autem percutiunt executionem pro jure, ac interesse officialium, & consequenter controventio, ob earum non expeditionem, causat pœnam formalem amissionis juris quesiti, & gratiæ perfectæ, eodem modo, quo sequitur in amissione beneficii jam assequuti, cum id non pendeat à possessione, vel non possessione habita, sed à perfectione, vel imperfectione gratiæ; Fortiùs verò, quia Cancellariæ Officiales, ac etiam expeditores acriter insistebant super dicti styli observantia, ac supponebant, quod ille esset, certus, ac notorius, ideòque remansi sub dubius expectando Rotæ judicium, ubi pendet.

ADNOT. AD DISC. LXXI.

QUod litteris non expeditis pensio exigi non valeat, & exacta corruat, habetur pluries *hoc eod. tit.* præsertim *disc. 22. 29. 30. 40. & 44.*

ANAGNINA PENSIONIS
AD PETITIONEM
MARII FILONARDI
CUM EPISCOPO GENTILI.

Responsum pro veritate.

Fidejubens, seu faciens cedulam super solutione pensionis intuitu, & contemplatione unius Titularis, an teneatur post istius cessum, vel decessum durante vita pensionarii, ad cujus favorem obligatio, vel cedula facta est.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Expenditur decisio Caputaque de obligatione fidejussoris resignatarii.*
3 *De eodem.*
4 *Obligatio causativa cessat, cessante causa.*
5 *Quod obligatio solvendi pensionem cessat, cessante beneficio.*
6 *De rationibus, ex quibus fidejussor pensionis teneatur etiam mortuo Titularis, cujus intuitu se obligavit.*

DISC. LXXII.

1 EX conventione per Papam approbata, Gentilis Episcopus Anagninus, Episcopatum dimisit conferendum Filonardo, cum recompensa pensionis scutorum 600. ad ipsius dimittentis favorem reservandæ, hoc est 200. super ejusdem Ecclesiæ fructibus, & pro 160. idem Filonardus cessit duas pensiones, quas ipse possidebat super duobus beneficiis, pro reliquis verò 240. Cardinalis Spada, & Cincius consensum præstiterunt, ut fieret reservatio super quibusdam beneficiis ab eis possessis, atque pro majori pensionarii cautela, Marius dicti resignatarii nepos, ad prædictæ integræ solutionem statutis temporibus, tanquam cedulista durante vita dicti Gentilis se obligavit; Cum autem obiissent tam dictus provisus de Episcopatu, quàm Spada, & Cincius, qui in gratiam ejusdem Filonardi relevationem promittentis, dictæ pensionis voluntariæ beneficio pleno consensum præstiterant, atque ut dici solet, titulos accommodaverant; Successores autem in eisdem beneficiis dictam pensionis solutionem controverterent; Hinc dubitari contigit, an dicto Gentili pensionario jus competeret contra Marium obligatum, stante quod ille, cujus intuitu obligatio facta erat, Ecclesiam amplius non possideret.

Cumque de hoc benevolè, ac extrajudicialiter ageretur
2 pro veritate indaganda, atque ex parte pensionarii allegaretur, tanquam punctualis, ac decidens casum in individuo dec. 315. Caputaque *p.* 2. relata per Tondut. *de pension. c.* 21. *n.* 37. ubi habetur, quod fidejussor resignatarii alicujus beneficii tenetur ad solvendum resignanti illam pensionem, quæ ad dictam resignationem effectuandam imposita esset super altero beneficio de consensu possessoris, etiam post istum defunctum, atque desuper pro veritate consultus fuerim.

Respondi, quod dicta decisio verè, ac propriè non percutit præcisum casum controversum, ibi enim vivebat resignatarius, qui effectivè erat totius pensionis debitor,
3 relevare obligatus alterum beneficiatum, qui titulum accommodaverat pro reservatione illius majoris pensionis, quæ intuitu resignationis conventa erat, & sic durabat causa debendi in ipso resignatario, pro quo tertius fidejusserat, dum adhuc possidebat beneficium resignatum, unde justè ibi sic decisum videtur, potissimè verò, quia hujusmodi quæstio in eo casu non intrabat, utpotè sublata ex facto, dum conventio id specificè continebat, ut aliquando practicari solet, & præsertim vidi practicatum in Bracharen. *disc.* 32. in cujus casu cedulista se obligaverat ad pensionem, quamvis provisus dimitteret beneficium.

In hac verò facti specie punctus non erat in obitu illorum, qui titulos accommodaverant, juxtà casum dictæ decisionis, sed erat in obitu resignatarii, cujus intuitu, & contemplatione, fidejussor, seu cedulista se obligaverat, unde cessabat causa obligationis, quæ erat possessio Episcopatus resignati; In hoc autem casu, (quod scirem) adhuc formiter non disputato, nec decisо, dicebam ad favorem fidejussoris stare regulam, de qua apud Decium *cons.* 421. Ti-
4 raquell. *de cess. caus. p.* 1. *n.* 224. Rota in Parmen. datii coram Coccino 428. *p.* 1. *rec.* ac pluries *sub tit. de credito*, & *sub altero de emptione*, & *vend.* ac etiam *sub tit. de Regal. ad materiam officiorum*, ut scilicet obligatio etiam ad favorem tertii facta per emptorem alicujus rei pro istius pretio, cesset, ipsa re sine ejus culpa, & facto voluntario evicta, cum dicatur obligatio causativa, seu occasionalis, quæ cessat cessante causa.

Et in specialibus terminis obligationis factæ per beneficiatum de solvenda pensione ad determinatum, vel indeter-
5 minatum tempus, ut illa intelligatur, ac duret, durante possessione beneficii gravati, cujus intuitu obligationem fecit, non autem eo amplius non possesso, etiam per dimissionem Buratt. & Add. *dec.* 915. *dec.* 26. *n.* 7. post Merlin. *de pigno.* Add. *ad dec.* 576. *n.* 41. *cum seqq. p.* 4. *rec. tom.* 3. Et in magis specialibus terminis cedulistæ de obligantis intuitu provisi de beneficio, etiam cum clausula, *habita & non habita*, in Bracharen. pensionis 3. Junii 1661. coram Taja, de qua *disc.* 32. ex quibus conclusionibus motus primo aspectu, quando oretenus ex parte dicti fidejussoris requisitus fui, dixi probabilem videri ejus prætensionem.

Verùm reservato tunc maturiori judicio, factaque meliori reflectione; Respondi omnia rectè procedere quoad illam pensionis ratam, quæ reservata fuerat super ipso 6
Episcopatu resignato, super qua tamen nulla aderat controversia; Contrarium vero probabilius videri respectu dictarum pensionum reservatarum super dictis aliis beneficiis, quoniam licèt resignatio Episcopatus fuerit causa, seu occasio, ut fidejussor dictam faceret obligationem in gratiam patrui, dictum Episcopatum assequuturi, nihilominus quoad pensionarium, non fuit fidejubere, seu se obligare pro Episcopo resignatario jam defuncto, sed pro dictis aliis Titularibus, unde propterea sufficit adhuc durare istam causam debendi.

Potissimè verò, & clariùs, quia dicti Titulares consensum præstiterunt huic oneri super eorum beneficiis in gratiam dicti resignatarii eos relevare obligati cum obligatione personali, non autem occasionali, dum sequuti sunt fidem personæ non autem Episcopatus, itaut si idem Episcopus resignatarius dimisso Episcopatu viveret, dubitandum non esset, quod teneretur ad relevandos indemnes dictos Titulares, vel eorum successores à molestiis, quas occasione dictæ pensionis haberent, cum assequutio Episcopatus fuerit quidem occasio, seu causa, ob quam dictus resignatarius, ejusque fidejussor dictam obligationem fecerunt, sed dici non potest ista obligatio merè correspectiva ad ipsum Episcopatum assequutum, cum id solùm verificabile sit in ea pensionis rata, quæ super ipsomet Episcopatu reservata fuit, non autem in ista, cujus respectu, adhuc durare dicitur causa debendi, cum durent molestiæ, quas dicti Titulares relevandi pati possunt, & ex quorum persona, idem pensionarius venire potest, vel in vim obligationis cameralis directæ ad sui favorem, vel tanquam contra debitorem debitoris, etiam directè, ratione ejusdem obligationis cameralis, ac ratione circuitus vitandi, ex quibus passim receptum habemus, ut creditor exerceat processum exequutivum contra debitorem sui debitoris, tanquam nomen sibi affectum, quoties in utroque respectivè adest obligatio cameralis, seu aliud pactum exequutivum, ut non iemel in sua materia *sub tit. de credito*; Ideòque videbatur, quod applicaretur non quidem casus, sed ratio dictæ decisionis Caputaq. Ac propterea mea sententia fuit, ut curaret eo meliori quo posset modo se concordare, ut puto sequutum, dum ampliùs de controversia actum non audivi pro eo tempore, quo dictus Gentilis supervixit, cujus mors non multùm ad longum protracta, quæstionem terminavit.

ADNOT. AD DISC. LXXII.

DE obligatione causativa cessante, cessante causa, habetur alibi actum, & signanter *sub tit. de empt. & vend. disc.* 23. *ubi in adnot.*

ROMANA, seu &c.
EXTINCTIONIS PENSIONUM PRO ALIQUIBUS CEDULISTIS.

Casus disputatus coram Datario.

An pensiones reservatæ super beneficiis Hispaniæ ad favorem Hispani fiduciarii vulgò nuncupati *testa di ferro*, expirent per ejus mortem, vel potiùs per mortem eorum, ad quorum favorem reservatæ sunt; Et quatenùs illæ post mortem dicti fiduciarii transferantur in alterum pariter fiduciarium, an durent cedulæ bancharię, vel obligationes fidejussorum, necne.

SUMMARIUM.

1 *Facti series super pensionibus Hispaniarum in faciem fiduciarii.*
2 *Per mortem fiduciarii non cessant istæ pensiones.*
3 *Procedit ubi mors contingit vivente Papa, qui ante mortem pensiones transferat.*
4 *Quod Papa possit hanc translationem facere.*
5 *De distinctione inter Titularem, & fidejussorem, seu cedulistam.*

6 *Papa est absolutus dominus beneficiorum, & potest ea tollere uni, & dare alteri.*
7 *De intelligentia Regulæ de consensu possessoris, desiderando in reservatione pensionis quando procedat.*
8 *Regulæ Cancellariæ, aliæque Apostolicæ provisiones non ligant manus ipsius Papæ.*
9 *De ratione ob quam contra Titularem procedit id quod habetur num. 5.*
10 *Istæ pensiones cessant per mortem commendatariorum, licèt vivat fiduciarius.*
11 *Quod rationes militantes contra Titularem, non militent contra cedulistam.*
12 *Quando Princeps tollat jus tertii.*
13 *An obligatio cedulistæ cesset, si pensionarius mutet statum, & retineat pensionem ex indulto.*
14 *Exemplis non est judicandum.*
15 *In quibus casibus procedant exempla.*
16 *De cessatione pensionis, propter militiam.*
17 *De rationibus dubitandi, etiam pro duratione obligationis cedulistæ.*

DISC. LXXIII.

1 AD conservandum Apostolica Indulta, vel mores Regionis in Hispania, aliisque adjacentibus provinciis, ut beneficia non conferantur, vel pensionis super eis non reserventur, nisi illis qui per veritatem, vel ex privilegio sint nationales, sive, ut dicitur, habeant naturalitatem; Et è conversò ut Apostolica sedes, Curiales, aliosque ejus benemeritos cum pensionibus super illis pinguibus beneficiis reservandis, providere posset; Antiquus, ac receptus inolevit usus reservandi pensiones in singulorum Regnorum, vel Provinciarum, aut respectivè coronarum persona ejusdem nationis, vel Provinciæ, quæ per Datarium, tanquam fiduciaria ad hunc effectum deputatur, vulgò *testa di ferro* nuncupata, ad commodum tamen Italorum, aliorumque exterorum, quibus Papa hujusmodi pensiones distribuat; Atque ob commodiorem, ac faciliorem exactionem, mos quoque inolevit, ut, ultra obligationem, quam provisi de beneficiis faciunt, reservatam pensionem solvendi, cedula quoque bancharia idonei in Urbe negotiatoris præstetur, frequentius pro solutione sex annatarum, sive duodecim terminorum, se obligando ad favorem talis fiduciarii, vel ejus translatariorum, cum declaratione, ut moriente interim dicto fiduciario ante factam translationem, sive post eam factam, morientibus translatariis, aut moriente provisо de beneficio, obligatio cesset, ac evanescat, perinde, ac si nullatenus facta esset.

Quando autem contingit, hujusmodi fiduciarium decedere sede Papali plena, tunc nulla cadere solet quæstio, cum imminente obitu, translatio fieri soleat generalis in alium fiduciarium successorem, ad cujus proinde favorem dicta obligatio, juxta ejus formam perseverat; Cum autem casus præbuerit mortem dicti fiduciarii sede Papali vacante per obitum Clement. IX. atque Clemens X. successor, cum dierum, ac forsan mensium intervallo, dictam generalem translationem fecerit in alterum fiduciarium postea assumptum; Hinc proindè orta est quæstio an dicta cedulistarum obligatio resoluta esset, vel potius duraret; Atque desuper ex parte cedulistarum consultus fui; Pro duratione, per ministros Datariæ in his terminis deducebatur *dec. in Segovien. pensionis coram Corduba*, quæ reputatur in materia
2 magistralis impressa post Pacif. de Salv. *dec.* 129. cum qua processum fuit *in Toletana coram Dunozetto dec.* 761. confirmata coram Celso inter suas *decis.* 13. in quibus firmatur, ut tam obligatio Titularis, quàm cedulistæ non essent per mortem dicti fiduciarii, in cujus persona pensiones reservatæ sunt; Verum dictæ decisiones non percutiunt casum
3 controversiæ, dum in earum casu fiduciarii mors sequuta erat Sede Papali plena, atque supponebatur, quod translatio jam facta esse, ut patet ex litteris *in dicta decis.* 13. Celsi in parte opportuna registratis; Si enim ut pluries in præcedentibus ad materiam translationis habetur, etiam in pensionibus non fiduciariis, Papa concedit passim ipsis privatis pensionariis indultum transferendi etiam in arti-
4 culo mortis; Multò magis, & absque dubio id rectè facit idem directè, ac generaliter in hujusmodi pensionibus, quæ inspecta veritate, ad aliorum, non autem ipsius fiduciarii commodum reservatæ sunt, atque difficultas, quæ cadit circa extensionem obligationis cedulistæ ad favorem translatarii, ita sublata remanet ex facto, dum obligatio expresè concepta est etiam ad favorem translatarium, quatenus vivente primo reservatario, translationes fierent.

Difficultas igitur consistebat in eo, quod dictus fiduciarius obiisset Sede Papali vacante, adeout impossibile esset translationem factam esse, neque in mortis articulo, 5
sed perneceſse facta erat ex intervallo per Pontificem de novo creatum; In hoc autem dicebam procedendum esse cum distinctione benè tradita per Rot. *in Oxom. pensionis coram Litta* impress. apud Garz. *part.* 1. *cap.* 5. *n.* 247. inter præjudicium ipsius Titularis, ac illud fidejussoris, seu cedulistæ; Primò etenim casu, beneficiatus contendit de lucro proveniente à gratia, & benignitate Papæ, qui juxta Canonistarum magis in foro externo receptam opinionem, est absolutus beneficiorum dominus, ac depositor, 6
ideoque tollere potest beneficium uni, & dare alteri, ex iis, quæ habentur deducta *sub tit. de Regal. disc.* 148. ubi de potestate Principis tollendi jus tertii; Atque hinc sequitur, quod de hoc conqueri non potest, quoniam si Papa poterat illi tollere in totum beneficium, & sic facere, quod est plus, multò magis facere potuit, quod est minus, ita mandando hujusmodi servitutis, vel oneris continuationem.

Quamvis enim de stricto jure ob extinctione pensionis resultante à morte reservatarii, hujusmodi prorogatio, seu translatio, speciem novæ reservationis redoleret; Attamen non dubitatur id quoque fieri posse, quoniam licèt juxta Regula 45. Cancellariæ Papæ non soleat beneficia 7
plena gravare pensione, absque consensu possessoris; Attamen id procedit; Vel ad effectum invalidæ reservationis defectu intentionis, quia scilicet Papa crediderit beneficium esse vacuum; Vel quoad illas pensiones sine causa, quæ non motu proprio, sed ad supplicationem super beneficio pleno imponi solent, & quæ voluntariæ, ad aliarum differentiam appellatæ, odibiles reputantur, ex iis, quæ pluries in præcedentibus in hac specie voluntariæ pensionis habentur; Si verò motu proprio, & ex certa scientia beneficium plenum gravare velit, tunc indubitatum est, 8
dictam Regulam, utpotè à se conditam, sibi manus non ligare; cum nunquam per leges, vel privilegia ipsius Papæ, ejus potestas adempta, vel restricta sit; Solumque, tam ista Regula, quam altera *de jure tertii quæsito non tollendo*, ac similes, attendendæ veniunt pro regulanda voluntate, ac inducendo præsumptionem deficientis voluntatis, quæ tamen præsumptio, semper contrariæ veritati probatæ, cedit.

Clarius verò, ubi agitur de hujusmodi pensionum specie, quoniam ipsis Titularibus quando providentur de benefi- 9
ciis, atque consensum pensioni præstant, rectè innoteſcit tanquam notorium incontrovertibile, quod pensiones veræ reservatæ sunt ad commodum aliorum, quibus Papa eas assignat, non autem pro reservatario, nudum nomen simulatè, ut supra accomodante, ut ponderatur in dictis decisionibus *Toletan. coram Dunozetto*, & *Celso*.

Ac etiam potissimè, quia ex recepta praxi derivata à sensu Papæ, ejusque Datariæ, per mortem eorum, ad quorum commodum hujusmodi pensiones assignantur, 10
illæ extinguuntur, vel cessant, quamvis dictus fiduciarius, vel ejus translatarius viveret, ita attendendo magis veritatem, juxta regulam, de qua *in Rubr. & tot. tit. plus valere, quod agitur, quàm quod simulatè concipitur*. Et consequenter, ex regula *secundum naturam*, &c. si pensionarius per mortem commodatarii commodum reportare debet, quamvis fiduciarius viveret, ita è conversò non debet commodatarius supervivens sentire damnum mortis fiduciarii, ideoque quoad ipsum Titularem, satis rationabiliter ita de plano id procedere dicebam, quodque casus non admittetet probabilem dubitandi rationem.

Omnes autem hujusmodi rationes cessant in fidejussore, seu cedulista; Tum ex regula, quod fidejussori obligatio 11
strictissimè, ac rigorosè intelligenda est ad limites verborum, neque admitti debet extensio de casu ad casum, quamvis identitas rationis accedat ex vulgata regula text. *in l. veteribus ff. de pact.* cum concordan. plene collect. apud Mastril. *decis.* 182. Cyriac. *controv.* 85. *nu.* 11. & *contr.* 101. *n.* 24. & *seqq.* & pluries in sua materia *sub tit. de credito*, & *sub altero de alienat. & contract.* quoniam actus voluntarii non debent plus obligare, quàm voluntas est; Tum etiam, quia agitur de contractu correspectivo, & consequenter 12
non agitur de lucro optando ex gratia, & concessione Papæ, sed de damno vitando, & nè quis remaneat obligatus, ad id, ad quod noluit se obligare, unde propterea esset quo-

quodammodo violare jus naturæ, vel gentium, ita extendendo obligationem ultra propriam voluntatem, quod ubi non urgeat publica necessitas, vel utilitas, fieri non potest, vel non debet, ex iis, quæ latè ita distinguendo ad hanc materiam potestatis Principis tollendi jus tertii, habentur *d. disc. 148. de Regalib.*

Idque in his specialibus terminis obligationis cedulistæ
13 supponitur absolutum *in Patavina pensionis coram Celso inter suas dec. 355. & 395.* Cum enim campsor dedisset cedulam pro solutione pensionis reservatæ, ad favorem Cardinalis, qui deinde, dimisso Cardinalatu, cum vidua matrimonium contraxerat, retinendo tamen pensiones ex Apostolico indulto; Dubitatum fuit, an cedulistæ obligatio duraret, atque contra eum decisum fuit ex fundamento insinuato *supr. disc. 1.* & in aliis pluries, quod nulla accederet mutatio pensionis, vel personæ pensionarii, sed duraret eadem pensio in eadem persona, indultum verò retinendi pensiones in statu conjugali cum bigamia, non importaret novam pensionem, vel servitutis, ac oneris prorogationem, sed solum quoddam præventivum remedium, quod occurrit, seu removet obstaculum futuræ cessationis, quæ alias resultare debuisset ex immutatione status, ita pro absoluto supponendo, quod si fuisset nova pensio, obligatio cedulistæ cessasset; Quod etiam supponitur *in d. dec. 129.* post Pacific.

Et quamvis ex parte Datariæ deducerentur quædam exempla in contrarium; Nihilominus, ultra vulgatum
14 axioma, super quo plura colligit Barbos. *axiom. 86.* quod exemplis non est judicandum; Adhuc nullatenus obstare videbantur, utpotè percutientia terminos diversos, in ca-
15 sibus scilicet, in quibus fiduciarius, Sede Papali vacante, statum militarem assumserit, undè propterea Papa noviter creatus, illum dicta fiducia privando, alium deputaverit fiduciarium, in quem translationem fecit; Ita enim verificabatur obligatio cedulistæ solvendi illis, in quos, vivente reservatario, pensionario, pensionum translatio facta esset.

Quamvis enim, juxta opinionem, cum qua hodie in
16 Curia preceditur, per assumptionem militiæ sæcularis, tanquam per speciem mortis civilis, pensio cesset, ex iis, quæ habentur *disc. 46. & seqq.* Attamen ut ibi habetur, id non est expressè per canones, vel Apostolica decreta statutum, sed ex quodam sensu Doctorum ita visum fuit Rotæ ex quadam ratione, de qua nimium dubitari potest, ubi præsertim ageretur de militia ipsius Papæ (qualis erat casus;) Et consequenter dici non poterat, quod versaremur in casu; ad quem cedulista ejus obligationem restrinxit.

Verùm adhuc non levem difficultatem contra cedulistam sentiebam. Tum quia fertur, quod de stylo Datariæ,
17 quando hujusmodi fiduciarii deputantur, contextu aliter deputetur etiam successor, in quem generalis translatio fiat, pro tempore quando casus ejus mortis contigerit (quod tamen huc usque foro ignotum est) cum ita cesset difficultas in radice; Tum etiam quia cessat dicta ratio, quod cedulista contendat de damno vitando, cum in effectu sua nihil intersit (saltem arguendo à frequentiori contingentia,) cum hujusmodi campsores, & alii, qui in Urbe has cedulas pro Hispanis faciunt, non soleant id facere, nisi cum eorum assecuratione, habendo æquivalentiam in manibus, vel aliam cautionem, adeout cedulistæ liberatio, potius percutiat jus; vel interesse ipsius Titularis, ut advertitur *in Bracharen. disc. 32.* Et consequenter intrant omnes dictæ ponderationes, quæ contra Titularem procedunt; Ac etiam urgere videtur dicta ratio deducta ex regula *secundum naturam, &c.* dum etiam cedulista liberationem reportat à morte commodatariorum, quamvis reservatarius supervivat; Item quia apud eosdem cedulistas quoque notorium est, ut pensionis duratio, vel extinctio non pendeat à persona fiduciarii, sed ab illa commodatariorum, unde propterea dicta ratio cessantis voluntatis non intrat, sed potius urget in contrarium; Ideoque apud Officiales Datariæ punctus reputatur planus favore commodatariorum, etiam contra cedulistas, neque dici potest, ut id esse à probabilitate alienum sit.

ADNOT. AD DISC. LXXIII.

DE hujusmodi confidentia, seu fiduciali tate actum est *supra disc. 65. & 66.*

PLACENTINA REGRESSUS PRO PAULO PARETO CUM JULIANO CLEMENTE LOFFIO.

Casus disputatus coram A. C. ubi pendet.

De regressu, an competat resignantiin casu, quo Titularis ex justa causa culposæ malæ narrativæ valoris pensionem annullare velit, vel petat congruam in vim clausulæ, *Dummodò centum.*

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *In culpa dicitur resignans circa falsam expressionem valoris, si ipse per tempus notabile possedit beneficium, unde erat informatus.*
3 *Ubi impugnatio pensionis est justa ob nullitatem culposam, non intrat regressus.*
4 *De formula moderna ob quam datur regressus etiam in casu nullitatis culposæ.*
5 *An dicta formula procedat, quando non adest clausula,* ex quavis causa.
6 *Prohibitio non inferendi molestias, intelligitur de injustis de facto.*
7 *De differentia inter primum resignatarium, & successorem provisum, tanquam de vacanti.*
8 *De conclusione, de qua num. 5. ut non sit præcisè necessaria dicta clausula.*
9 *Ea prodest, sed non est præclusa alia species probationis.*
10 *De cons. Spadæ 65. lib. 3.*
11 *Quid totum consistat in voluntate resignantis.*
12 *De distinctione, de qua num. 7.*
13 *De reservatione regressus in casu non solutionis pensionis statuto tempore, seu de diminutione pensionis sub dicta conditione.*
14 *Regressus requirit canonizationem per rem judicatam, vel tres conformes.*
15 *De circumstantiis probantibus voluntatem resignantis circa regressum.*
16 *Quod clausula* & non aliàs, *sine clausula* ex quavis causa *sufficiat.*

DISC. LXXIV.

PErmutavit Paulus Ecclesiam Parochialem à se possessam, cum Canonicatu possesso per Josephum, atque cum præsupposito, quod parochialis esset majoris valoris, ad ejus favorem reservata fuit pensio scutorum 60. cum 1
clausula *non alias aliter, nec alio modo*, & cum reservatione regressus in casu, quo dictæ pensionis reductio, vel annullatio peteretur, adjecta clausula *dummodo remaneant centum pro Rectore*; Cumque per mortem Josephi, Julianus Clemens de dicta parochialis provisus esset, isque pensionem impugnaret tanquam invalidam, ob falsam narratistam valoris per ascensum; Hinc Paulus, coram A. C. judicium super regressu instituit, cui possessor parochialis locum non esse dicebat, ex eo, quod pensionis impugnatio, vel solutionis denegatio non proveniret à protervia, vel injusto motivo, sed ex justa causa resultante à dolosa, vel culposa narrativa ipsiusmet resignantis, qui in excusabilis erat, dum Ecclesiam plurium annorum spatio pos- 2
sederat, ideoque valoris ignorantiam allegare non poterat, juxta firmata per Rotam apud Carillum *dec. 383.* repetit. *dec. 218. part. 9. recent.* & habetur *sub tit. de Benefic. disc. 35.* Posita enim dicta culpa, dici non poterat, quod impugnatio proveniret ex protervia, & consequenter 3
non erat locus regressui, juxta *dec. 356.* Manticæ, Spad. *consil. 65. lib. 3.* Lotter. *lib. 1. qu. 40. num. 268. Comen. regressus 14. Maii 1646. coram Peutingero.*

Cumque ego scribens pro Paulo intentante regressum; dicerem id procedere attenta ea forma, (quam antiquam dicimus,) in qua solùm datur regressus ratione protervię, ac injustæ oppositionis, secùs autem ubi juxta formam modernam juxta magistrales *decisiones in Camerinen. regressus* 4
1. Decemb. 1645. & 19. Junii 1647. coram Peutingero, aliis, de quibus supra *disc. 12.* & in aliis ibi proximis.

Replicabant scribentes pro Titulari, id rectè procedere, quando in dicta reservatione adesset clausula generalis, *quavis causa, &c.* juxta *decis. 470.* Peniæ, & *decis. 213.* Rojas, cum aliis, de quibus *in eisdem Camerin. & in dicta* 5
Comen. ac etiam *in Urbeventana regressus 1669. coram Ottaiora*

tajora; Quasi quod tunc, solùm etiam injusta oppositio de facto sufficiat ad regressus competentiam, quando concurreret dicta prægnantia verborum, & clausularum *ex quavis causa, vel capite, &c.* cum ita de hac impugnatione etiam de facto partes sensiisse videantur; Secus autem hujusmodi circumstantia cessante, cum tunc interpretando actum, juxta dispositionem juris, id intelligendum veniat de molestiis injustis, ac de facto, non autem de licitis, ac juridicis, præsertim à facto, & culpa ipsiusmet pensiona- 6
rii resultantibus; juxta terminos generales; de quibus plenè apud Merlin. *decis. 491.* Adden. ad Burat. *decis. 899.* & pluries *sub tit. de legatis, vel sub altero de hærede*, ut prohibitio inferendi molestias intelligenda veniat de injustis, ac de facto, non autem de justis, ac de jure.

Clarius verò, quia contentio non erat cum ipso primo resignatario, cui obstare posse ingratitudinis nota, sive quod ita sub hac fide, cujus violatio in eo permittenda 7
non est, beneficium captare studuisset, sed in successore, jus suum directè, ac immediatè metiente à Papa, vel ordinario, ex vacatione per obitum, ideoque non intrat dicta consideratio, de qua supra dicto *discurs. 12.*

His tamen non obstantibus; Dicebam ego scribens pro intentante regressum, ut huic probabilius locum esse deberet, quatenus Titularis in eadem perseveraret voluntate impugnandi pensionem, cum re vera in secundo casu formulæ modernæ, potiùs, quàm in altero antiquæ versaremur; Ista siquidem differentia inter unam, & alteram speciem regressus, non consistit in formulis verborum, fi- 8
ve in aliqua formalitate, sed in substantia veritatis, an scilicet de regressu conventum sit tanquam per speciem pœnæ, ob non adimplementum, vel potius tanquam per viam conditionis adimentis consensum ab actu, quodque resignans noluerit aliàs beneficium à se abdicare, adeout intret receptum juris principium, ut in conditionalibus spectetur nudum factum, quodque conditio verificetur, non distinguendo modum verificationis; Et consequenter remanet nuda quæstio voluntatis, super cujus probatione certa, & præcisa forma non habetur in jure præscripta.

Et quamvis ubi accedit dicta amplitudo verborum, & clausularum, & præsertim ubi dicitur *ex quavis causa, &c.* & si probatio magis clara, & certa, non inde tamen resul- 9
tat, præclusam esse aliam probandi viam, vel speciem, quoniam ut patet ex *dec. 246.* Millini, & *dec. 631. p. 1. recent. & dec. 324.* Cels. cum aliis, de quibus supra *disc. 14.* ubi etiam dicta clausula *ex quavis causa*, non adsit, adhuc tamen illi æquipollere firmatur clausulam, *& non alias aliter, nec alio modo, &c.* quæ tantæ potentiæ reputatur, ut regressum non impediat clausula, *dummodo centum, &c.*

Licet enim Spada *d. cons. 65. lib. 3.* respondendo *d. decis.* Millini, curet more Advocati causæ insservientis, conciliare *d. decis.* Mantic. & Millini; Attamen ejus conciliatio 10
nullum habet probabile fundamentum, cum illæ percutiant terminos diversos, diversisque innitantur rationibus, atque punctus non est, an oppositio sit justa, vel injusta ex 11
parte Titularis, sed est, an deficiat consensus ex parte pensionarii resignantis, ita declarantis ejus animum non resignandi, nisi sub tali lege, & conditione, qua defecta, tanquam ex deficiente consensu, actus corruit, atque pro infecto habendus est.

Atque hinc etiam resultat, nil referre, an agatur de primo resignatario, vel de successore provisò à Papa, quo- 12
niam dicta distinctio rectè intrat in ordine ad culpam, seu malitiam, in qua esse dicitur resignatarius, non autem alter provisus per obitum; Secùs autem ubi quæstio est voluntatis resignantis, quæ principaliter directa est ad finem, seu effectum recompensæ, sine qua beneficium à se noluit abdicare non curato medio, cum nil referat impugnationem ab uno, vel ab alio fieri, & sine quo consensu, beneficii vacatio sequuta non fuisset, ipseque Titularis non obtinuisset, ideoque principaliter spectanda est voluntas, ac persona resignantis, non autem mutatio personæ possessoris beneficii, potissimè quia reservatio regressus expressè concepta erat etiam contra successorem, ut *d. decis. 631. p. 1. rec. & d. dec. 324.* Cels.

Applicando autem ad rem; Plures in hac facti specie observabam concurrere circumstantias dictam voluntatem 13
præseferentes, sibi consulendi de regressu per viam conditionis, quomodocumque impugnatio sequeretur, ut benè advertitur *decis. 215. & 265. par. 8. recent.* ubi de solutione statuto tempore facienda sub pacto resolutivo, an scilicet stat tanquam pœna, vel tanquam conditio; Sæpius enim practicatur moderatio pensionis ad alliciendum Titularem, ut punctualiter solvat sub conditione, ut nisi statuta die solverit remissio non suffragetur, ut apud Burat. *dec. 531.*

Primò scilicet circa reservatam potestatem apprehendendi possessionem etiam propria auctoritate, & sine ali- 14
quo Judicis ministerio, quod non congruit alteri regressui pœnali, pro quo requiritur formalis canonizatio in judicio ordinario per tres conformes juxta *dec. 4.* Cassad. *de locat.* cum concordant. relat. per Adden. ad Burat. *dec. 528.* (Licet ista consideratio non sit omninò tuta, cum ista fa- 15
cultas capiendi propria auctoritate, non tollat dictæ canonizationis necessitatem ex deductis per Adden. ad Buratt. *ubi sup.*)

Secundò quia fatua esset hæc reservatio in casu petitæ annullationis, dum istæ terminus intrare non potest, nisi ex dicto capite dolosæ, vel culposæ falsæ narrativæ cum cessante dolo, non intret annullatio, sed potius reductio, ex deductis supra *disc. 12.* undè propterea Lotter. *d. qu. 40. n. 268.* loquitur de solo casu non solutionis, vel reductionis, non autem, ubi exprimatur etiam alter annullationis, cum tunc supponere videatur contrarium.

Tertiò quia dicitur, hujusmodi regressum concedi ex gratia speciali, quod contineret fatuam loquutionem, si de prima specie intelligere Papa voluisset, cum illa non ex gratia, sed ex justitia competat.

Quartò ob alteram clausulam *perindè, ac si resignationem minimè fecisset*, atque his omnibus famulantibus dictæ principali clausulæ *non aliàs, &c.* ita concludens probatio hujus voluntatis resultare videbatur; Ponderando in exclusionem eorum, quæ dicuntur per Spadam *dict. cons. 65.* quod in dicta moderna decisione apud Celsum inter suas *dec. 324.* in principio, registrantur verba præcisa reservationis regressus cum eadem adamussim forma, ut in præ- 16
senti, cum clausula scilicet, *& non alias, &c.* absque dicta alia clausula *ex quavis causa*, quæ clariorem quidem, ac faciliorem reddit probationem, ac nimium prodest, sed non est ita præcisè necessaria, quod sit species formæ sine qua actus corrueret, sive probatio fieri non posset, quoniam aliud est, ut aliquid requiratur pro forma præcisa, quæ non excludat æquipollens; Aliud verò ut meliorem, ac faciliorem probationis speciem contineat.

Accedente etiam omnimoda inverisimilitudine, quod id negligi voluerit, se exponendo periculo amissionis beneficii, ac pensionis, dum Papa id denegare non solet; Atque tunc dubitandi ratio cadere posset, quando constare id studiosè neglectum esse, ut evitaretur aliqua major impensa, quæ pro regressu necessaria esset in expeditione litterarum, quam impensam non alterat adjecto, vel omisso istius clausulæ.

ADNOT. AD DISC. LXXIV.

DE materia regressus habentur aliqua in *hoc titulo disc. 85.*

ROMANA PENSIONIS PRO NICOLAO PICCOLOMINEO CUM N. BANDINELLO.

Responsum pro veritate.

An pensio cesset per promotionem ad Cardinalatum. Et an indultum, post promotionem concessum retinendi incompatibilia, suffragetur pro facultate transferendi.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Pensiones cessant ob Episcopatum adeptum, nisi ille sit titularis in partibus.*
3 *Sub indulto retinendi pensiones non venit facultas transferendi.*
4 *Secus autem per Cardinalatum.*
5 *De Constitutione Sixti V. super eodem.*
6 *De Episcopatu Cardinalitio, ut non causet amissionem pensionis.*
7 *Formula indulti Cardinalium, est diversa, & magis ampla.*
8 *De exceptuatione officiorum, ut statuat regulam in contrarium.*
9 *De consuetudine, ut per promotionem ad Cardinalatum non vacent obtenta.*

10 *Voluntas Papæ arguitur ex stylo.*
11 *Gratia post jam incursam amissionem pensionis, non suffragatur.*
12 *Non attenduntur litteræ, nisi ad probationem, vel interpretationem, cum substantia sit in decreto.*

DISC. LXXV.

1 POssidente Volunnio Bandinello Alexandri VII. aulæ Præfecto pensionem super Canonicatu Basilicæ Vaticanæ, seu Liberianæ; Cum promotus esset ad Cardinalatum, atque ex notabili intervallo dierum obtinuisset indultum Cardinalibus concedi solitum super retentione in compatibilium, cum Ecclesia Tituli Cardinalitii; Deinde verò in vim alterius indulti, quod etiam ante Cardinalatum obtinuerat transferendi pensiones, eam transtulisset in N. filium susceptum ex legitima uxore ante assumptionem status clericalis uxore mortua sequutam, utriusque Signaturæ Referendarium; Hinc Nicolaus de dicto Canonicatu provisus, prætendere cœpit dictæ translationis invaliditatem; Vel quia per promotionem ad Cardinalatum cessasset; Vel quia indultum concessum super retentione non suffragaretur pro facultate transferendi sine speciali mentione, dictaque controversia in forma extrajudiciali, ac benevola in doctum, & integrum Rotæ Auditorem utriusque concivem remissa, desuper ex parte Titularis de meo judicio requisitus fui.

2 Respondi contra requirentem, ut pensionario major probabilitas assistere videretur, quoniam licèt per promotionem ad Episcopatum actualem, non autem Titularem in partibus infidelium, pensiones cessent, nisi accedat indultum super retentione, istudque non suffragetur pro translatione, nisi expressè dicatur, cum translatio utpote
3 magis odiosa, quam retentio, speciali nota digna sit, ut *dcc.143. par.2. rec.* Adden. ad Burat. *doc.* 464. *nu.* 12. & pluries in præcedentibus.

Attamen id non procedit in promotione ad Cardinalatum, per quam vacant solum ea beneficia, quæ dignitatem important, juxta distinctionem Abb. & aliorum, de
4 qua apud Puteum *dec.428. lib.2.* Tondut. *de pension. c.* 73. *n.*27. & 28. Omnisque difficultas hodiè desuper cessat per Constitutionem 79. Sixti V. cujus particulam registrat Tondut. *ut sup. n.*29. per quam declaratur, ut vacare censeantur solum ea, quæ Cardinalitiæ Dignitati repugnare
5 videantur, ut sunt Canonicatus, & Dignitates, aliaque beneficia residentialia, servitium personale in choro, vel Ecclesia annexum habentia, non autem simplicia, & con-
6 sequenter multò minus pensiones; Ad quod conferunt, quæ habentur supra *disc.* 43. & 58. de non cessatione pensionis ob Episcopatum Cardinalitium, vel Titularem.

Hinc proinde advertebam cessare inspectionem, an indultum retentionis incompatibilium suffragetur pro facultate transferendi necne, cum ita cesset quæstio in radice, neque indultum requiratur; Verùm ubi de indulti efficacia agendum esset, quamvis generaliter dicta conclusio vera sit, ut ab indulto retinendi, non liceat inferre ad fa-
7 cultatem transferendi; Adhuc tamen dixi, id non procedere in indultis quæ conceduntur Cardinalibus retinendi incompatibilia; Tum quia est formula diversa ab ea, quæ conceditur promotis ad Episcopatum, vel alium statum incompatibilem ob verbum universale *omnium*, quod non
8 est in altera indultorum specie; Tum etiam ob exdeptuationem officiorum vacabilium Romanæ Curiæ ob declarationem, seu Constitutionam Urb. VIII. ideoque intrat vulgare axioma, quod exceptio firmat regulam universalem in non exceptis; Ac etiam ratione consuetudinis, de
9 qua testatur Parisi. *de resignat. lib.3. q.2. n.67. & seq.* ut promoti ad Cardinalatum, exceptis officiis, nihil amittant de beneficiis, & pensionibus, imò neque de Episcopatibus, & aliis, quæ jam obtinebant.

Item ponderabam quod ista sit quæstio voluntatis, quid
10 scilicet Papa concedere voluerit; Ad voluntatem autem metiendam nimium deferendum est stylo, seu consuetudini, Mantic. *dec.* 214. *num.* 4. & Greg. & Adden. *dec.*150. Burat. *dec.*510. *num.*11. & passim, ac propterea cum in litteris, quæ expediri solent super decreto consistoriali, quod fit eodem tempore promotionis super retentione incompatibilium, ista etiam facultas transferendi ad speciem deducatur, ita voluntas probata dicitur, dum alterum decretum collationis tituli Cardinalitii, sub eadem formula concipitur non exprimendi transferendi facultatem, quæ tamen in litteris exprimitur.

Ponderabant aliqui ex parte dicti Titularis consulti; quod gratia retentionis esset sub die 19. Aprilis, cum tamen promotio sequuta esset sub die 5. ejusdem mensis, ideoque inferebant, quod cum per promotionem, sequuta jam esset pensionis extinctio, subsequens gratia revalidare 11
non poterat actum jam consummatum, quoniam esset species novæ reservationis ex integro, quod Papa in animo non habuit, ut advertitur apud Merlin. *dec.*382. apud Celsi.69. & 216. cum aliis supra *disc.*47.

Verùm id non concludebat, quoniam ut supra pluries advertitur litteræ non sunt de substantia gratiæ, sed serviunt ad probationem, ac facultatem exigendi pensionem, 12
quando est nova reservatio, ideoque attenditur tempus decreti consistorialis, atque major litterarum amplitudo deservit ad probationem, quid ab initio Papa in animo habuerit, ideoque mihi videbatur clarum bonum jus pensionarii.

ADNOT. AD DISC. LXXV.

DE vacatione resultante à promotione habetur *sub tit. de Benefic. disc.*104. & 109.

CORDUBEN. PRÆSTIMONII PRO CAPITULO CATHEDRALIS, CUM N.

Casus disputatus coram Datario.

De eadem materia, de qua supra *disc.*15. An scilicet pensio, quæ ex causa resignationis imposita est super Canonicatu, afficiat præbendam, vel aliud beneficium à resignante possessum jure optionis ratione antianitatis.

SUMMARIUM.

1 FACTI series.
2 *Quod præstimonia, vel præbendæ sint quid distinctum à Canonicatibus.*
3 *Immemorabili consuetudini optandi derogari non debet.*
4 *Per privilegia, & statuta Apostolica nunquam ipsius sedis, ac Papæ potestas coarctata censetur.*
5 *De stylo Datariæ admittendi resignationes ad favorem non consideratæ optione.*
6 *Ubi tot sunt præstimoniæ, seu præbendæ quot sunt Canonicatus, illa non dicuntur temporalia, secus ubi sint minora quam Canonicatus.*
7 *Licet fixa, & perpetua annexio singulis Canonicatibus non adsit, non per hoc tollitur spiritualitas in genere.*
8 *An per coadjutoriam cum futura successione præjudicatum censeatur optioni.*
9 *Decis.*53. *Otthob. declaratur.*
10 *De stylo Datariæ reservandi pensiones occasione resignationis super hujusmodi annexis sive spiritualia, sive temporalia sint.*
11 *Aliud est agere coram Judice Ordinario, & aliud coram Principe, ut gratia non concedatur, vel revocetur.*
12 *Quæ sint in hoc facultates Judicis Ordinarii.*
13 *Quod gratiæ præjudiciales sint revocandæ.*
14 *Fortius procedit in Papa.*
15 *Facilior est derogatio Juspatronatus competentis ex gratia, & privilegio, quam competentis ex justitia.*
16 *Stallum in choro est magis annexum canoniæ quàm præstimonium, vel præbendæ.*
17 *Resignatarius non obtinet primum stallum in choro, sed intrat optio ad favorem antiquioris.*

DISC. LXXVI.

IN Ecclesia Cathedrali Cordubensi, antiquus erat usus quorundam beneficiorum simplicium, quæ ibi *præstimonia* nuncupantur, mensæ Capituli anne- 1
xorum, cujus fructus, & emolumenta singulis annis in massam reducebantur pro coæquali repartitione inter Canonicos, nulla antianitatis, ac longioris servitii ratione habita; Cumque magis expedire putaretur pro meliori Ecclesiæ cultu majorique decore, ut singula præstimonia Canonicatibus, cum ordine optionis per antianitatem assignarentur, ut ita antiquiores meliora, & pinguiora præstimonia obtinerent hinc ex concordi Canonicorum consensu, ita statutum est, idque per Alexand. VI. in forma specifica amplissimè confirmatum, talisque fuit dicti Statuti inconcussa observantia usque ad annum 1670. quando antiquor Canonicus, qui ex

dicto beneficio optionis melius, ac pinguius præstimonium possidebat, ut ita majorem pensionem sibi, vel alteri reservari obtineret, cum Canonicatu istud pinguius præstimonium, sub reservatione notabilis summæ pensionis ad favorem resignari obtinuit, supplicatione jam signata; Verùm ante regiſtrationem, ac litterarum expeditione se opponentibus agentibus pro Capitulo ratione præjudicii, quod dictæ optioni exinde resultabat, assumpta desuper disputatione coram Datario, non quidem super resignatione Canonicatus, sed ne imponeretur pensio super dicto præstimonio, potiusque super altero, quod, juxta optionis ordinem signatario tanquam juniori Canonico debitum esset juxta casum, de quo supra *in Mediolan. disc.*15.

Alii pro Capitulo scribentes, magnum constituebant fundamentum in dicto Apostolico indulto, Statuti Capi-
2 tularis amplissimè confirmatorio; Alii verò in punctuali *dec.*273. Manticæ firmante, ut hæc individua præstimonia distincta essent à Canonicatibus; Ac alii fundamentum
3 constituebant in firmatis apud Otthob. *dec.*53. *n.*10. & *seq.* ut immemorabili consuetudini optandi, derogari non soleat, nec debeat.

E converso scribentes pro resignante, ac resignatario, ac etiam aliqui Officiales Datariæ pro istius jure illi adhærentes, hæc motiva parvipendebant, eaque levia esse dicebant; Quatenus enim pertinet ad primum indulti Apostolici, dicebant nimis vulgarem, ac receptam esse conclu-
4 sionem satis frequenter canonizatam, atque à quotidiano Datariæ stylo coadjuvatam, quod per quæcumque privilegia per Sedem Apostolicam concessa, nunquam ipsius Sedis, ac Papæ potestas coarctata censetur. Potissimè quia
5 Datariæ stylus, ob quem, hujusmodi optionum statutis, vel consuetudinibus non obstantibus, resignationes ad favorem admittuntur, non videtur certum præjudicium inferre, ob possibilitatem, quod resignatarius resignanti præmori possit.

Ad alterum verò fundamentum deductum ex dicta individuali *dec.*273. Manticæ respondebant, (& benè,) eam non concludere; Tum quia ad alium effectum ibi de hoc agitur; Tum etiam quia cum tot sint præstimonia, quot
6 sunt Canonicatus, ita cessat assumptum, quod istæ sint obventiones meræ temporales à canonia distinctæ, tanquam nudum præmium antianitatis, cum id procedat, quando minora essent præstimonia, quàm Canonicatus, secus autem isto casu, in quo proinde dicuntur canoniæ in genere
7 perneceſſe annexa, quamvis fixa, & perpetua annexio in singulis non adesset, sed intraret optio, cum id non tollat annexionem, ac spiritualitatem in genere, juxta distinctionem, de qua *in duplici Mediolanensi*, & in aliis deductis
8 supra *d. disc.*15. Et in individuo hujus Ecclesiæ, occasione coadjutoriæ cum futura successione firmatur per Rotam apud Dunozet. sen. *dec.*229. repetit. *dec.*140. *p.*4. *rec. tom.*2. ubi respondetur ad dictam *dec.* Manticæ, & de qua decisione habetur etiam supra *d. disc.*

Ad tertium verò dicebant, dictam immemorabilem non probari, neque probabilem esse stante dicta causa, de qua apud Dunozet. *allegat. decis.*229. Atque *decis.* 53. Otthob.
9 ultra quod loquitur potius incidenter occasione remissoriæ, percutere videtur terminos diversos, indulti scilicet conferendi reservata, seu derogandi juri optandi concesso Legato à Latere, ut sub eo ista facultas non comprehendatur; Secus autem ubi agitur de provisione ipsiusmet Papæ, in quo in beneficialibus nulla cadit quæstio potestatis, sed tota est voluntatis.

Scribens ego pro eodem Capitulo, atque agnoscendo, quod dicta fundamenta scribentium in contrarium, ni-
mium solida, & inevitabilia essent stante præsertim Data-
10 riæ stylo hujusmodi resignationes, ac pensionis reservationes respectivè faciendi, non solum ubi propter æqualem numerum Canonicatuum, & hujusmodi annexorum, ista spiritualia sunt, sed etiam, ubi inæquali numero accedente, merè temporalia censenda veniant, quoniam adhuc occasione resignationis, super eis pensio reservatur, juxta casum, de quo in *d. disc.*15.

Hinc proinde dicebam advertendum esse, quod aliud est agere coram judice ordinario, seu Apostolicarum litterarum executor super executione earumdem litterarum gratiæ, jam perfectæ, ac in judicium deductæ pro illius invaliditate; Aliud verò agere coram eodem Papa, seu alio supremo Principe, ejusque Magistratibus, & Consiliariis ad effectum ut gratia non concedatur, vel concessa revocetur, seu moderetur, ubi præsertim recursus est re integra, & ante perfectionem, ac executionem litterarum.

Primo etenim casu, cum procedendum sit per solos ju-

ris apices, vel rigorosos tramites, quos judici transgredi 12
non conceditur, quoniam ad eum non pertinet revocare, vel moderari, sed solùm exequi Principis gratias, & rescripta, atque alia non tribuatur facultas, nisi quando Princeps est absens, replicandi, ac interim abstinendi, ut secundam expectet jussionem, juxta ea, quæ habentur *sub tit. de Regalib. discurs.* 148. hinc proinde cum dictis regulis, & conclusionibus proceditur, earumque rigor attenditur.

In altero autem casu non proceditur cum his regulis, sed cum aliis omninò diversis, congruentiæ, ac honestatis, vel 13
epichejæ, quoniam justum, pium, ac rationabile est, revocare, vel moderari gratias jam concessas, quæ jus tertii notabiliter lædant, multò magis ab eis re integra abstinere, sive easdem cum aliqua moderatione concederet; Potissimè verò, ubi gratia concernat purum interesse privatum ex causa lucrativa, & è converso lædatur jus tertii causam onerosam potiùs foventis, atque causa publica gratiæ concessionis potiùs resistat, quàm assistat, ex iis, quæ cæteris relatis, plenè habentur deducta apud Galcot. *conf. fisc.* 23. & 27. Capyc. Latr. *dec.*188. de Marin. *resol.*46. *lib.*2. Add. *ad dec.*666. *p.*4. *rec. tom.*3. cum aliis, de quibus *d. disc.* 148. *sub tit. de Regalib.* Ubi advertitur, quod si id generaliter pro- 14
cedit in omni Principe, fortiùs procedere debet in Papa, qui magis per ejus Regulam Cancellariæ *de jure tertii quæsito non tollendo*, id profitetur, ex ibi deductis.

Utramque autem circumstantiam in hac facti specie concurrere advertebam, quod scilicet præjudicaretur causæ publicæ pro merè privato interesse, quodque læderetur jus tertii ex contractu, seu causa onerosa, & correspectiva potiùs competens, quàm ex mera gratia, & privilegio, lucrativum titulum redolente.

Causæ publicæ præjudicium erat, quod, ut in facto supponebatur, hujusmodi Canonicatus per viros nobiles, & qualificatos, etiam magnatitii, & primarii ordinis impetrantur, ac obtinentur sub spe hujus majoris emolumenti tractu temporis obtinendi, ut ita major habeatur provisio in graviori ætate, quando ea magis congrua, & necessaria est; atque exinde resultant Ecclesiæ decor, & majestas, melior que cultus, & Canonicorum residentia, ob dictam optionem, quando casus contingat.

Et quoad causam onerosam, seu correspectivam resultantem ex quadam specie contractus; Advertebam, quod hæc optio non provenit à mera gratia, nudoque privilegio, quoniam antequam illius usus introduceretur, atque confirmatio Apostolica accederet, Canonici reducendo omnia emolumenta in massam, eorum integram participationem habebant; Ista verò voluntariè se privarunt pro dicto meliori ordine inducendo, adeòut illud majus emolumentum, quod senior tractu temporis ratione antianitatis ex hoc optionis beneficio reportat, de justitia potiùs, quàm ex gratia obtinere dicatur, in restaurationem scilicet, ac recompensam ejus, quod præcedentium annorum spatio amisit, seu dimisit, quando æqualis massæ repartitio facta esset juxta primævum statum, ideòque incongruum videri dicebam, ut ob privatum emolumentum ille, qui ab Ecclesia longissimo temporis intervallo, honorifice subsistentatus fuerat, hanc injuriam facere eidem Ecclesiæ perver-
tendo dictum ordinem, dum ita nedum causa publica Ecclesiæ, sed etiam jus privatum de justitia competens, læsionem recipiebat.

Ad quod ponderabam cum distinctionem, quam habemus in materia derogationis jurispatronatus in ejus pro- 15
pria sede *sub tit. de jurepatron. disc.*10. & 65. super faciliori derogatione jurispatronatus competentis ex gratia, & jure speciali ratione privilegii, vel consuetudinis, quam competentis de jure communi, seu ex justitia ratione fundationis, vel dotationis.

Idem ponderabam, quod magis canoniæ connaturale, ac annexum est stallum in choro, quam hujusmodi accidenta- 16
le præstimonium, vel simile emolumentum; Et tamen non ex eo, quod resignatarius per Papam subrogatur in univer- 17
sum jus resignantis, ille obtinet primum stallum in choro, quod resignans obtinebat, sed locum habente sedium optione, juxta ordinem antianitatis, contentus esse debet ultima; Ita à pari, tanquam per speciem stalli, idem ordo in hujusmodi annexis servari deberet, dum provisus jam unum ex præstimonis obtinet, habere autem majus, vel inferius percutere potiùs videbatur interesse majoris pensionis ad favorem resignantis ob pinguioris præstimonii majores fructus, quod videbatur admittendum non esse.

Neque his adversari ponderabam ea, quæ favore pensionarii habentur supra *d. disc.*15. quoniam ibi agitur de gra-

tia jam facta, & effectum sortita, in præsenti verò de facienda, ejusque moderatione, ab initio nè effectum sortiatur, nisi dicto ordine conservato; Incertum autem est, quid sequutum sit, adnotabitur in supplemento.

ADNOT. AD DISC. LXXVI.

NOtatum est aliquid ad *disc.15.*

AVENIONEN. PENSIONIS PRO COLLEGIO SOCIETATIS JESU AVENIONENSI CUM ARCHIEPISCOPO.

Responsum pro veritate.

An pensio perpetua reservata ad favorem alicujus Collegii, vel Domus Regularis, in fundatione, vel circa ejus initia pro subsistentatione, cesset si tractu temporis congrua provisio supervenerit.

Et quomodo pensionarii concurrere debeant in diminutione, seu contributo pro congrua Titularis; Ac etiam in gratia concepta sub certa conditione, evanescat ob mortem Papæ conditione pendente.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Contributio ex beneficiis per Papam claro injuncta pro subsistentatione Seminarii, cessat necessitate cessante.*
3 *Gratia seu alia dispositio conditionalis corruit non adimpleta conditione.*
4 *Papa non prohibetur perpetuis pensionibus Ecclesias gravare.*
5 *De conclusione, de qua num.2.*
6 *Extrinsecæ solemnitates præsumuntur ob lapsum longi temporis, juncta observantia.*
7 *Gratia ob spatium 30. annorum præsumitur justificata.*
8 *Centenaria attenditur etiam in casibus, in quibus præsumptio ex lapsu temporis non intraret.*
9 *Consensus Titularis nullam formam requirit, & dicitur præstitus, ex solutione pensionis.*
10 *Inter pensionarios intrat regula* cap. qui prior, &c.
11 *Contributio non cadit nisi inter habentes jus coæquale.*
12 *Pensio perpetua non est propriè pensio, sed onus fixum reale.*
13 *In reservatione novæ pensionis non est facienda mentio perpetuæ pensionis.*
14 *An reservatio pensionis sub certa conditione, evanescat per mortem Papæ conditione pendente.*

DISC. LXXVII.

1 ERecto in Civitate Avenionensi de anno 1559. Collegio Societatis Jesu, Card. Alexander Farnesius tunc Legatus, ac etiam reservatarius fructuum illius Ecclesiæ Metropolitanæ, pro dicti Collegii subsistentatione, assignavit annuos scutos bis centum auri Italiæ, hoc est centum super emolumentis Legationis, & centum super fructibus Ecclesiæ; Postmodum verò, eodem Cardinali adhuc vivente, dictamque sub ventionem continuante, ut ea perpetua redderetur, Pius V. de anno 1569. easdem respectivè pensiones in perpetuum reservavit, accedente tamen dicti reservatarii consensu, dictaque reservatio continuatum effectum habuit usque ad annum 1670. in quo noviter de dicta Ecclesia provisus, cognito quod ea nimis pensionibus gravata esset, & è converso Collegium benè provisum extrajudicialiter in forma benevola prætensionem excitavit, quod dicta pensio, tanquam ex cessante causa, cessasset, vel quod in omnem eventum contribuere deberet, atque diminutionem pati pro ipsius Archiepiscopi congrua; Quare desuper ex parte dicti Collegii pro veritate consultus super dictis duobus punctis.

Ad primum respondi, dubitandi rationem cadere posse, ex iis, quæ contra aliud ejusdem Societatis Collegium firmata fuerunt per Rotam *in Melevitana Contributionis* 21.
2 *Aprilis* 1660. *coram Cerro* in causa, de qua habetur actum *sub tit. de benefic. disc.*88. ut scilicet contributio, quæ Clero per Papam injuncta fuerat ex beneficiis, & redditibus Ecclesiasticis pro subsistentatione Collegii noviter erecti, cessare deberet postquam aliunde idem Collegium congruè provisum fuerat, unde propterea cessabat ratio, seu causa finalis assignationis.

Et altera dubitandi ratio, cui supponebatur inniti Archiepiscopi prætensionem, resultabat ex ventre litterarum ejusdem reservationis, continentium per ablativum absolutum (qui præcisam conditionem importat,) consensum tam Cardinalis reservatarii, quàm postquam reservatio cessasset, quorum neutrum accessisse supponebatur, unde propterea intrat vulgare juris principium ut gratia, 3
& quælibet alia dispositio conditionalis, non impleta conditione corruat, nulliusque efficaciæ remaneat.

His tamen non obstantibus, nisi aliæ particulares accederent facti circumstantiæ ignotæ, sine dubio pro validitate, ac duratione pensionis respondendum esse dixi; Siquidem de potestate Papæ in beneficialibus absoluta dubitandum non est gravandi Ecclesias etiam perpetuis pensionibus; Voluntas autem est clara, quatenus non intrarent dictæ difficultates, ad quas proinde tota inspectio restringebatur; Quare illas expediendo. 4

Quatenus pertinet ad primam resultantem à firmatis in dicta *Melevitana contributionis*; Quidquid sit de viribus *d. dec.* in suo casu, de quo *d.disc.88. de benef.* Difficultas cessabat ex defectu applicationis ob diversas facti circumstantias, ibi enim non agitur de pensione super aliqua Ecclesia, vel beneficio certo, quæ simpliciter, ac perpetuò per Papam reservata esset, ut in præsenti, sed cum jam ab Episcopo determinatum esset in Synodo erigere seminarium, ad cujus sustentationem, donec aliunde congruè provisum esset, Sacr. Conc. Trid. injungit contributionem fieri per Clerum ex redditibus Ecclesiasticis, atque Clemens VIII. loco Seminarii, mandasset erigi dictum Collegium, pro cujus subsistentatione fieri deberet dicta contributio; Hinc proinde ex regula subrogatorum in eo casu prætendebatur, atque decisum fuit, ut quemadmodum si erectum fuisset seminarium, illudque tractu temporis aliunde provisum dicta contributio ad ejusdem Conc. præscriptum cessaret, ita etiam cessare deberet in Collegio tanquam subrogato, quæ ratio in præsenti non intrat, ideoque diversus est casus, diversaque ratio. 5

Quo verò ad alterum motivum consensus, ut suprà sub conditione requisiti, satis facilem esse dicebam responsionem; Tum ex generali conclusione, de qua *sub tit. de dote disc.*143. *& sub tit. de alien. & contr. disc.*1. ac alibi, ut per 6
longissimi temporis decursum junctum cum observantia, intret præsumptio super omnibus solemnitatibus, ac aliis extrinsecis implementis; Tum etiam, magis ipse aliter, ut per idem longissimum tempus 30. annorum observantia 7
quoque munitum, gratia præsumatur in omnibus executa, atque in omnibus partibus adimpleta, ut pluries in præcedentibus, ac etiam *sub tit. de benefic.* Multò verò magis, ubi tempus centenarium concurrit, attendendum 8
etiam in illis casibus, in quibus dicta præsumptio, quæ resultat ex lapsu temporis longissimi non intraret; Ac etiam 9
quia, cum hujusmodi consensus præstatio, certam formam, vel solemnitatem non exigat, sequuta dicitur de facto dum uterque dictam pensionem solvit.

Circa verò alterum punctum contributionis, seu diminutionis pro congrua Titularis, quam non negabam esse privilegiatam, atque ante omnia deducendam; Dupliciter clarum videri dixi, ut ista pensio dictæ contributioni subjecta non esset; Tum scilicet, quod inter pensionarios 10
intrat regula, *qui prior*, ex deductis supra *disc.*19. *& seq.* & consequenter cum ista esset omnibus antiquior pensio præcipua detrahi debet post congruam detractam de reliquis fructibus, quibus non sufficientibus damnum est posterio- 11
rum pensionariorum, & consequenter non intrant termini contributi cadentes inter coæquale jus habentes.

Tum etiam, quia ut advertitur supra *disc.*21. & in aliis, istæ pensiones perpetuæ non sunt verè, ac propriè pensio- 12
nes regulandæ cum terminis generalibus pensionum temporalium, quæ ad vitam reservantur, sed dicuntur species oneris realis perpetuò infixi Ecclesiæ, ejusque fructibus, tanquam per speciem canonis, vel census; Ideòque licet regulam habeamus, ut in reservatione novæ pensionis fa- 13
cienda sit mentio antiquarum, non tamen venit hæc species, ut in præcedentibus pluries advertitur, & cæteris relatis habetur *dec.*107. *n.*16. *cum seq. p.*10. *recent.* & in aliis pluries; Et consequenter, ut dictum est, nisi aliæ ignotæ accederent circumstantiæ, casus videbatur pro meo judicio planus.

Post datum autem responsum innotuit, quod prætensio Titularis consisteret in eodem motivo, de quo supra *disc.*1. & 2. quod scilicet reservatio esset sub conditione assensus Archiepiscopi, qui supponebatur præstitus initio anni 1573. & sic post mortem Pontificis sequutam in anno 1572. quodque propterea gratia, utpotè adhuc imperfecta evanuerit per mortem Pontificis, ex eisdem fundamentis enunciatis *d.disc.*1. & 2. Verùm dixi id non obstare ex eisdem responsionibus ibidem contentis, ubi videri potest, nè idem superflue repetatur.

ADNOT. AD DISC. LXXVII.

DE materia contributi actum est supra *disc.*19. *cum seqq.*

CAMERINEN. TRANSLATIONIS PENSIONIS PRO URBANO PURARELLO, CUM TITULARIBUS.

Responsum pro veritate.

An facultas transferendi quam ex Indulto habeat pensionarius in statu clericali retineatur, ac duret ob mutationem status conjugalis, per quem ob militiam Lauretanam pensio non cesset, quamvis eadem militia quoad facultatem transferendi, non suffragetur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ex facultate retinendi non infertur ad illam transferendi.*
3 *Clausula in Indulto transferendi apposita, ut per quamcumque status mutationem illud non cesset, quid operetur, & num.9.*
4 *Quando ex facultate retinendi censeatur præservata illa transferendi, & n.8.*
5 *Indulta retinendi nihil tribuunt de novo.*
6 *Quod sufficiat habilitas retinendi ad effectum, ut non cesset illa transferendi.*
7 *De invalida translatione pensionis super distributionibus quotidianis sine speciali mentione.*
8 *De conclusione, de qua num.4.*
9 *De alia de qua num.3.*
10 *Pensio dicitur quid temporale, cujus etiam laici sunt capaces.*
11 *De stylo Curiæ pensio non solet reservari, nisi Clericis.*
12 *Quid de casu, quo cum matrimonio concurrat qualitas bigamiæ.*

DISC. LXXVIII.

1 REservatis per Urb. VIII. ad favorem Hieronymi Purarelli ejus familiaris pluribus pensionibus; Eidem, inter quamplura privilegia, concessa fuit ab eodem Pontifice facultas transferendi pensiones usque ad summam ducat. 300. Cameræ; Cumque dictus Hieronymus tunc clericus, & ejusdem Collegiatæ Canonicus, vellet ad diversum statum laicalem, ac uxoratum transitum facere hinc re integra, & priusquam dictum diversum statum assumeret, unam, vel plures militias Lauretanas quæsivit, ad effectum, ut non obstante laicali, & conjugali statu, pensiones prædictas retinere posset, adjecto tamen in dictarum militiarum acquisitione decreto, ut illæ suffragari valeant pro facultate retinendi, non autem transferendi pensiones; Cum autem dictus Hieronymus decedens in vim dicti Indulti per Urb. VIII. concessi, pensiones prædictas, servatis servandis, transtulerit, in N. ejus filium; Hinc dubitari contingit de hujusmodi translationis subsistentia, & validitate, atque desuper consultus.

Videbatur primo aspectu negativè respondendum, ut de
2 facto aliqui prius desuper consulti contra Translatarium responderunt, ex recepta conclusione, de qua Paris. *de Resign. lib.*6. *q.*4. *n.*29. Caputaq. *dec.*303. *p.*2. *dec.*90. *&* 320. *p.*3. & Cavaler. *dec.*148. *n.*6. *& dec.*143. *par.*2. *rec. n.*1. *dec.*485. *n.*7. *par.*4. & pluries in præcedentibus, quòd ex facultate retinendi pensionem, non infertur ad facultatem transferendi, quæ utpotè inducens prorogationem servitutis, magis odibilis est, ideoque sub dicta facultate non venit.

Neque dicti dubitantes dicebant suffragari clausulam generalem contentam in Indulto concesso, tam pro facultate transferendi, quàm pro illa testandi, aliisque pluribus, ut per mutationem cujuscumque status quamvis incompa- 3
tibilis, ea cessare non deberet, ut ponderatur apud Cavaler. *d.dec.*148. *n.*6. *in fin.* Dicebant etenim id esse rectè adaptabile, quando status immutatio esset talis, ut omnimodam incompatibilitatem non contineret, puta per promotionem ad Episcopatum, vel aliud beneficium incompatibile, in quibus terminis *d. dec. Cavaler.* loquitur, secus autem ubi agitur de faciendo transitum à statu clericali ad laicalem, ac uxoratum, quo casu strictiùs proceditur allegando in id deducta per Spadam *cons.* 71. & magis in specie *cons.*74. *lib.*2.

His tamen non obstantibus; Contrarium respondi probabilius videri, stante dicta clausula Indulti, ut per quamcumque status immutationem, illud cessare non deberet, 4
juxtà *d.dec.Cavaler.* Quamvis etenim ubi dicta habilitatio ad retinendum ex privilegio militiæ Lauretanæ non adesset, dicta facultas concessa per Indultum evanesceret ex defectu subjecti, & tanquam accidens, quod stare non potest sine substantia, dum ita per matrimonium cessaret pensio, sine qua verificabilis non est transferendi facultas, quæ per necessarium antecedens supponit in transferente legitimam retentionem; Attamen quoties ista ratio cessat, quod scilicet competat retentio, seu non amissio impediatur per facultatem à dicta militia Lauretana resultantem, tunc ita facultas transferendi durat, atque exercibilis est, non ex habilitatione, quæ ab ipsa militia resultat, sed ex primævo jure competentem ex Indulto, eo modo, quo competeret, si Indultarius matrimonium non contraxisset, neque statum clericalem dimisisset.

Ut enim advertitur supra *disc.*1. & 2. ubi allegantur *dec.* 355. *&* 395. *Celsi*, & aliæ; Hujusmodi indulta retinendi, sunt species medicamenti præservativi, non autem cura- 5
tivi, impedientia scilicet, nè per mutationem status, contingat ille casus extinctionis, qui aliàs sequi deberet, ita occurrendo futuræ extinctioni, tanquam per remotionem obstaculi, & consequenter sufficit habilitas retinendi, ut 6
tanquam ex non cessata substantia, vel subjecto, duret dictum accidens, seu accessorium, ut advertitur *in Romana pensionis* 15. *Februarii* 1664. *coram Ninot*, & habetur supra *disc.*62. ubi quod licèt à dicta decisione recessum fuerit, attamen recessus fuit in alia parte, seu puncto invali- 7
dæ pensionis super distributionibus quotidianis, absque speciali mentione, juxtà deducta supra *in Romana Canonicatus in Cosmedin. disc.*61. in hac tamen parte, seu puncto incorrecta remanere videtur.

Neque præmissa in contrarium ponderata obstare dicebam; Procedunt etenim, ubi transferendi facultas esset 8
talis quod regulariter tanquam accessoria corrueret cum ipsa pensione; Vel quia eadem facultas contineatur in ipsamet reservatione; Vel quia indultum munitum non esset dicta clausula, quod per mutationem status illa cessare non deberet, atque ita responderetur ad deducta per Spad. *d. cons.*74. quod scilicet non accederet dicta circumstantia.

Minusque alicujus momenti videbatur dicta considera- 9
tio, quod ista clausula procederet in casu, de quo agitur in dicta *dec.*148. *Cavaler.* ubi scilicet mutatio status esset circa aliquod accidens, non autem circa ipsius status substantiam; Quoniam in hoc proposito nulla dignosci videtur differentia inter unum casum, & alterum; Ita enim cessat pensio per matrimonium, vel dimissionem status clericalis, sicuti per assumptionem status laicalis.

Ut enim pluries supra habetur, pensio est quid tempora- 10
le, non autem spirituale, utpotè super fructibus, non autem super Ecclesiæ rectoria, vel administratione, & consequenter de ejus natura etiam laici sunt capaces; Et quamvis clericatus sit necessarius, adeout eo cessante, pensio cesset; attamen id provenit ex Curiæ stylo non reservan- 11
di pensiones nisi pro clerico, & cujus styli ratione ita cessat pensio cessante clericatu, eodem modo quo per Episcopatum, vel aliud beneficium, seu officium incompatibile; Ideoque ubi damus retentionem jure continuationis per remotionem obstaculi, dicta clausula in Indulto contenta suam facit operationdm, neque aliquid urgere videtur, quod impediat; undè propterea idem Spada *d. cons.* 71. *in fine lib.*3. admittit dictæ præservativæ effectum, atque pro quadam rata facultatem transferendi.

Major autem difficultas cadit in casu de quo supra *dict. disc.*62. ubi, scilicet concurrat cum matrimonio etiam qualitas bigamiæ ex Constitutione Pii V. ut advertitur *d. dec.* 485. *n.*57. *& seq. p.*4. *rec.* quæ videtur specialis, quoniam ur- 12
gere videtur dicta ratio, ut posita non cessatione pensionis ex dicto remedio præservativo, intret facultas, quæ competat.

petat alio jure, quàm ex ipsa dispensatione concessa ad retinendum, quoniam conclusio procedit, ut eadem dispensatio concessa pro retentione non competat pro translatione, non quidem ut alia diversa facultas ex diverso fonte manans non suffragetur, adhuc tamen desuper in uno, vel altero casu omnino maturum judicium efformare potuit, dum illud non solet efformari, nisi prævia formali disputatione.

ADNOT. AD DISC. LXXVIII.

DE facultate militum Lauretanorum habetur actum *in hoc tit. disc.* 83.

MASSANEN. PENSIONIS PRO CARDINALI PICCOLOMINEO; CUM CAMERA.

Responsum pro veritate.

An pensio reservata, Ecclesia adhuc vacante, propè factam fructuum recollectam per Cameram, cum præfinitione terminorum in quorum primo, nulli fructus percipi potuerunt, dictus terminus tanquam anticipatus solvi debeat per ipsam Cameram ex fructibus, ut supra de tempore reservationis jam perceptis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Pensionario competit actio contra possessorem beneficii gravati, licèt fructus non perceperit, & n.* 4.
3 *Terminorum præfinitio, quid operetur.*
4 *De eadem conclusione, de qua num.* 3.
5 *Quod illa non procedat contra Cameram administrantem Ecclesiam vacantem.*
6 *Fructus incamerati non cadunt sub onere pensionis reservatæ post incamerationem.*
7 *Camera dicitur subrogata in locum Ecclesiæ, quæ de jure est hæres beneficiati.*
8 *An ex fructibus recollectæ jam factæ subministrari debeant successori alimenta pro oneribus anni futuri.*
9 *Annus in hac materia pensionis quomodo veniat regulandus.*
10 *Pensio incorporata cum patrimonio Titularis transmittitur.*

DISC. LXXIX.

1 VAcata Ecclesia Massanen. per obitum Episcopi circa mensem Junii, ac de tempore proximo omnium, vel majoris partis fructuum recollectæ in mensibus Julii & Augusti, istam fecit Camera, seu Nuntiatura Florentiæ, atque vacatione adhuc durante, de mense Octobris sequentis, Apostolica authoritate reservata fuit ad favorem Cardinalis Piccolominei super istius Ecclesiæ fructibus, pensio scut. 500. solvenda in duobus terminis, quorum primus destinatus fuit in die Nativitatis Domini proximè sequalter verò, juxta stylum, in die Nativitatis S. Jo. Baptistæ; Cumque de tempore quo dictus primus terminus maturavit, nulli fructus per Cameræ, seu nuntiaturæ ministros percepti essent, vel perceptio saltem notabilis immineret, unde propterea solutio termini negaretur. Hinc desuper consultus ex parte dicti Cardinalis pensionarii prætendentis solutionem fieri debere ex fructibus recollectis de præcedentibus mensibus Julii, & Augusti.

Respondi, quod ubi ageretur cum Titulari, qui de Ecclesia provisus illam possideret, tunc pro ipso pensionario
2 responderi debuisset, quoniam sufficit ad competentiam actionis, quod esset possessor Ecclesiæ gravatæ, quando cedit solutionis dies quam Papa statuit; Licèt enim præfinitio terminorum non percutiat substantiam pensionis, minusque eam regulet, cum regula pendet à perceptione fructuum, atque à computatione anni, qui pensionarius dicitur, regulandi ab ipsa die reservationis, ex iis quæ plu-
3 ries in præcedentibus habentur. Attamen hæc terminorum præfinitio operatur actionis competentiam, ac exercitium pro obtinenda solutione, quæ etiam anticipata demandari potest ex fructibus colligendis, quamvis (ubi ipsius Titularis obligatio non accedit) hujusmodi actionis effectus inanis remanere videatur, eo quia executio fieri non potest, nisi in ipsius Ecclesia gravatæ fructibus, sed quia frequentiùs dicta obligatio accedere solet, hinc proinde possessor cogi potest, quoniam ut alibi advertitur, pensio- 4
narius suas dirigit actiones contra eum quem invenit beneficii possessorem; Id autem practicabile non est cum Camera Ecclesiam vacantem administrante, cum ista ex re- 5
cepto stylo non solvat pensiones, & onera de proprio, atque non nisi ex ejusdem Ecclesiæ fructibus.

Neque dicebam obstare, quod Camera dictos fructus proximè præcedentis recollectæ perceperit, quoniam cum illi essent jam incamerati, dici non poterat, quod subja- 6
cere deberent pensioni, quæ tunc non erat in rerum natura, sed post incamerationem reservata erat, atque dicta recollecta potius quodammodo cadere videbatur sub spolio Episcopi defuncti, quod Camera facit tanquam subroga- 7
ta in locum Ecclesiæ, quæ de jure est hæres ex deductis *sub tit. de Benef. disc.* 81. *& seqq.* dum Episcopi obitus sequutus erat ipsa recollecta imminente, ac fructibus maturatis in anno jam labente, cujus onera idem supportaverat, ideòque iidem fructus non cadebant sub onere pensionis reservatæ in anno novo.

Quamvis enim ex deductis *in Ferrarien. sub tit. de benef. disc.* 84. & in aliis, plurium opinio sit, ut ex fructibus recollectæ jam factæ subministrari debeant successori ali- 8
menta, aliaque supportari onera anni sequentis, usquequo nova recollecta fiat, attamen, ut ibidem advertitur, in usu receptum non est.

Atque in idem ponderabam, quæ habentur supra *in Neritonen. disc.* 24. circa regulationem anni, quod scilicet non attenditur illa computatio, quæ in rebus indifferentibus juxta regionum diversos mores fieri solet, in inchoando 9
anno à die Incarnationis, vel Nativitatis, aut Circumcisionis Domini Nostri, &c. sed à die qua, recollectis fructibus, natura incipit concipere, ac præparare fructus novos sequentis recollectæ; Ideoque, in frumento, aliisque frugibus, cum pro regionum varietate menses Julii, & Augusti eam perficiant, hinc proinde, (ut generalis regula statuatur, novus annus initiatur à Kalendis Septembris, ac respectivè in aliis temporibus in vino & oleo, aliisque fructibus, ut *in dicta Neritonen. disc.* 24. Et consequenter de mense Octobris, in quo sequuta est reservatio hujusmodi pensionis, annus præcedens jam per menses jam completus erat, neque illa participatio fructuum, quæ per Papam pensionario concessa fuit, ad alios fructus referri poterat, nisi ad illos illius anni currentis.

Quemadmodum enim, si Episcopus vixisset ad totum mensem Augusti, ac fecisset recollectam, cum ejus patrimonio incorporatam, ideoque transmissam ad ejus hæredes juxta distinctionem, de qua *dict. tit. de Benef. disc.* 81. *& seqq.* 10
utique pensionarius pro nova pensione reservata post Episcopi mortem, ac fructuum incorporationem, actionem non haberet contra dictos hæredes, ita in præsenti, dum in effectu Cameram figuram hæredis potius ut supra faciebat.

ADNOT. AD DISC. LXXIX.

AN Camera teneatur ad solutionem pensionis Sede Vacante habetur *in hoc tit. disc.* 88.

EADEM COMEN. PENSIONIS INTER EASDEM PARTES.

De qua supra Discurs. 5.

De eadem materia secundæ reservationis pensionis invalidæ ob non factam mentionem primæ, quando procedat; Et incidenter de extinctione, seu cassatione pensionis mediante pecunia, an fieri possit necne sine beneplacito Apostolico; Et quatenus fieri non possit, an pensio subsistat, ac durare dicatur, adeout obstet reservationi alterius pensionis ob ejus mentionem non factam.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *In secunda reservatione facienda est mentio antiquæ licèt extinctæ, si beneplacitum non intervenit in extinctione.*
3 *Quod nullum est, nullum operatur effectum.*
4 *In secunda reservatione facienda est mentio antiquæ pensionis validæ secus invalidæ.*
5 *Pensionis extinctio mediante pecunia, an fieri valeat sine beneplacito Apostolico.*
6 *Constitutio* Pii V. *injungens pensionariis recitationem divini officii, an pensionis naturam immutaverit.*
7 *De opinione, ut pensio tam gratis, quàm cum recompensa, remitti, seu cassari possit sine beneplacito.*
8 *Etiam mediante anticipata solutione aliquorum terminorum.*
9 *Simonia, an cadat in pensionibus.*
10 *Ubi in resignatione beneficii non intervenit consensus superiori non abdicatur jus à resignante.*
11 *De differentia inter resignationem beneficii, & remissionem, seu cassationem pensionis.*
12 *Reprobatur conclusio, de qua supra num.* 7. & 8.
13 *Ista contraria opinio, ad quem effectum attendatur.*
14 *Pensio malè extincta sine beneplacito adhuc cessat in præjudicium pensionarii.*
15 *Ubi id gestum esset bona fide excusaret à peccato, & delicto, non autem ut pensio vigeret.*
16 *Quod stent benè simul, actum esse invalidum, & pensionem non præexistere.*
17 *Resignatio nulla, & quando abdicet jus à resignante.*
18 *De ratione conclusionis, de qua num.* 14.
19 *Conclusio de qua num.* 14. *declaratur.*
20 *De alia ratione dictæ conclusionis num.* 14.
21 *Eadem conclusio n.* 14. *fortius procederet, ubi actus non esset initus per Titularem, sed per tertium, & n.* 19.
22 *De materia retrotractionis beneplaciti Apostolici.*

DISC. LXXX.

1 RAtenta eadem facti serie, de qua supra in hac eadem causa *disc.* 5. postquam ibi enunciatus Cardinalis Arbitrator, seu benevolus compositor, declaravit, se satisfactum de responsionibus dicto *disc.* 5. deductis adversus nullitatem resultantem à solutione termini facta per Titularem prædecessorem in statu infirmitatis, ex qua ad breve tempus objerat, ob justificationem, quod tunc infirmitas non esset in statu periculoso, unde propterea fraus adderat; Difficultatem restrinxit (in ea nimium insistendo) ad alteram ibi insinuatam nullitatem, ob non fa-
2 ctam mentionem alterius antiquæ pensionis nil obstante quod extincta esset, ob defectum beneplaciti Apostolici, quod esse necessarium magis communiter est receptum sequendo *conf.* 63. Navar. *de Simon.* Cumque præsertim Garz. *par.* 1. *cap.* 5. *n.* 20. cæteris relatis dicat, actum esse simoniacum, ac nullum, hinc posita nullitate inferebatur,
3 quod prima pensio adhuc vigeret, ex vulgari axiomate, super quo plure colligit Barbos. *axiom.* 164. *in principio*, quod nullum, & nihil æquiparantur atque quod nullum est, nullum operatur effectum.

His tamen non obstantibus (etiam in sensu veritatis) pro meo judicio in priori opinione persistebam super secundæ pensionis validitate, dicto defectu non obstante,
4 ex conclusione infinuata eodem *disc.* 5. ac præcedenti *discurs.* 4. & alibi, quod mentio necessaria est illius pensionis, quæ valida, & exigibilis vigeat, adeo ut intret ratio duplicis oneris, quo Ecclesia, citra Papæ verisimilem voluntatem gravata remaneret, cum verè dicta prima pensio, tunc amplius non existeret, sed per voluntariam cassationem jam beneficium liberatum esset.

5 Super hoc autem puncto, an scilicet pensionis extinctio, etiam mediante pecunia, vel alia recompensa, sine Beneplacito Apostolico fieri valeat, atque posita negativa, quodque actus reputetur simoniacus, & invalidus, qualis exinde ad rem effectus resultet; Advertebam quod priusquam ederetur Constitutio *Pii V.* per quam pen-
6 sionariis injungitur onus recitationis officii B. M. (unde propterea aliqui licet minus probabiliter credere cœperunt, quod pensio naturam mutaverit, atque assumpserit quamdam speciem beneficii, vel spiritualitatis) extra omnem controversiam erat, ut pensio, quamvis de stylo Curiæ potius quam de ejus natura, reservaretur tanquam clerico, & cum necessitate continuantis clericatus, attamen esset quid merè temporale, cum pensionarius nullum jus in ipso beneficio, ejusque substantia spirituali, vel administratione acquirat, ut pluries etiam in præcedentibus advertitur.

Atque hinc proinde, apud antiquiores indefinitè, non distinguendo an gratis, vel cum recompensa, receptum est, ut pensio remitti seu cassari possit etiam sine benepla-
7 cito Papæ, vel alterius superioris, ut benè præpos. *in cap. Agatho* 63. *distinct. n.* 3. Gomez. *ad Regul. de Infirm. Resign. q.* 16. *n.* 4. Achil. *dec.* 6. *de Renunc. num.* 2. & alii relati per Garz. *de Benef. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 39.

Et explicitè, ut etiam mediante pecunia, vel anticipata solutione aliquorum terminorum, id citra simoniam, vel aliud delictum fieri possit, plenè discusso articulo, 8
concludit Gig. *de Pens. q.* 87. *n.* 1. *& per tot.* & confirmat *q.* 99. *n.* 9. eumdemque sensum, secluso stylo Curiæ Romanæ, habent quoque moderni Morales, præsertim Castro Palao *Oper. moral. p.* 3. *de Simon. disp.* 3. *pun.* 13. *n.* 9. & 10. & latius Giballin. *de Simon. q.* 20. *confect.* 11. *n.* 5. sequentes sensum antiquorum Moralium præsertim *Cajetan.* qui 9
reputari solet hujus opinionis antesignanus, sed male, quoniam antiquiores Canonistæ id prius dixerunt ut supra, cum nulla videatur subesse ratio prohibitiva; Non quidem illa simoniæ cum ista cadat in juribus spiritualibus, cum rebus temporalibus non contractandis, non autem in hac subjecta materia, quæ redolet onus temporale, ac merè pecuniarium.

Minusque intrat altera ratio, ob quam in resignatione beneficii, necessarius est superioris consensus, qui eam admittat, & sine quo jus non abdicatur à resignante, qui 10
adhuc remanet beneficiatus ex pluries deductis in sua materia *sub tit. de benefic.* ob manifestam differentiæ rationem, quod scilicet in beneficiis, inter Ecclesiam, & bene- 11
ficiatum uniri dicitur quasi contractus, quem dissolvere oportet cum eodem mutuo consensu nomine Ecclesiæ explicando per superiorem, qui destituendi facultatem habeat, ut advertitur dicto *tit. de benef.* pluries præsertim *disc.* 80. Ubi verò agitur de pensione tunc Ecclesia contendit de libertate, neque dicitur contrahi, vel distrahi, sed remitti servitus; Ut in specie hanc differentiam inter pensionem & beneficia ponderat Gomes. ubi supra.

Et quamvis Curia Romana firmiter, ac extra controversiam, (rejecta dicta contraria opinione, quæ erroneè ut supra originaliter tribuitur Cajetano) teneat contra- 12
riam, cujus antesignanus, allegari solet Navar. *dicto conf.* 63. *lib.* 5. *de simon.* ut actus dicatur simoniacus, ac invalidus; Attamen ut dictum est, id non provenit ex dispositione, vel ratione juris, vel ratione subjectæ materiæ, sed solum à stylo Curiæ, eodem modo, quo pro capacitate pensionum necessarius reputatur clericatus, quo cessante per militiam, vel alium statum incompatibilem, pensio cesset, dum totum provenit à stylo, non autem ab ipsa subjecta materia.

Iste autem stylus receptus est, ac procedit, ad effectum, 13
ut actus illicitus reputetur, non tam pro pœnis, quas, illam præsertim excommunicationis, verius, ac receptum est non intrare, eo modo, quo in actu verè simoniaco intrant, sed solum circa peccatum, ac etiam ne licitum reddatur ita pensionem contrectanti, pecuniam retinere, tanquam turpiter, ac illicitè obventam, unde propterea fiscus tanquam ab indigno auferre, seu avocare poterit; Nemo autem dicit, ut exinde pensio adhuc duret ad com- 14
modum, & favorem ita turpiter agentis, à quo sit exigibilis; cum id repugnare videatur omnibus juris principiis, atque nemo id asserat, cum sola quæstio sit ad dictum aliud diversum effectum, ut patet ex deductis per Paris. *de* 15
consil. q. 23. *n.* 47. ubi ex eodem Navarr. *conf.* 16. *eodem tit. de simon.* advertit, quod si factum esset bona fide opinando id non esse illicitum, excusatur à peccato, & delicto, non autem ad dictum alium effectum.

Neque ex eo, quod actus sit invalidus, ergo sequitur, 16
quod pensio præexistat, quoniam stante bene simul, ut pro jure, vel interesse tertii, sive ad effectus ipsi malè facienti præjudiciales, actus sit nullus, & tamen quod habeatur pro valido ad effectus præjudiciales ipsi male, vel turpiter agenti, juxta ea, quæ omnissis aliis generalibus, habemus præsertim in materia beneficiali *sub tit. de Benef. disc.* 34. *cum duob. seq.* super conclusione, quod resignatio 17
nulla non abdicat jus à resignante, quoniam intelligitur dummodo non agatur de nullitate culposa ex ejus parte juxta *dec.* 283. Carill. repetit. *dec.* 218. *par.* 9. *rec.* & apud Cels. *dec.* 172. cum aliis ibi deduct. ubi de similibus hæredis indigni, filii ingrati, professi incorrigibilis, privati contrahentis cum Ecclesia, cum similibus, ne aliàs detur inconveniens ponderatum supra *dict. disc.* 5. quod omni- 18.
bus positivi, ac naturalis juris principiis adversatur, ut scilicet melioris conditionis esse deberet ille qui malè, ac turpiter agit, quam qui benè, ac laudabiliter gratis Ecclesiam liberando.

Tunc enim difficultas cadere posset, quando commodum cassationis principaliter tenderet ad commodum Titularis, actum æque simoniacum, ac illicitum agen- 19
tis, secus autem ubi ad commodum principaliter Ecclesiæ libertatem acquirentis, ideoque solum contra Titularem.

larem illicitè agentem posset Fiscus ecclesiasticus tanquam ab indigno auferre commodum, quod sibi ex hoc actu resultaret, eodem modo quo à pensionario recipien-
20 te pecuniam, non autem ut exinde libertas Ecclesiæ impedita remaneat.

Atque si per actum simoniacum consumatum, in pœnam amittuntur beneficia, vel pensiones, quamvis voluntas dimittendi, vel extinguendi non accedat, multo magis dicendum est, ut hæc species dimissionis tollat omne jus à dimittente quamvis medium esset illicitum, cum hæc turpitudo ipsi turpiter agenti, non autem Ecclesiæ præjudicare debeat.

Clariùs verò in hac facti specie ex duplici circumstan-
21 tia; Primò scilicet quod hic actus initus non fuit per Titularem, sed per tertium, unde propterea Titularis in bona fide versari potuit, quia scilicet ideo antiquam pensionem non narravit, quia credidit, quod legitimè, ac ser. ser. extincta esset, unde propterea à simili, vel ex rationis identitate conferre videntur ea quæ habentur supra in Parmen. *disc.* 12. Et secundò, quia actus publicè & palam initus fuit per publicum instrumentum cum expressa reservatione beneplaciti Apostolici, unde intrare videntur ea quæ in hoc proposito habentur apud Paris. *de Consid. quæst.* 23. *num.* 47. super excusatione actus ratione bonæ fidei.

Ac etiam non improbabiliter ponderabam applicari posse ea, quæ in materia retrotractionis habentur *sub tit. de Dote disc.* 24. *& disc.* 143. ut scilicet quando actus fit sub expressa reservatione beneplaciti revalidatorii, quod passim conceditur, & nemini negari solet, tunc eo obtento, intrat retrotractio ad suum initium; Quidquid enim fit de hoc ubi agitur ad effectus positivè tertio præjudiciales ex ponderationibus, de quibus *d. disc.* 24. *&* 143. *de dote*, ad istum tamen effectum salvandi actum à nullitate resultante solum à defectu intentionis, cujus ratio ita cessat, dicta retrotractio probabilius intrare videtur, ideoque istam credebam esse germanam, ac genuinam veritatem.

ADNOT. AD DISC. LXXX.

Quando sit facienda mentio antiquæ pensionis habetur pluries *hoc. tit præsertim disc.* 4. *cum seqq.*

CONIMBRICEN. PENSIONIS.

Discursus in forma voti super dubio generali disputato in S. Congregatione Concilii, & decisio ut infrà.

An illa suspensio, quàm ex decretis Concilii Tridentini incurrunt malè ordinati à non proprio Episcopo, inhabilitet ad obtinendum beneficia, & pensiones Ecclesiasticas; Et an isto casu beneficia, & pensiones differant.

Et incidenter de potestate Abbatum, aliorumque Prælatorum inferiorum conferendi primam tonsuram, & ordines minores, quando, & quomodo illa intret.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio.*
3 *Quod in Sacris Congregationibus Cardinalitiis major labor sit Judicum.*
4 *De stylo præsupponendi solutiones super aliis dubiis.*
5 *Inspectiones dividuntur.*
6 *De differentia inter ordines sacros, & minores, ac tonsuram.*
7 *Si Episcopus non suus dat ordines sacros imprimitur character, secus si Abbas, & de ratione.*
8 *Collatio ordinum minorum est effectus jurisdictionis, non consecrationis.*
9 *De potestate Abbatum circa ordines, & an Abbatia sit ordo distinctus.*
10 *An requiratur quod Abbates sint benedicti.*
11 *An illi Prælati inferiores qui sint decorati titulo Abbatis, sed aliam habeant nuncupationem: habeant tamen usum Pontificalium, conferant ordines minores, quid de Vicario generali, vel Capitulari.*
12 *Quæ potestas hodie his Abbatibus in hoc competat.*
13 *An & quando ordines collati per Abbates imprimaut characterem.*
14 *An prima tonsura sit ordo, & quid, & in quibus differat ab aliis ordinibus minoribus.*
15 *An simplex Sacerdos cum jurisdictione conferat tonsuram.*
16 *De inhabilitatione resultante à suspensione ad beneficia assequenda.*
17 *Et de irregularitate ex homicidio.*
18 *De eadem inhabilitatione ad assequendas pensiones latè cum opinionibus, & rationibus hinc indè.*
19 *De modo differendi doctrinis.*
20 *Et præsertim in magnis tribunalibus, & Sacris Congregationibus.*
21 *De argumentis pro inhabilitatione ad pensiones eodem modo quo ad beneficia.*
22 *Ignorantia juris non excusat in assequendis.*
23 *De æquiparatione beneficiorum, & pensionum etiam in pœnalibus.*
24 *Contrarium quod non intret hæc inhabilitatio.*
25 *Pensio non est jus spirituale, vel Ecclesiasticum.*
26 *De eodem de quo num.* 22.
27 *De praxi Datariæ dispensandi cum uxoratis, & militibus super pensionibus.*
28 *De aliquibus exæquationibus beneficiorum, & pensionum, unde proveniant.*
29 *Conclusio cum voto Auctoris.*
30 *Quod sufficiat dubietas pro exclusione inhabilitatis.*
31 *De rationibus bonæ fidei, & justæ excusationis.*
32 *De clausula* Teque absolventes, *quid operetur.*

DISC. LXXXI.

VAcante ad plures annos Ecclesia Conimbricensi, eo 1
modo quo fortè omnes aliæ illius Regni, quod in hoc sæculo, ob ejus accidentia, apud historicos, ac etiam Juristas notoria per aliquod notabile tempus Episcopis destitutum remansit, in vim litterarum dimissorialium Vicarii Capitularis, aliqui Abbates regulares ordinis S. Benedicti habentes usum baculi, & mitræ, juxta hujus ordinis privilegia insinuata *sub tit. de jurisd. disc.* 31. *& sub tit. de præmin. disc.* 15. & alibi, nonnullis primam tonsuram, & minores ordines contulerunt; Re autem delata ad sedem Apostolicam, ista sub Alexandro VII. ad consultationem S. Congregationis Concilii *sub die* 26. *Junii* 1655. decrevit istos esse quidem ordinatos, adeout alia non indigerent ordinum collatione, indigere autem rehabilitatione, ob suspensionem contentam in antiquis Canonibus regiſtratis *in cap.* 1. *& seqq.* 71. *distinct. & innovatis per Sac. Concilium Trident. sess.* 23. *de reformat. cap.* 8. dictaque rehabilitatio concessa fuit.

Cumque medio tempore inter ordinationem, & rehabilitationem, ad favorem eorum ita ordinatorum quamplures pensiones Apostolica auctoritate reservatæ, vel respectivè translatæ fuerint; Hinc orta est dubitatio super hujusmodi reservationum, vel translationum validitate, atque desuper consulta Sacra Congregatione Concilii, in duabus propositionibus, ob excitatas difficultates, nulla prodiit resolutio, in tertia propositione sequuta pro validitate sub die 15. Septembris 1674. non sine tamen discrepantia, & votorum scissura.

Quamvis autem super dubio (ut fortè oportunum, quinimò necessarium fuisset) per Advocatos hinc indè scriptum non fuerit, adeout ipsis Partibus opus fuerit practicare rubricam, *ut quæ desunt, Advocatus, Judices suppleant*, ut in sacris Cardinalibus Congregationibus frequenter contingit; Adhuc tamen ad requisitionem aliquorum Cardinalium utriusque sententiæ respectivè se- 3
quacium, occasionem habui punctum aliqualiter examinare, eo modo, qui verè melior, magisque veritati adaptatus censendus est pro veritatis indignatione, quia nempè aliqua erga unam potiùs, quàm alteram partem affectio contracta non fit, ut sequitur, ubi scribatur more Advocatorum, quorum intellectus frequenter ab hac affectione fascinatus esse solet, quamvis voluntas ad solam veritatem sincerè directa sit.

In his, itaque disputationibus processum fuit cum certo præsupposito, quod juxtà prædictam determinationem sequutam de anno 1655. promoti dicendi essent verè ordinati, & habentes clericalem characterem, cum obstaculo suspensionis, ideoque difficultas restricta fuit ad solum punctum, an suspensio inhabilitet ad Ecclesiastica be- 4
neficia assequenda; Et quatenùs in beneficiis illa sequenda esset opinio, quæ inhabilitationem credit, an idem sequatur in pensionibus Ecclesiasticis; Idque ex probabili qui-

quidem fundamento resultante à Curiæ stylo insinuato in relatione Curiæ *disc.* 32. occasione agendi de Tribunali Rotæ, in aliis Tribunalibus, & in Sac. Congreg. quoque vigente, & in diversi posterioris dubii disputatione, præsupponendæ sint resolutiones in alio dubio jam sequutæ, ne contingat eas incidenter renovari, vel circumscribi.

Mihi vero placuisset, ut tota materia ex integro examinari debuisset, etiam respectu dicti antiqui puncti validitatis ipsius collationis, an scilicet ordinati haberent, necnè characterem, ut etiam per Rotam, aliaque Tribunalia, quandoque practicari solet, quod scilicet in navi dubii disputatione concedatur facultas impugnandi priores resolutiones proditas sub diverso dubio, quę ita sub disputationis trutina, quoque ponantur; Ea motus ratione, quod si ordinatio invalida esset, adout characteris deesset impressio, tunc difficultas cessaret in radice, atque inanis remaneret inspectio, an sola suspensio istum effectum, necnè operaretur; Potissimè dum aliqui docti, beneque versati Cardinales circa hunc punctum aliquam habebant difficultatem.

Quare tres constituebam inspectiones; Primo scilicet, an isti sic ordinati dicendi essent initiati prima tonsura, quę
5 sola sufficit ad hunc effectum, adeout solum dictæ suspensionis obstaculum adesset; Secundò posita characteris impressione, an obstaret suspensio, quæ inhabilitaret ad assequendum beneficia Ecclesiastica; Et tertio posita inhabilitatione ad beneficia, quidnam dicendum esset in pensionibus Ecclesiasticis.

Quatenus itaque pertinet ad primam inspectionem, vel punctum; Pro illius methodica resolutione, reflectendum in primis videtur ad differentiam, quæ dignoscitur inter primam tonsuram, & ordines minores, & sacros, ut exinde congrua resultet applicatio eorum, in hac materia apud Scriptores habentur; Differunt namque tres sacri ordines, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, à quatuor minoribus, Ostiaratus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolytatus, ac etiam à prima tonsura, quod scilicet primi tres
6 sacri dicuntur, effectus consecrationis, & ordinis Pontificalis potius, quàm jurisdictionis; Ideoque ubi aliter expressè non disponat Pontificia potestas, cui cedunt omnia, quæ à positivo Ecclesiastico jure, absque positiva repugnantia juris divini proveniunt, conferri non possunt, nisi per Episcopos consecratos, & sic constitutos in ordine Pontificali, adeout si Abbas, vel alter inferior Prælatus, vel simplex Sacerdos eos conferat, habeantur pro non collatis,
7 nullusque propterea imprimitur character; Sed è converso, si Episcopus consecratus eos confert, quamvis illegitimè, vel quia ante legitimam ætatem, vel extra tempora ordinationum, aut aliis habentibus canonicum impedimentum; Sive carentibus requisitis necessariis; Aut quia ordinator jurisdictionem non habeat cum ordinato, qui non sit ejus subditus, tunc dicitur quidem ille ordinatus, atque resultat impressio characteris indelebilis, sed ultrà pœnas impositas ordinanti, ordinatus inter alias resultantes à distinctione bonæ, vel malæ fidei, in ipso instanti incurrit pœnam suspensionis, quæ propterea dicitur nativa, utpotè oriens cum ipso actu susceptionis ordinis, donec sequatur legitima dispensatio, vel rehabilitatio.

Ipsa verò impressio characteris, ut propterea ille dicatur verè, quamvis illegitimè ordinatus, ubi fiat per constitutum in ordine Episcopali, ab illa provenit ratione, quod Episcopi dicuntur habere facultatem generalem in Ecclesia universali apponendi manus tanquam subrogati in locum Apostolorum; Ideoque eo ipso, quod sequitur appositio eorum manuum, juxtà formam ab Ecclesia statutam, resultare dicitur impressio characteris in genere, quamvis iste actus dici mereatur illicitus, & punibilis, ob contraventionem legum Ecclesiasticarum, circa ætatem, vel tempora, aliaque requisita, ac etiam circa violationem divisionis factæ per eandem Ecclesiam ad tollendas confusiones, & ne unus Episcopus se ingerat in ordinando subditos alterius juxta decreta Conciliaria regiſtrata *in Can.* 1. *cum seqq.* 71. *distinct.* & innovata per Conc. Trid. *sess.* 23. *de ref. c.* 13. ex insinuatis *sub tit. de jurisdict. disc.* 52. *& in adnot. ad idem Conc. Trid. disc.* 6. *&* 14. Atque si hæc procedunt in ordinibus sacris, multo magis procedunt in minoribus, ducto argumento *ab Auth.* multo magis, &c. quod scilicet qui
8 potest facere plus, potest etiam facere minus.

Minorum autem ordinum collatio non est effectus consecrationis, sed potiùs effectus jurisdictionis, quoniam etiam Abbates, dummodò constituti sint in ordine Sacer-
8 dotali, eos conferre possunt juxtà decretum septimæ Synodus regiſtratum *in Can. unic.* 69. *distinct.* cum quo pertransit decretalis *in c. cum contingat de ætate, & qualitate ordinandorum*, & altera decretalis *in c. Abbates de privil. in* 6. Abbatia etenim quamvis decorata esset prærogativa, vel præeminentias adhibendi mitram, & bacculum, aliaque pontificalia, & benedicendi populum juxta ea, quæ ha- 9
bentur *sub tit. de Jurisd. disc.* 31. *& sub tit. de Præemin. disc.* 15. non tamen constituit aliquem ordinem diversum à Sacerdotio, & supraeminentem, ut constituit Episcopatus ratione consecrationis, ideoque Abbates sunt constituti in eodem ordine Sacerdotali, quemadmodum sunt omnes alii simplices Presbyteri, quamvis aliquas habeant honorificas præeminentias majores, quę aliis non conceduntur; Et per consequens ista facultas conferendi ordines propriis subditis non est effectus consecrationis, vel ordinis superemi- 10
nentis, sed est effectus jurisdictionis, ita exercibilis cum propriis subditis tantùm, ad quos eadem facultas, ac jurisdictio est limitata, & extrà quos nullam habent potestatem.

Et quamvis aliqui etiam antiquiores, & præ cæteris Lapus *alleg.* 138. cum quibus pertransit Fagnan. *in c. à qua de consecr. Eccles. ex n.* 8. *& seqq.* stante quod in allegatis Canonibus sit sermo de Abbatibus Benedictis, opinantur quod iste sit effectus Benedictionis, quæ respectu minorum ordi- 10
num æquipolleat consecrationi, atque constituat personam in aliquo ordine majori, vel supereminenti, & sic vel quod requiratur pro forma seu requisito necessario illa benedictio ceremonialis, quæ etiam hodie cum aliquibus Abbatibus practicari solet, vel quod illa sufficiat etiam sine jurisdictione; Attamen id continere videtur aliquam simplicitatem, sive æquivocum, quoniam juxtà conditionem illorum temporum, in quibus dicti canones prodierunt, exceptis aliquibus monasteriis particularibus, quæ munita essent privilegiis exemptivis per Apostolicam Sedem concessis, regulares, eorumque Abbates, & Prælati subjacebant Episcopis, & Ordinariis locorum *ex deduct. dict. tit. de jurisdict. disc.* 28. *& de Regular. disc.* 1. & alibi, ideoque Episcopi benedictione Abbates indigebant, quando electi erant, tanquam per speciem confirmationis superioris, qua electus de jure indiget, & sine qua non potest se ingerere in administratione Prælaturæ, & in exercitio sibi annexæ jurisdictionis, & sic ad effectum exercendi hanc jurisdictionem, non autem pro solemnitate, vel impressione alicujus majoris ordinis capiendo benedictionem pro explicatione Abbatiæ, actualis, ac habentis actualem jurisdictionem, & administrationem ad differentiam Abbatum titularium, & honorificorum, qui ob cessantem jurisdictionem cum subditis ordinandis ad hunc effectum habendi sunt pro non Abbatibus.

Cumque ex quadam consuetudine, Ecclesiæ, & juxtà ejus ceremoniale; etiam quatuor minores ordines conferantur inter missarum solemnia cum usu mitræ, ac propter- 11
eà id concessum non videatur aliis sacerdotibus hanc prærogativam non habentibus, quamvis jurisdictionem, & prælaturam habeant, cum illis qui ordinandi sint, Ut (ex.gr.) in hierarchia regulari contingit in Prioribus vel Guardianis, aliisque Superioribus, & Prælatis Mendicantium, vel Clericorum regularium; Ac etiam in hierarchia sæculari in primis dignitatibus aliquarum collegiatarum habentibus jurisdictionem ordinariam cum Clero, & populo, etiam cum territorio separato, & cum qualitate nullius, sed fine ista prærogativa seu præeminentia bacculi, & mitræ ac benedictionis, ut (ex.gr.) est Archipresbyter Tetræ Cirignolæ Sypontinæ diœcesis, de qua agitur *sub tit. de benefic. disc.* 12. Attamen si iste superior vel Prælatus habens jurisdictionem, ac etiam habens dictum usum Pontificalium, appelletur alio nomine vel vocabulo quam Abbatis, ut sunt (ex.gr.) inter regulares Priores Cartusianorum, & inter fœculares plures primæ Dignitates Collegiatarum fœcularium quales (ex.gr.) sunt Archipresbyter Altamuræ Provinciæ Baren. Prior S. Nicolai Civitatis Barii, & plures Præpositi, ac Priores, & Archipresbyteri in Hetruria & Lombardia, & alibi; Et tunc eadem potestas de qua *in d. cap. Abbates cum concordan. de quibus supra* istis quoque competere videtur, cum eadem sit in omnibus ratio, adeout Abbates stent potiùs demonstrativè ratione frequentioris contingentiæ, quam taxativè, cum revera iste non sit effectus ordinis, sed jurisdictionis, quæ hanc tribuit potestatem; Et quamvis isto assumpto retento, quod iste sit effectus jurisdictionis potiùs, quàm ordinis, dici posset quod ita Vicarius generalis Episcopi vel Capituli, qui habeat potestatem committendi Episcopo, vel Ab- 12
bati collationem ordinum suis subditis, posset quoque id

facere

facere per ſeipſum ex regula de qua apud Seraph. *d. deciſ. 985. n. 3.* quod paria ſunt facere, ac alteri faciendum committere, & quod qui poteſt facere unum, poſſit quoque facere alterum, adeout ob prohibitionem reſultantem à Concilio Trident. intret ſuſpenſio, ſed ordines ſint collati cum impreſſione characteris, cujus contrarium docet inconcuſſa obſervantia generalis Eccleſiæ Catholicæ; Attamen dicendum videtur non valere argumentum ab illis Prælatis, qui habeant juriſdictionem nativam jure ſuo ad iſtos Vicarios, qui eam habent nativam jure alieno, & tanquam mandatarii, quoniam in iſtis deficere dicitur juriſdictio ex defectu mandati, & commiſſionis, quamvis iſta eſſet ampla, & ſpecialis ad ordines pro concedendis litteris dimiſſorialibus, quoniam non exinde inferri poteſt ad commiſſionem id agendi per ſeipſum, ex concluſione de qua *ſub tit. de emphyteuſi diſc. 1. n. 14.* & alibi, ut generica, & ampla commiſſione data Vicario non veniant inſolita, utpotè veriſimiliter non habita in intentione.

His itaque ſic prænotatis, & ſtatutis, ac applicando ad rem, diſtinguendum venit quod; Aut iſti Abbates habent actualem adminiſtrationem, ac juriſdictionem cum propriis ſuſ-
13 ditis, cum quibus etiam hodie poſt Conc. Trid. hanc poteſtatem conferendi primam tonſuram, & ordines minores exercere poſſunt, ut ſunt Abbates regulares cum eorum ſubditis profeſſis tamen, qui de Hierarchia regulari jam irratractabiliter effecti ſunt, & non aliàs, adeout verius ſit, ut eam exercere non poſſint cum convitiis; Et tunc intrat propriè quæſtio, an eandem poteſtatem exercere valeant cum ſubditis alienis, & non propriis, adeout exercentes, imprimant necne characterem.

Atque diſtinctio eſt, quod aut id agant ex ſola poteſtate propria ſine licentia, & conceſſione proprii Epiſcopi, vel alterius Prælati ſæcularis, vel reſpectivè regularis, qui ad id ſufficientem, ac legitimam habeat auctoritatem; Et tali
14 caſu verius videatur nullum imprimi characterem, atque ordinatum haberi pro non ordinato, perinde ac ſi à ſimplici, ac privato Sacerdote actus geſtus eſſet, quoniam cum non adaptetur dicta ratio poteſtatis ſacramentalis, vel ordinis Pontificalis, quæ intrat in collatione quæ fiat per Epiſcopum, ut ſupra, ſolumque id proveniat à delegata juriſdictione, iſtaque ſit hodie reſtricta ad proprios ſubditos regulares profeſſos; Hinc manat, ut dicatur geſtus alio qua juriſdictione, vel poteſtate, adinſtar matrimonii, cui aſſiſtat ille, qui non ſit Parochus, vel ad inſtar abſolutionis penitentialis, quam citra articulum mortis præbeat ille Sacerdos, qui non habeat licentiam audiendi confeſſiones ſacramentales, vel habeat reſtrictam ad certum genus perſonarum cum ſimilibus, licet enim Fagnan. *in c. à qua de conſecr. Eccl. vel altar.* credat quod in Abbatibus benedictis iſte ſit etiam effectus ordinis, attamen id nullum habere videtur probabile fundamentum, quoniam ita eſſet dare alicui ordinem in Eccleſia diverſum à Sacerdotali, & ab Epiſcopali quod eſt magnum abſurdum, cum non levis queſtio ſit, an adſit necne dicta contradiſtinctio Epiſcopalis.

Aut verò ſit Abbas, qui hanc habeat actualem poteſtatem exercibilem cum propriis ſubditis, non poſſit autem eam exercere cum Clericis ſæcularibus ſubditis alteri Prælato, vel Epiſcopo, aut cum regularibus pariter ſubditis alteri Prælato, de ejus tamen licentia, & commiſſione ordines conferat, juxta caſum præciſum quæſtionis; Et tunc plerique relati per Barboſ. *in adnot. ad Concil. ſeſſ. 23. de ref. cap. 10. n. 5.* credunt actum eſſe validum, & licitum, adeout non intret dicta pœna ſuſpenſionis, ex ea ratione quod cum iſte ſit effectus juriſdictionis, ob cujus defectum actus remaneat invalidus, vel illicitus, ita iſte defectus ſupplet us remaneat à conſenſu ejus qui juriſdictionem habeat, eo modo quo Epiſcopus alienus vel Epiſcopus titularis validè ac legitimè confert ordines etiam ſacros cum licentia ſive cum litteris dimiſſorialibus proprii Epiſcopi vel Prælati, dum eadem intrare videtur vel proportio, atque ut advertitur apud Seraphin. *dec. 985. n. 3.* paria ſunt conferre, vel alteri conferendi poteſtatem tribuere.

Atque cum hoc ſenſu reperitur in libris antiquis conceſſiſſe Sac. Congregationem Concilii in quibuſdam adnotationibus Cardinalis Alciati, & in quadam Epiſtola ſcripta Cardinali Paleotto, & in una Parmen. ſub præfectura Cardinalis Carafæ juxta adnotationes deductas in quodam elaborato voto Secretarii *de Vecchis ſub Alexandro VII.* & latè etiam ſubſtinet referendo dictas declarationes Fagn. *in cap. à qua de conſecr. Eccl. vel altar. n. 8. cum ſeqq.*

Contrarium verò reſolutum fuit per Rotam deſuper conſultam de ordine Clementis VIII. ut patet ex *dicta dec. 985.* Seraphin. Iſtamque ſententiam ſequuntur alii relati per eundem Barboſ. *ubi ſupra*, atque ſequuta fuit etiam quandoque de tempore antiquo dicta S. Congregatio, adeout aliqua reſolutionem varietas, vel contradiſtinctio deſuper dignoſceretur, ideòque reputaretur articulus dubius; Verùm de anno 1641. in una Panormitana maturè diſcuſſo articulo deventum fuit in hanc poſteriorem ſententiam juxta *d. dec. 985.* Seraphin. atque cum hac reſolutione deinde in aliis proceſſum fuit, & præſertim in iſto caſu individuo de dicto anno *1655.* & deinde in aliis, adeout videatur aſſumptum hodie firmum, juxta hujus caſus prædictam reſolutionem, ut ſcilicet adeſſe quidem dicatur colatio ordinum, & impreſſio characteris, adeout neceſſaria non ſit nova ordinatio, ſed tamen intret dicta nativa, & inſtantanea ſuſpenſio, quam non tollat ſuperventa Ordinarii ratihabitio de qua apud Lap. *dicta allegat. 138.* ob decretum Concilii Tridentini *dicto c. 10. ſeſſ. 23. de reform.* atque cum jure hodie vivitur, & Fagnan. *ubi ſupra n. 19. in fin. refert declarationem anni 1658.*

Et quamvis aliqui credant quod *in dict. dec. 985.* Seraph. firmetur omnimoda invaliditas actus; Coutrarium tamen probabiliùs videtur, quod ſcilicet firmetur ſolùm quod actus ſit illicitus, & inductivus dictæ pœnæ ſuſpenſionis, non tamen invalidus, ita non approbando illam opinionem, quæ credit illum eſſe validum, ac licitum eo modo quo eſſet ſi ab Epiſcopo collatio ordinum de licentia proprii Ordinarii facta eſſet, dum ibi examinatur punctus impreſſionis, vel non impreſſionis characteris, ut deciſionis tenor oſtendit.

Siquidem rigor antiquorum Conciliorum de quibus *in d. can. 1. & ſeq. 71. diſtinct.* propriè percutit caſum ordinationis ab alieno Epiſcopo abſque licentia proprii, ob ibi aſſignatam rationem confuſionis, quæ aliàs in Eccleſia oriretur, & ſic eſt ratio longè diverſa ab illa, quæ conſideratur in iſto caſu, in quo non urget defectus juriſdictionis, dum actus fit cum licentia, & auctoritate proprii Epiſcopi, ſed ſolum conſideratur quædam temeritas in Abbate, ſe ingerendo in eo munere quod ſibi demandatum non fuit, vel demandatum cum certa reſtrictione inducta per jus novum Concilii Tridentini; Ideòque firmum remanet quod adſit quidem ordo, ejuſque characteris impreſſio, ſed cum præfata pœna nativa, & inſtantaneæ ſuſpenſionis.

Advertendum præterea videtur quod ad effectum præſentis quæſtionis incapacitatis ſcilicèt penſionum Eccleſiaſticarum, quinimo etiam beneficiorum, quæ nullum habeant annexum ordinem, vel miniſterium; pro quo ordo requiratur, nil refert inſpicere de validâ, vel invalidâ collatione aliorum ordinum, cum ſufficiat adeſſe primam tonſuram, circa quam aliqua ratio diverſitatis in propoſito dignoſcitur; Siquidem ubi ſequenda eſſet opinio Theologorum, illa non eſſet ordo, ſed ſolum quædam præparatio, ſeu introductio ad ordines; Et quando ſequenda eſſet altera opinio Canoniſtarum in foro magis recepta, ut ſit quidem ordo genericus, ex eo quod conſtituat perſonam in ordine, vel Hierarchia Eccleſiaſtica, adeout imprimat quoque quemdam characterem indelebilem, ob quem licitum eſt clerico poſt dimiſſum habitum, & ſtatum clericalem, illum etiam inſcio, vel invito Epiſcopo reaſſumere, & è converſò duret ejus ſubjectio fori Eccleſiaſtici dicta dimiſſione non obſtante, quando ſine Epiſcopi licentia fiat *ex deduct. ſub tit. de Juriſdict. diſc. 55. & in adnot. ad Conc. Trid. diſc. 24.* & alibi; Attamen erit quidem ordo genericus ut ſupra, non autem ordo ſpecificus, qui habeat annexum certum miniſterium, ut habent alii ordines minores, quoniam iſti non eſſent quatuor, ſed quinquè *ex deduct.* per Fagnan. *in cap. cum contingat de ætat. & qual. ordinand.* apud quem concordantes, ideòque aliqua in hoc dignoſcitur differentia.

Prout etiam eadem differentia magis dignoſcitur in eo, quod quatuor ordines minores aliquam ab Eccleſia præſcriptam habent certam formam, cum qua conferantur inter miſſarum ſcilicet ſolemnia, & in diebus feſtivis, & cum aliquo uſu Pontificalium, ac etiam cum aliquibus ſacris ritibus, & ceremoniis, quorum omnium nihil deſideratur in collatione primæ tonſuræ, quæ fieri poteſt in aula, vel in via omnique alio loco, quocumque die, & quacumque hora, etiam in habito privato, & domeſtico, ſive ruſticano, abſque aliquo Eccleſiaſtico, & ſolemni ritu, vel ceremonia, cum in effectu aliud non ſit adſcriptio illius perſonæ militiæ cæleſti.

Et per conſequens quamvis illi Prælati inferiores qui juriſdictione Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem habeant cum

cum perſonis promovendis juxtà illas ſpecies de quibus *ſub tit. de Juriſdict. diſc. 1. & ſeqq.* debeant ab hoc abſtine-
15 re ob generalem prohibitionem Concilii Tridentini; Attamen ſi de facto id agant, quamvis eſſent Abbates, neque aliquem Pontificalium uſum habeant, adhuc dicendum videtur quod tonſura ſit collata, ejuſque character impreſſus, cum ſit merus actus ſolius juriſdictionis abſque aliqua mixtura conſecrationis, vel benedictionis, licet facerent per ſe ipſos, multo magis ſi faciant per eum, qui habeat aliquem uſum Pontificalium, atque ſit de illo genere Prælatorum, qui hanc poteſtatem habitualem habeant, quamvis in exercitio hodie reſtrictam, ex ea probabili ratione, quod ſi iſti ſunt duces illius legionis vel cohortis Eccleſiaſticæ, idcircò non videntur deſtituti hac poteſtate faciendi hunc quaſi contractum, qui dicitur in adſcriptione militiæ *ex deduct. d. diſc. 55. de Juriſd. & d. diſc. 24. in Adnot. ad Conc.* ac propterea ubi non deficiat juriſdictio, cujus eſt nudus effectus, ut in præſenti non deficiebat in Capitulo poſt lapſum annum vacationis, idcirco de exiſtentia clericatus, & de impreſſione characteris clericalis in genere in hac facti ſpecie dubitandum non videatur, dum primam tonſuram conferri poſſe à ſimplici ſacerdote tenent Innoc. Bainer. Archid. & alii relati per Lap. *d. allegat. 138. n. 14.*

Hinc ſola ratio dubitandi reſtringitur ad operationem ſuſpenſionis, an inducat incapacitatem obtinendi beneficia, vel penſiones, juxta aliàs duas ſupra diſtinctas inſpectiones, in quarum una agitur de beneficiis, & in altera de Penſionibus ob aliquam diverſitatem, quæ inter unam ſpeciem, & alteram dignoſcitur ut infrà.

Quatenus itaque pertinet ad beneficia, quamvis Lap. *dict. allegat. 138.* diſcurrat pro excluſione inhabilitatis;
16 Attamen contraria ſententia omnino recipienda venit; Tum quia idem Lap. ſcribendo pro amico more conſulentis adhuc eſt ſub dubio, atque agnoſcendo difficultatem plura proponit remedia; Tum etiam quia contrarium ex magis communi ſenſu Canoniſtarum firmat Geminian. *conſ. 133.* & ſequuntur DD. de quibus infra in alio puncto penſionis.

Magis autem ſtringere videtur convincens ratio, quod ſcilicet beneficium cujus vis naturæ vel qualitatis ſit, quamvis ſimplex non reſidentiale nec ſervitorium, ſemper tamen eſt quid mere ſpirituale annexum habens miniſterium clericale atque tribuens jus poſſeſſori in re ſpirituali cum ſit Rector, & adminiſtrator Eccleſiæ vel cappellæ ſive altaris, cui dedecet laicum vel eum, qui pro laico habendus eſt, miniſtrare, ideoque perneceſſè deſiderandus venit clericatus legitimus, & perfectus, qui tribuat habilitatem miniſtrandi in divinis, ſive Eccleſiæ, vel altari.

Ac etiam quia antiquorum canonum diſpoſitioni accedit jus novum *Concilii Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de reform.* quod
17 clericum quamvis validè & legitimè ordinatum, atque in integro ſtatu clericali jam exiſtentem poſtea verò incurrentem irregularitatem ex cauſa homicidii ad beneficiorum aſſequutionem inhabilitat, cum tamen in communi ſenſu major reputetur ipſa ſuſpenſio nativa, & inſtantanea quæ operatur ut ſecluſa impreſſione ordinis vel characteris quoad alios effectus ſit proficuos clericus habeatur pro non clerico, ſive quod ſit clericus illegitimus, & imperfectus, quidquid ſit quoad illos effectus qui concernunt publicum favorem totius ordinis.

Accidentalis vero ſuperventa irregularitas præſupponit præcedentem ſtatum perfectum, & integrum, impedit verò in aliquibus partibus exercitium, & per conſequens intrat argumentum à majoritate rationis.

Alia quoque conſiderari poteſt ratio ob quam ex mente canonum antiqui canoniſtæ, cum quibus moderniores pertranſeunt generaliter iſtam inhabilitatem pro regula ſtatuerunt, quoniam eorum tempore adhuc fortè non inoleverat uſus modernorum beneficiorum ſimplicium nullum habentium annexum miniſterium, & ſervitium actuale in divinis ut hodie habemus, dum apud Beneficialiſtas recepta eſt propoſitio pluries in ſua ſede inſinuata, quod antiquitùs omnia beneficia quamvis ſimplicia erant reſidentialia, & ſervitoria, ſed poſtea ex conſuetudine ſortita ſunt illam naturam, quam hodie habent, ideoque merito iſta ſuſpenſio talem cauſabat inhabilitatem generaliter etiam in ſimplicibus, quamvis iſtis juxta hodiernum uſum revera dicta ratio non omnino congruat, ut congruit reſidentialibus, & ſervitoriis.

Demum quoad tertiam, & ultimam inſpectionem penſionum juxta caſum præciſum quæſtionis, eam examinando cum duplici via, una ſcilicet auctoritativa vel doctrinali pragmatico more, altera verò diſcurſiva ſeu rationati 18
va; Quatenus pertinet ad primam idem quod in beneficiis dictum eſt, in penſionibus quoque dicendum eſſe firmare videtur communis modernorum ſchola *à Hieronymo Gabriele Eugubino* citra, dum nullum habemus antiquum Canoniſtam, qui ad hanc ſpeciem deſcendat, neque *Caccialupus*, & *Gigas*; ac alii antiquiores, qui de iſta penſionum materia tractarunt, hanc promovent difficultatem.

Omnium itaque primus enunciatus *Gabriel*, innixus auctoritati Geminian. *d. conſ. 133.* & aliorum loquentium de beneficiis, iſtis penſiones exequendo, atque habendo pro ſynonymis, eamdem firmat inhabilitatem *conſ. 189. n. 8. lib. 1. & conſ. 181. n. 5. & ſeqq. & conſ. 189. lib. 2. per tot.* atque cum iſta auctoritate pertranſeunt Pariſ. *de reſignat. lib. 4. q. 2. n. 60.* Garzia *de benefic. p. 1. cap. 5. n. 143.* Lotter. *eodem tract. lib. 1. q. 145.* Tondut. *de penſ. c. 31. n. 5.*

Idemque præſuppoſitivè firmatur per Rotam in pleriſque deciſionibus, in quibus agendo in ſpecie de penſionibus, præſupponendo dictam incapacitatem in Clerico malè promoto ab alieno Epiſcopo principaliter inſiſtitur ſuper hujus aſſumpti verificatione, an ſcilicet Epiſcopus ordinator dicendus veniret proprius vel alienus, ut patet magis implicitè *ex dec. unic. de præſumpt.* Cæſar. de Graſſ. *elucid. dec. 87.* Magis verò explicitè *dec. 731. p. 1. divers. & in Cæſaraugustana penſionis 9. Martii 1598. coram Orano regiſtrat.* apud Garz. *ubi ſupra*; magis verò per extenſum apud Vivian. *de jurepatr. lib. 6. cap. 1. ex n. 30.* ac etiam præſupponi videtur *dec. 162. par. 7. rec.*

Verum quando videretur quod altera pars diſcurſiva ſeu rationativa, ut infra contrarium probabilius ſuaderet; tunc nulla de his auctoritatibus ratio habenda videtur; Ideoque in ipſo primo aſpectu ſive ipſo initio, in quo de 19
iſta quæſtione agi cepit, illæ nullam apud me fecerunt impreſſionem, quoniam dicti Auctores ſcribentes poſt *Gabrielium*, ut eorum lectura ad oculum oſtendit poſt modernorum temporum deplorabili miſeria, & abuſu, articulum nullatenus guſtarunt, nec examinarunt, dum ſimpliciter pertranſeunt cum dicta auctoritate *Gabriellii* quæ de per ſe conſiderata non videtur, magni facienda, non ſolum quia Conſulentis ad pecuniam vel affectionem juxta ponderationes de quibus à me agitur, *diſc. 35. de judic.* ubi de modo deferendi legibus, & auctoritatibus; Sed etiam quia ejus lectura oſtendit, quod nullatenus guſtavit difficultatem, neque conſideravit notabiles differentias de quibus infrà inter penſiones, & beneficia, ſed de illis promiſcuè loquutus eſt, tanquam ſynonymis; Ac propterea quando ex infra deducendis pateat quod iſta paritas non procedat, quodque erroneum ſit illud præſuppoſitum, tunc corruente anteſignano, corruunt de conſequenti omnes alii, qui in ſola fide ejus auctoritatis proceſſerunt, juxtà nimis congruum, & adaptabile exemplum deductum *eodem diſc. 35. de judic.* de teſtibus de auditu ab uno, qui ſit omnium auctor, & magiſter, quoniam iſto convicto de mendacio vel de errore, aut de mala informatione, omnes alii corrunt, quamvis eſſent mille utpote non plus valentes, quàm unus, à quo eorum dictum trahitur, & regulatur.

Sive juxtà aliud exemplum quod habemus in materia conſuetudinis vel præſcriptionis habentis initium infectum, quoniam multi, etiam mille actus ſubſequentes, qui à primo actu infecto originem habeant, ejuſque conſequutivi ſint, ſive cum eo præſuppoſito geſti, eamdem patiuntur infectionem, atque non plus valent quam ille unus ex deductis eodem *tit. de judic. diſc. 21.* cum aliis ſimilibus.

De deciſionibus quoque Rotæ ratio habenda non venit ex recepto axiomate, quod qui præſupponit non diſponit, dum ipſarum deciſionum natura oſtendit quod proceditur præſuppoſitivè, neque examinatur articulus vel ratio differentiæ inter penſiones, & beneficia, ideoque articulus adhuc dici poteſt in Rota formiter non deciſus.

Ponderando etiam qualitatem Tribunalis, quod ſcilicet non agitur coram Judice pedaneo, quem obligent doctrinæ ſpeciales abſque contradicente, ſed agitur de magno tribu- 20
nali gerente vices Papæ potius quàm judicis, & cujus reſolutiones faciunt legem, ideoque rationes prævalere debent auctoritatibus ubi præſertim pateat quod malè, vel parum fundatæ ſint, *ut eod. diſc. 35. de judic.* advertitur; Abſonum etenim prorſus eſſet aſſerere ut inconſideratum dictum unius moderni Conſulentis, ſub cujus cæca fide alii non examinato articulo proceſſerunt legem imponere debeat ei, qui habet adeo ſupremam poteſtatem.

Aſſu-

Assumendo itaque meliorem, magisque sequendam partem discursivam, seu ratiocinativam; Pro eadem inhabi-
21 litate etiam in pensionibus, juxta dictam opinionem *Gabriel. & sequacium;* Illa in primis urgere videtur ratio, quod cum ex recepto Curiæ stylo clarius hodie comprobato per constitutiones B. Pii V. & Sixti pensiones Ecclesiasticæ exigant clericatum, hinc sequitur quod ista capacitas obtinendi, ac retinendi pensiones dicatur unitus ex fructuibus, & effectibus proficuis ipsius clericatus; Et per consequens cum ita malè promotus dicatur in eo intrusus, & illegitimus possessor, non debeat hunc fructum percipere, eoque potiri, eodem modo quo intruso, ac illegitimo possessori non conceditur percipere, suosque facere fructus rei vel juris possessi, ne aliàs detur absurdum sentiendi comodum ex delicto, & ex actu illicitu.

Neque suffragari potest bona fides in qua versati sint ordinati utpote hanc juris prohibitionem non callentes, quo-
22 niam ignorantia juris non excusat ad assequendum, quidquid sit ad excusandum à pœna formali consistente in amissione, vel damnificatione rei propriæ, quoniam ad effectum acquirendi non requiritur culpa, vel malitia, ut requiritur in alio casu privationis, vel diminutionis juris quæsiti, sed sufficit quod desit illa conditio, vel qualitas, quæ pro acquisitione est necessaria, juxta distinctionem de qua *sub tit. de testam. disc. 72. & sub tit. de fideicommiss. disc. 154.* & alibi.

Item quia in hoc proposito clericatus beneficia, & pensiones, etiam in pœnalibus, & odiosis æquiparantur, ideoque ab illis ad istas rectè licitum est argumentari, quoniam sicuti per militiam, per matrimonium aut professionem in Religione vacat, sive extinguitur pensio ex deductis supra *hoc tit. disc. 46. & seqq.* Et è converso sicuti per homicidium vel aliud crimen in quo aliàs expressè non disponatur non amittitur beneficium, ita non amittitur pensio, & è contra *in hoc eod. tit. disc. 49.* Prout etiam plerique purificant bene-
23 ficia, & pensiones in prohibito commercio citram simoniam, ad etiam ut æquivaleat beneficio pro sufficienti titulo promovendi ad ordines, vel pro privilegio fori in clerico in minoribus, cum similibus.

Et in summa quod quemadmodum non clericus non est capax pensiones Ecclesiasticæ, ita non sit capax clericus male promotus, qui ad effectus sibi proficuos habendus est pro non clerico, qui paria sunt nullum, & nihil, atque ut supra illa privilegia quæ retinet super exemptione fori laicalis, *ac super. c. Odoardus & super canone si quis suadente diabolo*, & similibus, non respiciunt suum favorem privatum, sed favorem publicum totius ordinis.

In contrarium verò, ut pro pensionibus non intret eadem inhabilitas quæ, pro beneficiis; Primò nimium urgere videtur auctoritas ejusdem Sac. Congregationis Concilii, quæ de anno 1557. per tres vices resolvit approbante etiam Summo Pontifice Gregorio XIII. ut decretum *supra enunciatum sess. 24. de reformatione c. 7.* super inhabilitatione resultante ab irregularitate ex homicidio voluntario non ex-
24 tendatur ad pensiones ob prohibitam extensionem in pœnalibus, dictæque resolutiones pluries per eamdem Sac. Congregationem confirmatæ fuerunt diversis temporibus, adeout videatur propositio hodie firma; Quamvis etenim ut supra animadvertitur, notabilis differentia dignoscatur inter hanc inhabilitationem supervenientem accidentaliter post tam legitimè, ac perfectè firmatum statum clericalem, & illam inhabilitatianem quæ est nativa, & instantanea cum ipsa assequutione ordinis; Attamen istæ declarationes, nimium attendendæ veniunt ad effectum firmandi dictam prohibitam extensionem pœnalem à beneficiis ad pensiones, quodque auctoritates antiquorum Canonistarum circa beneficia malè trahantur, vel extendantur ad pensiones, unde convincitur error Gabriel. *ubi supra.*

Secundò fortius ob longè diversam rationem; Siquidem ut pariter supra advertitur, beneficia Ecclesiastica de eorum intrinseca natura juxtà dispositionem juris Ecclesiastici exigunt statum clericalem validum, & perfectum cum habilitate saltim de tempore assequutionis ad ministrandum Ecclesiæ, vel altari, & ad possidendum jus merè spirituale & Ecclesiasticum, cujus est incapax laicus, dum beneficiatus dicitur sponsus vel Rector habens jus in re ad omnimodum effectum spiritualem.

E converso autem pensiones ex earum vera, & intrinseca natura nil habent spiritualitatis, sed important quid
25 merè temporale, adeout sint earum capaces etiam laici, & infantes; Dum pensionarius nullum acquirit jus in beneficio, nullamque penitùs habet participationem spiritualitatis, & administrationis, cum ad instar pauperis, cui fiat eleemosyna acquirat solum jus participationis de fructibus, & emolumentis temporalibus, ideoque de stricta juris censura sunt etiam in commercio pecuniario, & prophano, & per consequens tam prohibitio dicti commercii, quàm qualitas Clericalis non proveniunt à dispositione juris, neque ab ejus intrinseca natura, sed à stylo Curiæ, ut advertitur pluries *sub tit. de Pension. præsertim. discur. 10.* & in aliis pluries.

Ex hoc autem resultant duæ veræ, & receptæ propositiones; Una nempè, quod in iis, quæ proveniunt à stylo, vel consuetudine exorbitante à jure communi, strictissimè proceditur, atque non admittitur extensio, quamvis rationis identitas accedat; Et altera magis ad rem, quod quando aliqua conditio, vel qualitas desideratur; tunc aut illa habet admixtam rationem certi effectus duraturi; Et non sufficit eorum implementum instantaneum, & de facto, sed requiritur etiam illud de jure, ut satisfiat rationi, vel fini, ob quem illa conditio adjecta est tanquam connaturalis actui; Aut verò nullam habet rationem, nullumque respicit certum finem, vel effectum successivum; Et tunc sufficit implementum momentaneum, & de facto, ut advertitur pluries sub diversis materiis, & præsertim *sub tit. de Fideic. disc. 7. & seq. & 154. & d. disc. 73. de Testam. & alibi.*

Tertiò respondendo ad primum fundamentum contrariæ sententiæ super intruso, & possessore malè fidei, ut non faciat fructus suos, illud potiùs retorqueretur, quoniam 26
id rectè procedit, quando sit ignorantia juris clari, & inexcusabilis; Secùs autem ubi sit ignorantia juris valdè dubii, quæ assimilatur ignorantiæ facti, ideoquè excusat juxta distinctionem, de qua in materia alienationis bonorum Ecclesiæ super restitutione fructuum, habetur *disc. 1. num. 107. & disc. 4. sub tit. de Alienat. & Contract. prohibit.* & alibi pluries, dum ad effectum ut possessor faciat suos fructus, sufficit abesse malam fidem positivam, quamvis non adsit bona positiva, sed media, quæ datur in dubitante, vel injustè, & non affectatè errante ex deductis *disc. 39. de Judic.* & alibi pluries; Atque ad idem conferunt ea, quæ habentur in legitimatione filiorum, vel in perceptione fructuum dotis ex matrimonio putativo, ac etiam ea, quæ in bonæ fidei possessore habentur in materia jurispatronatus ad terminos *text. in c. Consultationibus de Jurepatr.* cum similibus, dum bona fides est clara, ut infra circa finem.

Et quartò fortiter, ad comprobandum ea, quæ habentur supra in secundo hujus opinionis fundamento, super notabili ratione differentiæ inter beneficia, & pensiones, 27
nimium concludens argumentum videtur illud, quod resultat à quotidiana praxi Sedis Apostolicæ, ejusque Datariæ, quæ dicitur organum Papæ, quoniam Laicis, vel Clericis uxoratis, aut militibus unquam datur indultum, vel dispensatio assequendi, vel retinendi beneficia Ecclesiastica; Et tamen passim illud datur pro assequutione, vel retentione pensionum; Idque ex supra insinuata ratione differentiæ, quod pensiones de earum natura non sunt jus spirituale, neque exigunt Clericatum cælibam, ac perfectum cum habilitate ministrandi in divinis, dum in eis nullum inest ministerium, ergo clarus videtur error regulare pensiones cum beneficiis.

Neque obstare videntur fundamenta pro contraria opinione supra considerata; Ad primum etenim negatæ perceptionis, vel fruitionis fructuum ratione infectionis tituli, jam responsum est supra in tertio hujus opinionis fundamento.

Et ad alterum exæquationis in pœnalibus, clara est responsio, quod amissio pensionis ratione matrimonii, vel militiæ non provenit ratione extensionis à beneficiis ad 28
pensiones, neque ratione exæquationis, sed ratione mutationis status incompatibilis cum Clericatu, qui accidentaliter, & de stylo ut suprà sequitur ex deductis *dict. disc. 26. & seqq. de Pension.*

Et ex his concludendum videtur, ut probabilior censenda sit, hæc posterior opinio, juxta quam prodiit resolutio, quamvis prior dici non mereatur improbabilis, dum ple- 29
raque habet considerabilia fundamenta ut suprà, adeout justum præbuerint motivum aliquibus abeundi in diversam sententiam.

Ex quibus sufficit esse probabiliter ambiguum, ut in dubio respondendum sit pro exclusione pœnæ, qualem hæc inhabilitas importare dicitur, dum ob exuberantiam bonæ fidei abesse dicitur ab ordinatis, quinimò ab ordinantibus omne

omne delictum, omnisque culpa, sine quibus dari non debet pœna; Si etenim ipsamet Sacr. Congregationis in hoc variavit, atque aliquando credidit, quod hujusmodi Abbates habentes usum Pontificalium, & actualem potestatem conferendi ordines minores propriis subditis professis, possint eamdem collationem facere cum subditis alterius Epi-
31 scopi, vel Prælati de ipsius licentia, & mandato; Eamdemque credulitatem habuit peritissimus Canonista Fagnan. qui pene per sæculum in gravioribus Curiæ negotiis versatus est, & præsertim in illis hujus Sac. Congregat. cujus fuit Secretarius, dum *in d.c. A qua de Consecr. Eccl.* firmat id fieri posse; Multo magis id justè credere potuerunt, ac debuerunt huic forsan innixi auctoritati tam Vicarius Capitularis, qui mandatum dedit, quam Abbates, qui ordinem contulerunt, magis verò simplices, & idiotæ subditi, qui eos receperunt, ideoque videtur rigor nimium exorbitans ab ipsa naturali æquitate, ac humana ratione.

Supponitur quod aliqui in hanc resolutionem devenient innixi absolutionis à censuris, & suspensionibus adjici solitæ in litteris Apostolicis cum clausula *teque absolventes &c.* Verum istud videbatur nimium leve fundamen-
32 tum; Tum quia suffragari solum posset reservatariis, in quorum litteris ista clausula adjicitur; Tum etiam quia ista clausula peremit solum effectum exequutionis litterarum, ne illa impediatur sub prætextu censurarum, de quibus per oppositores objiciatur, ex deductis per Parisi. Garz. Riciul. & alios relatos per Barbos. *claus. 179.* ubi in specie de ista clausula *teque absolventes &c.* non autem tollit inhabilitationem, quæ à censuris, vel à suspensione, sive ab irregularitate, juxta dictum decretum Concil. Trid. resultat, quoniam ita esset implicita, & tacita dispensatio super eo impedimento, super quo concedi non solet dispensatio expressa, vel non nisi cum magna difficultate, & cum solutione componendæ, quod utique est magnum absurdum.

Idque ad evidentiam comprobat eadem hodierna praxis Sedis Apostolicæ, ejusque Datariæ, quoniam si excommunicatus, vel suspensus, aut irregularis impetret beneficium, illud habetur pro invalidè impetrato, ideoque alteri petenti conceditur impetratio certo modo, quod utique non sequeretur si dicta clausula hunc effectum operaretur, dum peritissimi Datariæ officiales rectè sciunt, quod illa adjicitur de stylo in quibuscumque gratiis, & litteris, ideoque ita ad evidentiam declarant, quod ista clausula, quam ipsimet adjiciunt, alium habeat finem, vel effectum, non autem istum.

CREMONEN. PENSIONIS
PRO CARDINALI FELICI ROSPILIOSIO
CUM JO: BAPTISTA PUERARIO.

Casus disputatus in Tribunali A. C. & in Signatura, resolutus pro Cardinali, postea concordatus.

An reservatio pensionis eventualis pro persona nominanda per Papam, qui eam reservavit, evanescat per ejusdem Papæ mortem nulla facta nominatione, vel potius fieri possit per successorem; De probatione Clericatus pro capacitate pensionis, & an ille requiratur de tempore reservationis pensionis, vel sufficiat adesse de tempore nominationis.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 *De objectis, vel de punctis disputatis.*
3 *An pensio præventiva, seu recasura cesset per mortem Papæ integra.*
4 *De ratione ob quam clarè in isto casu dicta quæstio non intraret.*
5 *Quod in iis, quæ consistunt in puncto juris, vel in stylo Datariæ declaratio Papæ faciat cessare omne dubium.*
6 *In stylis Datariæ, & Cancellariæ major est peritia officialium, quàm eximiorum Jurisconsultorum.*
7 *Quod facultas nominandi ad pensionem sit nomine dignitatis, & transeat ad successorem.*
8 *Et de ratione ob quam fiunt istæ reservationes pro personis nominandis.*
9 *Quod Clericatus probetur ex assertione Papæ.*
10 *An sacri, & inferiores ordines sine solemnitatibus conferantur solo verbo Papæ.*
11 *Quod sufficiat Clericatus de tempore nominationis.*
12 *Quibus auctoritatibus magis deferri debeat.*
13 *Provisio beneficii in forma dignum exigit capacitatem de tempore provisionis.*
14 *De motivo, ob quod aliqua pensionis diminutio facta fuit.*

DISC. LXXXII.

In provisione præposituræ Ecclesiæ S. Syri jam gravatæ 1
pensione ad favorem Abbatis Campori, sequuta in persona Joannis Baptistæ Puerarii, Alexan. VII. reservavit pensionem pro persona à se nominanda scutorum 300. postquam cessaverit prædicta antiqua, dictæque provisioni consensit provisus, cum solita obligatione Camerali; Defuncto autem Alexandro nulla facta nominatione, Clemens IX. successor nominavit Felicem ex fratre nepotem; Neglecta expeditione litterarum sequuta sub Clemente X. successore in solita formula *rationi congruit*, cum Decreto, ut denominatio valida esse debeat, nulloque pacto impugnari, perinde, ac si ab eodem Alexandro vere, & realiter facta esset; Sequuta verò postmodum dicti antiqui pensionarii morte, ac propterea factus est casus istius novæ, atque provisio illam solvere nolente, introducta causa in Tribunali A. C. in vim dictæ obligationis Cameralis, relaxatum fuit mandatum exequutivum per Signaturam Justitiæ, cum pluribus, & quidem acerrimis disputationibus canonizatum cum solita clausula, *non retardata solutione pensionis*, committendo causam in Rota in devolutivo tantum, atque in hoc statu concordia dedit finem controversiæ, cum reductione pensionis ad aliquam minorem summam juxta frequentiorem hujusmodi controversiarum exitum.

In disputationibus itaque in utroque Tribunali habitis 2
cum Pensionarius actor haberet intentionem fundatam in litteris Apostolicis & in expressa obligatione Titularis, punctus erat in objectis, quæ tria erant; Primò nempe, quod per mortem Pontificis pensio eventualis, vel præventiva cessasset juxta quæstionem, de qua *supra disc. 1. & 2.* fundamentum constituendo in apologetica scriptura, cui consultationis nomen tribuitur cujusdam hujus Curiæ Advocati ex professo edita contra *d. disc. 1.* impressa apud Turr. *de pact. fut. succ. in calce operis*; Secundò quod ubi etiam esset valida, adhuc tamen evanuerat, utpote reservata pro persona nominanda per eumdem Pontificem, qui obierat nulla facta nominatione, quæ fieri non potuerit per successorem, quasi quod facultas nominandi esset personalis, non autem nomine dignitatis; Et tertiò quod in omnem eventum ille, ad cujus favorem nominatio facta erat, esset incapax ob defectum Clericatus, de quo sufficienter, non constaret, & quatenus constaret non sufficeret. Utpote obtento post reservationem, de cujus tempore illum necessarium esse prætendebatur, dum nominatio, quæ pro stylo Datariæ non continebat datam, ad tempus reservationis retrotrahitur; Ideoque tunc prætendebatur necessariam esse inhabilitatem.

Super primo objecto satis modica, peneque nulla fuit disputatio, quoniam neque Judex, neque Signatura aliquam conceperunt difficultatem, cum revera motivum 3
esset contemptibile ex fundamentis, de quibus *dd. disc. 1. & 2. & in aliis*, quæ solida sunt; E' converso autem objecta valde levia, ut cuique infra mediocritatem in legalibus principiis versato, & legenti patet; Atque occasione istius disputationis dicebam, quod in hac facti specie cessare videbatur omne principium dubitandi, adeout non intrarent ille difficultates, quæ cadere poterant in casibus, de quibus præfatis *disc. 1. & 2.* aliisque similibus; Quoniam saltim negari non poterat, quin iste esset juris articulus dubius, & per consequens, ita expressè decisus remanebat per Papam, qui rectè sciens mortem Alexandri ejus medietati prædecessoris, quodque adhuc viveret pensio- 4
narius, nihilominus per dictas litteras expeditas ad favorem præventivi pensionarii expectantis, expressè declaravit, quod gratia esset valida, & effectum sortiri deberet, nullove pacto, vel prætextu impugnari posset; Igitur quæstio erat sopita per decisionem Papæ, in quo defectus potestatis, neque ignorantia in iis, quæ juris sunt, non datur; Ideoque dicebam, quod erat punctus disputationis dote indignus.

Cum hac eadem responsione dicebam etiam cum sensu veritatis tolli secundum objectum, an facultas nominandi esset personalis, vel potius nomine dignitatis, adeout 5
transeat in successorem, necnè, cum id pariter consistat in puncto juris, & per consequens cessabat omne dubium

ob geminatam decisionem Papalem, Clem. scilicet IX. faciendo nominationem post mortem prædecessoris, qui sibi eam reservaverat, & alterius Clementis successoris, illam decernendo validam, & non impugnabilem; Si etenim in omni materia, quæ consistit in jure; in Papa non datur ignorantia ex pluribus assignata ratione assistentiæ peritissimorum officialium, multò magis id procedit in hoc puncto, cujus decisio revera pandere dicitur ex stylo Datariæ potius, quàm ex jure communi; Ac propterea in dictis officialibus major, ac certior supra omnes Mundi Jurisconsultos eximios præsupponenda est peritia; Ideoque dicebam, quod nulla cadebat disputatio, nullumque dari poterat judicium adversus judicatum Pontificium. 6

Et nihilominus verius esse, quod ista nominandi facultas non esset personalis, sed potius nomine dignitatis, ideòque transitoria ad successores, in specie firmatum fuit per Rotam *in Civitatis Castelli pensionis 22. Junii 1646. coram Ghislerio*, absque eo quod daretur aliqua auctoritas, vel decisio in contrarium, quoniam licet personalitas deduceretur ex collectis per Gonzal. *ad reg. 8. gl. 12. in principio*, ex quo totum desumebatur; Nihilominus quidquid sit de veritate puncti in casu, de quo ipse agit, fundamenta per eum deducta non erant adaptabilia ad casum præsentis quæstionis ob magnam diversitatem rationis, loquitur etenim de arbitrio in regulis Cancellariæ super reservationibus, & sic in re exorbitanti à Jure communi adimendo Ordinariis illam facultatem, quam de jure generaliter habent in collatione beneficiorum in eorum Diœcesibus; Ideòque intrat consideratio possibilitatis, quamvis ea sit idealis, & numquam verificari soleat, quod Papa successor non sit easdem reservationes facturus, quod nil commune habet cum hujusmodi reservationibus fieri solitis de stylo pro personis nominandis, ut ita fiat earum cumulus, vel massa pro distributione facienda Cardinalatus de novo promovendis, aut familiaribus Papæ, & Officialibus, aliisque benemeritis in distributionibus præsertim generalibus fieri solitis in festo Nativitatis Domini, & in altero S. Joannis Baptistæ; Ideòque dicitur quædam dos, vel peculium Datariæ, penes quam remanent, moriente Pontifice, ad dispositionem successoris; Idemque docet praxis in casu fortiori illarum reservationum, quæ fiunt super Ecclesiis de Jurepatronatus Regum ad eorumdem nominationem, juxta deducta superius *disc. 20. & in aliis*; Quoniam moriente Rege, de cujus tempore facta est reservatio, pensiones remanent in Aula regia, atque nominationes fiunt per Regem successorem. Igitur multo magis in Papa, qui majus jus in hoc sine dubio habere dicitur; Et per consequens stylus, vel observantia dirimere videtur omnem quæstionem.

Demum quoad tertium, & ultimum objectum deficientis Clericatus, ille duas habebat inspectiones, unam facti super ejusdem Clericatus existentia, & justificatione, & alteram juris super tempore, an scilicet requireretur de tempore factæ reservationis, vel sufficeret, quod adesset de tempore nominationis. 8

Prima inspectio erat potius facti, ideoque nullæ erant partes juristæ, atque in facto docebatur de Clericatu; Et nihilominus in prioribus disputationibus antequam expressa exhiberetur justificatio, dicebam quod ea, neque necessaria erat, dum in nominatione Pontificia enunciabatur Clericus, tum ob verisimilem notitiam in Pontifice tanquam patruo, & inverisimilitudinem, quod ipse mendacium dicere voluerit, sive fatuitatem committere, dum volens poterat eamdem nominationem facere ad favorem Laici, cum ex pluries in præcedentibus insinuatis pensio sit quid merè temporale, cujus Laici sunt capaces, atque Clericatus desideratur ex stylo, qui interpretatur Papæ voluntatem, à qua totum pendet; 9

Tum etiam quia sub quæstione est, de qua plenè agit Fagnan. *in c. Canonum statuta de Constit. nu. 103. & seqq.* valdè disputata in Conc. Trid. ut legitur in ejus historia *Cardinalis Palavicini*, an sacri ordines, & præsertim Sacerdotium sine sacra unctione, aliisque formis conferantur ex solo verbo *fiat*, vel simili prolato per Papam; Sed quoad primam tonsuram præsertim, quæ sola sufficit ad hunc effectum, nulla desuper cadit quæstio, quoniam nulla forma Pontificalis, vel solemnitas requiritur, adeòt per Episcopum, quinimò per inferiores Prælatos in Camera, & privatim conceditur, cum aliud non sit, nisi simplex adscriptio militiæ clericali; Ideòque multo magis absque dubio, cum solo verbo, vel alio actu explicativo voluntatis Papæ id sequi potest. 10

Quo vero ad alteram inspectionem temporis, dicebam quod sive attendantur auctoritates, sive rationes, vel observantia, his omnibus attentis prorsus inane remanebat objectum; Attentis siquidem auctoritatibus ita punctualiter, ac præcisè in casu longè fortiori prædictarum nominationum, quæ fiant per Reges, ut sufficiat habilitas de tempore nominationis, quamvis non adesset de tempore reservationis, firmatum fuit per Rotam *in Abulen. pensionis 27. Junii 1608. coram Lancelloto*, cum qua pertransit, ac firmat Lotther. *lib. 1. q. 40. n. 128. & seqq.* Et quamvis in contrarium deduceretur Garz. *in addit. ad p. 1. c. 5. n. 16.* dicebam tamen, quod magis deferendum erat auctoritati Rotæ, & Lottherii peritioris beneficialistæ, dum esset in Curia Advocatus benè versatus in stylis Datariæ, & Curiæ, non autem extero simplici Collectori, & forsan interessato, cum ipse esset Canonicus Ecclesiæ Abulen. in qua dicta decisio prodiit, ut agendo *de eod. Lottherio*, quod ei deferendum non esset ob affectionem, quam habebat ad illam opinionem, quam substinebat tanquam Advocatus, advertitur apud Bich. *dec. 312. in fine*, & generaliter advertitur *disc. 35. de Judic.* Potissimè quia loquitur de dicto casu magis dubitabili nominationis faciendæ per Regem retrotrahenda ad reservationem factam Concistorio. 12

Idem attenta ratione, quoniam ut supra advertitur, pensio non tangit substantiam beneficii, in quo nullum jus pensionario tribuitur, sed solum est quædam participatio fructuum, & proventuum tanquam quid merè temporale, cujus de jure est etiam capax Laicus, dum Clericatus requiritur solum de stylo; Ideòque nulla dignoscitur prohibitio, præsertim in Papa, ut hanc participationem tribuat ex intervallo illi, qui nunc sit Clericus, cum possit etiam nunc dare non Clerico, imò etiam beneficio pleno; Ac propterea in Papa non cadit illa ratio dubitandi, quæ cadit in Regibus, & Principibus sæcularibus; Et nihilominus etiam in istis quotidiana, & inconcussa est observantia, quod post notabile tempus fiant nominationes de personis, quæ de tempore reservationis erant ratione ætatis, vel deficientis Clericatus, vel ex alio defectu incapaces.

Constituebatur per Scribentes in contrarium magnum fundamentum in dispositione tex. *in c. si de tempore de rescript. in 6.* de super multas cumulando auctoritates, quæ percutiunt terminos *ejusd. tex.* Respondebam tamen quod manifesta erat fallacia applicare ad rem terminos *dict. tex.* qui percutit casum provisionis beneficii perneccesse requirentis Clericatum factæ in forma dignum, quæ propterea continere dicitur mandatum de providendo datum inferiori sub conditione si ille esset dignus, & capax, ideòque capacitas requiritur de tempore gratiæ factæ per Papam, seu mandati per eumdem dati, quia tunc fieri dicitur collatio, ideòque posterior nominatio facta per exequutorem retrotrahitur ad tempus provisionis, quod præcisè attenditur, ut pluries in sua Sede *sub tit. de Benef.* occasione agendi de hac specie provisionis in forma dignum, quod nil commune habere dicebam cum præsenti quæstione; Tum quia ut supra pensio de jure, & ex ejus intrinseca natura non exigit Clericatum requisitum de stylo cum certa libertate Papæ conferendi etiam laico; Tum etiam ob verisimilem notitiam in Papa, qui pensionem distribuit, quod nominatus ejus domesticus ex fratre nepos non esset Clericus de tempore reservationis, sed esset talis de tempore nominationis, quod sufficere implicitè declaravit; Ideòque allegari non poterat defectus voluntatis, cujus tamen, non autem potestatis est quæstio; Et per consequens non subsistentibus objectis, reflectendo post causam jam sopitam, & concordatam, ad solam veritatem, justa, & probabilis, visa est resolutio, atque aliqua pensionis diminutio, me quoque consulente, & cooperante facta, prodiit potius ex motivo æquitatis, & congruentiæ, quia revera hoc medio tempore juxta frequentiorem contingentiam, fructus beneficii erant notabiliter diminuti, quam quod de dictis objectis timeretur. 13 14

ROMANA PENSIONIS, PRO BANDINELLO DE BANDINELLIS, CUM CANONICO ARATA.

Casus disputatus in Congregatione deputata, resolutus pro Bandinello.

An facultas, vel dispensatio concessa ad retinendum pensiones, suffragetur ad eas assequendas ex translatione; & in specie de facultatibus Militum Lauretanorum.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 De Constitutione Sixti V. favore Militum Lauretanorum.
3 Quando glossis debeat valdè deferri.
4 De differentia inter diversas species militum, & in quibus terminis loquantur decisiones Peniæ.
5 Quod decisio quæstionis pendeat à verisimili voluntate Papæ concedentes facultatem transferendi.
6 De differentia inter retentionem, & novam assequutionem per viam translationis.
7 Expenditur decis. 18. Gregor. ubi de Militibus Lauretanis.
8 De resolutione ejusque ratione.

DISC. LXXXIII.

1 ILla translatio pensionum facta per Cardinalem Bandinellum, de qua agitur *supra disc. 75.* aliam produxit quæstionem disputatam in Congregatione particulari aliquorum Prælatorum per Papam deputata, resolutam ad favorem pensionarii; An scilicet translatio pensionis scutiscentum super Canonicatu Basilicæ Vaticanæ possesso per Aratam substineretur etiam quod Bandinellus translatarius non esset clericus, sed solum miles Lauretanus; Cumque non viderim informationes Scribentium, pro titulari, adeòut formalis disputatio in contradictorio habita non sit, idcircò maturum judicium super puncto non efformavi, neque alia suppetiit occasio agendi de eodem puncto utpote nimium raro ob facilitatem assequendi primam tonsuram quam ut plurimum negligere non solent illi Cardinalium conjuncti, vel familiares, qui hujusmodi translationes sperant, stante indulto quod omnes Cardinales habent transferendi pensiones in summa scutorum mille, in isto autem casu ex circumstantiis particularibus facti resolutio visa est probabilis.

2 Dicebam itaque intentionem translatarii videri fundatam in Constitutione *Sixti V. 35. juxta ordinem Bullarii veteris impressi sub eod. Sixto*, per quam in altera disponitur, quod hujusmodi milites sint capaces novarum reservationum, & Constitutionum in illis verbis, *reservari, constitui, & assignari possint*; Non modicum fundamentum constituendo in ejusdem Constitutionis *glosa marginali*, seu compendiativa in qua dicitur ut isti milites quamvis laici possint obtinere pensiones, ac obtentas retinere; 3 Istam namque glosam nimium considerabilem esse dicebam, non quidem in simplici authoritate glosatoris quando illa ex intervallo facta esset, sed ex eo quod istud Bullarium impressum fuit de tempore ejusdem Pontificis, eoque vivente, ideòque nimium probabile est quoque id Papæ innotesceret, vel ejus officialibus, potissimè quia non agitur de glosatore extero, sed de illo qui exercebat munus Advocati in Curia, qualis fuit *Laertius Cherubinus*, atque cum hoc præsupposito Ego processi supra *disc. 2. n. 3.* Quamvis in eo casu non fuerit opus disputare istum punctum, quoniam agebatur de prima reservatione facta directè per Papam scientem illum non esse Clericum, ideòque expressa fuit qualitas istius militiæ.

Difficultatem in contrarium faciebant firmata apud Peniam *decis. 537. & 554.* ubi de facultate concessa militibus 4 de Calatrava retinendi pensionem, ut non extendatur, ad novam assequutionem, pro qua sine speciali dispensatione ex recepto Curiæ stylo necessarius est clericatus, quem dicti milites non habent.

Et quamvis Ego ponderarem *decis. 1. Cæsaris de Graf. de Probat. per tot. præsertim num. 14.* ubi quod pro Clericis haberi debeant illi, qui licet revera non sint tales, jure talium reputentur, quales sunt milites S. Joannis Hierosolymitani quamvis adhuc novitii, ac propterea me diffundebam in differentia, quæ dignoscitur in hujusmodi militibus Calatravæ de quibus loquuntur *dicta decis. Peniæ*, & in similibus Alcantaræ, S. Jacobi, S. Stephani, cum similibus ex deductis *disc. 92. de jurisd.* Nihilominus id continere videbatur solitos flores, cum quibus Advocati curant exornare informationes, sed hæc differentia quamvis verà non faciebat ad rem, cum illa consistat in eo quod milites Hierosolymitani sunt veri Religiosi tam pro exemptione fori laicalis, quàm pro allis effectibus, de quo in aliis dubitari potest ex deductis *eodem disc. 92.* sed posita qualitate Religiosa, ex ea resultat incapacitas retinendi pensiones super beneficiis sæcularibus, ex deductis supra *disc. 44. & in aliis*, & per consequens id non faciebat ad rem.

Deducebam quoque ea quæ insinuantur *dicto disc. 2.* & in aliis pluries quod scilicet pensiones sunt quid merè 5 temporale quod habeat quamdam annexionem spiritualitati, ideòque de earum naturam non exigunt clericatum, sed illarum sunt capaces etiam laici, adeòut clericatus requiratur ex quodam stylo Curiæ; Verum pariter id continebat flores ut supra, quoniam punctus est in voluntate Papæ concedentis facultatem transferendi ut juxta stylum prædictum qui est ejus voluntatis regulator, intelligere voluerit de clericis capacibus, potissimè ob illud verbum aliis, quod denotat similitudinem juxta ponderationes de quibus *in eisdem dec. Peniæ*, ac etiam supra à simili *disc. 66.* quod scilicet quemadmodum reservatio prima facta est tanquam clerico, ita in alium clericum transferri posse Papa intellexerit, atque super hac voluntate est punctus, qui mihi inferebat difficultatem non obstantibus dictis verbis Bullæ Sixtinæ denotantibus, ut possint obtineri, & assequi utpote referibilibus ad assequutionem primam, & directam à Papa qualis erat casus de quo *d. disc. 2.* ideòque videtur quod stylo in hoc nimium deferendum veniat; Potissimè stante communi opinione 6 Curiæ, quod hujusmodi militiæ profit ad retentionem, non autem ad novam assequutionem per viam translationis, in qua strictè, & rigorosè proceditur utpotè in re odiosa juxta considerationes de quibus pluries in præcedentibus *præsertim disc. 60. & 61. & 67. & in aliis*, ideòque loquendo de puncto in genere sive in abstracto, sentiebam difficultatem.

Et quando in decisionibus Rotæ daretur argumentum à contrario sensu cujus contrarium est verius *ut disc. 35. de* 7 *judic. & disc. 32. in relatione Curiæ*, & alibi tunc *decisio 18.* Gregor. augeret difficultatem, quoniam in eo casu agitur de puncto hujus militiæ Lauretanæ, an suffragetur ad effectum retinendi pensionem translatam non obstante matrimonio, sed præsupponitur quod esset ante matrimonium translata legitimè in eum qui jam erat clericus, ita supponendo necessarium clericatum de tempore translationis, quamvis revera ista decisio non faciat ad rem, quoniam de hoc disputatum non fuit.

In hac verò facti specie absque necessitate assumendi articulum in genere, prodiit resolutio pro validitate translationis ex solo facto, quoniam indultum in verbis con- 8 cedebat facultatem transferendi etiam in non Clericos, dummodo postea Clericatum assumant, solumque difficultas restringebatur ad punctum, an ex eo quod enunciatum esset unum ex pluribus indultis, quæ transferens habebat, ista verò facultas non esset in eo, sed in altero non consumpto, id suffragaretur, asque probabiliter dictum fuit affirmativè ob potestatem faciendi illum actum eo meliori modo quo posset, ideòque non videbatur rationabile ut error Notarii, vel alterius qui potius unum, quàm alterum indultum enunciavit, dum transferens erat infirmus, deberet præjudicare veritati istiusque substantiam tollere.

MESSANEN.
SEU NULLIUS PENSIONIS,
PRO CARDINALIBUS PIO, ET PORTOCARRERO,
CUM MARCHIONE PETRO ANTONIO GERINO.

Discursus de pensione voluntaria beneficio pleno.

An pensio corruat ob non adimpletum solitum decretum veræ, & integræ solutionis omnium terminorum, & quando solutiones, quæ justificentur, sufficiat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quænam attenditur in hac materia distinctio possessorii, & petitorii.*
3 *Implementum decreti in omnibus extremis exigit probationes veras, & expressas, & non admittit præsumptas.*
4 *De errore applicantium ad hanc speciem pensionis auctoritates loquentes de aliis speciebus pensionis non odiosæ.*
5 *De tribus extremis copulativè justificandis ut satisfiat decreto.*
6 *De valutatione ducatorum Cameræ, & reductione ad monetam currentem.*
7 *Defectus in parte sufficit ut intret decretum.*
8 *An ex pressio monetæ regionis in litteris attendatur.*
9 *De extremo ut solutiones fiant per titularem, vel de ejus mandato, ejusque pecunia.*
10 *De extremo ut fiant ipsi pensionario vel ejus procuratori speciali, & non sufficit fieri patri & legitimo administratori.*
11 *Non sufficit ratificatio præsumpta.*
12 *An pater in hoc sit legitimus administrator ratione minoris ætatis.*

DISC. LXXXIV.

1 DE consensu Cardinalis Caroli de Medicis possessoris Abbatiarum SS. Petri, & Pauli de Itella, & S. Mariæ Roscamajori in Insula Siciliæ de Regio jurepatronatus cum Apostolica auctoritate, Regis etiam consensu accedente, super eis reservata fuit pensio ad favorem Marchionis Petri Antonii Gerini ducatorum sexcentum viginti quinque auri de Camera, cum expressione in litteris, & cum clausula, *ut asseritur*, quod constituerent ducatos mille monetæ Siciliæ; Cumque ad biennium circiter per obitum dicti Cardinalis, de hujusmodi Abbatiis provisus fuisset Cardinalis de Moncada, inter istum, & dictum pensionarium super solutione dictæ pensionis orta est lis, juxta illius Regni stylum, in eo Tribunali monarchiæ, in quo scripsi more Advocati ad causæ opportunitatem pro Cardinali titulari super pensionis nullitate ob non adimpletum decretum in hac specie reservationis opponi solitum veræ, & effectivæ solutionis omnium terminorum decursorum vivente illo, de cujus consensu reservata est pensio, juxta deducta superius *disc.* 7. *& seqq.* & alibi, scribendo solum in bono jure, quamvis etenim si causa ageretur in Curia, pensionarius obtinere deberet in possessorio, *juxta decis.* 859. Dunozett. ac etiam in judicio exequutivo juxta ea, quæ habentur *in Firmana in hoc supplemento disc.* 90. Attamen quando agitur de pensionibus super Ecclesiis de regio jurepatronatus in dicto Tribunali, stylus est non attendendi hujusmodi subtilitates ac distinctionem possessorii, & petitorii, sed inspiciendi de bono jure ex motivo, quod adest interesse Regis, cui factum possessoris beneficiorum prædicare non debet.

Cumque sequuta ad breve tempus, lite adhuc indecisa pendente, morte præfati Cardinalis, de dd. Abbatiis respective provisi fuissent Cardinales, Pius, & Portocarrero, qui à præfato Marchione requisiti fuerunt ad benevolè se informandum de meritis causæ, ut cognoscentes validitatem pensionis, illam solverent absque ulteriori lite, atque ex parte pensionarii esset exhibitæ ad hunc effectum informationes, quatuor ex illis senioribus, ac majoris existimationis Advocatis Curiæ, qui vulgò primarii dici solent; hinc ex parte dd. Cardinalium de meo sensu pro veritate requisitus fui ad effectum deliberandi.

Respondi itaque quod ex hactenus deductis, nisi alia in facto de novo deducerentur ex parte pensionarii, contra istum respondendum veniret, ex certo, & recepto principio; quod iidem Scribentes pro eo admittebant, quod pro implemento Decreti requiritur probatio vera, & expressa super solutione integra omnium terminorum decursorum vivente Titulari, adeout non admittatur probatio præsumpta quæ deducatur *ex text. in l. quicumque C. de ap. publ. l.* 11. vel alia in specie præsumptionis, quodque solutiones factæ sint per ipsum titularem, vel ejus mandatarium de ejusdem titularis pecunia, ac factæ sint ipsi pensionario, vel ejus Procuratori, non autem tertio, quamvis esset pater, & legitimus administrator, cum ad hunc effectum id non sufficiat, minusque quod esset Procurator generalis ad alia negotia, cum ad hunc effectum requiratur mandatum speciale ex deductis apud Bich. *dec.* 40. *& dec.* 585. *part.* 4. *rec. cum aliis de quibus infra.* 3

In hac etenim specie pensionis, ut pluries advertitur *supra disc.* 6. *& seqq.* nimium rigorosè proceditur, adeout non admittatur implementum per æquipollens, sed quem admodum nostri dicunt, qui cadit à syllaba, cadit à toto, ob præsumptionem fraudis; Ideoque advertebam quod omnia, quæ latè in dd. informationibus deducebantur super præsumpta solutione, vel præsumpto mandato solventis, vel recipientis ex cumulatis per Post. *de manut. obs.* 55. & Tondut. *de pens. c.* 50. & alibi, *& alios frequenter*, sunt vera in suis casibus pensionis adeo non odiosæ, qualis est illa quæ reservatur super beneficio vacante in actu illud providendi, vel antea, aut de illa, quæ ad favorem resignantis, reservetur intuitu resignationis, cui propterea assistat æquitas, malè ad rem applicarentur, atque in hoc consisteret æquivocum cum istæ species pensionis, cum diversis terminis regulandæ veniant. 4

Descendendo itaque ad speciem, defectus justificationis juxta hactenus deducta, videbatur adesse in omnibus dictis tribus extremis copulativè necessariis; Primò nempè in integritate; Secundò ut solutiones factæ essent ab ipso titulari, vel de ejus mandato ex proprio ære; Et tertiò quod factæ sint ipsi pensionario, vel alteri de ejus speciali mandato. 5

Quatenus etenim pertinet ad primum extremum integritatis; Cum in facto concordaretur quod essent tres termini, idcirco ubi etiam solutiones, de quibus infra admitterentur tanquam validæ, veræ, & sufficientes, adhuc tamen non erant integræ, quoniam instrumenta, quæ desuper deducebantur, cantabant de scutis monetæ 433. & tamen quilibet terminus importabat ducatos Cameræ tercentum duodecim cum dimidio, qui redacti ad monetam Romanam juxta computationem, de qua *disc.* 140. *de credit. & hoc tit. supra disc.* 34. *& seqq.* importabant scuta 506. & aliquid plus; Ideoque in quolibet termino aderat defectus scutorum 73. Cumque replicaretur quod dd. scut. 433. essent monetæ Florentinæ, quæ dicitur plastrarum, ac important medietatem unius Julii pluris, adhuc tamen non cessabat defectus cum ita constituerent scut. 454. cum dimidio circiter; Ideoque adesset defectus in scutis 52. circiter, in quolibet termino, itaque defectus sufficit, ut punctualiter apud Bich. *d. dec.* 40. *nu.* 14. *& 15.* 6 7

Et quamvis ex parte pensionarii replicaretur, quod solutiones regulatæ fuerint à valutatione currenti monetæ Siciliæ ad rationem ducatorum quingentum pro quolibet termino, stante quod in litteris enunciatur quod præfati ducati 625. Cameræ constituerent ducatos mille dictæ monetæ; Nihilominus advertebam quod id non sufficeret, cum substantia pensionis consistat in ducatis auri de Camera, quos pensionarius, vel eorum valorem exigere potest, non curata narrativa in eisdem litteris contenta super eorum valore in moneta Regionis, quoties expresè non constet de conventione taxativa tanquam per speciem transactionis super variabili valore ducatorum Cameræ, juxtà celebrem *decisionem in Capuana pensionis*, *de qua dec.* 430. *p.* 4. *rec.* ut advertitur pluries supra, potissimè verò, & clarius quia in litteris ista expressio fit dubitativè, & cum verbo, *ut asseritur*, ideoque iste solus defectus absque necessitate assumendi altiores facti, juris inspectiones super aliis duobus, sufficere videbatur. 8

Quo verò ad secundum extremum, quod solutiones factæ essent per ipsum titularem, vel de ejus speciali ordine, & de proprio ære, inspectio erat potiùs facti, quàm juris, quoniam in instrumentis supponebatur quod solutiones factæ essent per illum qui erat Thesaurarius dicti Cardinalis, sed non docebatur quod præcederent ordines, minusque quod partitæ more hujusmodi Bancheriorum, & Thesaurariorum adnotatæ essent, primò in eo libro, qui dicitur giornale secundo in eo, qui dicitur squarcia foglio, & tertio demum in eo, qui dicitur Maestro, quodque in bilanciis, quæ in fine cujuslibet anni fieri solent, adnotatæ essent istæ partitæ, illæque per Cardinalem essent bonificatæ dum ita vigent fraus, & collusio in hujusmodi specie pensionis, suspicata, & ob quam præfatum decretum adjicitur quod ille tertius vel officialis simulatè in gratiam pensionarii solutionem fecerit; non tamen de pecunia titularis; Præsupponebatur tamen oretenus per Agentes pro pensionario pro certo, quod ista veritas esset justificabilis, sed quoniam tunc non dabantur sufficientes justificationes, idcireò dicebam quod in eo statu pro non implemento respondendum veniret, salvo judicio quando præsuppositæ justificationes viderentur. 9

Demum quoad tertium extremum, quod solutiones factæ sint ipsi pensionario, vel alteri de ejus ordine, & mandato speciali, defectus erat clarus, quoniam ex eisdem instrumentis patebat, quod primus, & tertius termini soluti fuissent ipsi pensionario præsenti, & recipienti, præsente ejus patre præstante solum consensum, & materiale ministerium numerationis, & receptionis pecuniæ pro filio adolescente; Secundus verò intermedius solutus esset ipsi patri recipienti pro filio absente cum titulo legitimi administratoris, quod dicebam non sufficere, quoniam in hac materia pater non habet illam administrationem; quam lex civilis ei concedit, ut punctualiter *d. dec.* 585. *n.* 3. *& 4. p.* 4. *rec.* & tanquam certum præsupponunt, Post. *de manut. d. obs.* 55. *n.* 132. & Tond. *de pens. c.* 10. *n.* 72. apud quos concordantes, non obstante *dec.* 132. Coccin. *n.* 6. ubi consideratur solutio facta patri, quoniam percutit probationem possessionis ad effectum obtinendi in possessorio, in pensione tamen non odibili, juxta alias species, de quibus supra, non autem in ista odibili, & ad effectum satisfaciendi decreto; Atque in hoc ut supra consistebat prædictorum Scribentium æquivocum, quoniam auctoritates, quæ cum consueto improbo labore, ac inutili chartarum repletione in magna copia cumulabantur, desumptæ præsertim ex Post. & Tondut. *ubi supra*, percutiunt terminos indifferentes pensionis non odibilis, non autem istam speciem. 10

Insistebatur in præsumpta ratificatione filii pensionarii, deducta ex receptione tertii termini, qui verisimiliter receptus non fuisset, nisi præsupponeretur solutus antecedens, sed non videbatur responsio, quæ sufficeret, quoniam ut supra advertitur, ad satisfaciendum huic decreto requiritur probatio vera; & expressa, & non admittitur deducta ex præsumptionibus, & verisimilitudine, ut in specie, quod non sufficiat receptio duorum ultimorum terminorum, si non justificatur primus, habetur apud Coccin. *dec.* 1601. *repetita dec.* 620. *part.* 4. *rec tom.* 3. & apud Dunozett. *dec.* 880. & apud Merlin. *dec.* 123. *& 211. quorum prima est repetita decis.* 546. *eadem part.* 4. *recent. tom.* 2. ac etiam *habetur decis.* 342. *ead. part.* 4. *tom.* 2. *& advertitur in præcedentibus.* 11

Insistebatur quoque in minori ætate pensionarii, ob quam pater dicitur legitimus administrator etiam in iis bonis, in quibus non habeat usumfructum, ex deductis per Post. *d. obs.* 55. *n.* 131. *& seqq.* Rot. apud Pæn. *dec.* 780. sed pariter non videbatur motivum considerabile, ex pluribus; Primò quia dictæ auctoritates, & aliæ loquuntur ad effectum possessorii, & in aliis speciebus pensionis non odibilis, non autem ad satisfaciendum decreto, cum in hoc specialiter decisum sit, quod non intrat patria potestas neque legitima administratio, dum ea, quæ pendent à jure civili, non intrant in spiritualibus, *ut in specie d. decis.* 585. *p.* 4. *rec.* & generaliter Bos. *de patr. pot. c.* 7. *§.* 1. *n.* 20. qui alios cumulat. Secundò quoniam dd. auctoritates loquuntur de infante, in quo adsit defectus naturæ, secus autem ubi sit capax consensus, & administrationis, *ad text. in c. fin. de jud. in* 6. *cum concord.* apud Burat. *dec.* 483. *n.* 7. ubi in specie de pensione, & est generaliter receptum in beneficiis quoniam eo ipso, quod quis declaratur capax, & habilis ad administrandum beneficium, multo magis declaratur capax, & habilis administrandi fructus, & bona temporalia ad ejus privatum commodum, quoniam quando reservantur pensiones, vel commendantur Monasteria, aliaque beneficia infantibus, in eisdem litteris deputari solet in administrationem pater vel alter. Et tertiò omnium clarius ex facto dirimente omne principium dubitandi, quoniam solutionem primi termini receperat ipsemet pensionarius, præsente solum patre, & explicante ministerium facti super numeratione pecuniarum; Igitur tam ipse pensionarius, quàm ejus pater ita agnoverant, & declaraverant, quod jam esset capax hujusmodi receptionis, & administrationis; Et per consequens in secundo termino, quando creverat ætas, atque magis habilis effectus erat, nullo pacto dici poterat inhabilis, & cum quo præsupposito, procedunt illi, qui in subjecta materia admittunt legalem patris administrationem. 12

Exagerabatur ex parte pensionarii quod iste esset quidam rigor judaicus, & indiscretus, præsertim cum adolescente, sed malè, quoniam in concursu Ecclesiæ agentis de libertate, & pensionarii agentis de mero lucro ex actu suspecto de fraude, & collusione, rationabile est procedi cum rigore litteræ; Atque dicebam quod sicuti iste adolescens vel ejus pater fuit sagax, & diligens satagendo obtinere hanc reservationem odibilem, & suspectam, ita pariter debebat adhibere eadem diligentiam pro implemento conditionis sub qua reservatio facta erat, ideoque nullatenus intrat illa æquitas quæ in aliis speciebus consideratur. 13

ROMANA PENSIONIS,
PRO REGULO BARILIO.

Responsum pro veritate.

An regressus juxta novam formulam reservatus ad favorem pensionarii resignantis, competat pro illo augumento pensionis, quod ex causa transactionis factum est, ex intervallo post resignationem.

Argumentum est loco Summarii.

DISC. LXXXV.

EX causa inæqualis permutationis sequutæ inter Regulum de pinguiori parochia per ipsum possessa, & Franciscum possessorem beneficii, reservata fuit ad favorem ejusdem Reguli super Parochia pensio ducatorum 57. cum ampla reservatione regressus juxta formulam modernam pluries supra recensitam; Cumque idem Regulus permutationem impugnaret ob falsum præsuppositum majoris valoris beneficii, atque desuper deputata esset Congregatio particularis trium Cardinalium causa indecisè pendente, deventum est ad concordiam Apostolica auctoritate approbatam, per quam dicta pensio aucta fuit ad Ducatos 81. Cumque Franciscus titularis post aliquod tempus ex motivo diminutionis fructuum, unde sibi non remaneret congrua, impugnaret hanc posteriorem pensionem ducatorum 24. Regulus autem intenderet uti regressu juxta ea, quæ habentur *supra disc.* 14. *& 74. præsertim* apud Millin. *dec.* 246. qui loquitur in puncto reservationis pensionis & regressus quamvis adesset clausula, *dummodo centum*. Hinc desuper pro veritate consultus, Respondi quod primo aspectu contra pensionarium petentem regressum respondendum videretur, quoniam non agebatur de prima pensione reservata correspective ad resignationem aliàs non sequuturam, unde intrat defectus consensus, in quo fundatur iste regressus, sed nova pensione reservata ex intervallo, quando jam resignatio suum effectum sortita erat.

Verum contrar-um dixi videri probabilius, quodque pariter in hoc augmento intraret eadem ratio deficientis consensus ex conclusione sub diversis materiis pluries insinuata, quod obtinens aliquid in vim transactionis, non dicitur obtinere ex novo jure, vel titulo à transigente, sed jure proprio, & primævo tanquam per speciem rei judicatæ, & sic quod dum augmentum conventum est ad impediendam rescissionem, vel impugnationem permutationis, qua resoluta pensionarius reassumeret suam parochiam, ita hoc augmentum retrogredi videtur ad initium, sive ista conventio habere videtur vim novæ resignationis alias non sequuturæ, ac propterea intrat eadem ratio deficientis consensus; Adhibitis tamen tunc aliquibus diligentiis casus non dedit invenire auctoritates specialiter de hoc agentes; ideoque his deficientibus, respondere oportet, ut decet, cum argumentis à simili desumendis ex veris, & receptis principiis. Incertum est tamen quid sequutum sit.

PARENTINA PENSIONIS,
PRO FRANCISCO BARTIROMA.

Responsum pro veritate.

An titularis teneatur ad solutionem termini maturati antequam ipse possessionem obtineret, si recollectam illius anni fecit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ordo terminorum non percutit substantiam pensionis.*
3 *Qui percipit fructus debet solvere pensionem.*

DISC. LXXXVI.

1 DE mense Maii ex causa resignationis Præposituræ Ecclesiæ Collegiatæ Montis Rubini ad favorem Pauli Perraresii, Apostolica auctoritate reservata fuit ad favorem Francisci Bartiromeæ resignantis annua pensio ducatorum Cameræ triginta septem cum dimidio solvenda in duobus terminis, uno scilicet in festo S. Jo. Baptistæ, & altero in die Nativitatis Domini.

Cum autem noviter provisus dignitatis possessionem non antea quam *die* 2. *Julii* adipisci potuerit, cum præsupposito quod mora non fuerit culposa, & affectata, integros autem ejusdem dignitatis fructus ex illius anni recollecta obventos habuerit. Hinc dubitari contingit, an ad solutionem termini S. Jo. Baptistæ maturati de tempore quo ipse possessor non erat, teneretur; Atque stante dicto facti præsupposito, affirmativè sine dubio respondendum censui, nullatenus curato, an de tempore maturationis
2 termini esset necnè possessor, quoniam terminorum, præfinitio debiti substantiam non percutit, sed solum quemdam solvendi commodiorem modum, vel ordinem, substantia
3 verò pensionis residet in fructibus, ut qui illos percipit, solvat pensionem, quæ aliud non est, nisi quædam fructuum participatio, quam Papa concedit pensionario, & per consequens, dum novus provisus percepit eos fructus, ex quibus primus terminus S. Jo. Baptistæ solvi debebat, negare non potest solutionem pensionis, ne aliàs locupletatio sequatur cum aliena jactura, ipseque obtineat integros illius anni fructus, quorum participationem Papa dare voluit pensionario, ut punctualiter habetur supra *disc.* 29. ubi videri possunt fundamenta, ubi etenim noviter provisus vellet se facere in hoc beneficio omnino novum hominem, ut non nisi ex *dicta die* 2. *Julii* censendus veniret beneficiatus, utique id in omnibus facere debet tam quoad commodum, quàm quoad onus vel incommodum; Et per consequens, cum tunc æstivorum fructuum recollecta illius anni esset jam matura, & imminens, autumnalium verò valde proxima, adeoque ut penès totus annus recollectorius vel fructifer esset decursus, idcirco iidem fructus spectare potius debuissent ad Bartiromam resignantem, qui fuit beneficiatus juxta illas fructuum repartitiones inter prædecessorem, & successorem de quibus agitur etiam *supra disc.* 23. *cum pluribus seqq. & sub tit. de benef. disc.* 82. *& seqq.* Ac propterea dixi quod non poterant stare simul percipere integros fructus illius anni, & non solvere pensionem.

PARENTINA PENSIONIS
PRO CARDINALI SPADA,
CUM EPISCOPO.

Responsum ad causam cum sensu veritatis.

Quando pensionarius teneatur docere de diligentiis, ut agere possit contra successorem.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *De ratione cui innixa est obligatio diligentiarum.*
3 *In quo casu id procedat.*
4 *In quibus terminis procedant contraria.*
5 *Ex quibus judicandum sit an factæ sint diligentiæ.*
6 *De successore in fideicommisso obligato ad fructus antea decursos.*
7 *De eodem de quo num.* 2.
8 *Quando pensio sit anticipata vel posticipata.*

DISC. LXXXVII.

1 CUm præsupposito quod controversus terminus pensionis non maturasset de tempore prædecessoris, sed maturaverit de tempore successoris à quo petebatur, dixi quod castis videbatur indubitatus ad favorem pensionarii, quoniam licet ex stylo Rotæ, & Curiæ, fundato in quadam æquitate potiùs quam in rigorosa dispositione juris, quæ est in contrarium, contra successorem non detur actio, nisi adhibitis diligentiis contra prædecessorem juxta antiquas decisiones relatas apud Gregor. *dec.* 507. *n.* 2. & 3. *ibique add. n.* 7. apud Buratt. *dec.* 617. & 669. *in Larinen. pensionis* 7. *Februarii* 1620. *coram Ubaldo* apud Pænd. *decis.* 1369. *ex n.* 3. *& in aliis relatis* per Lotther. *de Benef. lib.* 1. *q.* 39. *ex n.* 87. *cum plur. seqq. ubi referuntur* Maresc ott. Gratian. & alii.

2 Attamen omnes decisiones, & auctoritates, quæ desuper habentur percutiunt casum quod termini decursi maturaverint de tempore prædecessoris, adeout adaptetur ratio collusionis vel fraudis, cui dicta æquitativa opinio innixa est, secus autem ubi terminus adhuc non maturaverit, sed maturatio contingat penès successorem cum tunc videatur casus indubitatus nullam habens dubitandi rationem, talisque sit quotidiana Curiæ praxis, absque eo quod adhuc viderim pro mea notitia de hoc dubitari, cum cessent omnes rationes quibus innititur altera opinio, ideoque probabilis, beneque fundata est opinio, quam veriorem dicit Noal. *de transm. casu* 71. *n.* 6. *& seqq.*

3 Et quamvis in his terminis præcisis quod scilicet terminus maturasset de tempore successoris, in parte tamen decurrisset tempore prædecessoris, adsit *decisio in Cæsaraugustana pensionis* 13. *Aprilis* 1592. *coram Pamphilo* pro ratione dubitandi deducta per Noal. *ubi supra n.* 5. *sub vers. nam quod*, cujus particula habetur apud Garz. *de benef. p.* 1. *c.* 5. *nu.* 199. per extensum tamen habetur impressa apud Marches. *de commiss. p.* 1. *fol.* 606. Attamen ut ex ejusdem decisionis lectura patet *nu.* 1. *in princ.* supponitur pro absoluto quod constare non possit de diligentiis cum prædecessore, dum terminus adhuc maturatus non erat, sed ideo decidit contra pensionarium favore titularis successoris eo quia idem pensionarius actor erat hæres titularis prædecessoris, qui ratione fructuum perceptorum erat revera debitor illius termini, ac propterea sibi obstabat regula *textus in l. dolo facis &c.* sive altera *text. in l. vindicantem ff. de evict.* ratione inanis circuitus, quoniam ubi etiam pensionario competat actio contra successorem, qui solvere cogatur, habet iste actionem pro relevatione contra hæredem prædecessoris pro ejus rata ut apud Grat. *discept.* 94. *n.* 58. *& passim*; Sed ista circumstantia secluſa, nulla subesse videtur ratio dubitandi.

4 Ut enim benè advertitur per doctum, & peritum beneficialistam Lotther. *dicta q.* 39. *lib.* 1. *n.* 123. ac etiam advertitur *supra disc.* 3. *num.* 8. Judex ex quatuor circumstantiis æstimare debet, an diligentiæ adhibitæ sint, vel adhiberi debeant, earumque prima, major est illa, an in vita prædecessoris agi potuerit, quoniam si agi non potuit, extranei remanent termini diligentiarum, & per consequens cum fine dubio ante maturatum terminum pensionarius agere non potuerit, non videtur quale theoricum, vel practicum fundamentum habere valeat prætensio titularis successoris contra pensionarium.

5 Idque docet etiam à simili quotidiana praxis in fructibus censuum, aliarumque præstationum, ac etiam in fructibus, vel usuris dotalibus, quæ petantur adversus successorem in fideicommisso, vel majoratu pro tempore, vel rata spectante ad prædecessorem ex relatis *sub tit. de Feud. disc.* 79. *& de Dote disc.* 51. *&* 145. *&* 161. *& alibi*, quoniam unica dubitandi ratio cadit in fructibus, vel terminis jam maturatis, pro quibus contra prædecessorem agi potuerit, ac propterea intret ratio, vel suspicio fraudis, vel collusionis, sed ubi agitur de adhuc non maturatis, cessat omne principium dubitandi.

6 Siquidem ut advertunt Caccialup. *de Pens. q.* 11. *& ex eo* Gigas. *eod. tract. q.* 39. quem reassumit Pacif. de Salv. *insp.* 304. *n.* 6. 12. *& seqq.* quando pensio decurrit tempore successoris est casus indubitatus, eatenus verò intrat obligatio diligentiarum cum prædecessore ad effectum agendi contra successorem, quatenus Pensionarius neglexit pensionem exigere, vel fuerit, ut ipsi dicunt, delicatus exactor eadem supra insinuata ratione, ne aliàs pensionario colludente cum titulari supplantetur Ecclesia, vel successor, eademque ratio ponderari solet in præmisso casu successoris in

in fideicommisso, vel majoratu, vel feudo, & per consequens numquam adaptabilis est casui, in quo terminus non maturaverit, neque agi potuerit.

7 Post hæc autem scripta audivi excitatam esse ex parte ejusdem Episcopi aliam quæstionem, an scilicet ista censenda esset pensio anticipata, vel posticipata, sed dixi, quod non percipiebam finem, seu rationem, ob quam ista quæ
8 stio assumeretur; Illa enim percutit casum controversiæ inter successorem, & prædecessorem, vel ejus hæredem super concursu, vel obligatione, ac modo contribuendi inter se, vel inter titularem, & hæredem pensionarii defuncti pro rata temporis, in quo vixit, adhuc non maturato, vel etiam maturato termino, juxta plures casus disputatos *supra disc.* 23. *cum pluribus seqq. ad* 28. in quibus commodius videri possunt auctoritates, in quibus de ista quæstione agitur, & de diversis computationibus anni in ista materia pensionis.

Nil autem id influere dicebam ad rem nostram, ubi scilicet agitur de pensionario vivente, cui Papa legem, seu modum præscripsit exigendi pensionem, quam aliàs prius petere non poterit, nisi medietatem in festo S. Jo. Baptistæ, & medietatem in festo Nativitatis Domini, quando etenim iste terminus maturat, tunc ipse actionem habet directè contra Ecclesiam, & pro ea contra illum titularem, qui tunc reperitur ejus Sponsus vel Rector ut supra absque eo quod inter inspectio anticipationis, vel posticipationis, quoniam sufficit, quod ita Papa disponat tanquam absolutus Dominus, & dispositor beneficiorum; Ideoque dicebam quod non percipiebam vim motivi, seu rationem assumendi istam quæstionem.

Et nihilominus dixi, quod ea est recepta distinctio, quod quando Papa mandat solvi pensionem in termino, in quo illius anni, vel recollectæ fructus verisimiliter per Titularem percipi non potuerint, tunc dicitur anticipata; E'converso autem dicitur posticipata juxta decisiones, & auctoritates relatas *supra disc.* 24. *n.* 13. Cumque fructuum regulatio fiat juxta modum relatum *dicto disc.* 24. *& seqq.* Hinc pensione reservata de mense Martii cum præfixione primi termini de mense Junii, in quo nulli illius recollectæ fructus adhuc percepti sunt, dicitur pro eo termino anticipata; Id autem dicitur ad superabundantiam, quoniam ut dixi penitus à casu quæstionis extranea erat hæc inspectio, quæ cadere deberet inter Episcopum hodiernum, & hæredem prædecessoris juxta quæstionem, de qua in allegatis *disc.* 23. *& seqq. ad* 28. sed nil cum Pensionario.

MASSANA PENSIONIS,
PRO CARDINALI PICCOLOMINEO.

Responsum pro veritate.

An Camera teneatur ad solutionem pensionis reservatæ Sede vacante, & quando.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De regulatione solutionis pensionis, & quando sit anticipata, vel posticipata.*
3 *Camera numquam solvit de proprio.*
4 *Si Camera percepit fructus recollectæ antecedentis, an teneatur.*
5 *De regulatione anni.*
6 *Quod fructus recollectæ præteritæ serviant pro oneribus anni novi, sed non servatur.*

DISC. LXXXVIII.

1 VAcata Ecclesia Massana per obitum Episcopi de mense Julii, sive Augusti, super ea adhuc vacante de mense Octobris sequentis, per Papam reservata fuit pensio ad favorem Cardinalis Piccolominei scut. 400. solven. in duobus terminis, quorum primus esse deberet in die Nativitatis D. N. proximè sequentis; Cumque cessa dicta die Ecclesia adhuc vacaret, ideoque ad præscriptum Constitutionis Julii III. esset sub administratione Cameræ Apostolicæ, quæ penè integram fructuum recollectam percepit in præcedentibus mensibus Augusti, & Septembris, hinc dubitari contingit, an eadem Camera ad præfati termini solutionem teneretur, dum fructus dictæ recollectæ perceperat, atque desuper ex parte dicti Cardinalis pensionarii consultus respondi, quod quando ageretur cum Titulari noviter provisо, contra istum pro pen-
2 sionario respondendum esset, quamvis à Titulari adhuc

percepti non essent tot fructus, ex quibus pensio solvenda est, cum ità Papa demandasse videatur pensionem anticipatam, ac etiam quia actio ad consequendam pensionem totius anni oritur in principio anni computandi à die reservationi, terminorum autem præfinitio non percutit substantiam pensionis, sed solùm quamdam commoditatem, seu modum solvendi, ex deductis in notissima *decis.* 448. Duran. *nu.* 35. *& seqq.* & passim.

Licet enim pensio sit pars fructuum, à quibus ea regulanda est ex eadem Magistrali *dec.* 448. Duran. cum aliis in *Neritonen.* 10. *Decemb.* 1668. coram Carpinea, edita in casu, de quo *supra disc.* 23. Attamen id percutit modum dividendi onus inter prædecessorem, & successorem pro rata fructuum juxtà quæstionem disputatam *in d. Neritonen.* sive ubi pensionarius decedat infrà annum, inter hæredem Pensionarii, & Titularem, non autem ad hunc effectum.

Difficultatem autem in eo consistere dicebam quod agebatur cum Camera, quæ numquam solvit pensiones, aliaque onera de proprio sub spe futuræ reintegrationis ex fructibus percipiendis, ut in Titulari contingit, sed priùs percipit, deindè solvit, ideoque cum ex fructibus novi anni post recollectionem, supponeretur, quod adhuc nihil percepisset, hinc dicebam, quod magna subesset dubitandi ratio.

Neque suffragari videbatur, quod Camera perceperit fructus in mensibus Augusti, & Septembris, id enim suffragaretur, quando reservatio pensionis sequuta esset antequam sequeretur recollecta, quamvis illa immineret, dum ita dici posset, quod Papa dare voluerit Pensionario anticipatam pensionem ex fructibus illius anni, quamvis maturatis, vel in limine perceptionis juxtà *decisionem in Neritonen. coram Pænia*, ubi de reservatione facta de mense Aprilis, vel alio proximo recollectæ sequen. de mense Junii cum similibus *ut eod. disc.* 24. Secùs autem, ubi de tempore factæ reservationis jam facta erat recollecta, & expiraverat annus præcedens, atque incæperat novus, in cujus fructibus reservatio facta dicitur.

In hac etenim materia fructuum, & recollectarum non regulatur annus eo modo, quo in aliis actibus, juxtà regionum diversos mores regulamus ab Incarnatione, vel à Nativitate, seu Circumcisione Domini, sed desumpta regula à materia text. *in l. si constare, ff. solut. matrim.* annus novus incipere dicitur, quando perceptis fructibus, factaque recollecta, terra incipit concipere, seu præparare fructus novos recollectæ sequentis, ideoque de stylo Cameralium, de quo fit mentio *d. disc.* 24. & alibi, in frumento, & ordeo, aliisque bladibus annus initiatur à die 1. Septembris, eo quia per totum mensem Augusti jam perfecta est præcedens recollecta, in vino à die 1. Octobris, seu Novembris, & in oleo aliisque hybernis fructibus à die 1. Decembris.

Et consequenter, dum Papa reservaverat pensionem de mense Octobris, ità concedendo pensionario ex tunc participationem fructuum, sentit de fructibus illius anni, jam incœpit de mense Septembris, neque commiscendus videbatur annus per menses jam finitus de tempore, quo reservatio facta est; Ponamus enim, quod Episcopus prædecessor obiisset de mense Augusti, postquam fecerat recollectam, quam fecit Camera, utique pensionario actio non competeret contra dicti Episcopi hæredes pro pensione, quæ de novo reservata sit de mense Octobris; Ità pariter cum in hac partem Camera istos fructus vivente Episcopo maturatos, & in limine recollectæ potiùs percipisse videatur jure spolii, tanquam succedens in locum Ecclesiæ, sive est in hujusmodi obventionibus Ecclesiasticis beneficiat hæres.

Et quamvis plurium non improbabilis opinio sit, ut fructus recollectæ, seu anni præcedentis, servire debeant pro Ecclesiæ oneribus in anno sequenti usquequo nova recollecta fiat, nè interim provisus remaneat sine alimentis, & Ecclesia sine cultu ex deductis per Borgnin. & Bellet. & alios de quibus in *tit. de Benefic. disc.* 83. *nu.* 5. Attamen id non videtur usu receptum, atque praxis contrarium docet.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

MELEVITANA PENSIONIS,

PRO PRIORE RAPHAELE SPINOLA CUM COMMENDATORE SOLARIO.

Casus variè decisus per Rotam, & pendet.

De pensionibus, quæ auctoritate M. Magistri reservantur super Commendis, & Dignitatibus Hierosolymitanæ Religionis, ut non valeant, non facta mentione antiquarum, & quando decedant quintam partem fructuum; Et de incapacitate professorum hujus Religionis obtinendi Commendas, Dignitates, Beneficia, & Pensiones, quando sint debitores thesauri, an procedat, quando eis concessa fuerit dilatio ad solvendum debitum, ista pendente.

SUMMARIUM.

1 *Acti series cum resolutionibus.*
2 *Nova pensio est invalida, si non fiat mentio antiquæ.*
3 *Super Beneficiis Hierosolymitanæ Religionis non potest excedere quintam partem.*
4 *De eadem conclusione, de qua num. 2. ut in hac specie procedat.*
5 *Debitores Ærarii sunt incapaces.*
6 *De eodem, & quando id procedat.*
7 *Declaratur Statutum 25. in illis verbis*, etiamdio per gratia magistrale.
8 *An M. Magister, & Consilium derogent Statutis.*
9 *De distinctione, quod aliud est derogare, vel dispensare, aliud verò tollere obstaculum.*

DISC. LXXXIX.

1 OBtenta per Spinolam Commenda S. Mariæ de Murello, cum Solarius prætenderet illam gravatam pensione scutorum centum, de consensu prædecessoris ejus patrui ad ejus favorem reservata per M. Magistrum in vim facultatis concessæ in ordinationibus Capituli generalis anni 1631. Replicante autem Spinola de dictæ pensionis invaliditate, atque introducta causa in Rota coram Priolo per appellationem à sententiis illorum Ordinarii, & Completi Consiliorum latis ad favorem titularis super invaliditate in excessu ultra quinta sub die 4. Februarii 1667. prodiit resolutio conformis impress. *decis. 21. part. 15. recent.* canonizata in alia instantia coram Ottalora sub die 28. Junii 1669. Introductaque causa per appellationem in eadem Rota coram Castrillo sub die 18. Martii 1673. pro sententiarum confirmatione resolutum fuit, sed reproposita causa sub die 12. Junii ejusdem anni 1673. recedendo ab omnibus dictis resolutionibus, contrarium responsum fuit pro validitate, istaque posterior resolutio fuit confirmata sub die 18. Junii 1674. coram Emerix subrogato, atque in hoc statu, quod sciam, causa pendet.

In primis itaque resolutionibus invalida declaratur pensio ex duplici motivo; Primò nempè quod facta non esset mentio antiquæ pensionis scutorum viginti super eadem
2 Commenda reservatæ ad favorem cujusdam Mochii Cappellani, & Musici Ecclesiæ Prioralis, juxtà regulam, de qua supra *disc. 4. & 5.* super invaliditate novæ pensionis ob
3 non factam mentionem antiquæ; Et secundò quod hæc nova pensio excederet quintam partem fructuum contra formam ejusdem ordinationis, quæ tali casu illam annullat.

In posterioribus autem non improbando, sed potius approbando, ac verum præsupponendo utrumque fundamentum in puncto juris, neglecta prætensione Pensionarii, utpotè nulli, nec facti, nec juris fundamento innixa,
4 quod dicta conclusio super invaliditate novæ pensionis ob non factam mentionem antiquæ, non procederet in ista Religione, recessit ob invaliditatem dictæ antiquæ pensionis Mochii, dum ita tollebatur uterque defectus, & præsupponebatur non adesse excessum quintæ partis, ac etiam cessaret necessitas faciendi ejus mentionem, quoniam dicta conclusio procedit in antiqua pensionis valida, non autem invalida, cujus mentionem facere non oportet ex deductis eod. *disc. 4. & 5.* & in hujus causæ decisionibus, & alibi pluries, cum sit vera tam regula, quàm limitatio.

Nullitas autem dictæ antiquæ pensionis firmatur ob dicti Mochii incapacitatem resultante à Statuto 24. & 25. de
5 ærario inhabilitante debitores Religionis, vel Ærarii ad obtinendum Dignitates, Commendas, Beneficia, ac etiam pensiones, eo quia de tempore reservationis esset debitor de scutis biscentum pro passaggio.

Super isto solùm puncto in ultima propositione coram Emerix, post proditam contrariam resolutionem coram Castrillo, Ego aliis in causa jam scribentibus adjunctus fui, consultus priùs pro veritate, de qua respondi ad favorem titularis, ideoque parum probabilis visa est etiam altera relatio coram Emerix, stante quod de tempore reservationis ille dici non potest debitor talis qualitatis, quæ hanc inhabilitationem producat, ob dilationem à Lingua, & à M. Magistro sibi concessam, cum hac habilitatione;
6 Cum etenim ista sit pœna, & quidem gravis adversus morosos debitores, qui per hanc moram esse dicuntur in delicto; Hinc sequitur, quod ubi quis dici non valeat morosus, & culposus, non debet subjacere huic pœnæ, quæ non datur sine delicto, ut in specie hujus inhabilitationis, & super intelligentia istorum Statutorum habetur apud Bich. *dec. 238. n. 5. & seqq. & decis. 257. n. 19.* & apud Dunozett. *dec. 376. n. 6. & seqq. & dec. 675. nu. 2.* & in aliis, atque ubi non adessent auctoritates speciales, ad evidentiam probant certa juris principia generalia, & per consequens ob concessam dilationem, illaque pendente debitor morosus dici non poterat, eodem modo, quo juxtà præmissas auctoritates talis non dicitur, ubi debitum sit incertum, vel litigiosum, aut aliàs excusabile.

Admittit utraque decisio veritatem assumpti, utpotè in jure certi, & incontrovertibilis, sed dicit illud procedere, quando adhuc penderet dilatio, quæ ab initio concessa esset, ob quam numquam debitor in mora constitutus fuerit; Secùs autem in isto casu, quoniam ità mora contracta erat, & per consequens incursa incapacitas, à qua dispensari non potuerit ob verba Statuti 25. disponentia, ut gratia Magistralis desuper non suffragatur ob illa verba *etiamdio per grazia Magistrale*; Ideoque huic Statuto, utpotè 7
confirmato Apostolica auctoritate M. Magister derogare non potuerit ex regula, quod inferior non deroget legibus Superioris, allegando in specie Statutorum hujus Religionis firmata per Rotam *dec. 85. n. 3. part. 7. rec.*

In hoc autem puncto eodem sensu veritatis retento, advertebam clarè æquivocari, quoniam dicta verba *etiandio per grazia Magistrale*, contenta in Statuto 25. non referuntur ad gratiosam habilitationem debitoris; ut mediante dilatione fiat habilis, sed evidenter diversum habent intellectum; Siquidem cum Statutum 24. inductivum hujusmodi inhabilitationis, loquatur de Dignitatibus, Commendis, Officiis, & Beneficiis ordinis idcircò intrabat dubium, an caperet hujusmodi pensiones; Tum ex regula, quod in odiosis pensiones non veniunt sub nomine beneficiorum; Tum etiam quia hujusmodi pensiones non obtinentur per viam Justitiæ ratione antianitatis, vel benemerentiæ, juxtà ea, quæ habentur *disc. 68.* & in hoc Supplemento *disc. 122. de beneficiis*, & alibi, atque juxtà usus loquendi istius Religionis per viam cambimenti, & smutitionis, sed per viam gratiæ Magistralis, eodem modo quo obtinentur aliqua membra, seu Commendæ, quæ dicuntur de gratia Magistrali, ut pariter non venirent sub nomine Dignitatum, Commendarum, & Beneficiorum, de quibus Statutum loquitur.

Ad tollendam itaque istam dubietatem, post notabile temporis intervallum, sub M. Magistro Valletta, inter quem, & M. Magistrum Ursinum, sub quo initum fuit antiquum Statutum 24. fuerunt intermedii alii novem Magni Magistri, per viam declarationis, vel ampliationis statutum fuit, quod hæc inhabilitas procederet etiam in pensionibus, & membris ex gratia magistrali, isteque est verus sensus istius posterioris Statuti 25. non autem, ut adimatur Magno Magistro, & Religioni facultas concedendi debitori gratiosam dilationem ad solvendum debitum, atque ità tollendi dictum obstaculum inhabilitativum; Id etenim omnimodam improbabilitatem habere videtur, ut M. Magister, qui Supremi Principis partes, ac figuram gerit, & Religio, quæ Magnam constituit Rempublicam cum administratione adeò notabilis assis in substentatione Classis Maritimæ, & Hospitalis, & in illius Insulæ munitionibus, de quibus agitur *disc. 3. in Miscellan. Ecclesiast.* aliisque magnis sumptibus, non habeant facultatem concedendi eorum debitori aliquam dilationem quinimò etiam gratiosam remissionem summæ adeò exiguæ, potissimè ubi non agatur de debito culposo, de quo propriè sensus verus Statutorum videtur proveniente ex causa administrationis, vel moræ in non solvendo thesauro onera, & contributiones singulis annis, ut ità istum habeant stimu-

lum vehementem, nimiumque efficacem, non autem in hac prima recognitione, in qua Religio contendere videtur de lucro, & cujus non solutio aliam causat pœnam impediendi initium antianitatis quæ ab hoc tempore solutionis passaggii incipit, & computatur; Ac etiam ob justum motivum, quod iste esset Pauper, & Musicus Ecclesiæ, cujus intereat illum posse ejus muneri vacare pro ejus majori cultu, concedendo dilationem, ut cum ejus mercede per eamdem Religionem, vel Ecclesiam solvenda, debitum paulatim extingueretur.

Hinc non videbatur opus assumere inspectionem, an M.
8 Magister, & Lingua, seu Consilium extra Capitulum generale derogare possint Statutis, eisque dispensare, quod etiam exceptis aliquibus casibus firmantibus regulam in contrarium fieri posse præsupponebatur ex eisdem ordinationibus Capituli generalis anni 1631. per Sedem Apostolicam confirmantis, & super quo nimium se diffundebant aliqui scribentes de partibus, quibus utpotè versantibus in ea Insula magisque peritis in legibus, & stylis Religionis, in hoc puncto me referebam, insinuando aliquas decisiones probantes hanc potestatem, nempè *dec. 219. part. 7; 293. part. 12. recent. decis. 123.* Celsi. 141. Otthob. & aliàs.

Siquidem aliud est derogare, vel dispensare; Aliud verò tollere, vel suspendere illud obstaculum, cum cujus exi-
9 stentiæ præsupposito lex inducit inhabilitationem. Utputà excommunicati sunt incapaces novæ assequutionis beneficiorum, atque Episcopus, vel alter inferior Prælatus non potest dispensare huic incapacitati, neque habilitare excommunicatum ad assequationem beneficiorum, sed non prohibetur concedere absolutionem ab excommunicatione, vel facere gratiam de illo debito, ob quod sit excommunicatus, sive causam, & censuras suspendere, ut ità resultet habilitas de jure tanquam per remotionem obstaculi, atque isti videbantur veri ac proprii termini præsentis controversiæ.

FIRMANA PENSIONIS,

PRO FRANCISCO MARIA PACCARONO CUM ANTONIO ARBOSTINO.

Casus disputatus in Tribunali A. C. resolutus pro Peccarono.

An decretum apponi solitum in reservatione pensionis voluntariæ beneficio pleno super integra solutione, impediat processum executivum competentem in vim consensus, & obligationis Titularis ex eo quod non doceatur adimpletum; Vel potiùs ista dicenda sit exceptio petitoris; Et de ejusdem decreti justificatione.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Exceptio non implementi decreti non admittitur possessorio.*
3 *Minusque ad retardandum processum exequutivum obligationis Cameralis, & de ratione.*
4 *De conclusione, quod ad satisfaciendum decreto non admittantur præsumptiones, & adminicula, declaratur quomodo procedat.*

DISC. XC.

1 FRanciscus Mariæ in Tribunali A. C. petenti in vim obligationis Cameralis ab Antonio pensionem duc. 24. ad ejus favorem reservatam super Ecclesia Parochiali SS. Philippi, & Jacobi Montis Granarii de consensu Francisci Palluri tunc possessoris, & ex cujus resignatione postmodum obtinuerat alter Franciscus reus conventus, opponebat iste de non justificatione soliti decreti in hac specie reservationis beneficio pleno adjici soliti, frequenter in præcedentibus enunciati super vera, & effectiva integra solutione omnium terminorum decursorum vivente eo, de cujus consensu reservatio facta erat, non obstante ejus obligatione, utpotè concepta relativè ad litteras Apostolicas reservationis, & consequenter renunciatum non conseretur nullitati resultanti ex non implemento dicti decreti.

Scribens autem pro actore dicebam, etiam cum sensu veritatis, quod ista non esset exceptio admittenda in hoc
2 judicio summario, & exequutivo obligationis Cameralis,

ex eadem ratione ob quam apud Dunozet. *dec. 859. n. fin.* deciditur quod non sit exceptio admittenda in possessorio retinendæ, quod scilicet ista justificatio potest fieri in quacumque instantia, ac exigit probationes extrinsecas per testes, & alias species probationis, cùm desuper certa forma in jure, vel in decreto statuta non videatur, ac propterea cum inductio testium magnas parere possit dilationes, hinc justum, & rationabile non est, ut interim retardetur hic processus exequutivus, qui de sui natura generaliter non admittit exequutiones extrinsecas, & altioris indaginis, ex 3
deductis *disc. 42. & 43. de judic.* & alibi; Ac etiam in ipsimet probationibus, quæ fiant, an sint sufficientes, necnè ob exceptiones, quæ dari solent testibus, aliisque documentis, & an tales exceptiones suppleantur ab adminiculis, & præsumptionibus requiritur formalis discussio, & res judicata cum facultate appellandi à Judicis declaratione, ideoque semper dicitur exceptio petitorii, & altioris indaginis.

Et quamvis per Scribentes in contrarium, qui aliquam participationem mecum habuerunt ad favorem Titularium in causa *Messanen. de qua disc. 84.* mihi objiceretur 4
proprium responsum pro veritate in ea causa editum ad probandum, quod ad satisfaciendum huic decreto non admittuntur præsumptiones, & conjecturæ, sed requiritur probatio expressa, & concludens, Nihilominus advertebam in hoc æquivocari, quoniam aliud est, an sufficiat probatio præsumpta, quam affirmabam non sufficere, approbando ibi dicta, aliud verò, ut probatio vera, & expressa fieri possit in quacumque instantia, & priùs, quàm sequantur tres conformes, eaque fieri possit etiam per testes aliasque species probationis, putà apochas, vel litteras missivas, à quibus excludatur suspicio antidatæ, vel fraudis ad terminos text. *in l. scripturas, Cod. qui pot. in pign. hab.* quodque præsumptiones, & adminicula non deducantur principaliter pro fundamento intentionis, & ad probationem, sed pro corroboratione veræ, & expressæ probationis factæ per testes, vel alia documenta, adhibendo præsumptiones, & adminicula pro removendis exceptionibus, quibus aliàs probatio subjaceat tanquam per remotionem obstaculi, sive pro corroboratione, ac majori fide, ideoque alia verò probatio meræ præsumpta, & adminiculativa, alia verò probatio vera, & expressio corroborata ab adminiculis, & præsumptionibus pro supplendis defectibus, vel exceptionibus, quibus aliàs illa subjaceat, & sic quod conclusio, de qua *dicto disc. 84.* esset vera, sed juxtà frequentiorem contingentiam fallacia esset in mala intelligentia, sive in mala applicatione ad effectum, de quo agebatur,

PAMPILONEN. PENSIONIS,

Responsum pro veritate.

An mala expressio valoris vitiet reservationem pensionis, & cujus damno cedat ejus superventa diminutio.

De clausula dummodo centum; de qua moneta intelligi debeat.

Et an, & quæ distributiones, & fructus incerti veniant in valore, vel respectivè in congrua Rectoris Ecclesiæ particularis.

SUMMARIUM.

1 *Acti series cum quæsitis.*
2 *Quando quis asseruit se informatum de valore, illumque asserit verum, sibi incumbit probatio contraria, quæ est difficilis.*
3 *Quando mala expressio valoris vitiet pensionem, vel potius causet reductionem.*
4 *Diminutio fructuum superveniens cedit damno titularis, non autem pensionarii, si salva remanet congrua.*
5 *An terminus distributionum detur in Ecclesiis Parochialibus, & quomodo.*
6 *An distributiones, & emolumenta incerta veniant in valore, vel respectivè incongrua.*
7 *De clausula dummodò centum, de quibus ducatis intelligi debeat.*
8 *De eodem, de quo num. 6.*
9 *Pro quibus terminis decursis titularis teneatur.*

DISC. XCI.

EXorta lite super Parochiali Ecclesia Attaria nuncupata loci Villæ novæ inter Ignatium de Exparsa,& Petrum de Andreusa, deventum est ad concordiam per quam remanente Parochia penes Petrum, cum auctoritate Sedis Apostolicæ sub narrativa fructuum certorum, & incertorum ascendentium ad ducatos quingentos de Camera, & ultras, juxtà probationes concorditer factas per quinquennium præcedens, quod scilicet fructus importarent ducatos septingentos monetæ illarum partium ad rationem undecim regalium pro quolibet ducato, reservata fuit pensio ad favorem Ignatii in ducatis pariter de Camera 192. cum clausula in Parochialibus apponi solita, dummodo remaneant centum pro Rectore; Cum autem supponeretur ex parte Titularis, quod fructus Ecclesiæ essent notabiliter diminuti, adeout à quatuor ultimis annis citra vix ascenderent ad ducatos monetæ illarum partium 320. ad dictam rationem undecim regalium pro quolibet constituen. ducatos de Camera 220. circiter; E converso autem ex parte Pensionarii prætenderetur, quod in hoc valore computari deberent aliquæ distributiones quotidianæ, & quædam emolumenta, quæ vulgò dicuntur de pede Altaris, Hinc ex parte utriusque, vel eorum unius, quod est incertum, de pluribus pro veritate consultus fui.

Primò an, & quid operaretur dicta fructum diminutio, cujus damno cedere deberet. Secundò an in computatione valoris, & fructuum venirent distributiones quotidianæ, & illa emolumenta, quæ ut supra dicuntur de pede Altaris. Tertiò cum in litteris reservationis pensionis adesset dicta clausula, dummodo remaneant centum pro rectore, intelligendum esset de ducatis Cameræ, vel de ducatis monetæ illarum partium, ad rationem undecim regalium pro quolibet. Quartò an autem in dictis centum computari deberent dictæ distributiones, & emolumenta de pede Altaris. Et quintò, an Titularis teneatur ad terminos decursos, & non solutos.

Super istis itaque respondi, quod quatenus pertinet ad primum, duæ cadebant inspectiones; Una scilicet annullationis totius pensionis ob falsam narrativam valoris,ubi tunc revera ad tantam summam non ascenderet; Et altera posito, quod narrativa esset vera, quia nempè, tunc talis esset valor, posteà ex temporum accidentalibus diminutus, cujus damno cederet hæc diminutio.

Super prima inspectione dixi quod dari non poterat tutum, ac maturum judicium, eo quia in notulis, ac responsionibus datis de hoc agebatur, dixi tamen quod videtur durum opus ex parte titularis, dum supponebatur, quod ipse se asseruerit informatum de hujus narrati valoris veritate, justificata etiam per testes deponentes de continuo quinquennio, ideoque sibi incumberet onus probandi contrarium per probationes perfectas, & concludentes, quæ in hac materia nimium difficiles esse solent, ex deductis à me in materia probationis valoris per modum objecti *sub tit. de Benef. disc.90.* & pluries *hoc eod. tit.*

Et nihilominus ubi etiam ista probatio fieret, adhuc tamen dicebam, quod esset opus inutile, quoniam ubi justificaretur dolus positivus ex parte pensionarii, cum non agatur de pensione odiosa, qualis est voluntaria beneficio pleno, sed de favorabili ex causa concordiæ pro componenda lite, in omnem eventum intraret æquitativa reductio ad proportionem, non autem annullatio, juxtà *decis. 536. part. 4. recent. tom.* 3. cum aliis, de quibus supra *disc.12.* Et per consequens motivum adeò difficile, & dispendiosum nil prodesset, cum adesset aliud motivum magis planum, & facile, quod resultat à clausula *dummodo centum*.

In altera verò inspectione, quod scilicet præsupposita veritate narrativæ de tempore reservationis, diminutio postmodum accidentaliter sequuta esset, planam, & indubitatam dixi videri responsionem favore pensionarii contra titularem, quoniam cum iste sit Dominus fructuum, ejus damno cedere debet illorum diminutio non autem pensionarii, eodem modo quo è converso ejus commodo cederet augmentum, absque eo quod pensionarius de illo participationem aliquam prætendere posset, cùm augmentum, & diminutio sint sequela dominii ex regula *secundum naturam, &c.* atque titularis idemnitati Papa consulere voluit cum reservatione centum pro congrua, juxta disfopositionem Concilii Tridentini, ideoque in hoc puncto nullam dixi cadere dubitandi rationem.

Quoad secundum quæsitum, an scilicet in computatione valoris venirent distributiones quotidianæ, & illa emolumenta, quæ dicuntur de pede Altaris dixi, quod desideranda remanebat aliqua magis distincta notitia facti, ex qua scilicet causa provenirent istæ distributiones quotidianæ, quoniam earum terminus non cadit in Ecclesiis parochialibus,earumque Rectoribus solum incumbit exercitium curæ animarum, & administrationis Sacramentorum; Sed potiùs cadit in Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum pro recitatione Divinorum Officiorum; Ac propterea dixi videndum esse an illa emolumenta, quæ habent istud vocabulum distributionum, provenirent ratione curæ, & ex titulo, seu jure parochi, vel potiùs ex diverso titulo, quia nempè parochus tanquàm unus de Congregatione, seu communi clericorum participaret de illis distributionibus, quæ inter alios Clericos inservientes dietim, vel ex massa dividi solent pro servitio Chori,sive pro anniversariis, & missis, quoniam tunc ista emolumenta non obtinerentur tanquam à Parocho, & ratione Rectoriæ,& curæ,sed tanquam ab uno ex clericis inservientibus pro præmio, & mercede laboris personalis ex diversa causa, ideoque necessariam esse dixi magis distinctam facti notitiam super hujusmodi distributionum qualitate.

Quatenùs verò essent emolumenta parochialia ita impropriè sub nomine distributionum nuncupata, quia fortè minutatim in dies obtinerentur, ut etiam supponebam esse alia, quæ nuncupantur de pede Altaris, tunc dixi, quod decisio pariter penderet à circumstantiis facti, quarum melior notitia desiderabatur; An scilicet ista minuta, & quotidiana emolumenta essent necessaria, tanquam præcisè connexa juribus, functionibus parochialibus, pro quibus illi de populo quamvis invitì ea solvere tenerentur, vel potiùs è conversò provenirent à mera devotione, & voluntate illorum de populo, qui volentes possent illa non solvere, vel solvere alteri quàm parocho ut contingit pro orationibus, & processionibus, & anniversariis, & aliis functionibus ex devotione, libera voluntate; non autem ex necessario jure parochiali, dum pensio reservata est etiam super incertis, juxtà distinctionem de qua Barbos. *de Episc. alleg.70.n.11.* Rot. *dec.230.n.2. & seq. part.6. recent.* cum aliis relatis *d.disc.60. de benefic. & disc.10. de jurepatr.*

Super tertiò planam esse dixi resolutionem ad favorem parochi ticularis, quod scilicet cum tam in narrativa valoris, quàm etiam in reservatione pensionis semper Papa loquutus fuerit de ducatis Cameræ, idcircò de istis intelligenda veniret reservatio,ex relatis per Tondut. *de pension. cap.14. nu.29. & dec.34.* coram Zarata inter impress. *num. 4. & 5.* repetit. post eundem Tondut. *decis. 31.* ubi alii allegantur, & probatur etiam ex deductis *in Melevitana pensionis quinque Canonicatuum 4. Aprilis 1661. coram Albergato*, quod scilicet cùm Papa in litteris loquutus fuerit de scutis monetæ Romanæ, de illis intelligenda est omnis ejus dispositio ut *disc. 126. de Regal.* ubi de dicta *Melevitana*.

Resolutionem quarti quæsiti dixi pendere ab iis, quæ dicta sunt in secundo, quoniam ea quæ, veniunt in computatione valoris, veniunt etiam in computatione congruæ; Et è converso.

Prout etiam ex præmissis dixi resultare resolutionem ultimi quoniam titularis pro terminis decursis teneri debet solum ad illam ratam, quæ supereset ex fructibus, detracta priùs ejus congrua ducatorum centum,quæ debet esse præcipua, dummodo tamen diminutio non provenerit ab aliqua ejus culpa, & mala administratione, sed à casu, &c.

MELEVITANA PENSIONIS,

PRO M. PRIORE CAMPANIÆ.

Consilium pro veritate, ac directione.

An, & quando valeant necnè reservationes pensionum super Commendis, & Dignitatibus Religionis Hierosolymitanæ.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *Pensiones non possunt reservari ex privata conventione.*
3 *Cum qua auctoritate eas reservet M. Magister.*
4 *Requiritur consensus possessoris beneficii, & ad quid.*
5 *Super Commendis Cambimenti non possunt reservari pensiones.*
6 *De directione in prosequutione appellationis.*

DISC. XCII.

COmmendatarium de Jars permutata ex gratia Commenda de Chantamè per eum possessa ex Cambimento cum alia de Lagnè lesech, super ista sub die 27. Februarii 1670. consensum præstitit reservationi duarum pensionum, super quibus sub die 25. Aprilis sequentis expeditæ fuerunt litteræ ad favorem pensionariorum in forma solita, ipsius verò Commendatarii absentis procurator sub die 14. Aprilis obtinuit bullam permutationis;Cumque vacata Commenda per obitum dicti de Jars sequutum sub die 10. dicti mensis Aprilis, de illa provisus fuisset M. Prior Campaniæ, hic impugnando dictas pensiones, obtinuit à Consilio ordinario eas nullas declarari cujus contrarium ad favorem pensionariorum in gradu appellationis sententiatum fuit per Consilium Completum; Ideoque volente dicto M. Priore causam prosequi in Rota, consilium petiit pro veritate, An, & quale Jus foveret ad effectum deliberandi an expediret prosequi, vel acquiescere; Atque nullitas ex duobus deducebatur; Primò nempè quod super Commendis Cambimenti ex ordinatione 15. de Commendis, reservari non possunt pensiones: Et secundò quod tam de tempore expeditionis bullarum ipsius Commendæ sub die 14. Aprilis, quàm de tempore alterius expeditionis bullarum super pensionibus sub die 15. ejusdem mensis jam sequuta erat mors dicti de Jars.

Respondi quod utrumque fundamentum videbatur solidum, potissimè verò secundum, quod solum de plano abundaret, absque necessitate agendi de primo, super quo cadebat aliqua major occasio disputandi super natura Commendæ, an scilicet ex natura subrogatorum dicenda esset Cambimenti, ut erat altera de Chantamè, vel gratiæ magistralis ut infrà.

Reservatio enim pensionis super beneficiis, & Commendis tam sæcularibus, quàm regularibus fieri non potest ex privata conventione, vel elargitione possessoris beneficii, vel Commendæ, cùm id solum pertineat ad Papam, ex cujus indulto, & communicata potestate id fieri potest per M. Magistrum, ejusque Consilium, neque simpliciter, & omni casu, sed in certis tantùm, & non in aliis, ut in *decis. 386. nu.2. par.5. rec.* apud Otthobon. *decis. 147. num. 4. & seq.* & habetur supra *disc.42. n.9. & per tot.* Et consequenter pensio reservari, ac perfici dicitur de tempore, quo per M. Magistrum, & Consilium reservatur, non autem de tempore quo possessor Commendæ illius reservationi consensum præbet, quoniam id importat solum consensum, sine quo tam ad formam stabilimentorum, quàm etiam de jure ob regulas Cancellariæ pensiones etiam per Datariam Apostolicam super beneficio pleno non reservatus; Ideoque cum *sub die 15. Aprilis*, in quo facta fuit reservatio jam per quinque dies ante Commendatarius obiisset, ejusque consensus expiraset,ità videbamur esse in casu indubitato,nisi aliquod ignotum Religionis statutum, vel consuetudo, aliter suaderet: Et clarius quia idem Commendatarius nunquam fuerat talis, cum Commenda obtineri dicatur quando per M. Magistrum,& Consilium confertur,non autem quando petitur, idque sequutum fuit pariter post mortem ejusdem.

Hinc opus non esse dixi agere de altero capite nullitatis quod etiam videbatur, clarum ex dicto Statuto 15. prohibente reservationes pensionis super Commendis Cambimenti, de quarum specie certum videbatur istam esse, utpotè subrogatam ex natura subrogatorum juxtà satis nota axiomata.

Quo verò ad ordinem cùm ipse M. Prior esset possessor Commendæ, ideoque non esset creditor, sed debitor,sive reus non autem actor, hinc dixi quod fibi non debebat incumbere solicitudo prosequendi causam in Rota, ubi commissa esset, vel committenda, nisi in obtinendo inhibitionem, quæ impediat nè coram aliis judicibus molestari posset, ità expectando motiva pensionariorum, quibus acquiescere deberet, & non excitare dormientes, quoniam, ut dictum est,data inhibitione, non posset coram quocumque alio judice conveniri, & quatenus conveniretur,quodque ad aliquem actum de facto procederetur, nimium de facili omnia revocari posse dixi tanquam attentata;Quamvis etenim onus esset ipsius appellantis causam prosequi, attamen postquam inhibitionem exequi curavit, videtur quod pro curiæ stylo acquiescere possit, maximè in hujusmodi causis super juribus vitalitiis, quæ cum vita unius, vel alterius terminantur, & quandoque, imò frequenter etiam in vita per transitum de una Commenda ad aliam, quoniam quando etiam elabatur biennium, quod in causis extrà Curiam conceditur ad prosequendam appellationem, ob cujus neglectam prosecutionem causa dicitur facere transitum in judicatum; adhuc tamen non potest judex à quo, vel aliter, manus apponere, vel ad judicati exequutionem procedere, nisi obtineatur moderatio inhibitionis, quæ non conceditur nisi citata parte cum præfixione termini, intra quem integrum remanet acta transportare, & causam prosequi, ideoque silentium non nocet, ità tamen ut ista cautela practicari debeat principaliter ad proprium commodum, vel ad evitandum injustum incommodum, & sumptum, quia nempè ex consilio sapientum proborum non autem improborum credatur bonum jus foveri, quodque sententia sit injusta,non autem ex motivo calumniandi, & defatigandi appellatum, qui bonam foveat causam, cum tunc sit calumnia omninò damnabilis.

ARELATEN. PENSIONIS,

PRO N. CANONICO.

Responsum pro veritate.

De annullatione pensionis ex mala expressione vasoris.

SUMMARIUM.

1 *Acti series.*
2 *De differentia inter pensionem ex causa resignationis reservatam super ipsomet beneficio resignato, & super alio beneficio.*
3 *An pensio super alio beneficio ex causa resignationis dicatur voluntaria.*
4 *Quando attendatur culpa in mala expressione.*
5 *Pensionario sufficit intentare negatoriam, ut fundata sit ejus intentio, quando secus.*

DISC. XCIII.

EX causa resignationis factæ per Raymundum de Berga de Decanato Ecclesiæ Majoricen. ad favorem Jo: Baptistæ Antich ejusdem Ecclesiæ Canonici ex Apostolica dispensatione obtinentis utriusque retentionem, duæ reservatæ fuerunt pensiones ad favorem resignantis, una ducatorum 153. super ipso Decanatu, & altera consimilis summæ super ipsius resignatarii Canonicatu: Cumque defuncto dicto Antich de Decanatu esset provisus Laurentius Flor, de Canonicatu autem N. præfatus Laurentius Judicium instituit cor. A. C. super dictæ pensionis nullitate ex causa falsæ narrativæ valoris,undè pensionarius coram eodem in vim cujusdam supplicationis obtentæ à Cle. IX. Judicium instituit super regressu,sed in utroque sententiarum fuit ad favorem Decani super invaliditate scilicet pensionis ex dicta causa falsæ narrativæ valoris,ac super denegatione regressus, unde ad instantiam pensionarii appellantis commissa fuit causa in Rota,istaque facti serie sic stante,ex parte provisi de dicto Canonicatu pro veritate consultus fui an ipse quoque dictam pensionem impugnare posset.

Respondi quod resolutio pendebat à circumstantiis facti, & à probatione valoris,adeòut pariformiter narrativa dici valeat falsa, hoc enim posito magis de plano intrare dixi nullitatem, quàm in dicto decanatu; Ubi enim agitur de reservatione pensionis ex causa resignationis super ipsomet beneficio resignato, tunc magis benigne favore resignantis, ac pensionarii respectivè proceditur, adeòut ubi non verificatur dolus vel culpa positiva circa dictam narrativam cum alio requisito verifimiliter deficientis voluntatis Papæ, de facili subsistinetur, sive admittitur æquitativa reductio ad proportionem, juxtà *dec. in Lucana pensionis coram Pirovano dec.542. part.4. recent. tom.3. & in Parmen. pensionis 1. Junii 1665. & 15. Februarii 1666. coram Ottalora in casu de quo supra disc.12.*

Secus autem in altero beneficio possesso per resignatarium,vel tertium in quo resignans nullum jus habebat,sed illud in ejus gratiam pro sola cautela gravatum fuit pensione, quoniam licet ista dici non valeat omninò sine causa ad effectum rigoris decreti super vera,& effectiva solutione omnium terminorum, adhuc tamen in effectu dicitur pensio voluntaria, in qua rigorosè proceditur circa infectionem actus ratione falsæ narrativæ ob verisimiliter cessantem voluntatem Papæ, ut cæteris relatis Rota *dec.306.n.2. & seqq.part.10.recent.* cum aliis apud Dunozett. *dec.882. num.2. & 3.*

Et quamvis in hoc non intret illa culpa,quæ in mala ex-

pressione valoris ipsius beneficii resignati consideratur in ipso resignante bene de illo informato, juxtà *dec.* 283. Carilli repetit. *dec. 218. part. 9. recent.* eo quia pensionarius
4 utpotè non possessor nullam haberet dicti valoris informationem; Attamen urget dicta ratio deficientis voluntatis Papæ ex supra allegatis, & consequenter, ubi probationes benè concluderent tempus ipsius resignationis cum rigorosa tamen forma probationis decennalis, ac omnium annorum præcedentium, & sequentium peræquatione, quod in canonicatibus facilè videtur justificabile ex libris Capituli, certum videri dixi pensionem impugnabilem esse.
5 Ulterius dixi quod neque dicti possessoris Canonicatus, quatenus pensioni non consenserit, onus erat facere hanc probationem, sed cum non adesset observantia 30. annorum ex qua justificationis præsumptio resultat, sufficeret intentare judicium in actione negatoria, undè onus probandi veritatem valoris remanet pensionarii, quo non probante, fundata est intentio titularis contendentis de libertate beneficii.

ARELATEN. PENSIONIS,

INTER

CAROLUM BICHIUM CAMERÆ APOSTOLICÆ CLERICUM, ET N. SERANTONIUM.

Votum.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 31. An pensionarius teneatur præstare cautionem pro assecuratione judicii, & restitutione pensionum exactarum ex privilegio judicii, seu litterarum Apostolicarum in casu succumbentiæ in petitorio, Et de exceptione invaliditatis pensionis reservatæ super beneficio de Regio Jurepatronatus absque patroni consensu, & quando de isto constare dicatur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series, & de punctis disputatis.*
2 *De foro Clericorum Cameræ Apostolicæ.*
3 *De regula quod pensionarius non tenetur ad cautionem pro assecuratione judicii.*
4 *De differentia inter judicem, & consiliarium Principis.*
5 *De ratione cui innixa est conclusio de qua n. 4. & quando limitetur.*
6 *Quomodo effornari debeat judicium.*
7 *In judicio possessorio non attenduntur exceptiones super nullitate pensionis.*
8 *De conclusione quod consensus patroni est necessarius in reservatione pensionis super beneficio de jurepatronatus, & de istius consensus probatione.*

DISC. XCIV.

1 EX causa permutationis sequutæ de anno 1643. inter Cardinalem Alexandrum Bichium, & Abbatem de Breves Abbatiarum de Cornevillæ Rothomagen. Diœc. & S. Petri Monti Majoris Arelaten. ad illam reddendam æqualem ad favorem Abbatis de Breves qui dimittebat Abbatiam S. Petri de Monte Majori longè majoris redditus, auctoritate Apostolica reservata fuit pensio librarum 1800. Turonensium, cujus commoditatem de anno sequenti 1644. pensionarius, accepta quadam summa pecuniarum, cessit Serantonio Lucensi in Gallia negotiatori, cui Cardinalis donec vixit eam pacificè solvit, aliquibus ultimis termi is exceptis, quos, judicialiter tamen, solvit ejus hæres, cumque ex causa resignationis patrui eadem Abbatia obvenisset in Carolum nepotem, contra istum Serantonius in Tribunali Auditoris Cameræ instituit judicium possessorium manutentionis, obtentoque mandato, istius vigore sequuta est solutio terminorum decursorum, effectoque postmodum eodem Carolo Cameræ Apostolicæ Clerico, cum dicti cessionarii hæres prosequendo idem judicium, atque exequutionem præfati mandati de manutenendo, in eodem Tribunali A. C. egisset pro terminis decursis, titularis autem declinasset forum, prætendendo quod tanquam Clericus Cameræ non haberet alium judicem nisi Camerarium, idcircò adita desuper Signatura Gratiæ coram Clem. X. rescriptum fuit de remissione causæ ad A. C. idemque bis confirmatum in Signaturis habitis coram Innoc. XI. adhuc tamen, ut titulari recusanti in gradu appellationis Tribunal Rotæ, in aliquo satisfieret, deputata fuit Congregatio particularis Prælatorum loco Rotæ subrogata, cum clausula *non retardata*; ad effectum tamen terminos decursos, & decurrendos deponendi, nisi & donec actor idoneè caverit pro assecuratione judicii in casu succumbentiæ, quodque dicta pensio indebita, maleque reservata declararetur.

In pluribus itaque disputationibus desuper habitis tam in plena Signatura sub Innocentio, quam coram me tanquam ejus Auditore de tribus punctis actum fuit. Primò nempè super fori competentia, & an ad A. C. vel ad Camerarium causa remittenda esset. Secundò an locus esset dictæ cautioni; Et tertiò incidenter quod merita, cujus ponderis esset motivum titularis super prætensa pensionis nullitate, ex eo quod non doceretur de consensu Regis necessario in reservatione pensionis super beneficio de ejus patronatu, atque de primo actum fuit in plena Signatura, de aliis verò duobus coram me in aula.

Quatenus itaque pertinet ad primum, admisso etiam assumpto quod ex indulto Gregor. XV. & forsan etiam ex 2
dispositione juris communis Camerarius esset privativè ad alios judex competens in prima instantia Clericorum Cameræ, aliorumque Cameralium, in secunda verò ipsum Tribunal Cameræ de quo agitur *disc.* 32. *in relationem Curiæ*; adhuc tamen (probabiliter quidem) visum est locum non esse declinatoriæ utpotè in causa jam inducta antè superventum privilegium, dum istud non erat judicium novum, sed erat continuatio antiqui, & pro exequutione mandati de manutenendo iam concessi, ac exequi cæpto tam pro terminis decursis, quàm imposterum decurrendis.

Quo verò ad secundum cautionis pro assecuratione judicii, quamvis regula assisteret pensionario actori, tum ex 3
propositione generali recepta præsertim in Curia Romana de qua *disc.* 13. *de judic.* quod ista cautio non est in usu, sed recessit ab aula, tum etiam ex iis, quæ specialiter habemus in hac materia pensionum, ut ex stylo Curiæ non intret hæc assecuratio ex relatis supra *disc.* 31. Ac propterea cum idem titularis in prima relaxatione mandati, ut supra, de hoc opposuisset tam coram Auditore Cameræ, quàm Signatura Justitiæ, neglectum fuit.

Adhuc tamen fui in sensu quod cautio præstari deberet, & ad quam actorem benevolè suasi tum ex iis, quæ habentur *eodem disc.* 13. *de judic.* in propositio sequestri magis 4
quàm istius cautionis, quod scilicet præclusum non sit arbitrium judicis ex aliqua justa causam illum demandare, atque si hoc arbitrium conceditur simplici judici, qui perneccse procedere debet cum regulis juris, intra cujus limites vel cancellos refrænatum habet arbitrium, multò magis in Consiliario Judicis supremi, & juxtà differentias ponderatas *disc.* 30. *in relat. Cur.* agendo de utraque Signatura Gratiæ & Justitiæ, ac etiam ex iis quæ habentur *disc.* 148. & 177. & in plerisque aliis *sub tit. de Regalibus* occasione agendi de potestate Principis tollendi jus tertii, & alibi.

Tum etiam magis ad rem ponderando rationem à qua derivet enunciatus stylus, quod in pensionibus præsertim Ecclesiasticis, cum quibus substentatur major pars Curiæ, non sit in usu ista cautio; Illa siquidem videtur vera, & congrua ratio, quod cum pensiones reserventur, seu reservari debeant ad favorem pauperum Clericorum, seu Cu- 5
rialium pro eorum substentatione, & qui ut plurimum sunt forenses non possidentes bona stabilia in Urbe, si adesset hæc necessitas, actum esset de pensionum exactione ob impossibilitatem præstandi istam cautionem, cujus loco adhiberi non congruit pluries alibi enunciatum remedium investiendi pecuniam solvenda in loca montium vinculata, quæ stent loco cautionis dum ipsa pensio, quæ in dies maturat, consumanda est in substantia pro alimentis, & substentatione pensionarii.

Omnes autem istas rationes advertebam non adaptari ad casum quæstionis, quoniam non agebatur de ipso pensionario, qui juxtà juris præsumptione deductam à natura, seu primæva pensionum introductione tanquam pauper Clericus alimentandus esset, sed de negotiatore, qui ad lucrum, & industriam pensionis commoditatem acquisierat, ideoque dicta ratio non intrat; Ac etiam quia licet esset forensis, & non possideret bona sta-

bilia in Urbe, adhuc tamen nimium facilè sibi erat invenire idoneos mercatores ejus correspondentes in fidejussores, & assecuratores, cum ipse esset notoriæ fidei, & idoneitatis negotiator; Et è converso magna videbatur assistere æquitas titularis nè in casu Victoriæ ista remaneret elusoria, & inanis ob difficultatem prosequendi ejus jura, & recuperandi à pensionariis non subditis, ac exi- 6
stentibus in diverso Principatu, ideòque semper monendi fumus, quàm evidens error sit frequenter quidem, sed semper oportunè insinuatus procedendi in omni casu cum generalitate conclusionum, & cum littera, vel superficie auctoritatum, cùm verius perquirenda sit ratio ad cujus limites pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis effornari debet judicium.

Demùm quoad tertium punctum respicientem merita negotii principalis super prætensa invaliditate pensionis ob defectum consensus Regis patroni beneficii gravati, ad- 7
vertebam quod in statu, & terminis, in quibus erat causa, prorsus extranea, & irrelevans remanebat hæc exceptio utpotè examinanda in petitorio, non autem in hoc sumarissimo possessorio, in quo ut pluries in præcedentibus advertitur neque attenditur exceptio deficientiæ supplicationis, aut litterarum Apostolicarum, & tamen absque dubio iste defectus est longè major, quoniam est quidem necessarius consensus patroni, sed istum potest Papa supplere, eique derogare defectis supra *disc.* 65. & alibi, & quamvis ubi agitur de patronatu regio, non de facili soleat, ut ibidem advertitur, adhuc tamen adest possibilitas, quod dici non potest in consensu Apostolico super reservatione, cùm nemo illum supplere valeat. Licèt enim Ordinario concedatur quandoque reservare pensiones, attamen desiderantur tot requisita, quod nunquam, vel nimium rarò id deducitur ad praxim, ut habetur supra *disc.* 40. & alibi, posita namque possibilitate existentiæ dicti consensus, vel ejus suppletionis; rectè dicere potest possessor se justificaturum esse in judicio petitorio, quinimò etiam in tertia, & ultima illius instantia, & consequenter non est exceptio admissibilis in hoc judicio, ut etiam habetur in aliis magis certis, magisque relevantibus exceptionibus, sive invaliditatibus resultantibus ab exactione, litteris non expeditis, vel à non justificatione omnium solutionum in pensione voluntaria, vel ab omissa antiquarum pensionum mentione, sive defectu valoris cum similibus.

Verùm ubi etiam de hoc ageretur in petitorio, præsup- 8
posito tanquam certo præfato principio, de quo supra *d. disc.* 65. & alibi, quod consensus Patroni necessarius esset pro validitate reservationis pensionis, adeòut stante quod de illo expressè non constabat, quæstio restringeretur ad ejus extrinsecam justificationem, cogitabam, an ista deduci posset ex lapsu temporis longissimi annorum ultrà triginta decursorum à dicto anno 1643. ex regula pluries enunciata *sub tit. de benef.* & alibi, quod lapsus istius temporis induci præsumptionem justificationis gratiæ, à cujus onere proinde excusat; Sed agnovi istud motivum non esse relevans, ex eo quod pro ejus subsistentia non sufficit solus lapsus temporis, nisi etiam accedat observantia continua, & pacifica, quæ non aderat; Sed quoniam præsupponebatur observantia proxima, continua, & pacifica decennalis cum solutionibus sponte, ac pacificè factis per Cardinalem per decem annos, & ultrà, idcircò advertebam, quod quando ista præsupposita observantia subsisteret, exindè ad probationem inferri posset, non quidem ex dicta conclusione super præsumpta justificatione gratiæ, sed ex altera, quod in iis, in quibus non adest positiva resistentia juris, hujusmodi actuum extrinsecorum præsumpta probatio inducitur per decennium ex generaliter, ità distinguendo deductis *disc. 1. de alienationibus, & contrà- ctibus prohibitis*, & in specie consensus Ordinarii super donatione jurispatronatus advertitur *sub tit. de Jurepatron. disc.* 19. & magis proximè in terminis consensus Titularis in translatione pensionis juxta *constit.* 144. *Urbani VIII.* habetur supra *hoc tit. disc.* 53. ubi de aliis similibus, ex quibus rectè ad rem inferri potest, dum ob magnas Munerum occupationes defuit otium perquirendi auctoritates, quæ descendat ad hoc individuum.

Clariùs verò, ac extra omnem rationem dubitandi ob alia argumenta, & adminicula, ob quæ simul juncta cum consueta regula, *ut singula, quæ non prosunt, &c.* advertebam quod ubi etiam non esset decennalis, observantia, sed minor, adhuc sufficeret, adeòut ex omnibus simul junctis concludens, imò exuberans probatio resultaret.

Primò nempè ob primordium veritatis, seu magnæ verisimilitudinis ratione causæ reservationis non quidem in solam gratiam reservatarii, & ex causa lucrativa, sed intuitu permutationis, & pro istius æqualitate, ac propterea dicitur pensio favorabilis, & æquitate digna juxta distinctionem, de qua supra *in Parmen. disc.* 12.

Secundò ob nimiam verisimilitudinem, quod præfatus Cardinalis, qui Episcopatum in Gallia possidebat, atque erat præfati Regis Galliarum valdè benevolus, & factionarius absque ejusdem Regis consensu hanc pensionem summæ notabilis acceptare, & solvere vellet penitùs extraneo, & diversæ nationis.

Tertiò ob præsuppositam inconcussam praxim Datariæ, & Cancellariæ non admittendi hujusmodi reservationes absque consensu Regis, ac propterea illa verba *de consensu Seren. Principis Ludovici &c.* apposita in supplicatione non stant condionaliter, & tamquam res de futuro, sed potiùs præsuppositivè, & tamquam res de præterito, ut Officiales, & Expeditores Datariæ attestabantur.

Quartò, quia in obligatione facta per eundem Cardinalem penès acta Notarii Camere idem consensus enuciatur, ac presupponitur, quintò præsupponitur etiam, ac enunciatur in cessione pensionis facta de anno seq. enunciando etiã annum 1642. Et Sextò magnum argumentum resultare advertebam ex eo quod titularis nõ exhibebat litteras regias super consensu magis necessario circa ipsam permutationem, quoniam hujusmodi littere post factam expeditionem solent per officiales quandoque negligi, adeòut non adfit eorum protocollum, vel registrum, ex cujus inspectione resultare posset probatio negativæ. Addito etiam alio magno argumento, quod officiales Regii in Gallia utique non permisissent exequutionem litterarum Apostolicarum super dicta permutatione, si consensus revera non adesset.

SUM-

SUMMA SIVE COMPENDIUM

Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in hac Parte II. Lib. XIII. De Pensionibus Ecclesiasticis.

INDEX RUBRICARUM.

I.

De introductione pensionis Ecclesiasticæ; Et in quibus competat facultas illam reservandi; Et de potestate Ordinarii, *à num.* 1. *ad* 8.

II.

De Apostolica reservatione motu proprio purè facta super Ecclesia vacante occasione providendi, vel anteà, *à num.* 9. *ad* 18.

III.

De eadem Apostolica reservatione pariter motu proprio eventuali, si, & postquam antiqua pensio, vel fructuum reservatio cessaverit, *à num.* 19. *ad* 21.

IV.

De eadem Apostolica reservatione pensionis ex causa resignationis, vel alterius conventionis, *à num.* 22. *ad* 28.

V.

De pensione sine causa beneficio pleno de consensu possessoris reservata, *à num.* 29. *ad* 35.

VI.

De reservatione pensionis, quæ Apostolica etiam auctoritate fiat in gratiam Patroni, vel Ordinarii aliàs beneficii collationem habentis, vel in gratiam Cardinalis nominantis, *à num.* 36. *ad* 40.

VII.

De aliis casibus, in quibus reservatio invalida sit, vel si valida, irritetur, atque inefficax remaneat, *à num.* 41 *ad* 52.

VIII.

De causis, ob quas pensio validè, ac perfectè reservata, effectumque sortita, amittatur, vel extinguatur, *à num.* 53. *ad* 67.

IX.

De translatione pensionis, ejusque cessione in substantia, vel in sola commoditate, *à n.* 68. *ad* 85.

X.

De modo solvendi pensionem, circa locum, tempus, & monetam, Et de ejusdem solutionis probatione, ac effectibus, *à num.* 86. *ad* 90.

XI.

De concursu activo inter plures pensionarios super fructibus Ecclesiæ oneratæ, vel bonis Titularis debitoris; Et de actione contra successorem, vel super fructibus futuris pro terminis decursis tempore prædecessoris, *à num.* 91. *ad* 94.

XII.

De concursu passivo in solutione pensionis putà prædecessoris, & successoris, vel plurium possidentium Ecclesias, vel beneficia, quæ in confuso eadem pensione onerata fuerint, *à num.* 95. *ad* 101.

XIII.

De valore ad effectum validæ, vel invalidæ reservationis pensionis, vel ejus reductionis, *à num.* 102. *ad* 112.

XIV.

De processu executivo pro pensione competente, Et quando ille cesset necnè, *à num.* 113. *ad* 120.

SUM-

SUMMARIUM.

1 De origine, & causa pensionum.
2 Reservari debent ad limites necessitatis, eaque durante.
3 Non. potest gravari per Ordinarium Ecclesia, sed ipse provisus in certa quantitate non autem quota.
4 Dictæ restrictiones non procedunt in Papa, qui sine causa pensiones reservat.
5 Pensio importat jus temporale, nullumque jus tribuit in beneficio.
6 Potest reservari à Papa etiam non Clerico, sed non solet, Ordinarius autem pro solo Clerico.
7 Papa non approbat reservationem factam ab Ordinario, nisi ocasione novæ provisionis beneficii.
8 Si Ordinarius conferat beneficium cum invalida reservatione pensionis, an vitietur provisio, vel potius ipsa reservatio vitietur.
9 In pensione purè reservata motu proprio, nulla requiritur justificatio, nisi Clericatus.
10 Neque tenuitas beneficii excusat à solutione pensionis.
11 Nisi agatur de Ecclesia Parochiali, in qua intelligitur salva congrua Rectori, etiamsi motu proprio.
12 In pensione motu proprio purè reservata super Ecclesia Cathedrali non intelligitur reservata congrua, nisi dicatur, & de ratione differentiæ.
13 Sed congrua alimentaria debetur, quomodo & quando.
14 De reservatione conditionata, seu qualificata à clausula, dummodò mille.
15 An & quando ista clausula reddat reservationem conditionalem, necnè.
16 Isto casu attenditur valor juxta singula tempora currentia, absque restrictione ad tempus reservationis.
17 Quando consensus, vel assertio, quod sit informatus præjudicet etiam isto casu pensionis conditionatæ.
18 Et quid in hoc operetur possessio pensionarii etiam contra successorem.
19 Gratia reservationis eventualis, si & postquam alia pensio cessaverit, an sit pura, vel conditionalis, & an expiret per mortem Papæ ante purificationem.
20 Atque si plurium pensionum cessatio in conditione posita est sufficit, quod in parte proportionata sequatur cessatio.
21 Ista reservatio non impedit facultatem transferendi antiquas pensiones.
22 Reservatio pensionis ex causa resignationis ad supplicationem, sit cum narrativa valoris per assensum, atque beneficium non solet gravari ultrà medietatem.
23 Pensionarius isto casu tenetur concludenter justificare narratum valorem, nisi existat in possessione, quæ suffragatur in possessorio, non autem in petitorio.
24 Nisi possessio esset longissimi temporis, nam suffragatur etiam in petitorio.
25 Et quid in hoc operetur consensus Titularis.
26 An & quando in hac reservatione intret reductio ad proportionem valoris, vel corruat actus in totum, si valor narratus non est in totum verus.
27 Quid ubi reservatio est conditionata, seu qualificata à clausula, dummodò mille, vel centum.
28 An & quando Ordinario competat facultas reservandi pensionem ex causa concordiæ.
29 Pensio voluntaria beneficio pleno odib ilis est, eamque hodie rarò Dataria admittit.
30 Defectus narrati valoris concludenter justificandi etiam in modico, totum vitiat, & non admittitur reductio.
31 Debet etiam constare de vera, & effectiva solutione omnium terminorum decursorum vivente Titulari, qui consensit, aliàs reservatio corruit.
32 An præsumptio resultans à longissima observantia admittatur.
33 Solutio facta tempore infirmitatis Titularis, ex qua obiit, an suffragetur.
34 Ista nullitas non admittitur in possessorio.
35 Invalida est hæc reservatio, si consensus præstetur à Titulari eminente expiratione sui juris.
36 De pensionibus, quæ reservantur in gratiam Patroni.
37 Solet adjici clausula, dummodò tertiam partem fructuum non excedant.
38 De reservatione ad instantiam, & gratificationem ordinarii collatoris.
39 Et de alia ad nominationem Cardinalis super beneficio vacato per obitum familiaris.
40 Quomodo his casibus fiat reservatio, & quid justificandum sit.
41 De invalida reservatione pensionis ad favorem ejus, qui non est Clericus, & quando hoc non obstante subsistineatur.
42 Vel super Ecclesia curata non facta mentione curæ.
43 Vel super Cathedrali absque derogatione Concilii Lateranensis.
44 Vel super Ecclesia de jurepatronatus Regio non facta mentione.
45 Aut super distributionibus quotidianis.
46 Aut non facta mentione antiquæ pensionis validæ.
47 Nisi adsit clausula, etiam si aliæ.
48 Sive agatur de pensionibus perpetuis, quando mentio facienda non est.
49 Pensio exacta litteris non expeditis annullatur.
50 Sed posi expeditas litteras exigi possunt termini præcedentes.
51 Litterarum expeditio, an sit necessaria in facultate retinendi cum statu incompatibili.
52 De decreto annullativo expediendi litteras infrà sex menses.
53 Amittitur pensio per matrimonium etiam nullum, & de facto.
54 Nisi dispensatio Apostolica accedat, quæ non suffragatur pro bigamia, vel secundo matrimonio, nisi dicatur.
55 Amittitur pensio ob militiam sæcularem, & de ratione.
56 Limitatur, seu declaratur.
57 Amittitur etiam per feudum laicale.
58 Ac per officium sæculare Clericis incongruum cum declarationibus.
59 Per non incessum in habitu Clericali.
60 Per professionem in Religione.
61 Per Episcopatum actualem, non autem per Titularem in partibus infidelium, vel Episcopatum annexum Cardinalatus.
62 Cessant omnia per Apostolicum indultum dispensativum.
63 Debet obtineri dispensatio re integra ante factum casum amissionis.
64 Atque obtenta super uno impedimento, non suffragatur pro altero.
65 Dispensatio non importat novum onus, neque necessaria sunt ea, quæ in reservatione requiruntur.
66 An & quando ob homicidium, aliaque delicta, vel per bannum capitale pensio amittatur, & enunciatur crimina.
67 De cessatione pensionis per consensum extinctioni, seu cessationi præstitum, & an requiratur Apostolicum beneplacitum.
68 De forma translationis. prævia cessatione antiquæ, ac reservatione novæ.
69 Idque fieri potest etiam à graviter infirmo, & an nutu, & signis.
70 In translationes non requiritur certa forma, sed etiam sine previa cessatione fieri potest.
71 Etiam per schedulam privatam, vel coram Notario, & testibus.
72 An, & quando actus immediatè gestus coram Papa importet translationem, vel novam reservationem ex integro.
73 An pensio translata sit eadem, vel potiùs nova, & diversa.
74 Reservata super distributionibus non potest transferri sine speciali facultate.
75 De Constitutione 20. Urbani VIII. ut transferri non possit pensio ultrà medietatem fructuum, & de hac materia.
76 De alia Constitutione circa prohibitam facultatem transferendi pensiones super Ecclesiis possessis per Cardinales.
77 Pensio aliàs translata transferri non potest sine consensu, & de istius præstatione.
78 An transferri, vel extingui possit pensio, cujus commoditas alteri cessa sit.
79 Reservatio novæ pensionis eventualis non præjudicat facultati transferendi.
80 De confidentiaria translatione.
81 Translatario competit via executiva, eique suffragatur possessio transferentis.
82 Cessio pensionis, vel juris in ea fieri non potest sine Apostolica auctoritate.
83 De cessione commoditatis pensionis.

84 Pen-

84 *Pensio cessat per mortem cedentis, non autem cessionarii commoditatis.*

85 *An amissa pensione per mortem cedentis per manus justitiæ, vel ex alio delicto, vel facto debeatur evictio cessionario.*

86 *Pensio solvenda est in loco beneficii, nisi aliud dicatur.*

87 *Quid importent scuti, vel ducati, & de qua specie monetæ intelligantur.*

88 *De tempore, quod statui solet solutioni pensionis.*

89 *Terminorum præfinitio non percutit substantiam reservationis, neque in terminorum præfinitione attenditur ordo scripturæ.*

90 *De moneta in qua facta sit reservatio, & cujus sit commodum augmenti, vel incommodum decrementi.*

91 *Inter pensionarios attenditur ordo anterioritatis, quæ prodest etiam translatario.*

92 *Quid ubi eadem est reservatio, sed ordo temporis est inter nominatos.*

93 *De concursu pensionarii cum Titulari agente pro congrua.*

94 *De alio concursu inter pensionarios, & creditores Titularis.*

95 *Pensionario competit actio pro termino maturato contra possessorem non curato, an perceperit fructus, necne.*

96 *Pro terminis autem decursis de tempore prædecessoris non competit actio, nisi docto de diligentiis.*

97 *De concursu prædecessoris, & successoris in beneficio in onere pensionis solvendo.*

98 *De concursu hæredis pensionarii, ac Titularis pro rata pensionis decursæ.*

99 *Pensio de jure transmittitur ad hæredes, sed hodie succedit Camera.*

100 *Ad hunc effectum quomodo annus reguletur.*

101 *De concursu plurium beneficiorum, quæ in confuso certa pensione gravata sint.*

102 *Titularis non excusatur ob tenuitatem fructuum, ubi agitur de beneficiis, in quibus non intrat congrua, & non habetur ratio valoris.*

103 *Quando etiam in beneficii non curatis aliquæ congruæ ratio habeatur.*

104 *De materia valoris ad effectum deductionis congruæ in Parochialibus, vel Cathedralibus.*

105 *De differentia inter Cathedrales, & Parochiales.*

106 *De congrua alimentaria.*

107 *De reservatione conditionata, dummodo tertiam partem fructuum non excedat.*

108 *In reservatione ex causa resignationis valor narratus per ascensum plenè, & concludenter justificari debet de tempore gratiæ.*

109 *An intret moderatio, seu reductio ad ratam valoris, & de regressu.*

110 *De reservatione voluntaria sine causa beneficio pleno, quod valor integrè, ac perfectè probari debeat.*

111 *De justificatione valoris quomodo fieri debeat, & quæ veniant sub valore.*

112 *In specie de domibus Canonicalibus, & præbendis.*

113 *Pensio habet exequutionem paratam, & quomodo Signaturæ rescribat.*

114 *De differentiam inter unam, & alteram clausulam, & de earum effectibus.*

115 *Et quando rescribatur de appellatione suspensiva, & cum clausula translativa.*

116 *De remedio manutentionis, & in quo sit magis opportunum, quàm alterum executivum in vim litterarum.*

117 *Unica solutio unius termini, vel etiam partis ad id etiam contra successorem.*

118 *Quando possessio dicatur legitima, & sufficiens ad manutentionem.*

119 *Translatario competit via executiva, & suffragatur possessio transferentis, sed non conceditur manutentio, ideòque datur immissio.*

120 *Petitur manutentio in quacumque instantia etiam post sententiam suspensam per appellationem, vel per restitutionem in integrum, & quando.*

I.

De introductione pensionis Ecclesiasticæ, & quibus competat facultas illam reservandi, præsertim in Ordinario.

EX Sacrarum Canonum præcepto, vel consilio, aliquam Ecclesiasticorum proventum partem, quæ propriam moderatam substentationem excrescat, pauperum alimoniæ, aliisque piis usibus applicandi, ecclesiasticarum pensionum usus prodiit, ita dictæ applicationi quamdam præscribendo legem, ex eadem indigentiæ causa regulandam, in pauperum, scilicet scholarium substentatione, vel subsidio eorum, qui pro universali Ecclesiæ servitio laborant, ac opera præstant; Ad indigentiæ tamen limites, illaque durante, ipsum provisum, non autem, vel successorem, ac in certa quantitate, non autem in quota gravando. *a* 1 2 3

Intra hos autem limites, Episcoporum, aliorumque Prælatorum, reservandi pensiones super vacantibus beneficiis in actu providendi facultas restricta est; Papæ verò potestas, utpotè in beneficialibus absoluta, intra hos cancellos coarctata non est, sed cujuscumque favorem, ac etiam sine causa pensiones reservare potest, etiam in fructuum quota, quod inferioribus, ut supra non conceditur, gravando ipsam Ecclesiam, ac successores perpetuò, vel ad vitam ejus, cujus favore facta est reservatio. 4

Et quamvis pensio, temporale jus super fructibus potiùs, quàm spirituale super beneficio importet, ideòque beneficii substantiam non tangat, neque pensionario in beneficio, ejusque administratione jus tribuat, ac de consequenti, laici ex juris communis dispositione, vel intentione illius capaces existant; quia tamen ipse Papa de stylo non solet pensiones reservare, nisi pro Clericis, taliisque in dubio est præsumptio, ubi contrarium expressè non dicat, dictusque stylus per Constitutionem Pii V. in legem positivam transiit, cui dispensare oportet; Hinc proindè dictis etiam requisitis concurrentibus, ex quibus Episcoporum, aliorumque inferiorum facultas resultet, non nisi pro Clericis id concedendum est, ut inferiores à superiore normam accipiant. 5 6 7

Quia verò ob tot requisita, nimiùm rarum est ejusmodi pensiones effectum sortiri, solet idcircò obtineri Apostolica reservatio, quæ tamen cum ipsius beneficii nova provisione, & non aliàs sequi consuevit. *b* 8

Requisitis autem prædictis non concurrentibus, unde propterea inferioris potestas desit, si dicta reservatio fiat, verius est eam non vitiare beneficii provisionem, sed potiùs ipsam reservationem vitiatam remanere, nisi præcedens pactio, seu alias præcisa, & coarctata voluntas aliter suadeat. *c*

a *disc.* 40. & *seqq.*
b *de his frequenter toto tit.*
c *disc.* 40. & 41.

II.

De Apostolica reservatione motu proprio purè facta super Ecclesia vacante, occasione providendi, vel antea.

IN hac specie pensionis, quæ Apostolica auctoritate, purè, ac motu proprio reservetur, super beneficio, vel Ecclesia vacante in actu providendi, vel anteà (expeditis litteris, quæ ad exigendi facultatem, non autem gratiæ perfectionem necessariæ sunt,) doctoque de Clericatu, alia non exigitur justificatio, neque Titularis à solutione pensionis excusari potest ratione tenuitatis beneficii, quod alias dimittere debet, nisi agatur de beneficio curato, in quo ex Concilii Tridentini decreto, congrua centum scutorum monetæ regionis pro Rectore, salva, ac præcipua remanere debet, quamvis non exprimatur, nisi derogetur, licèt pensio esset motu proprio reservata, Et quamvis idem decretum æquè, ac magis percutiat Cathedrales, in quibus congrua est mille, quia tamen Cathedrales providentur in Consistorio prævio processu super valore, cujus proindè notitia haberi dicitur, hinc omittendo solitam clausulam, *dummodò*, dictæ congruæ præservativam, illi implicitè derogatum censetur, ideòque solùm congrua alimentaria remanet, quæ debita est etiam si expressa accedat derogatio; Ea verò certam non habet taxam, sed pro Ecclesiæ, ac regionis, & onerum qualitate taxanda est; Ac debetur, quamvis aliundè Episcopus, vel Rector provisus esset, nisi consentiendo pensioni, huic etiam congruæ renunciaverit, atque onus se substentandi de proprio assumpserit, ac de suo possit se substentare. *d* 9 10 11 12 13

Ubi verò congrua expressam habet præservationem à solita clausula, *dummodò*, vel respectivè à jure subintellecta est, nihil obstat pensionem esse motu proprio reservatam,

14 vatam, minùsque illi Titularem consensum præstitisse, cum eandem conditionem talis consensus implicitam habeat; non semper tamen dicta clausula, *dummodò*, conditionem inducit, nisi quando ipsam reservationem per-
15 cutit, secus autem si adjecta sit alteri clausulæ, *etiamsi aliæ*, Ad ejusdem autem congruæ effectum spectatur valor in singulos annos, & tempora, non curato, quod de
16 tempore reservationis esset major; Nisi Titularis asserendo se informatum dixerit beneficium esse capax, onus probandi contrarium in se assumendo; Quod tamen sibi, non autem successori præjudicari; Vel nisi pensionarius
17 esset in quasi possessione exigendi, cum tunc possessio per hanc exceptionem in possessorio judicio non impediatur,
18 idque etiam contra Ecclesiam, & quemcumque possessorem. *e*

d *disc.* 16. & 17.
e *de his pluries hoc tit. & sub tit. de benef. disc.* 90.

III.

De eadem Apostolica reservatione pariter motu proprio, eventuali, si & postquam antiqua pensio, vel fructuum reservatio cessaverat.

IN hac specie reservationis cadere solet quæstio expirationis, vel caducationis gratiæ, quam ob mortem Papæ illam facientis ante purificationem conditionis, sub qua facta est, aliqui credunt sequi; Contrarium autem est verius, ut conditio, vel tempus, non substantiam, vel
19 perfectionem, sed exequutionem gratiæ solùm feriat; *f* Atque si dicta reservatio concipiatur, si & postquam an-
20 tiquæ pensiones cessaverint, opus non est, ut omnes cessent, sed sufficit tot cessare, quod locum aperiunt novæ, absque oneris Ecclesiæ excrescentia. *g*

Minùsque istius eventualis pensionis reservatio, quam
21 ab initio perfecta, impedit transferendi facultatem, quam antiquæ pensionis possessor habeat. *h*

f *disc.* 1. *cum duob. seqq.*
g *ibidem.*
h *disc.* 3. & *alibi.*

IV.

De eadem Apostolica reservatione pensionis ex causa resignationis, vel alterius conventionis.

AD supplicationem, atque in approbationem privatæ conventionis partium, fieri solet hæc reservatio cum expressione valoris per ascensum, cum non soleat
22 beneficium gravari ultrà valoris medietatem, ac frequentiùs infrà, licèt quandoque, sed rarò, etiam supra id concedi soleat.

Onus verò est pensionarii narratum valorem concludenter justificare, tam in petitorio, quàm in possessorio, si in
23 possessione exigendi non existat; Possessione verò accedente, obtinebit quidem in possessorio, sed in petitorio, in quo Titularis negatoriam intentet, justificationis onere, possessione non obstante gravatur, nisi longissima trigenaria observantia accedat, inducens justificationis præ-
24 sumptionem, contraria probatione elidibilem, vel nisi Titularis pensioni præstiterit assensum, qui in eum hoc onus etiam transfert, quoties dici non valeat consensum
25 esse qualificatum ab eadem clausula, *dummodò*, ipsi reservationi adjecta, isto tamen effectu in solius consentientis, non tamen successoris præjudicium resultante. *i*

Justificatione valoris deficiente non admittitur reductio
26 ad proportionem; Quod tamen in gratia resignantis non alias, quam sub hac lege beneficium resignantis procedit, potissimè ubi clausula, *& non alias*, accedat, ne Titularis invito priori possessore beneficii istud obtineat, ac propterea ipsi pensionario competat alias regressus, vel reintegratio; secus autem ipso resignante, vel ejus translatario huic favori cedente, atque contenta reductione ad proportionem, tunc enim audiendus est, quoties dolus abest, atque verisimilis Papæ voluntas accedat. *l*

Ubi verò pensionis reservatio pura non fit, sed quali-
27 ficata à clausula, *dummodò*, congruæ Rectoris præservativa, probabilius est Titularem rectè salvam petere congruam, quamvis ob temporum varietatem, ista pensionis diminutionem causet, nisi de regressu etiam in casu cujuscumque diminutionis, juxtà modernam formulam cautum sit. *m*

Admittenda verò non est in Ordinario, vel altero, qui sit Papa inferior (ultrà istius delegatam potestatem) facultas reservandi pensionem ex causa concordiæ, ac pro lite 28
componenda, licèt enim quandoque id concedatur, attamen rarò ob tot requisita praxis admittit.

i *de his pluries hoc tit. præsertim disc.* 11. & *seqq.* & *tit. de benef. disc.* 90.
l *disc.* 12. & *seq.* & *in aliis.*
m *disc.* 14.

V.

De pensione sine causa beneficio pleno de consensu possessoris reservata.

ODibilis, atque de fraude suspecta reputatur ista species pensionis, quam neque de facili, ut prius, moderna Datariæ praxis admittit, ideòque nimiùm rigorosè 29
in ea proceditur, tam accedente defectu narrati valoris concludenter justificandi, ut etiam in obolo totum vitiet, 30
omni reductionis æquitate negata; quàm non docto de vera, & effectiva, non autem ficta, præsumpta, vel confessata solutione omnium terminorum de tempore Titu- 31
laris consentientis decursorum, quamvis per breve tempus primus, vel ultimus, absque fructuum perceptione maturasset; Alia non admittenda præsumptione, nisi resul- 32
tante à legitimi trigenarii temporis vera, & continuata observantia; Cadente quæstione, an solutio recepta de 33
tempore infirmitatis pensionarii, ex qua obiit, ad id sufficiat, quod ex facti qualitate decisionem recipit; Dictaque probatione non accedente, annullatur pensio, cujus 34
tamen solutio, hoc judicio pendente, non retardatur in possessorio retinendæ, quod ratione possessionis competat

Invalida etiam hæc pensio reputanda est, si imminente vacatione beneficii per mortem naturalem, vel civilem, 35
possessor huic voluntariæ pensionis consensum præstiterit. *n*

n *De his omnibus ad materiam voluntariæ pensionis disc.* 5. & *seqq. ad* 10.

V.

De reservatione pensionis, quæ Apostolica etiam auctoritate fiat in gratiam Patroni, vel Ordinarii aliàs beneficii collationem habentis, vel in gratiam nominantis.

SOlet etiam Apostolicæ Sedes, citrà motum proprium pensiones reservare in gratiam eorum, qui aliquam habeant participationem, vel jus, in onerandi beneficii provisione; Putà ad supplicationem, vel nominationem Patroni, ut frequentiùs contingit in Ecclesiis, quæ ad 36
Regum, vel Principum nominationem pertinent, & in his stylus est reservandi pensiones cum clausula, *dummodo tertiam partem fructuum non excedant*, quod onus 37
est pensionarii justificare, nisi Titularis asserendo se informatum, dicat non adesse excessum, atque in se onus probandi contrarium assumat, vel etiam ad supplicationem Patroni privati, seu Ordinarii, qui cupiens super beneficio ejus liberæ collationis reservari pensionem ad 38
favorem personæ sibi gratæ, curet accipi provisionem Apostolicam, sine qua dicta reservatio non conceditur; Aut ubi beneficium vacatum per obitum familiaris Cardinalis, ad istius nominationem providendum est, iisque cupit pensionem quoque ad favorem alterius ab eo nomi- 39
nati reservari; Hisque casibus pensio sub narrativa certi valoris per ascensum reservari solet, cum Papa nolit, nisi moderatè gravare, ideoque dicti valoris justificatio neces- 40
saria est, nisi pariter provisus, asserendo se informatum, onus justificationis in se assumat.

VII.

De aliis casibus, in quibus reservatio invalida sit, vel si valida irritetur, atque inefficax remaneat.

EX aliis quoque, ultrà præmissos casus, pensionis reservatio invalida remanet, vel si valida est, inefficax tamen redditur; Putà ob incapacitatem ejus, ad cujus favorem reservatio fiat, quia clericali charactere 41
non sit insignitus, nisi reservatio facta sit tanquam militi, vel tamquà scholari, quod nisi expressè dicatur, non præsumatur,

mietur, vel nisi facta sit ad favorem laici sub conditione futuri clericatus, ac si & postquam dicto charactere sit insignitus, qui tamen solus sufficit absque alio majori ordine, minusque requisita est illa ætas, quæ ex Concilo Tridentino hodie in beneficiis requiritur. *o*

42 43 Sive, quia super beneficio curato, non facta hujus qualitatis mentione; *p* Aut super Cathedrali, absque derogatione Concilii Lateranensis; *q* Aut quia juxtà unam opinionem super beneficio de Regio jurepatronatus absq; speciali mentione, *r* Vel quod beneficii emolumenta competat ad normam distributionum ratione servitii, ac laboris personalis; *s* Sive quod unius; vel plurium antiquarum pensionum mentio facta non sit, quæ tamen validæ sint, ac effectum sortitæ. *t*

Hæc autem omnia præsumptionem deficientis Papæ vo-
45 luntatis inducunt, contraria probatione, etiam adminiculativa elidibilem, præsertim verò circa aliarum pensionum mentionem, ubi accedat clausula, *etiamsi aliæ*, *u* Dicta necessitate urgente in ordinariis vitalitiis, vel alias
46 temporalibus pensionibus, non autem in perpetuis, quæ ad manus mortuæ favorem reservatæ sint, cum istæ, sub onerum potiùs, quàm pensionum genere veniant. *x*

Inefficax quoque remanet pensionis reservatio, quam-
47 vis aliàs pura, ad perfecta, donec sequatur expeditio litterarum, sine quibus sub decreto ipsius gratiæ, ac reservationis annullativo, pensio exigi non potest; *y* Non tamen prohibito pensionario post litteras expeditas exigere
48 terminos interim decursos cum retrotractione ad ipsius reservationis initium; *z* Minusque dicta necessitate sub decreto annullativo urgente in illis litteris, quas expedire quoque oportet super dispensatione retinendi pensionem cum statu incompatibili, cum sine illis jus exactionis ab
49 invito experiri non possit, non autem prohibitum exigere à sponte solvente; *a* Sive quia in eadem reservatione, aliud contineatur decretum annullativum expediendi litteras infrà sex menses, quod in casu pensionis voluntariæ
50 adjici solet, cadente quæstione, an Cancellariæ officiales hunc terminum prorogare valeant, ut in sua sede. *b*

o *disc.* 2. *& in aliis*. p *disc.* 38. & 43. q *disc.* 1.
r *sub tit. de benef. disc.* 90. *& sub tit. de jurepatr.* s *disc.* 61. *& sub tit. de benef. disc.* 90. t *disc.* 4. & 5. u *d. disc.* 4.
x *tit. de benef. disc.* 90. *& hoc tit. pluries*. y *disc.* 29. & 30. *& in aliis*. z *d. disc.* 30. a *disc.* 44. b *disc.* 71.

VIII.

De causis ob quas pensio validè, ac perfectè reservata, effectumque sortita amittatur, vel extinguatur.

PUrè, ac validè, effectumque sortita pensio, ex plu-
ribus amittitur, seu extinguitur; Primò scilicet ob matrimonium nedum validum, ac juridicè contractum, sed
51 etiam invalidum, cum solùm factum spectetur, nisi à defectu consensus nullitas resultet, non curato, an assumens statum conjugalem, clericalem quoque cum matrimonio cum unica, & virgine compatibilem retinere profiteatur;
52 Nisi ante hujus status conjugalis assumptionem præcedat Apostolica dispensatio, quæ nisi bigamiæ obstaculum expressè tollat, super simplici statu conjugali concessa, super illo bigamiæ non suffragatur.

Cessat item, seu extinguitur ob militiæ sæcularis as-
53 sumptionem, quamvis actuale prælium, vel aliud sævum exercitium non accedat, cum non ab irregularitate à sævis resultante hic effectus sequatur, sed ab implicita dimissione clericatus, qui cum sæculari militia incompatibilis est. *d*

Quod tamen recipiendum non est in ea militia, quæ Cle-
54 ricis permissa sit, putà pro defensione patriæ, vel pro servitio Papæ, & Ecclesiæ, ut in sua sede. *e*

Ex eadem ratione cessat pensio per feudum, vel officium
55 sæculare, quod ad militiæ instar eamdem habeat incom-
56 patibilitatem cum clericatu, quod tamen plures recipit declarationes, ex facti qualitate, singulorumque casuum diversis circumstantiis, de quibus in sua sede, cum sub compendio non de facili cadant. *f*

Per non incessum item in habitu clericali pensio exce-
57 dens certam summam in Apostolicis Constitutionibus ta-
58 xatam amittitur; Ac etiam ob professionem in Religione, quamvis militari, quæ verum Religionem importet, adeòut diversus incompatibilis status Regularis resultet; *g* Aut ob Episcopatum actualem administrationem habentem, non autem per Titularem in partibus infidelium, aut ob illum Episcopatum, qui Cardinalitiæ Dignitati junctæ cum antianitate annexus est. *h*

Nisi tamen super his omnibus occurratur per dispensa- 60
tionem Apostolicam, quam pensionarius re integra, & antequam amissioni per dictum statum incompatibilem locus fiat, potius, tanquam præservativum remedium, per quod occurratur, futuro damno ne incurratur, quam 61
per remedium curativum post illud incursum, cum tunc verum onus importare dicatur, novæque reservationis speciem redoleat, ideòque specialem exigit mentionem; 62
Atque si plura sunt impedimenta, super omnibus dispensatio obtinenda est, neque obtenta super uno prodest pro altero, quamvis identitas, ac majoritas rationis accedat. *i*

Hujusmodi verò dispensatio novum non producit onus, 63
ideòque desideranda non sunt ea, quæ in novi oneris, vel pensionis reservatione necessaria sunt; Minùsque cessant priores cautiones, ac pacta, cum eadem sit, atque continuet pensio, ita præservata per obstaculi præventivam remotionem ab ea extinctione, quæ aliis sequi debuisset. *l*

Per ea verò crimina pensio ecclesiastica amittitur, per 64
quæ resultat vacatio beneficiorum, quorum jure in proposito illa regulatur, ideòque si crimen aptum non est ad beneficiorum amissionem, multò minus ad illam pensionum; In beneficiis autem ea solùm crimina hunc effectum ipso jure causant, in quibus ita expressè in jure statutum est; Putà ob simoniam, sacrilegium, stuprum Monialis, falsificationem litterarum Apostolicarum, hæresim, assassinium, & similia, de quibus in beneficiorum sede, secus autem pro aliis, in quibus id statutum non sit, quamvis de homicidio voluntario agatur, vel simili delicto inducente quidem justum motivum, ut Judex in pœnam, hanc privationem decernere valeat; Aliqua cadente quæstione in banno capitali in contumaciam, an exindè pensio in aliquo differat à beneficio, ut in sua sede. *m*

Citrà verò crimen, vel status incompatibilis assum- 65
ptionem, ut suprà, cessat quoque pensio in toto, vel in parte ob ejus cessationi, vel remissioni liberum, a perfectum consensum, qui ubi sit gratuitus, nullum exigit Apostolicum assensum, qui solum necessarius est, per solam tamen supplicationem signatam, absque necessitate expeditionis litterarum, ubi mediante aliquorum terminorum anticipata solutione, vel alia recompensa dictus consensus præstetur, & sine quo assensu, simoniacus, ac illicitus reputatur actus ad effectum pœnarum, aliosque effectus illicitè agentibus præjudiciales, non tamen, ut exindè Ecclesiæ libertas, ac oneris extinctio impediatur, cum actus malè gestus, in odium agentis pro legitimè gesto haberi debeat, secus autem in favorem. *n*

c *disc.* 45. d *disc.* 46. e *ibidem*. f *disc.* 60. & 48.
g *disc.* 44. h *disc.* 43. i *disc.* 43. *cum seqq.* l *disc.* 1. 2. & 44. *cum seqq.* m *disc.* 49. n *disc.* 68. & 69.

IX.

De translatione pensionis, ejusque cessione in substantia, vel in commoditate.

EX Apostolico indulto, & non aliàs, conceditur pen-
sionario pensionem transferre in aliam personam, eamque loco sui ponere, idque diversimodè sequi solet, 66
frequentiùs verò, ut coram persona in Ecclesiastica Dignitate constituta, pensionarius antiquæ pensionis cassationi consensum præstet, eodemque instanti Apostolicus delegatus consimilem reservet ad favorem diversæ personæ, quam translatarium dicimus; Idque licèt fiat in infirmitate; Quinimò & in mortis articulo, ac etiam nutu, ac
signis, dummodò intellectus defectus non adsit, adeòut 67
transferens testandi, ac de reliquis bonis disponendi habilitatem retineat. *o*

Non per hoc tamen, quod hæc forma præcisè non 68
servetur, quia scilicet non præcedat cessatio, sed solùm de pensionarii consensu fiat nova reservatio, corruit actus, cum ita cessatio implicitè per necessarium antecedens præcedere dicatur; Cadentibus quæstionibus personarum, in quas fiat, vel Ecclesiarum, quæ gravantur, ac summarum respectivè, ut in sua sede; *q* Necnon super defectu jurisdictionis Delegati, cui litteræ delegationis non bene exhibitæ sint.

Altera est magis in praxi rara species translationis, quæ
fiat coram notario, & testibus, vel etiam per sched- 69
lam privatam, quoties indulto, ita etiam fieri posse disponitur, in qua intrant pariter ea, quæ ratione imperfectè voluntatis, vel imperfecti judicii, aut incertitudinis habentur. *r*

Tertia verò species est, quæ fiat coram ipso Papa directè, ac immediatè, quia scilicet pensionario consentiente
70 cessationi antiquæ pensionis, Papa consimilem de novo reservet ad alterius favorem, istoque casu cessio cadit, an id importet translationem, & sic prorogationem ejusdem pensionis de persona ad personam, vel potiùs novam, ac integram reservationem, quod facti potiùs, quàm juris est, diversamque recipit determinationem pro facti qualitate, & circumstantiis, sive pro diversitate effectuum exindè resultantium, ut in sua sede, cum ea, quæ facti sunt, atque ex ejus circumstantiis pendent, non de facili sub compendio explicari valeant. *s*

Posito autem, quod juxtà unam, vel alteram speciem,
71 de vera translatione agatur, tunc excepta mutatione personæ, ex qua pendet extinctio pensionis, & quæ respectu translatarii nova dicitur, in reliquis respectu Ecclesiæ oneratæ, dicitur eadem, ac antiqua. *t*

Pluries tamen, præsertim ex modernis Apostolicis Constitutionibus, & decretis, vel magis receptis Tribunalium decisionibus, restrictiones ista translationis materia
72 patitur; Primò scilicet, ut transferri non possit reservata super distributionibus quotidianis, nisi in transferendi facultate ita cautum sit, quoties distributiones verè suam retineant naturam mercedis labori proportionatæ, secus autem si fructuum potiùs de facto naturam sortiantur, non exindè tamen impedita facultate transferendi pro rata fructibus certis proportionata. *u*

Item, ut excedere non valeat fructuum medietatem,
73 quæ Titulari salva remaneat, non tamen ista exceptione impediente processum exequutivum translatario competentem, donec in judicio ordinario per tres conformes, vel rem judicatam, canonizata sit valoris probatio, à Titulari translationem impugnante concludenter facienda, cum rigorosa forma decennalis peræquationis. *x*

Vel ubi agatur de Ecclesia possessa per Cardinalem de
74 tempore concessæ facultatis transferendi, ut hujus qualitatis mentio specialis facienda sit; Idemque si Cardinalis dimissa Ecclesia fructuum reservatarius solùm existat. *y*

Pensio item alias translata transferri non potest, nisi specialiter id concessum sit, vel Titularis accedat consen-
75 sus, qui etiam ex intervallo, re tamen integra, & ante acceptatam nullitatem præstari potest, quinimò implicitus, vel præsumptus sufficit ex diuturna solutione resultans, quæ tamen erronea non sit. *z*

Non levi cadente quæstione, an transferendi facultas
76 exerceri valeat in pensione, cujus commoditas alteri cessa sit, quod etiam in extinguendi facultate cadit, proba-
77 biliorque videtur affirmativa, quoties talis circumstantia non accedat, quæ ob æquitatem contrarium suadeat. *a*

78 Transferendi facultati non præjudicat, novæ eventualis pensionis reservatio, aut Ecclesiæ unio, vel immuta-
79 tio ejus status, quia de Regulari fiat Sæcularis, aut de Collegiata, vel simplici fiat Cathedralis cum similibus. *b*

Si verò translatio fiat ad favorem personæ capacis, ad
80 commodum tamen incapacis, vel ut commodum continuet in ipso transferente, aut in habentibus ab eo causam, inutilis est actus; Fiduciaria etenim pensio, sive de nova reservatione, sive de translatione agatur, potest quidem per Papam concedi, sed in Italia non solet; Frequens verò ejus usus est in Hispania, ubi ad conservandum regionis usum, ex Apostolicis indultis, vel aliàs provenientem, super non nationalium incapacitate reservantur pensiones ad favorem nationalis fiduciarii, qui vulgò *testa di ferro* nuncupatur, ad commodum tamen, ac utilitatem non nationalium, quibus Papa gratificari velit; Et quamvis isto fiduciario moriente, non prævia pensionum translatione in alterum fiduciarium, pensio de stricta juris censura cessat; Attamen ex quodam stylo Datariæ, seu Apostolicis decretis, quorum tamen notitiam forus adhuc non habet, pro cessatione pensionis, ac etiam obligationis fidejussoris, vel cedulistæ attenditur persona, ad cujus commodum pensio assignata est, non autem dicti fiduciarii, adeòut in officialium Datariæ sensu, nil referat fiduciarium decedere non facta translatione generali in alterum, quæ deindè fiat, dummodò vivant commoditatis possessores. *b*

81 Translatario autem competit eadem via executiva, quæ competit transferenti, ejusque possessione juvatur, ad omnes effectus, etiam præsumptæ justificationis ex diuturna possessione resultantis, præterquam ad illum pos-

sessori retinendæ, quod manutentionis vulgò dicimus, cum de stylo immissio ei concedatur; Teneatur autem translatarius justificare gratiam transferentis, nisi ejus jus, non provenit à vera translatione, sed potius à nova, & integra reservatione, ob consensum à priori pensionario præstitum coram Papa antiquæ pensionis cassationi. *c*

Cessio ipsius pensionis, vel juris in ea, ex privata con- 82
ventione, quamvis gratuita non datur, cum id solùm in cassatione, vel reductione Ecclesiæ favore concedatur, non tamen cum recompensa; Et quamvis Apostolicæ testati in hac materia nil denegetur, non tamen solet transiativa cessio ipsius pensionis admitti, solumque practicari tertia species translationis, de qua in proximè præcedenti rubrica.

Licitè autem, etiam absque Apostolico assensu adhiberi
non solito, etiam mediante pecunia, vel alia temporali 83
recompensa, ceditur etiam laicis, aut aliàs pensionis Ecclesiasticæ incapacibus, ejusdem pensionis commoditas, attamen ubi sequitur, nullum in re, vel ad rem jus tribuit, minusque substantiam tangit, sed solùm continet nudum factum ab ipsa rei substantia præcisum capiendi emolumentum, ut quid temporale, de cedentis dominio libero, ac indifferenti effectum, ejusdem cedentis mandatario, seu procuratorio nomine in rem propriam. *d*

Hinc residente pensione in cedente, ex ipsius morte
naturali, vel civili ea cessat, atque commoditatis cessio- 84
narius præmoriens ad successores eam transmittit, sicuti è converso supervivens nil retinet, vel sperat à Titulari, minusque à cedente, ejusque hærede, cum incertam aleam ejus vitæ emisse censeatur, atque dicatur evictio de rei na-
tura de jure non præstanda, nisi ex ipsius cedentis delicto, 85
mors etiam naturalis per manus justitiæ sequatur, seu aliàs ex facto culposo, vel voluntario sequatur mors civilis, quam etiam assumptio status incompatibilis inducat, cum tunc, id quod interest præstandum sit. *e*

o *disc.* 56. & 59. p *disc.* 58. q *disc.* 57. r *disc.* 70.
s *disc.* 50. *cum duobus seqq.* t *ibid. & pluries loc. cit.*
u *disc.* 61. x *disc.* 55. *& sub tit. de benef. disc.* 90.
y *disc.* 54. & 63. z *disc.* 60. 51. & 53. a *disc.* 68.
b *disc.* 67. b *disc.* 64. *cum plurib. seqq. & disc.* 73.
c *disc.* 50. & 68. d *disc.* 68. *cum seqq.* e *disc.* 69.

X.

De modo solvendi pensionem, circa locum, tempus & monetam; Et de ejusdem solutionis probatione, & effectibus.

LOcus solutionis pensionis, quando aliud in reservatio-
ne non statuitur, est ille beneficii, vel Ecclesiæ gra- 86
vatæ, quod frequenter contingit in pensionibus, quæ ad Patroni supplicationem, vel nominationem, sive ad Ordinarii collatoris instantiam, aut partium supplicationem ex causa resignationis reservatur; Ratum autem est in ea, quæ super Ecclesia vacante occasione providendi, vel antea, motu proprio pro curialibus, seu conjunctis reservetur, cum frequentiùs pensionis solutio in Curia destinetur; quod ni-
mium refert, cum ita pensio longè magis onerosa sit.

Prout non accedente contraria declaratione, sub duca-
torum, vel scutorum nomine veniunt illi regionis, seu 87
loci Ecclesiæ gravatæ, quod eum eadem distinctione praxis recipit, quod scilicet in illis primæ speciei, ut suprà fieri soleat in ducatis, vel scutis monetæ regionis, in aliis autem in scutis auri, vel in ducatis Cameræ idem importantibus, ac scutum auri stamparum currentium, ac decimam sextam partem ejusdem scuti, quæ sub julii nomine in Curia explicatur. *f*

Quò verò ad tempus, illud in ipsa reservatione expli-
cari solet, duos cujuslibet anni statuendo terminos, fre- 88
quentiùs illos utriusque Nativitatis Domini nostri, ac S. Joannis Baptistæ, & quandoque Annuntiationis, ac Nativitatis B. Virginis, quod tamen non percutit substantiam pensionis, seu modum regulandi annum pro contributo, vel rata in anno cessationis, ut infrà in rubrica post sequentem, sed solùm commoditatem solvendi; neque in 89
hoc ordo scripturæ attenditur, si priùs expressus fuerit ille terminus, qui desumendo initium à reservatione sit posterior, nisi obstet, quod seriò, ac studiosè dilationis gratia ita statutum sit. *g*

Frequentiores autem quæstiones cadunt circa mone-
tam, in qua solutio facienda sit, ubi præsertim tractu tem- 90
poris notabilis alteratio sequatur; Receptaque est distinctio,

ctio, ut facta reservatione in moneta imaginaria, (quod tamen rarum est,) ejus valor de tempore reservationis attendatur facta verò in moneta vera, quæ licet rara, attamen in rerum natura existat, attendatur tempus solutionis, non curata intermedia alteratione in pluri, vel minori, quamvis in ipsa reservatione ejus valor in alia magis currenti monetæ specie sit explicatus, cum id demonstrationis potiùs, quàm taxationis gratia factum censeatur. Habilitato tamen Titulari solvendi in moneta regionis, quæ tamen in valore intrinseco, monetæ reservatæ valori æquipolleat, nisi longissima quadragenaria observantia, non tamen erronea, seu alias ex defectu potestatis recipientis elidibilis, contrarium statum præscripserit, vel nisi concordia æquè habilis ad augmentum, vel decrementum, seu lucrum, & damnum, uniformem, seu certam taxam invariabilem statuerit, quod peculiare non est ecclesiasticarum pensionum, sed cum generalibus cujuscumque debiti indifferentis terminis regulatur. *h*

f *disc.* 34. *cum seqq.*
g *disc.* 29. & 30.
h *disc.* 34. *cum seqq.*

XI.

De concursu activo inter plures pensionarios super fructibus Ecclesiæ oneratæ, vel super bonis Titularis debitoris; Et de actione contra successorem, vel super fructibus futuris, pro terminis decursis tempore prædecessoris.

EXtrà controversiam est, in concursu super fructibus currentibus illius anni pro ejusdem anni pensionibus, ut ibi diversis temporibus reservatæ sunt, inter eadem regula inter hypothecarios creditores in jure statuta, ut qui prior est in tempore sit prior in jure; Ubi verò contentio sit super fructibus currentibus, inter anteriorem agentem pro terminis annorum præcedentium, ab eodem Titularis, vel prædecessore debitis, & posteriores contendentes de terminis currentibus ejusdem anni, aliqua cadit quæstio, in qua non improbabile ad posteriorum favorem responderi deberet praxis tamen contrarium recipit, nisi anteriori negligentia obstet, eodem anterioritatis privilegio transeunte in translatarium, quod transferenti competebat. *i*

Ubi verò aliquorum anterioritas non proveniat à reservatione, quæ sit contemporanea ad favorem plurium nominandorum, sed proveniat à nominatione, quia nempè unus altero in nominatione prior sit, & tunc in puncto juris, attenta causæ identitate, ac æqualitate, omnium est æqualis conditio, nisi nominantis, vel reservantis in contrarium declarata voluntas aliud statuat. *l*

Alter est concursus inter pensionarium, ipsumque Titularem contendentem de congrua per expressam reservationem, seu de jure communi, vel conciliari sibi debita, & receptum pariter est, priorem, vel potiorem esse congruam, utpotè inter onera fixa, vel expensas necessarias ex fructibus prius deducendas computandam, cum præsupposito, quod illa debita sit. *m*

Alter quoque datur concursus activus inter pensionarios, & creditores Titularis, in quo distinctio est, an ille sit in bonis propriis debitoris, vel in ipsius Ecclesiæ oneratæ fructibus, ut primo casu juris dispositio generalis super creditorum concursu servetur, in altero autem indubitata sit pensionarii potioritas, utpotè jus habentis tanquam hypothecæ speciem, quod nullum alteri creditori indifferenti competit, nisi postquam satisfactis Ecclesiæ oneribus, ac pensionibus, exuberantes fructus à solo separati, de Titularis liberi patrimonio effecti sunt. *n*

i *disc.* 19. *& seqq. & disc.* 59.
l *disc.* 20.
m *disc.* 16. *cum seqq.*
n *eisdem disc.* 19. *& seqq.*

XII.

De concursu passivo in solutione pensionis, putà prædecessoris, & successoris, vel plurium possidentium Ecclesias, vel Beneficia, quæ in confuso eadem pensione onerata fuerint.

PEnsionario non incumbit agere de isto concursu, cum ei integra remaneat actio contra beneficii possessorem pro terminis maturatis de tempore suæ possessionis, non attento, an idem possessor perceperit fructus, necnè, vel potiùs eos perceperit prædecessor, contra quem adhiberi debuerint diligentiæ, cum id percutiat terminos tempore prædecessoris maturatos, & non exactos, pro quibus, ut contra successorem, ac super annorum sequentium fructibus competat actio, recepta Curiæ praxis eam tribuit, cum hoc requisito diligentiarum benè adhibitarum, & non aliàs. *o*

Inter autem successorem, qui solvere coactus est, vel molestatur, & prædecessorem, seu ejus hæredem, aut ipsam Ecclesiam, vel Cameram, pro intermedio vacationis tempore; Sive in casu converso, quo prædecessor terminos ejus tempore maturatos solverit, fructus autem in toto, vel in parte per successorem, vel per Cameram vacatione durante percepti sint, intrant frequentes quæstiones; Atque licèt in hoc scribentes aliqualiter se involuisse videantur super modo computandi tempora; Verius tamen est totum pendere à fructuum qualitate, & quantitate, habita eorum proportione ad onus pensionis, ut qui plus percepit, plus contribuat proportionabiliter, ac pro rata, adeòut quælibet integra recollecta omnium fructuum, integrum solvat annum pensionis, non attentis terminis pro ejus solutione præfinitis, utpotè commoditatem solvendi percutientibus, non autem pensionis substantiam, vel naturam regulantibus, desumendo annum fructiferum per diversa tempora juxta diversam fructuum naturam, & qualitatem, ut in quibuslibet novus annus initiari dicatur, quando maturis jam collectis, natura novum fœtum concipere incipit pro futura nova recollecta. *p*

Temporis autem reservationis, ratio magis habetur pro regulando anno, qui vulgò *pensionarius* dicitur in concursu Titularis, ac hæredis pensionarii decedentis, super repartitione pensionis pro rata temporis decursi, cum pensio etiam ante maturatum terminum, pro rata de jure transmittatur ad hæredes, quorum loco ex Apostolicis Constitutionibus, seu verius, ex earum intelligentia, vel argumento, hodie succedit Camera in locis, in quibus fructus inexactos, vel pendentes quoque percipit; *q* Tunc etenim annus ex tempore reservationis computandus venit, ut non plus pensionarius obtineat, quam sui temporis rata concedat, istoque casu intrat inspectio anticipatæ, vel postcipatæ solutionis. *r*

Alia est passivi concursus species, quando plurium beneficiorum provisione contemporanea in una persona facta super omnibus certæ quantitatis pensio reservetur, nulla facta distinctione, postmodum verò contingat plures de eisdem beneficiis distinctè provideri, ut concursus pro rata valoris, ac oneris respectivè sequi debeat, idemque si detur casus validæ translationis certæ summæ super pluribus oneratis Ecclesiis, nulla sequuta distinctione. *s*

o *disc.* 19. & 31.
p *disc.* 23. *cum seqq.*
q *disc.* 28.
r *eodem disc.* 28. & 27.
s *disc.* 57. *& sub tit. de feud. disc.* 89.

XIII.

De valore ad effectum validæ, vel invalidæ reservationis, vel ejus reductionis.

DIstinguendo reservationem à translatione, attenta prima specie, ubi sequatur motu proprio, ac purè super beneficio vacante occasione providendi, vel anteà, atque non agatur de beneficiis, in quibus ratione matrimonii spiritualis, Conciliaris, vel alimentaria congrua Rectori debita sit, nulla cadit valoris, vel insufficientiæ quæstio, neque hic prætextus beneficii possessorem excusat à pensionis solutione, quam cum beneficii dimissione evitare potest; Solùmque in beneficiis servitoriis pro Ecclesia cultu erectis, quatenus pensionis onus quotidianas etiam distributiones afficiat, quædam congruæ alimentariæ species intrat, ne Ecclesiæ cultu deseratur, quæ servitio proportionata sit.

Ubi verò eadem reservationis, purè, ac motu proprio specie retenta, agatur de Ecclesiis, in quibus ratio spiritualis matrimonii cadat, ut sunt Cathedrales, ac Parochiales, tunc si Conciliaris congrua expresè reservata est cum clausula, *dummodo mille, seu centum*, &c. valoris inspectio intrat, non attento tempore reservationis, sed illo singulorum annorũ, ac de præsenti, cum non de impugnatione agatur, vel de reductione, sed solùm de potiori deductione, ut de eo, quod supereſt pensio solvatur; Si verò

verò dicta congrua sub conditione posita non sit, minusque tunc concurrat ejus explicita derogatio ista in Parochialibus non subintelligitur, benè tamen in Cathedralibus, ob differentiæ rationem supra insinuatam, quod Cathedralium in Consistorio prævio processu super valore provisio, ac respectivè reservatio fiat; Isto autem casu, ac altero explicitæ derogationis, adhuc salva, & potior remanet congrua alimentaria, quæ certam non habet, ac uniformem taxam, pro arbitrio ex regionum, & Ecclesiarum qualitate regulandam, nisi provisus aliundè in se onus assumpserit suppeditandi alimenta, & alia necessaria de proprio. *t*

In provisionibus autem Cathedralium, vel Monasteriorum Consistorialiter sequutis, in quibus Consistorialiter etiam, ac motu proprio occasione providendi, pensiones reservari solent in gratiam habentis juspatronatus, vel præsentandi, stylus est faciendi reservationem sub conditione, *dummodò tertium fructuum partem non excedat*, unde propterèà frequentes in foro esse consueverunt quæstiones super dictæ conditionis verificatione, pensionario actori de jure incumbente; Eas tamen subtulit moderna cautela superiùs etiam insinuata, ut provisus pensioni consensum præstando, se informatum, declaret, atque onus probandi contrarium in se assumat, quod aliàs sequentibus quæstionibus finem imposuisse videtur. *u*

In pensione autem ex causa resignationis, vel concordiæ, super dimisso, vel resignato beneficio Apostolica auctoritate reservata, cum valor per partes narrari soleat per ascensum, hinc iste concludenter de tempore reservationis justificandus est, eoque non justificato, ob defectum, quamvis modicum, crediderunt aliqui, pensionem in totum corruere, neque reductioni proportionabili, ac pro rata locum esse; Id autem recipiendum est favore pensionarii resignantis, vel dimittentis, ut aliàs reservatus regressus, vel ingressus competat, neque resignarius id cum oblata reductione impedire valeat, utpotè sub tantæ pensionis conditione obtinens beneficium aliàs non obtenturus, quod etiam in successore dicendum est, cum aliàs non contigisset vacatio, ob quam ipse obtinuit; Secus autem, ubi è converso pensionarius negligendo regressum, vel ingressum, fuoque favori cedendo, sit contentus reductione proportionata verò valori, quoties dolus ejusdem, seu verisimilis defectus intentionis Papæ non obstent. *x*

Regressus autem, ubi reservatus est favore resignantis, tam contra resignatarium, quam successores quoscumque juxta eam formulam, quæ moderna dicitur, ut scilicet in quovis casu impugnationis, reductionis, vel diminutionis, competere debeat, non attenditur, an Titularis justam habeat causam impugnandi, vel petendi reductionem, seu modificationem, & an resignans, cujus favore pensio reservata est, in mala expressione valoris culposè exegit, necnè, cum ista species importare dicatur potiùs conditionem adimentem aliàs consensum ab actu resignationis, quæ proindè jus non abdicat à resignante, dum Papam conditionem approbavit; Clariùs verò si accedat clausula, *non aliàs*, &c. Aliqua cadente dubitandi ratione, ubi ipsa reservatio pensionis qualificata esset à clausula, *dummodo centum*, sed probabilius est eam non obstare.

Consideratio etenim, an impugnationi ansam præbeat ipsius resignantis culpa, sive an de resignatario, vel de successore agatur; Vel an justa accedat causa petendi annullationem, vel moderationem, percutit aliam speciem regressus ex juris intentione resultantis tanquam per speciem pœnæ, ob Titularis proterviam, à qua proindè justa causa excusat; Ideòque exigit canonizationem per rem judicatam, vel tres conformes in judicio ordinario, cum tamen in prima specie concedatur cum possessorio privilegiato, quod *immissionis* dicitur; Atque in hac secunda specie faciliùs locus est purgationi moræ, etiam post regressum petitum, imò obtentum, sed non exequutum, quæ tamen in alia etiam specie non denegatur.

Cadente quæstione, an dicta moderna formula suffragari valeat translatario, qui nunquam beneficium possedit, cui aliqui credunt ingressum concedi si capax est, quod à difficultate non est alienum, ut in sua sede. *y*

In altera verò reservatione, quæ fiat ad partis supplicationem super beneficio pleno de voluntate possessoris, tamquam in pensionis specie odibili, ac de fraude suspecta, rigorosè proceditur circa concludentem justificationem integri narrati valoris attento tempore gratiæ, adeòut defectus etiam modicus totum vitiet; Intrante beneficialistarum dicterio, qui cadit à syllaba, cadit à toto. *z*

Majores autem in hoc proposito quæstiones super facto potiùs, quàm jure cadere solent, super qualitate scilicet justificationis valoris, an sufficiat pro tempore reservationis, non attento antecedenti, vel subsequenti tempore, vel requiratur rigorosa decennalis peræquatio; Atque verius est primam partem sufficere; Altera cadente in impugnatione translationis, ut infrà.

Ac etiam super qualitate emolumentorum, quæ scilicet sub fructuum, ac valoris nomine veniant, necnè, sive super oneribus, necnè deducendis, quod plures recipit distinctiones, & declarationes, de quibus in sua sede, utpotè sub compendio non de facili citrà æquivocorum incursum explicabile; Præsertim verò dicta quæstio cadit in domibus Canonicalibus, aliisque prædiis, vel præbendis jure actionis, vel antianitatis obtineri solitis, quod etiam ex facti qualitate, ac circumstantiis, de quibus in eadem sede decisionem recipit non uniformem, sed pro facti qualitate diversam, ex ea potissimùm consideratione, an tot sint domus, vel præbendæ, quot sunt canoniæ, vel beneficia, data solùm turnaria optione in meliori qualitate, vel è converso minor sit earum numerus, qui antiquioribus tantùm congruat. *a*

In translatione verò intrat inspectiones sub translatione Rubricæ insinuatæ circa distinctionem inter fructus, & distributiones, sive circa non excessum medietatis, ut ibi advertitur.

t *disc.* 16. *& seqq. & disc.* 90. *sub tit. de beneficiis.*
u *dicto disc.* 90.
x *eodem disc.* 90. *de benefic. & hoc tit. disc.* 11. *cum seqq.*
y *de his disc.* 12. *cum duobus seqq.*
z *disc.* 5. *cum plurib. seqq. ad* 10.
a *disc.* 6. & 15. & *dicto tit. de benef. disc.* 90.

XIV.

De processu executivo, qui pro pensione competat, & quando ille cesset, necnè.

REgula generalis certa est, ut pro pensionibus Ecclesiasticis; Vel ex recepto stylo; Vel privilegio litterarum Apostolicarum, sive ex altero alimentorum, processus exequtivus competat, tam primo reservatario, quàm translatario, per dubias, ac altioris indaginis exceptiones non retardandus, minusque suspensivam admittens appellationem, ideòque signaturæ stylus est rescribendi de appellatione ad solùm devolutivum, cum clausula, *non retardata*, vel *sine retardatione*, aut *sine præjudicio executionis*; Notabili tamen differentia inter hujusmodi clausulas militante; Ubi enim juxtà primam speciem per ablativum absolutum concipitur, effectus est, ut debitor audiri non valeat, nisi prius solvat, quasi quod præcisam conditionem id importet, secus autem in aliis speciebus, præservantibus quidem jurisdictionem judicis à quo, ut ad executionem, appellatione non obstante procedere valeat, dictum verò effectum non producentibus.

Dictæ autem regulæ limitationem, juxta frequentem praxim docet aliqua justa causa, quæ signaturæ arbitrium regulare solet in rescribendo de appellatione cum clausula suspensiva, *si quid exequendum*, vel *arbitrio*; Atque super hoc, certa determinata regula dari non potest, cum pendeat à singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, circa defectum justificationis eorum, quæ pensionario incumbunt, aut circa invaliditatis exceptionem, quæ probabilis videatur cum similibus; Regulariter autem, & frequentiùs de clausula translativa responderi solet, ubi incertitudinis, vel illiquiditatis ratio exigat; Sive diuturnum pensionarii silentium extinctionis præsumptionem inducat, quod pariter pro facti qualitate diversimodè attendi praxis docet. *b*

Ultrà processum executivum litteris Apostolicis reservationis, vel translationis, regulariter competentem, frequens est alter summarius, pariterque exequutivus, & privilegiatus interdicti retinendæ, quod sub *manutentionis* vocabulo explicatur, ratione possessionis, in qua pensionarius reperiatur, istudque magis proficuum, posita possessione, reputari solet eo, quia non exigitur justificatio Clericatus, vel valoris, quæ in altero processu executivo requiritur, cum in hoc judicio non quæratur de justitia, vel injustitia, sed nudum possessionis factum attendatur; Ea solùm in hac pensionis materia specialitate de stylo concurrente, ut absque justificatione tituli, saltem

tem per ſupplicationem manu Papæ ſignatam, ſola poſſeſſio non ſufficiat; Ea verò etiam per exactionem unius termini, quinimò partis illius ſufficit ad manutentionem,
117 nedum contra ipſum ſolventem, ac in poſſeſſione conſtituentem, ſed etiam contra ſucceſſorem, cum hoc judicium ex auctoris, ac poſſeſſoris perſona reguletur, dummodò tamen ſolutio partis ſimpliciter, vel in computum facta ſit, ſecus autem ſi taxativè ad eam ſummam, animo ita in parte, ac diminutè ſolvendi, quia prætendatur Eccleſiam partis, non autem totius capacem eſſe. *c*

Pluribus deſuper cadentibus quæſtionibus ſuper legitima, ac ſufficienti ſolutionis probatione, ſive ſuper poteſtate ſolventis, quoties non ipſe Titularis, ſed ejus expreſſus, vel præſumptus mandatarius, vel miniſter, aut Eccleſiæ vacantis œconomus, ſeu adminiſtrator ſolvat, quæ omnia potiùs facti, quàm juris cum ex ipſius facti
118 qualitate, ſingulorumq; caſuum circumſtantiis determinationem recipiunt, ideòque certæ, ac determinatæ regulæ generalis incapacia, in ſua ſede de facili perquiri poſſunt, ac etiam apud vulgares poſſeſſoriæ materiæ elaboratos, & copioſos collectores, potiùs quam diſcuſſores.

Quamvis autem transferentis poſſeſſio ad omnes effectus, illum præſertim præſumptæ juſtificationis, ſeu exemptionis ab onere juſtificandi ſuffragetur translatario;
119 Fortiùs verò, ubi ſubrogatio gratioſa ad jus, & poſſeſſionem transferentis accedat, ut præſertim in indultis Cardinalitiis contingit, non tamen ex Curiæ ſtylo iſtud retinendæ, ſeu manutentionis competit, ſed illud adipiſcendæ, quod ſub immiſſionis vocabulo practici explicant, adhuc tamen executivum, & privilegiatum regulariter non admittens ſuſpenſivam appellationem. *d*

Dictumque manutentionis remedium in quacumque inſtantia experibile eſt, etiamſi in petitorio ſuper penſionis 120
annullatione, vel reductione ſententia accedat, per appellationem ſuſpenſa, quinimò in judicatum tranſacta, pendente adverſus eam judicio reſtitutionis in integrum; Aliqua cadente difficultate, ubi ſit ſententia abſolutoria, quæ ipſo jure abſque hominis miniſterio ſecum trahat executionem, an ſcilicet ita hæc cœpta dicatur, adeòut impediat illum ſuſpenſionis effectum, quem executione non cœpta, adinſtar appellationis, producit etiam reſtitutionis in integrum commiſſio, quod varias habet opiniones.

De reliquis in foro non adeò frequentibus apud materiam ex profeſſo tractantes videri poterit; Vel quia inſtitutum ſit, (ut in omnibus aliis) propriarum adnotationum, non autem totius materiæ compendium inſinuare; vel quia non de facili humanæ memoriæ imbecillitati conceditur, abſque libris, in otio Tuſculano, cujus, ut plurium hujuſmodi compendia ſunt partus, ipſo primo calami curſu, omnia complecti, ac explicare.

b *Diſc.* 50. 57. 67. *& in aliis.*
c *Diſc.* 36. & 37.
d *Diſc.* 17. *& in aliis frequentior.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
GRANADA

Finis Libri Decimitertii.